JULII PONTEDERÆ

ANTIQUITATUM LATINARUM GRÆCARUMQUE

ENARRATIONES ATQUE EMENDATIONES

Præcipue ad veteris anni Rationem attinentes

EPISTOLIS LXVIII. COMPRENSÆ

Et Tabulis plurimis ornatæ.

PATAVII. Typis Seminarii. CIↃIↃCCXL.
Apud Joannem Manfrè.
SUPERIORUM PERMISSU, & PRIVILEGIO.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/juliipontederaea00pont

ILLUSTRISSIMIS atque EXCELLENTISSIMIS

VIRIS

PATAVINI GYMNASII

MODERATORIBUS

JO: PETRO PASCHALICO,

JOANNI EMO

Ædis D. Marci Procuratori,

LAURENTIO THEUPOLO

Equiti Ædisque D. Marci Procuratori,

TOTIQUE LITERARIORUM TRIUMVIRUM

ORDINI AMPLISSIMO

Julius Pontedera S. P. D.

Cogitanti mihi ac ſæpius animo revolventi, Senatores Præſtantiſſimi, qui fiat, ut humanum genus ſtatim ac per ætatem reſipit, & quid præſtet, certa ratione ac conſilio ponderat, & dijudi-

cat ; ad vetera ſemper ſe convertat , ſua tempora , mores , atque inſtituta deſpiciat ; ſuccurrebat antiquiora magis probari , quam nova ; quoniam illa inter tot fortunæ viciſſitudines varioſque caſus verſata reprenſionem offenſionemque omnem poſt ſe reliquerunt : hæc vero negligi contemptioni haberi atque improbari , quippe qualem exitum cultoribus allatura ſint , non plane manifeſtum . Quapropter cum duo optima ſint hominum inſtituta , quibus nihil fructuoſius nihilque præſantius mortalium vita agit , alterum publicæ vel privatæ rei adminiſtrandæ ſtudium , alterum animi excolendi ; qui publicarum rationum curam conſultiſſimi ſuſcipiunt , ad vetuſta jura , leges , ac diſciplinas ita reſpiciunt , ut his potius quam recentibus , cuncta regant & moderentur . Qua in re Vos , Ampliſsimi Viri , Veſtraque Auguſta Reſpublica (ut ſpero atque opto) immortalis , inſtar omnium clariſsimum ſpecimen atque exemplum ſic excellitis , ut nulla civitas , nulla gens , nullum regnum aut imperium cum Veſtro conferri diuturnitate poſsit ; propterea quod non modo a Majorum Veſtrorum ſapientia & conſilio unquam non deſciviſtis , verum etiam iiſdem legibus atque inſtitutis , quibus Urbs Veſtra nobiliſsima primum conſtitu-

ſtituta fuit, publicæ utilitati ſemper conſuluiſtis, libertatemque & gloriam diutiſsime tutati eſtis, & tutamini. Illi autem qui inter privatos parietes rem domeſticam ſtrenue agere inſtituunt, ea ſolicitudine a parentibus traditam regulam ac diſciplinam intuentur, ut eorum dicta & facta memori mente quotidie retractent, iiſdemque tanquam legibus ſe addicant & obſtringant. Jam vero qui, hac cura poſthabita, animum optimis artibus præclariſque doctrinis imbuunt atque informant, nonne ab ultima antiquitate præceptores formatoreſque arceſſunt, quorum ſapientiam imitentur, facundiam excolant, mores induant, & totis viribus ad illorum ſimilitudinem ſe fingant & componant? A qua conſuetudine quamvis abhorrere videantur, qui in naturæ contemplatione aſsidue verſari ſolent, tamen, ſecus ac vulgaris opinio fert, exiſtimandi ſunt, cum ad nova inveſtiganda non prius deſcendant, quam a veteribus quidquid proditum memoriæ fuerit, exploratum teneant perceptumque. Porro quæ proferuntur nova, propterea talia & habentur & dicuntur, quoniam tota de iis antiquitas ſilet. At quota pars ex veterum ſcriptis ſupereſt? Ex horum igitur interitu ignota quædam atque obſcura in

lu-

lucem revocamus, auctoresque dicimur; quod primi fortasse repertores inter immensas antiquitatis tenebras demersi jacent, penitusque extincti. Quorum monumenta si extarent, pro certo asserere auderem, pleraque quæ nostra tempora suspiciunt, & summis laudibus prosequuntur, inventa ab antiquis fuisse atque exculta. Equidem nihil nisi summum & perfectissimum de antiquitate esse statuendum vetustissimæ Tabulæ Eugubinæ, in quibus tanta inexplicabilis sapientiæ signa renident, declarant, idemque divina Homeri & Hesiodi opera confirmant. Quare nos utrumque amplexi, & veterem disciplinam cognoscendam imitandamque jamdudum suscepimus, & quæ a veteribus desiderari poterant, in stirpium historia illustranda atque amplificanda pro nostra virili moliti sumus, & molimur. Quorum alterum aperte indicant ea volumina quæ in publica commoda præteritis annis edidimus, Vobisque sacravimus: clariusque Hortus Vester Patavinus, cui per annos XXI., Vobis jubentibus, præfuimus, demonstrat eo stirpium numero refertus, ut inter cæteros hortos, quos vetustate, amplitudine, decore facile præstabat, hoc etiam ornamento excellat. Alterum itaque restat, quod ad hoc tempus Vobis

tri-

tribuendum diſtuli ; ſiquidem hoc opus quod nunc Vobis, Nobiliſſimi Senatores, nuncupo ſacrumque dico, jampridem Immortalis memoriæ Viri Georgii Cornelii Cardinalis ac Patavini Pontificis præſtantiſſimi hortatu ſuſceptum, cum immenſi ferme eſſet laboris, & plurimi otii, hibernis tantum menſibus quibus a publico munere & diuturnis peregrinationibus vacabam, excolui & peregi. Hoc igitur ſtudiis Veſtris ſecundis & fauſtis, Veſtraque Humanitate ſingulari ita ſuſcipite & tueamini, ut quæ commoda utilitateſque Græcæ & Latinæ hiſtoriæ ac linguæ ſtudioſi hinc percepturi ſunt, ad Vos omnes deferant, ut ego ultro defero; quandoquidem a tantis difficultatibus, erroribus, atque ambagibus nunquam emerſiſſem, niſi Auſpicia Veſtra ſemper optima ſemperque auguſta mihi præfulſiſſent. Valete.

Dabam Patavio IIX. cal. Maii. CIↃ IↃCC XL.

JU-

JULII PONTEDERÆ

IN EPISTOLAS

PRÆFATIO.

SÆpenumero nonnullos qui ſapientiæ titulo decorantur, de ſua ſorte conquerentes adverti, quod infimo hoc ætatis gradu natis nihil jam ſibi ſuperſit, in quo vires exercere, ingenium & ſtudium oſtendere, ac tempus cum laude & exiſtimatione tranſigere poſſint, cum omnia ab antiquis proſpecta ſint & prærepta. Quorum querimoniis, ne dicam ſocordia atque inertia, cum nuper audirem quoſdam ſpectatæ indolis juvenes non modo ab inveſtigando deterreri, ſed etiam a veteri ſapientia percipienda avocari, tam deſperantes nova invenire, quam vetera meliora efficere, antequam latius diſpergatur malum, ſuccurrendum ſtatui, ut illi ignaviam potius ſuam, quam fortunam & noſtra tempora culpanda eſſe cognoſcerent; hi vero erecti & confirmati, ad certam ſpem revocarentur. Et quoniam gemina hinc procedit quæſtio, quarum altera ad naturalium rerum contemplatorem cultoremque pertinet, ad vetera imitantem aut reparantem altera, de illa primum pauca, de hac deinde plura proponam. Et ſane objurgatione potius, quam longo ſermone illi digni videntur, qui naturam, quæ omnium communis parens dicta atque habita eſt, omnia longe & late diffuſa majeſta-

te

te ſua complectens, & celans, vel tam iniquo animo, vel tam ſterili & inani ubere eſſe credunt, ut olim mater cuncta mortalibus largita ſit, nunc noverca ab effœto atque exhauſto ſinu natos rejiciat & repellat. Ecquando enim cuiquam ita indulſit, aut indulgere potuit, ut totam ſe mortali oculo ſubjiceret, penituſque revelaret? Ecquando quæ in aere inenarrabili modo, & ſubtilitate mira contingunt, qua ratione fierent, aut qua cognoſci præſcirique poſſint, edocuit? Ecquando quæ mari abdidit, ab imis receſſibus cuncta effudit; quæ terræ ſinu fovet, deprompſit; quæ fontibus, quæ lacubus, quæ fluminibus abſcondit, protulit in apricum, & minutatim detexit? Sed quid de abditis loquor? Quota pars eorum quæ in ſolo ſummo gignuntur, quæ oculis cernimus, quæ manu pertractamus, nobis nota ſunt, & perſpecta? Pleraque in abſtruſo jacent, & ſemper ab inquirente ſe ſubducunt, profundiuſque recondunt, ne ab inveſtigando & cognoſcendo hominum ſedulitas unquam ceſſet. Et quiſquam conqueretur omnia præoccupata eſſe a veteribus & prævisa? Quæ tamen cum dico, non perinde accipi volo, quaſi eorum ſententiæ adhæream, qui omnia ſumma antiquis negant. Ea quæ hominis eſt ſcire antiquitati jure ac merito concedo. Attamen, innumeris mortalium libris conſumptis, quæ per illos detecta erant, & cognita, in eadem quibus natura celavit, adyta iterum receſſerunt. Hæc itaque retegere & proferre quid vetat? At eorum opera, qui poſtquam literæ inſtaurari recrearique ceptæ ſunt, floruerunt, omnia patefacta ſunt, commentariis expolita, memoriæque mandata? Multa quidem inventa & reſtituta fatemur: non omnia tamen. Propterea nemo de-

terreri debet, animumque deſpondere; tum quia quæ homines conquirunt & curant, nunquam talia inveniuntur, ut meliora reddi non poſſint; tum etiam quia multa prætermittuntur, quæ perſeveranter conſectando, colligendo, atque ornando non minorem laudem ex rara ſegete parvum manipulum, quam illi ex denſa magnum, afferentes conſequemur. Quod dum de iis ſpondeo quæ in naturæ arcanis latent, ex quibus nullo unquam tempore philoſophandi materiam mortalibus defuturam plane contenderim, ea non poſthabeo quæ a veteribus poſteritati tradita ad nos pervenerunt. Hæc enim quæ humano generi utiliſſima, ſcituque maximopere neceſſaria inveniuntur, rimantem, conſequentem, expolientemque, & qua interpretum qua librariorum vitiis eximentem quis ſatis unquam commendare poterit, cum ejus nominis famam, & merita nulla ætas deletura videatur? Non ſum tamen neſcius qui de phyſicis jam præreptis acerbe conqueruntur, in veterum doctrina ætatem noſtram acerbius culpare; quod præterita ingenia totius poſteritatis ſtudium reſtinxerint. Quam opinionem jam publice conceptam, & plurimorum exemplo confirmatam ut ab hominum animis omnino evellerem, librum hunc in ordinem digeſſi, edendumque curavi, quo, me tacente, noſtra juventus intelligeret non ſolum ſpicilegium, verum etiam uberrimam meſſem cuique ex antiqua ſegete ſupereſſe. In hac quidem ſolertiſſimus quiſque non modo ingenium exercere, animum excolere, atque optimis artibus imbuere poterit, ſed & præclara illuſtrando tam præſentem quam futuram ætatem beneficio ſummo ſibi obſtringet, meritæque gloriæ ac prædicationis fructus quam maximos decerpet. Nam (ut de libro jam dicere

inſti-

inſtituam) quoties & a quibus de Latinæ linguæ origine ejuſque etymis commentaria edita non ſunt? Quis igitur eorum auctoritate non deterritus eandem quæſtionem iterum pertractandam ſuſciperet? Nemo quidem, niſi ſiquis aliena recoquere mallet. Tamen nos, quantulicunque ſimus, non audacia aut ſuperbia elati, ſed veritatis ſtudio ducti alios fontes reteximus; quippe nobis firmum & ſtabile inſederat nihil eſſe tam perfectum, quod alienam induſtriam repudiaret. Itaque vetuſtam ſcribendi rationem ſecuti, quanto longius ab aliorum inſtitutis receſſimus, tanto propius ad linguæ primordia penetravimus, eaque in hominum lucem quæ jam non ſolum obſoleverant, ſed etiam evanuerant, revocare nixi, non mediocre ad Latinæ linguæ intelligentiam contuliſſe commodum viſi ſumus. Quid vero de Latinæ gentis exordio dicam? An quiſquam qui Latinum ſermonem a Græco emanare intelliget, Latinos quoque a Græcis ortos non fatebitur? Et quoniam qui ſanguinis & linguæ ſocietate conjunguntur, religione quoque & legibus non diſſidere inter ſe rationi conſentaneum eſt, pleraque Romana ſacra, leges, inſtituta unde petenda niſi a Græcia? Jam vero cum Romanos Græce loquentes a Troja in Italiam veniſſe hiſtoria doceat, Trojanos item Græcorum quondam fuiſſe coloniam non conjicimus? Quod etiam Græca nomina a Trojanis uſurpata, connubia inter utranque gentem communia, atque hoſpitalia jura demonſtrant. Hæc itaque commoda atque alia quæ prætereo, ex veteri Latinæ linguæ ſcriptura percipimus. Quam nihilominus adeo parvi fecere editores, ut in Catone & Varrone tanquam vetuſtatis deliramenta non immutarint ſolum, ſed etiam ferme totam extinxerint,

Attamen cum hujus utilitas in confeſſo ſit, quis ante nos editoribus id vitio vertit? Quis reprenſioni dedit? Quis reſtituendi auctor extitit? Nemo profecto, quamvis poſt Turnebum, Joſephum Scaligerum, Urſinum, Popmam, Victorium, alioſque magni nominis viros de Catone & Varrone commentaria ediderim. Quibus quid amplius præſtiterim, malo ex aliorum judicio cognoſcere, quam mea ſententia ſtatuere. Porro (ut ad alia tranſeamus, quæ propoſita quæſtio utique flagitat) de veteri aſtronomia, annorumque ratione ac diſcrimine quanta & qualia a Petavio, Scaligero, aliiſque egregia opera non habemus? Quis tantę auctoritati non ceſſiſſet, ut inhonorus potius in otio & quiete langueſceret, quam materiam illam perfecte elaboratam pertractaret? Nos id auſos eſſe fatemur, veritate cohortante, & duce. Cujus auſpicia ſequentes tam longe ab eorum ſcriptis declinavimus, ut mirum profecto ſit ex adeo diſſimili principio aut illos vera conſectatos fuiſſe, aut nos. Verumtamen quantum ab illis receſſimus, tantum veteribus adhæſimus, cum nihil ſine veteri auctoritate atque exemplo ſtatuendum eſſe judicaremus.

Principio igitur Chaldaicum annum, cujus fama jam apud nos evanuerat, ex Herodoto & Plutarcho contexuimus, eundemque in Romanam civitatem recepimus primi. Quo conſtituto, Bœotii anni, qui celeberrimus quondam viguit tam Scriptorum ceu Heſiodi, Thaletis, Anaximandri, Hippocratis, Democriti, Eudoxi, Diodori Siculi, Plutarchi nomine, quam gentium nempe Bœotię, Spartanę, Corinthię, Syracuſanę nobilitate, hoc autem ævo extinctus jacebat, necnon Attici atque Olympici ambitus civilia principia in anno Romano patuere.

Qua-

Quorum utilitatem quis vel contemnere jure poterit, vel improbare? Hinc enim Græca hiſtoria ita eluceſcit, ut, collatis Græcorum annis, menſibus, & diebus cum Latinis, quidquid in Græcia contigit cum Olympiadibus, ut mos ferebat, conjunctum, quo menſe, & quo die Latino evenerit, uno obtutu cognoſcatur. Ab ultima deinde antiquitate repetitis annorum differentiis, de Dieteride, de Tetraeteride (qua Olympiades primum definiebantur; mox enim Octeateride uſa eſt Græcia) de Octeateride, de anno magno Metonico & Callippico quę comperimus, in tabulas digeſſimus, quibus præcipuarum gentium inſtituta, Bœotię videlicet, Spartanę, Corinthię, Syracuſanę (de quibus ſupra retuli) Thebanę, Atticę, Olympicę, Macedonicę in duas ſectas diſtributę, & Bithynę ſubjiciuntur, & declarantur. Neque de civili tantum anno, qui res geſtas, qui magiſtratuum auſpicia, qui ſacra & profana omnia moderabatur, hæc animadvertimus; ſed & ſolarem ex Græca aſtronomia, quæ fœde lacera medicam manum expoſcebat, in hominum memoriam revocavimus. Cujus quatuor præcipuis generibus in ordinem redactis, Bœotii ſcilicet, Attici, Macedonici, & Callippici, Callippicum uſu & præſtantia inter omnia ita excellit, ut in hac tanta aſtronomię luce cæteris facile præſtet, Gregorianumque vocetur.

Ad Latinos deinde converſus, a Lavinii primordiis ducto initio, ad annum U.C. IↃCCVIII. quartumque Julii Cæſaris conſulatum tempora certa ratione connexa ita deduxi, ut quantum Lavinio anno, quantum Albano, quantum Romuleo, quantum Pompilio ſive Romano attribuendum ſit, diligenti admodum cura computarem. Neque his contentus,

de unaquaque periodo ſingillatim referendo, quæ cognoſcere hominis erat, noſtraque facultatis, ſepoſitis fabulis, aut vera, aut veris propiora ex penitiſſima antiquitate derivavi. Idcirco in Trieteride Lavinia, qua tres anni lunares in orbem redibant, quid Calendę, quid Nonę, quid Idus (quarum nomina & ſedes receperunt Romani, uſus nequaquam) annis & menſibus definiendis conferrent, ita ſum aſſecutus, ut illius ætatis ſimul ingenii perſpicuitatem & acumen, ſimul in cœleſti diſciplina prudentiam plurimum admirarer. In Albano vero Romuleoque annis, quorum modus idem, menſium intervalla diſſimilia, ſolis motum ſic metiti ſumus, ut quinto quoque anno ſolaris orbis die præiret; ſexto autem recederet civilis: Quorum inconſtantia Numa Pompilius ſublata, Chaldaicum annum, qui ea tempeſtate propter Olympia celeberrimus in Grę-cia ferebatur, edixit, Terminalibuſque clauſit, CCCL. dies complexus, quibus altero quoque anno menſis intercalaris dierum XXX. quem Mercedinum vocarunt, & quarto dies qui ex quadrantibus fit, Olympia & Myſteria Romana appellatus, inſerebantur. Hunc annum die tantum mox auctum, qui ex intercalariis exemptus poſt reges ſacer habitus eſt, *Regifugium* a debellato Tarquinio dictus, per annos IↃC LXIX. fuiſſe Romę, eodemque ſacra & civilia omnia comprenſa quis ante nos retexit, & evulgavit? Cujus quidem conquiſitio, & notio quamvis in propatulo non eſſent; ab inferis tamen excitanda non erant, ſed ab iis voluminibus quę omnium manu teruntur, eruenda, & determinanda. Hoc igitur Romanę hiſtorię fundamento poſito, reliqua quę ad anni partes, & diſcrimina, quæque ad conſulatus initia pertinebant, nullo negotio peregi. Ce-

pi

pi deinde, his rebus cognitis, facilius & expeditius regulam ac viam conſiderare, qua Julius Cæſar ab anno Romano & Chaldaico ad ſolarem Ægyptium tranſitum fecerat. Neque multę induſtrię fuit ex iiſdem veteribus memoriis colligere animo, quale principium anno Cæſar attribuerit, quaſve in partes diſcriminaverit, & quo intervallo, præſertim cum ſuperiora tempora a nobis remenſa & deſcripta quæ nova inſtitutione adimplenda erant, ante oculos ſtarent. Diſſimulare tamen non eſſe fidei noſtrę cenſeo, cum hoc ipſum tranſigere, expedire, atque abſolvere inſtituerem, tot me interpretum ambages circumſtetiſſe, ut ab Ægypto Ægyptius annus, qualem Cæſar expreſſerat, arceſſendus fuerit, quo certiori argumento novam anni formam a tantis difficultatibus erroribuſque extricarem. Jam nihil ſupereſſe opinabar, quod propoſiti noſtri ratio poſcere videretur, cum Ovidium, Plinium, & Columellam adhuc inter ſordes jacere animadverti. Quid facerem? Humanum eſſe videbam, optimis ſcriptoribus opem eouſque ferre quo pro facultate poſſem. Hoc itaque mihi perpendenti, & in varias partes mentem cogitationemque verſanti lux quædam ex ipſo Plinio affulgere viſa eſt, qua ad diligentiorem diſquiſitionem erectus geminas anni normas, alteram quidem a Cæſare proditam, alteram vero quę Italica ratio vocabatur, ab obſcuro auctore apud Plinium referri cognovi. Neque diu novæ aſtronomiæ caput & fons me fefellit. Nam cum in Ovidio eandem recognoſcerem, atque hunc ab Julio anno tam temere declinaſſe non crederem, ut in Auguſti domum quod ab Julia Auguſtanaque lege diſcrepabat, mittere auſus eſſet, novum inſtitutum Auguſto eſſe aſſignandum ſtatuebam. Hoc maxime mo-

do

do Auguſti de anno tabula, quam ab eodem in publicum prolatam, cum Julium annum Italico Cœlo minus aptum, utpote Ægyptium, emendaret, Macrobius memorię mandavit, mihi innotuit; quo adminiculo uſus tres illos auctores tam a vitiis quam a reprenſione vindicavi.

Sed quid de ſingulis ſcribere pergo? Liber in veſtibulo adeſt: ad ipſum legentes remitto. In quo ſi ea quæ leviter perſtringo quæque conſulto prætermitto, ſuæ expectationi reſpondere forte offenderint, ſpero fore ut intelligant, neque ſibi, neque cuiquam qui ætatem & ingenium otio, languore, & deſidia terere recuſet, ad bonas artes & præclara inventa viam eſſe ab antiquis interceptam & præcluſam. Etenim ſi mihi, in quo omnia quam ſint exigua, & ſentio, & fateor, in ea ſcientia & doctrina quam mihi non vindico, talia & tanta detegere atque illuſtrare contigerit, quid illis ſperandum eſt, qui vires integras, ingenium maximum, ſummam eruditionem & eloquentiam ad vetera monumenta reparanda contulerint? Deſinant igitur aut ſortem culpare, aut animum abjicere; manet quemque ſua laus, & gloria; ſemperque manebit. Nec mortalium quiſquam ignobilis atque inhonorus vivet, niſi ſua culpa.

EPI-

EPISTOLARUM

Ad Clariſſimum & Nobiliſſimum Virum

ANDREAM MARANUM

ARGUMENTA.

I. Epiſtola: *De veteri ſcribendi ratione.* pag. 1.
II. De veteris orthographiæ utilitate. 13
III. Emendatur M. Cato in caput VIII. ruſt. ver. 24
IV. Emendatur M. Cato a capite VIII. in caput XXXIX. 36
V. Emendatur M. Cato a capite XXXIX. in caput LXXIV. 51
VI. Emendatur M. Cato a capite LXXIV. in caput CLVII. 65
VII. Emendatur M. Cato a capite CLVII. ad extrema. 82
VIII. Emendatur Varronis liber I. de Agricultura in caput XIV. 90
IX. Emendatur Varro a capite XIV. in caput XXIV. 105
X. Emendatur Varro a capite XXIV. in caput XXX. 121
XI. Emendatur Varro a capite XXX. in caput XXXVIII. 134
XII. Emendatur Varro a capite XXXVIII. in caput XLIV. 147
XIII. Emendatur Varro a capite XLIV. ad extremum. 160
XIV. Ut Varro de temporum ratione agens emendetur, quid præſtandum ſit. 172
XV. De Chaldaica dieteride, ejuſque principio in anno noſtro, qua Græci & Romani uſi ſunt. 174
XVI. De Chaldaica aſtrorum ratione. 182
XVII. De Chaldæorum annis ſolaribus & canicularibus. 188
XVIII. De Manilii aſtronomia, ejuſque anno cœleſti. 193
XIX. De Bœotiorum aſtronomia, & anno ſolari. 200
XX. De Dieteride ac Tetraeteride Bœotia, deque Eudoxi Octaeteride. 210.
XXI. De Attica Aſtronomia, atque anno Attico ſolari. 213
XXII. De menſium Atticorum ordine. 220
XXIII. De Atticorum annorum diſcriminibus. 230
XXIV. De antiquiſſimo anno ſolari, quo Græci Latinique uſi ſunt, & adhuc utimur. 244
XXV. De anno Callippico ſolari. 253

XXVI.

XXVI. De anno Olympico, de Olympiadibus, Pythiis, Iſthmiis, ac Nemeis. 259
XXVII. De anno Lacedæmonio, & de Panathenæis, Carniis ſacris, atque Hyacinthiis. 265
XXVIII. De anni Macedonici diſcriminibus, & de Bithynico anno. 271
XXIX. Qua ratione Græcorum anni, menſes, ac dies cum Latinis componantur. 277
XXX. Annos X. menſibus definitos, quibus diu uſi Latini, non eſſe fabuloſos, neque civilibus commodis inutiles. 279
XXXI. De mirabili trieteridis Laviniæ natura, & qua ratione per calendas, nonas, idus in annos lunares ſepararetur. 287
XXXII. De Albana Hexaeteride. 295
XXXIII. De Romulea Hexeateride, quo anno Olympico inceperit, & quo anni tempore, unde Romæ principium ducitur. 304
XXXIV. Annum ſolarem Romanum, quo uſi poſt Romulum reges, ac Reſpubl. fuiſſe Chaldaicum dies CCCL. antiquitus complexum, & Terminalibus abſolutum. 310
XXXV. Varronis locus de L. L. illuſtratur; confirmaturque anni Romani terminus; demum de intercalatione agitur. 317
XXXVI. Quot fuerint poſt Numam Romæ anni initia, & quoties conſulatus auſpicia immutata. 323
XXXVII. De anno Romano intercalario, & de Olympiis ſive myſteriis, & quibus annis de intercalatione antiquæ memoriæ loquantur. 328
XXXVIII. De Dieteride Romana civili & ſolari. 335
XXXIX. De Dieteride Romana Eudoxi Faſtis exornata. 338
XL. De Dieteride Romana ſolari diebus LIII. a cal. Januar. remota. 340.
XLI. Macrobius Saturnalia uno die finita ſcribens falſitatis coarguitur: deinde de anno ab U. C. DCCVII. qui Confuſionis vocatur, agitur. 348.
XLII. De anno ſolari Julio, ſive de Tabula Cæſaris Dictatoris. 352
XLIII. De anno Ægyptiaco, a quo J. Cæſar ſuum exſcripſit. 362
XLIV. De ſtellarum ortu & occaſu, ipſarumque ſignificatione, quæ Julius Cæſar Græce in publicum uſum emiſit. 372
XLV. De Plinii anno ſolari, ſive de Tabula Auguſti. 380
XLVI. Calendarium Ruſticum Farneſianum; Calendarium quo Ovidii faſtos illuſtrant; Calendarium Magni Conſtantini tempore expreſſum habitum; libros qui inſcribuntur de re medica Largi Deſignatiani, Plinii, Priſciani, Sorani Epheſii eſſe monumenta tam nullius pretii,

tii, quam ſordidæ & barbaræ originis. 393
XLVII. De Ovidii Faſtis ex Auguſti tabula, Eudoxo, aliiſque. 400
XLVIII. De Ptolemæi libro falſo hoc nomine prodito, qui inſcribitur φάσεις ἀπλάνων ἐπισημασίων. 412
XLIX. Explicatur, emendaturque Varronis lib. II. de re pecuaria in caput V. 416
L. Emendatur, explicaturque Varronis lib. II. de R. P. a capite V. ad extrema. 428
LI. Explicatur, emendaturque Varronis liber III. de villaticis paſtionibus a primo capite in caput XII. 446
LII. Explicatur, emendaturque Varronis lib. III. de villaticis paſtionibus a capite XII. ad extrema. 454
LIII. De Lipſienſi Ruſticorum auctorum editione, & de fragmento falſo Gargilii Martialis titulo nuper prodito. 462
LIV. Columellæ liber I. emendatur, illuſtraturque. 471
LV. Emendatur, illuſtraturque Columellæ liber II. in caput XIII. 484
LVI. Emendatur, illuſtraturque Columellæ liber II. a capite XIII. ad extrema. 495
LVII. Emendatur, illuſtraturque Columellæ liber III. 501
LVIII. Illuſtratur, emendaturque Columellæ liber IV. 512
LIX. Emendatur, illuſtraturque Columellæ liber V. 522
LX. Emendatur, illuſtraturque Columellæ liber VI. 538
LXI. Illuſtratur, emendaturque Columellæ liber VII. 551
LXII. Emendatur, illuſtraturque Columellæ liber VIII. 560
LXIII. Emendatur, illuſtraturque Columellæ liber IX. 564
LXIV. Emendatur, illuſtraturque Columellæ liber X. 573
LXV. Emendatur, illuſtraturque Columellæ liber XI. 579
LXVI. Emendatur, illuſtraturque Columellæ liber XII. 586
LXVII. Emendatur illuſtraturque Columellæ liber qui de Arboribus inſcribitur. 599
LXVIII. De pomo; deinde nonnulla in Plinio & Theophraſto emendantur, illuſtranturque. 610

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, e Approvazione del *P. F. Paolo Tomaſo Manuelli Inquiſitore* nel Libro intitolato: *Julii Pontederæ Antiquitatum Latinarum Græcarumque Enarrationes, atque Emendationes &c.*, non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Gio: Manfrè Stampatore*, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 4. Marzo 1739.

(Gio: Franceſco Moroſini Cav. Rif.
(Gio: Pietro Paſqualigo Rif.
(Daniel Bragadin Cav. Proc. Rif.

Agoſtino Gadaldini Segr.

1739. 16. Marzo. Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſſimo contro la Beſtemmia.

Vettor Gradenigo Segr.

JULII PONTEDERÆ

ANTIQUITATUM LATINARUM GRÆCARUMQUE ENARRATIONES ATQUE EMENDATIONES.

EPISTOLA I.

De veteri ſcribendi ratione.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

LIteras tuas quas egregio viro Felici Joſepho Cornoltio familiari meo tradidiſti Saturnalibus ſecundis datas, ut reſignavi atque inſpexi, non mediocriter admiratus ſum, mihi novo argumento, quod a priſtina tua conſuetudine recederet, epiſtolam veniſſe. Nihil enim quod ad ſtirpium diſciplinam pertineret, ut conſueveras, ſcribis; nihil ſuper Horti Patavini hiſtoria in qua me totum jam dudum eſſe haud ignoras, ſciſcitaris; nihil demum ex tuis muſis (quæ tecum nunquam ſilent) quo a moleſto labore pauliſper requieſcam & recreer, largiris. Verum, omnibus poſthabitis, in eo tota tua epiſtola verſatur, ut, quicquid ad Latinos Rei Ruſt. Scriptores illuſtrandos olim commentatus fueram, Lipſiamque rogatus miſeram, ut ſuis ſedibus inſereretur, quod Thomas

Fritschius istud opus jam pridem excudendum susceperat, ad te, qua possem celeritate, perscriberem. Multum jam tempus interfluxisse arguis, ex quo id tibi me præstiturum receperam: tamen nunquam præstitisse; modo Fritschii interitum, modo eorum quibus post demandata cura fuerat, occupationes; modo alia atque alia causando: & hac ratione desiderium tuum debito usufructu defraudasse. Nunc ex longo intervallo tanquam ex malo nomine non solum usuram, sed etiam sortem repetere. Hoc amplius non nescire addis me de ista re Venetias sæpe scriptitare; ideoque hoc exemplum reposcere haud novum vel illaboratum. Quid dicam? Non equidem inficier Christino Martinellio præstantissimo viro Patricio Veneto meique amantissimo rusticos commentariolos mittere, sed de iis quorum argumentum ille mihi injungit; ideo qua quid de Catone expetit, qua de Columella, obsequor, atque ejus voluntate tenus rescribo: nonnunquam Varronis locum, sæpe Plinii, quo mirifice delectatur, ut sibi explanem, mandat: item alia atque alia & poscit, & reddo. At tu de omnibus flagitas; non igitur eadem est scribendi ratio. Quid dicam illaboratam? Etenim quicunque de veterum scriptorum monumentis agere instituit, is sane nescio quid immensi negotii suscipit, summæque difficultatis, in quo industria plurima adhibenda, in quo gravissimæ operæ laborisque maximi onus sustinendum, in quo assidue cogitandum, vigilandum, sudandum. Siquidem ex penitissima rerum abditarum obscuritate quæ ab inquirente semper se subducunt, altiusque recedunt, eruenda sunt omnia, atque in lucem proferenda. Jam vero homines qui ab his temporibus quam remotissimi vixerunt, moribus, institutis, legibus, totoque scribendi ordine, & lingua ipsa dissimiles, quid senserint, quid optaverint, quid effecerint, qui vult assequi, neque sententiam solum, verum etiam rimari verba, nonne humanæ sortis quodammodo oblivisci videtur? Deo certe, ut ita dicam, simillimus censendus est qui per tantas rerum ambages, per detruncata verba, perque varia operarum atque interpretum discrimina, veritatem se assecuturum promittit. In quo siquis ita se jactaret, ostentaretque, dum nostræ conditionis fines transcendere crederet, non divinus existimaretur, sed hominum ignavissimus. Conjectare quidem homini licet, & conjecturas proferre, easdemque rejicere subinde, si meliora nactus sit, ac repudiare: vera polliceri non licet. Quapropter nos qui non modo homines esse nos intelligimus, verum etiam inter homines ab ingenio, doctrina, viribus infirmos, noli credere, mi Andrea, tanquam de tripode oracula tibi scripturos; sed, ut homunculi solent, sortasse nugas meras. Labori pro-

profecto & diligentiæ non peperciſſe, ut vera invenirem, aut quam maxime veri ſimilia, fatebor. Id fuerimne conſecutus, an contra, quandoquidem tibi obtemperandum ſtatuo, videbis. Sane ut talia non mittam; ſatis ſuperque mihi erit, idque tuæ referam humanitati, ſi probabilia judicaveris. Nam quod in extrema tuæ epiſtolæ parte poſitum video, ſperare ſcilicet quæ ſcripſiſſem, tibi ex voto ſucceſſura; quoniam in rei ruſticæ ſtudio quod illi qui veteres eas memorias ante nos expoliendo explicandoque vacarunt, contempſerunt, uſum maximum atque exercitationem habeam, ſcito, ut Varronis verbis utar, *omnes qui habent citharam non eſſe citharœdos*. Equidem a puero agriculturæ deditus fui: in qua re domeſticum exemplum habebam; nam Laurentius Pontedera patruus meus quocum ab ineunte ætate vixi, vel in primis egregius agricola habitus eſt, ac propterea fundum omni furculorum genere refertiſſimum ſummeque fructuoſum mihi teſtamento reliquit. Neque ipſe ſolum tali delectatione tenebatur, ſed etiam uxorem agricolandi ſtudioſam fortitus fuerat, quæ cum liberis careret, tanquam ex ſe ortum me lactentem adhuc ſuſceperat, atque eduxit pro ſuo. Hæc itaque non ludis, non choreis, non theatris, ut ſummo genere ortæ mulieres ſolent, atque uberrime dotatæ, ſed prædiis ſuburbanis colendis unice inſerviebat. Propterea non contenta quæ matremfamiliæ decet, ſcire, partim ruſtica præcepta legendo, partim a viro & a peritis percontando, quo tempore vertenda eſſet terra; quis cultus huic vel illi agro conveniret; quod ſeminis genus aptum collinis, quod campeſtribus tractibus; quæ Vitis in pingui, quæ in gracili, quæ in mediocri ſolo melius reſponderet, ita callebar, ut quam maxime. Nullum item vitæ ſuæ tempus vacuum fuit in quo hortum urbanum non coleret pluribus ſtirpibus refertum. Neque ingraveſcens ætas, & infirma valetudo ab hoc ſtudio ipſam abducere unquam valuit, aut remorari: verum in eodem conſenuit, in eodem extremum ſpiritum depoſuit. Ideoque ejus diligentiæ ac peritiæ plurimas ſtirpes quæ in hoc publico Horto coluntur, adultas & ſervatas refero, cum, me in longinquis Alpibus degente, meas vices gereret, meoque munere egregie fungeretur. Atque utinam tanto bono non invidiſſent Parcæ, & meis votis fatum immutari retardarive potuiſſet, ut te, Optima parens, mihi atque Horto adhuc ſervarem, & in futurum longius producerem. Etenim, cum anno elapſo jam extremo ſenio confectam extuliſſem, quantum detrimentum, hac amiſſa, hortus acceperit, ex Alpibus reverſus ſtatim cognovi. Cum itaque domi tales rei ruſticæ præceptores, informatoreſque haberem, huic diſciplinæ ſtatim

me addixi, & ſubinde, adoleſcente ætate, ea ſedulitate ipſam colui; ut quod tempus ab optimis literis præclariſque artibus ſubducere poteram, colendis ſtirpibus adjicerem, atque in eas omne meum ſtudium, operam, delectationemque conferrem. Surculis enim inſerendis manum admovere, Vitium capita per tabulata digerere, tum propaginem in mergum deponere, malleoloſque pangere, aut viviradicem purgare, nunquam ingenuis viris turpe vel alienum, ut molles ſed faſtu elati iſti juvenes ducunt, exiſtimavi. Quapropter agriculturæ præceptis a quibus nullum unquam ætatis meæ ſpatium alienum fuit, ſatis informatum me imbutumque opinor. Et hæc quidem ad ea quæ a Catone ac Varrone commemorata in agris ſimilitudinem ſervant, intelligenda atque illuſtranda plurimum conducunt. At cenſeſne nihil a Catonis Varroniſque ævo ad iſta noſtra tempora in ruris diſciplina immutatum? Sane plurima ſunt quæ alio modo nunc fiunt, alio tunc fiebant. Neque in univerſa Italia hoc contingit, ſed in pluribus ipſius partibus; alius enim eſt vitium cultus in agro Piſano, alius in Florentino, vel Romano, neque hic qui in Bononienſi, neque qui illic apud Patavinos idem. Similiter in alia terra alius atque alius. Porro vertendi ſoli rationem quæ ab anni temporibus ſiderumque motibus pendet, quis noſtram ad veterem normam redegerit, quando annus tot diſcrimina ſubiverit, & ſidera ipſa a priſtina ſtatione receſſerint? Quid de ſtirpibus dicam? Multa in agris colimus majoribus noſtris ignorata. Mayxium, Phagopyrum, Oryzam, Sorgum apud illos culta non invenies: neque apud nos Cytiſus, Seſamum, ſemen adoreum uſpiam in arvis occurrunt. Quid de animalibus? Quis hoc tempore mellationem facit, ut veteres faciebant? Quis gallis gallinaceis candente ferro, ut capi fiant, calcaria inurit? Quis glires noſtra ætate doliis condit & ſaginat? Contra bombycum qui nunc magnum afferunt agricolis proventum utilitatemque, antiquis ignota natura, & propterea Mori colendæ neglecta ars, quæ inter præcipuas agriculturæ partes nunc recenſentur. Indicos quoque Pavones, Indicaſque Anates ex quibus cum noſtratibus pullos opimos procreare ſoles, & mihi, cum ad te venio, adiiciali cœna apponere, quis a veteribus alere didicit, cum illa ætas careret? Et ne plura complectar: alio modo vina condimus; alio priſci ſolebant; neque quo vaſe torculo hi oleum exprimebant, eodem nos conficimus. Cumque illis mel in deliciis eſſet, nobis ſaccharum quod inferiore tempore India miſit, præſtat. Quare multa quæ ruri nunc moliuntur coloni, nihil ad veterem diſciplinam intelligendam conferunt; quippe vel nova, vel diverſa. In plurimis tamen ſimilitudo

qua

qua utemur ; retinetur . Verum enim vero alia apud veteres agricolas reperiuntur non ab agri cultu ducta , ſed aliunde petita , qualia in primis quæ de anni partibus ſtellarumque progreſſionibus tradunt . Quæ ſane plurimum difficultatis habere mihi videntur ; quod tum vitiis ſcatent , tum detortis opinionibus implicantur . Neque minorem curam diligentiamque poſtulat antiqua ſcribendi ratio , quam in Catone & Varrone interpretes , ac librarii non immutarunt ſolum , verum ferme totam ſuſtulerunt . A quo itaque repetam , niſi a vetuſtis monumentis , & ab auctoribus qui de eadem commentaria reliquerunt ? Quapropter antequam de iis dicam quæ in ſcientia ſunt , multa prius de priſca orthographia inveſtiganda ſunt ; quoniam nemo quæ a Catone & Varrone habemus , recta intelligentia aſſequi poterit , niſi ſi ea veſte qua ornabantur , iterum cooperiantur . Id igitur primum agam . Si principia reſpexeris , reliqua proximis diebus alacrius perſequemur .

Veteres igitur , cum litera *V* quam Æolicum digamma dicunt , alteri *V* annectebatur , hanc in *O* mutabant , ut *davos* , *ſervos* , *equos* , *ignavos* , *æquos* , *cervos* , *corvos* pro *davus* , *ſervus* , *equus* , *ignavus* , *æquus* , *cervus* , *corvus* : item *reliquom* , *ovom* , *iniquom* , *divom* , *vivom* , *corvom* , *vacivom* , *avom* ; & in verbis : *vivont* , *diſtinguont* , *confluont* , *reſtinguont* , *exfocionf* . Quare apud Catonem ſcribere oportet : *quom* , *ſervom ſenem* , *ſervom morboſum* , *ſervos* , *clavos* , *novos* , *alvos* . Sic *tortivom* , *obliquom* , *acervom* , *alvom* , *ervom* , *ovom* , quæ in vulgum emittuntur vitiata . Nec non eadem Varroni reſtituenda , ceu *ſubſicivom* , *antiquos* , *æſtivos* , *avos* , *proavos* , *calvos* . Cujus generis apud utrunque ſcriptorem in probato Politiani & Victorii Codice ſervantur iſta : *alvos* , *alvom* , *ovom* , *deorſom* , *ervom* , *nativom* . Sed plura in Varronianis editionibus quæ de lingua Latina inſcribuntur , retinentur .

Neque id in extremis tantum ſyllabis uſum invenit , verum etiam in mediis , & primis : in mediis : ut *parvolus* , *ſervolus* , *Scævola* , *clavola* , *convolvolus* : in primis ; *volnus* , *volt* , *voltus* , *volſus* , *volva* (a quo in Varrone reſtat *volvis intumis*) *volſella* , *volpes* , *volturnus* , *volgus* , *volcanalia* , *Volcanus* .

Nonnunquam cum illam E litera ſequeretur : ceu *voſter* pro *veſter* , quam in *verto* atque in iis quæ ab eodem deducuntur , diligenter retentum eſt : *vorto* , *volſito* , *vorſus* (quod in editis Varronis etiam occurrit) *ſurſumvorſum* , *quoquovorſum* , *advorſus* , *tranſvorſus* , *divorto* (unde *divortium*) *divorſorium* in Pandectis , *Mavors* quod mala vertat , ut ait Cicero , *vortex* ſuſceptum etiam a politioribus urbanis , ut ſeparetur a *vertice* ; quippe utrunque ab eodem fonte . Qua-

pro-

propter quis ignorat quæ in Catone vitiose scribuntur : *controversiis* , *sese vertet* , *transversos* , *advertito* , *adversum* , *conversum* , *versato* (quod Cap. XL. recte *vorsato*) . In Varrone a quo plura supersunt , plura quoque vitii ac mendi coarguuntur , ut *vertere* , *versus* , *transversa* , *versantur* , & similia . Ex quibus quantum inferior ætas Catoni , Varroni , Salustio , aliisque scriptoribus qui vetustissimos imitati sunt , subduxerint , intelligere possumus , si Quintilianum audiamus . Hic enim refert a patrio ritu Scipionem Africanum primum recessisse , *o* litera in *vorsum* , & *vortices* in *e* versa . Quod tamen inferiori temporis gradu receptum est ; quandoquidem ipse etiam Quintilianus fatetur , cum esset apud præceptores , nunquam *servum* aut *cervum* usurpari audivisse , sed *servom* , & *cervom* , quæ mox suæ ætatis mores gemino *u* scribere instituerunt .

Licet etiam animadvertere cum *i* porrectam syllabam efficiebat , vetusta consuetudine *e* sibi ascisere , ut *preivata* , *scriptei* , *preimus* , *fruei* , *ameiserunt* , *usei* , *fructei sunt* , *meilites* , *nummei* , *eidus* , *quei* , *inveisa* , *eicis* , *agreis* , *loceis* , *capiundeis* , & sexcenta hujusmodi , quibus vetera monumenta referta sunt . Cujus antiquitatis nullum excusum in rusticis nostris vestigium superest ; ista enim *Epeirus* , *Epeirotæ* , *ciuncidum* , *scopei* ab optimo codice repetenda . At in Varronianis de L. L. libris quamvis ex frequenti librariorum exscriptione multum pristini decoris detractum fuerit , & quotidie detrahatur , plurima tamen servantur : *libreis* , *sueis* , *heic* , *hei* , *nummei* , *dandei* , *equei* , *eidus* , *unei* , *licei* , *commutateis* , *vernaculeis* , *heis* , *modeis* . Quæ in Catone tanta cura consectati sunt editores , ut omnia sustulerint , & minorem natu induxerint , quam Varronem & Salustium , quibus tot annis præcessit . Cur , inquies , propria & nativa ornamenta demunt ; aliena apponunt , ac præstigiis sucant ? Quia ut mulieres solent quotquot annis ad sarcinatorem & phrygionem vestes fingere & refingere , ne quid sit quod a communi insania differat , ita veteres libri ad seculi mores accommodantur . In qua quidem re neque Popmam , neque alios qui postremi Varronianos L. L. libros formis excuderunt , ac commentariis illustrarunt , ab reprensione vindicare possum , quod has afflictæ vetustatis reliquias omnino extinxerunt .

In hac tamen quam narravi , regula nomina excepta video per *i* in utroque numero desinentia ; nam in singulari differentiæ causa *i* solo finita sunt , in plurali *e* atque *i* , ut dixi ; ideo *hujus domini* , *hi dominei* , *hujus equi* , *hi equei* .

Porro quo discrimine nomina in *i* desinentia singularia ab iis quæ

numeri

numeri multitudinis essent *i* quoque finita separabant, eodem casus nominandi plurales in *es* exeuntes ab obliquis eodem fine similibus distinguebant, ut *hi sapientes*, *hos sapienteis*. Sed multa grammatici hinc recipiunt. Quæ tam nominativum, inquit Priscianus, quam genitivum similem gerunt, eorum accusativum multitudinis raro in *es*, frequenter in *is* terminari: item semper pluralia: in *er* quoque desinentia quæ *i* ablativum terminant, sæpe per *is*, raro per *es* accusativum facere: eorum similiter in *is* accusativum exire, quæ per *ns* vel *rs* finiuntur. Sed ab exceptis hæc sibi propria vindicat Varro (ut apud Sospitarum meminit Plinius) *has falces*, *has merces*, *hos axes*, *lintres*, *ventres*, *has urbes*, *vectes*, *corbes*, *stirpes*, *neptes*. De reliquis itaque quæ in *is* accusativum produnt, *eis* apud veteres esse debere non est cur dubitemus.

Mos quoque apud antiquos obtinuit, in verborum in *is* secunda inflexione desinentium participiis, *e* in *u* transire, ut *exigundum*, *faciundum*, *experiundum*, quæ a Plauto, Terentio, Lucretio, Salustio crebro usurpantur. Cujus quid in Catone antiquitatis retinetur in his: *legunda*, *faciunda*, *conferundo*, *faciundi*, *faciundum*. In Varrone *capiundum*, *faciundo*, *accipiundos*, *dividundos*, *capiundi*, *ferunda*, *faciundum*. Ex quo numero quantum innovarint librarii atque editores, manifestum.

Quid vero de superlativis scribam, in quibus penultima litera *u* vetustioribus erat? In Catone & Varrone omnia secus inveniuntur: *ampliſſime*, *fortiſſimi*, *ſtrenuiſſimi*, *maximi*, *ſtabiliſſimus*, *minime*, *optimo*, *optimum*, *opportuniſſimum*, *plurima*, *potiſſimum*, *rectiſſimum*, *longiſſimos*, *minimum*, *altiſſimum*, *aquoſiſſimus*, *frigidiſſimus*, *calidiſſimus*, *diutiſſime*, *proximis*, *infimam*, *candidiſſimam*, *altiſſima*, *apertiſſimum*, *ſtercoroſiſſimum*, *ſimillimum*, *ſæpiſſime*, *altiſſime*, *tenuiſſimas*, *acerbiſſimas*, *calidiſſimum*, *tenerrimis*. In quibus Varronianos Lat. Ling. libros edentes modum servarunt. Fertur autem C. Julius Cæsar in quadam inscriptione veterem formam primus repudiasse. Cui atque illis qui partum a Cæsare imperium mox adepti sunt, gratificantes docti pariter indoctique morem acceperunt.

Neque tantum superlativa nomina per *u* intonsi Romani scribere maluerunt, verum & alia: ut *carnufex*, *æſtumo*, *lubentia*, *lubenter*, *lubido*, *viceſumus*, *decumus*, *ſacrufico*, *frundes*. Propterea in optimis Varronis Catonisque exemplaribus scriptum est: *tutas* (quod etiam in Eugubina tabula legi a Cl. Gorio certior factus sum) pro *totas*, *rutundas* pro *rotundas*, *fabuli* & *fabulia* pro *fabali* & *fabalia*. Item *formidulo-*

ſa,

Ja, *diſpludantur*; *detundent*, *acruſolios*, *æditumus* ab æde & tueor; *trigeſumam*, *furnacem* a furno, *ipſus*, *aduleſcentia*. Quare *exiſtimo*, *libentius*, *libebit*, *libido*, *frondem*, *decimo*, *centeſima* nonne præter Catonis inſtitutum, atque illius ævi normam ſcribuntur? Similiter in Varrone multa invenies ſecus ac ille ſolebat, enunciata.

Contra *oi* ſive *oe* pro *u* priſca ætas frequentius extulit, ut ex antiquis legibus & monumentis exempla aſſumes: *coiravit*, *oitele*, *oitantur*, *moinicipio*, *Poinicio*, *moinio* ſive *moenio*, ex quo *mœnia*. Hinc Plautus prodidit:

Pergamum divina moenitum manu,

Ex eodem etiam laudatur:

Hoc ego oppidum admoenire ut hodie capiatur; *volo*.

Quod & *Poenulus* comœdia pro *Punulus* confirmat. Sic *moerus murus* Virgiliano etiam carmine nobilitatum:

Aggeribus moerorum.

Quod in Lucretio minus miramur:

æſtus ab undis
Æquoris, *exoſor moerorum litora circum*.

a quo & *poenire* & *poenibat* pro *punire*, *punibat*; hinc enim *pœna*, & vetus *impoenis*, quod nunc *impunis*. *Moenera* quoque antiquis fuerat, quod poſteritas in *munera* mutavit, & de *moenus amœnum* conjicit Servius Grammaticus. *Cœnum* ſimiliter a *coenire* deſcendit quod recentiores *cunire* dicunt, & ab illo *cunus* quod tunc unico *u*, nunc cum gemino *cunnus*. Ab eadem origine fortaſſe *cuna* in qua pueruli cuniunt, & *incunio*, ex quo Varronianum *incunatum* quod *inquinatum* peperit. Patria & recepta regula ſcripſiſſe Catonem hæc indicant *Poenicum* & *Poenicam*; neque ab eadem abhorruiſſe Varronem de L. L. libri oſtendunt, ubi iſtas reliquiarum reliquias videmus: *Moerum*, *Poetilium*, *Poenicum*, *Poenicorum*, *Moeris*. In ruſticis exemplaribus hoc ſupereſt depromptum a Victorio *Poetam* hoc eſt *Pœtum* quod apud alios *Poetum*.

Multa etiam quæ per *u* ſcribimus, vetuſti per *o* ſcribebant, ut *taboleis*, *poblice*, *ſingolos*, *detolerit*, *ſorticolæ*, *hojuſce*, *nonciata*, *flovio*. Quod frequentius in extremis uſurpatur: *ſuom*, *Luciom*, *conſentiont*, *quom*, *mortuos* (mortuus) *perpetuom*, *compaſcuos* (compaſcuus) *compaſcuom*, *confluont*, *tuom*, *exſocient*, & alia in antiquis monumentis. In Catonis autem codicibus: *Jogales*, *iſtoc*, *torcolarium*, *paulolum*, *colicoli*: in Varronis vero: *poſſont*, *tribolum*, *paulola*, *tabernola*.

Au in *o* contractum quis ignorat? *Si audes ſodes*, *ſcrautum ſcrotum*, *caudex codex*, *ſaurex ſorex*, *Sauracte Soracte*, *Aurata orata*, *Caurus corus*,

ius, *Claudius Clodius*, *aulla olla*, *cauda coda*, *plauſtrum ploſtrum*, *plaudo plodo* ex quo *explodo*, *Plautus Plotus*, *Paululum* & *Paulum*, ut vult Scaurus, *polulum* & *polum*, *aurichalcum orichalcum*, *clauſtrum cloſtrum*. Quorum nonnulla ruſticis noſtris editores reliquerunt, ceu *hoſtus* pro *hauſtus*, *olla*, *coda*, *ploſtrum*.

At *ou* quod pro *u* Græco adjungebant, ut Marius Victorinus refert, ecquod remanet veſtigium? Omnia a librariis ſubducta ſunt, penituſque extincta. In antiquis tamen monumentis multa hujuſmodi leguntur: *jous*, *injourias*, *joudicaverunt*, *joudicem*, *jourato*, *jourent*, *jouſerunt*, *Loucerios*, *Fourios*, *Loumen*. Nullas etiam *ai* loco *æ* quo Lucretius atque alii vel antiqui vel antiquitatis ſtudioſi ſcripſerunt, reliquias in Catone & Varrone inveni. Quod tamen Poetis proprium non fuiſſe antiqui lapides declarant. Neque id tantum in extremis ſyllabis, ut *Victoriai*, *Romai*, *viai*, *Semproniai*, *Gallai*, *Sextiliai*, *patriai*, *Bonai*, *Deai*; verum etiam in primis, ceu: *Quaiſtores*, *aides*, *aidiles*, *aire*, *Caiſare*. Eandem ſcripturam ſed ex diſſimili ratione deflexam protulit ex Varroniano exemplari Victorius: *Aittici*, nempe *Attici*, quale illud apud Gruterum: *paivimentum*.

Si veteres quoque memorias inſpiciamus, ad antiquam ſpeciem non reſpondent vocabula quæ apud utrunque auctorem in duo *ii* ſejungunt: *preti pretii*, *Pompeis Pompeiis*, *deiciuntur dejiciuntur*, *deicito dejicito*, *coicito cojicito*, *conici conjici*, *Manli Manlii*, *eicito ejicito*, *Lavini Lavinii*, *nugatori nugatorii*, *Pontis Pontiis*, *Torcolari torcularii*, *ali alii*.

In *ea* itidem male vertunt, quæ vetuſtas in *ia* enunciabat: ut *caviis caveis*, *hederacia hederacea*, *cotonia cotonea*, *oleariæ olearæ*, *vinaciis vinaceis*, *vinia* (a quo *vinitum* Varronianum) *vinea*, *ordeacia ordeacea*, *nauſiæ nauſeæ*, *tiniæ tineæ*. Quæ tamen, niſi ex Politiani aut ab aliis ſinceræ vetuſtatis libris repetas, in editis Catonis & Varronis inveſtigaveris fruſtra.

Jam vero Græcum *y* quod per Latium cum vagabatur, in patrium *u* mutabant Romani ſcribentes *Babulonica*, *bombucina*, *murra*, *cruſtallinus*, *Purrus*, & *Burrus*, *ſulvanus*, *lacruma*, *clutus*, *inclutus*, cur Catoni Varronique non reponunt? Numquid antiquum inſtitutum iſta non retinent quæ optima exemplaria ſervant: *amulum*, *murteam*, *murta*, *zmurnæum*, *zmurna*, *ſerpullum*, *Subaris*, *Turannius* a tyranno?

Non prætereundum demum eſt in iiſdem Victorii & Politiani libris quos in hac ruſtica inſtitutione ut maxime probo, ita tibi ſæpe laudabo, dictionum ſimplicium vocales in compoſitis non mutari. Quod

ad vocabulorum originem & naturam inquirendam quantum vel compendii vel adjumenti afferat, probe intelligis. Ut primum *conſpargant*, *aſpargant*, *aſpargo*, quod Virgilius hoc carmine complectitur:

Salſa ſpumant aſpargine cautes,

intelegitur, *diſquæro*, *decarpo*, *inlutos*, *Tubicinam*, *reſicari*, *feniſices*, *ſubſicuerint*, *ſubſicent* a *ſico* (unde *ſica*, & *ſicarius*) *præfactos* legimus, non ſimul agnoſcimus, unde coaleſcant? Tamen quota pars eorum a librariis recipitur? Nonne in Terentio & Plauto quaſi vitia quotidie conſectari ſolent, eaque eximunt, & conterunt? Hactenus de vocalibus ſtrictim & curſim ſcripſiſſe ſufficiat: ad conſonantes tranſeo. Principio quæ ſemivocales dicuntur, non geminabantur; *anorum*, *anus* (annus) *colega*, *inocenti*, *comodus*, *conubium*, *macelum*, *bela*, *caſtelum*, *ſuma*, *meiliarius*, *meilia*, *trulæ*, *numei*, *olorum* (illorum) *peleus*, *tera*, *referi*, atque alia in antiquis memoriis. A qua conſuetudine neque Cato, neque Varro recedunt, ſi ex antiquioribus libris exempla ſeligamus; ibi enim *ola*, *alium*, *ani*, *anuclæ* pro *olla*, *allium*, *anni*, *anniculæ*; *numis*, *trulas*, *vilicum*, *vilicam*, *molitam*, *politori* & *politiones*, *polulas*, *armila*, *porinam*, *ſarito*, *poluceto*, *ovilum*, *intelegitur*, *trulus*, *matelio*, *culeus*, *ſcabilia*, *ſalere*, *canabina*, *mulior* non *mollior*, & ab illo *mulier*; quippe ſi *vir* a *vi*, cur non a *mollitie mulier*?

Semivocalium regulam *ſ* item ſequitur; ideo non duplicatur iteraturque. Scribitur propterea: *jouſit*, *jouſerit*, *claſeis*, *poſedit*, & apud Varronem *ſeſum*. Cui potius *x* adjungebant, ut antiquæ tabulæ teſtantur: videlicet: *Cappadoxs*, *coniunxs*, *felixs*, *proxſumis*, *maxſumis*, *vixſit*, *auxſilium*, *dedouxſit*, *deixſiſtis*, *pexſus*, *exſedra*, *exſiat*, *exſemplum*, *exſibeas*, *faxſit*, *uxſori*. Quæ omnia noſtris auctoribus ſublata ſunt, hæc ſi excipias Varroniana quæ de Politiani libro exſcripſerunt: *exſigunt*, *exſimi*.

Π Græcum in præpoſitionibus, ubi nunc *b* ponimus, prima ætas ſervabat, quoniam prius *apo* ab ἀπὸ, deinde *ab*: ceu *apſenti*, *apſtinere*, *apſolutus*, *apſonum*, *apſtulit*, ut in iſto lapide illud Virgilianum:

Apſtulit atra dies,

opſignetur, *aptinebit*, *opteritur*, *opſepit*, *opſonatoris*, *opſtetrix*, ut in alio lapide:

Antoniæ. Aug. L
Thaluſa
Opſtetrix.

Necnon ab ὑπὸ, aſpiratione in *ſ* converſa; ut in multis, *ſupſignare*, *ſupſignet*, *ſupſicivom*. Nihil iſtorum in Varronianis, Catonianiſque libris

bris qui in vulgum emittuntur, resîdit. In manu exaratis Politiani ope: *ſuptile*, *apſinthi*, *opturarier*, *opſeviſſe*, *opſequito* oblivioni eripiuntur.

Ad similiter quod *a* cum *d* finali constat, pristinam formam apud antiquos in compositis tuetur, ut *adtamen*, *adpoſita*, *adprime*, *adglutinat*, *adportat*, *adſpicio*, *adſuetus*, *adlocutus*, *adpellat*, *adſerere*, *adſignificat*, *adtingat*, *adtributa*, & alia in Plauto, Terentio, Lucretio, Varrone de L. L. Pandectis Florentinis, ac lapidariis literis. Horum pauca optimus codex nostris villicis sepoſuit: *adnutriant*, *adpotiſſimum*, *adcognoſcant*. In eodem tamen cernere licet alias literas in propositionibus componendo non immutari, nempe: *compulari*, *conlibrato*, *deluito*, *deminuat*, *deſtantes*, *derectos*, *dejungunt*, *derigo*, *devertitur*, *deſcretæ*, *derectum*, *deffindere*, *delectus*, *inlicium*, *inlicio*. Quanquam *in* contractum sit ab *indu*, ut *indulgeo* ex *indu* atque ἀλγέω, ut ait Nonius, quod est *doleo*, coalescit; ideo *indulgeo* non doleo; ab *indu* & *oleſco* *indoleſco*, atque *indoles*: cum *ſub*, *ſuboles* quod recentioribus *ſoboles*. Verum illud antiquius & Varronianum, quod etiam vetus sepulchrum hoc versu demonstrat:

Et faciet ſuboles multos memorata per annos.

Scire tamen refert *ad*, de quo dixi, ante *F* & *u* digamma *d* in *r* verti; ideo *arvolare*, *arfari*, *arvenas*, *arventores*, *arvocatos*, *arfines*, *arferia* (aqua apud Festum quæ inferis libabatur, a ferendo dicta) *arvectum*, & Catonianum *arvehant*. Sic a vetustissimo *arflare* vernaculum nostrum derivatur *arfiare*. Qui mos his finibus non concluditur & coarctatur; quoniam *arceo* ex *ad* ac *cio* advoco, & congregatos contineo, ideo alvo arceri & contineri quod recipit, scribit M. Tullius, & cœlesti orbe extimo reliquos arceri & comprendi. Idem flumina arceri dixit, quæ ripis cohibentur. Ad prohibendum vero cum traducitur, *arcere* est ab se in diversum advocare. Sic *arx* arcet hostes & cives, nimirum hos advocat ac complectitur; illos avocat & traducit. Similiter *arcus* qui circa se posita continet, & sustentat. *Arceſſo* ex *ad* & *ceſſo* quod obsolevit, & evanuit. Apparet tamen in *cedo ceſſis*; quare *arceſſo* advoco. Quod mirari desinas; siquidem Latina lingua, ut ferme omnes, non ab uno fonte omnia hausit, sed a rivis plurima. Quæ itaque vocabula *ad* servant, ea desumpta videntur ab iis populis qui *d* vocalibus subjicere solebant: quæ vero *d* in *r* vertunt, ab aliis quibus patrius mos *r* adnectere non denegabat. Ita de aliis quæ dissimili modo dicuntur, & efferuntur, conjicere possumus. Neque enim a qua gente *fero*, & *ſum* venit, ab eadem *tuli* ac *fui* ac-

ceſſit ; ſed aliunde . Quia quæ nata atque educta domi , ita aluntur , ut quæ ſibi neceſſaria ſunt , extrinſecus non arceſſant .

Sed videamus alia . Verba quæ *trans* ſibi apponunt , veteri conſuetudine *tra* ſtruuntur , veluti a πέρα πρὰ deinde *tra* , ceu *traduco* , *travio* , *trado* , *traluceo* , *traverto* a quo Varronianum *traverſis* pro *travorſeis* , *traho* , *tracto* , *tradux* .

Eſt etiam , ut retulit in literas Priſcianus , quando *N* principalis ſyllaba ante ſe aſſumit *G* , ut *natus gnatus* , unde *agnatus* , *cognatus* , *prognatus* ; *natio gnatio* quod manet in *prægnatio* , *prægnans* , *prægno* ; *notus* , *gnotus* , *ignotus* , *cognitus* ; *noſco* , *gnoſco* , *agnoſco* , *cognoſco* , *dignoſco* , *ignoſco* ; *nobilis* , *gnobilis* , *ignobilis* , *ignobilitas* ; *navus* , *gnavus* , *ignavus* , *ignavia* ; *naviter* , *gnaviter* , *ignaviter* ; *nomen* , *gnomen* , *cognomen* , *agnomen* , *ignominia* ; *naro* unico *r* , *gnarus* , *ignarus* , *ignorantia* ; *neus* , *gneus* . Qua ſcriptura Plautus , Terentius , Virgilius cum uſi ſint , quis eandem Catoni Varronive negaverit ? Sane dum ita ſcribunt , propius ad Græciam accedunt , quam eo modo quo utimur ; nam *gnomen* γνωμὴ , *gnoſco* γιγνώσκω , *pugnus* πυκνὸς , τάγμα , rejecto *t* , *agmen* .

Neque tamen *G* literæ in aliis ita indulſit antiquitas , ut , ea poſthabita , *c* non receperit , ut in his : *Cartacinenſes* , *maciſtratos* , *leciones* , & in Catone ac Varrone , ut ex Politiano diſcimus , *Sacontinos* , *cenendi* , *Acrius* , *clævis* , *inecerint* , *virculta* , *fricora* , *Cortynia* , *acnua* quod in Columella *agna* .

Sæpenumero eandem literam pro *Q* ſubjiciunt , neque deſunt in Politiano exempla : *ablacuari* , *decocunt* , *cocat* , *percocat* , *incunatum* , *cotidie* , *eculi* , *eculum* , *anticum* pro *antiquum* , *oblicum* , *ſecuntur* , *ſilica* , *ſilicula* , *ſtercilinum* . Quæ editores tanquam deliramenta , & aniles fabellas deſpiciunt , cum ex antiquis lapidibus vetus iſta regula abunde confirmetur .

At in his quæ exſcribam , præter vulgarem uſum *cu* in *qu* vertunt : *quoi cui* , *quojus cujus* , *quom cum* , *pequdes pecudes* , *pequnia pecunia* , *arquus arcus* , *oquulus oculus* , *quur cur* . Quæ tanto ſtudio conſectati ſunt librarii , ut hæc ſola *quoius* & *quom* , ut mea eſt memoria , in Catone ſuperſint .

Eoſdem tamen in *H* liberaliores invenies , quam illa ætas , & Varronis inſtitutum ferebat . Crebrum inſerunt eos imitati , qui , raptis bonis , mala rependunt . Verum plus fidei apud me pluſque auctoritatis invenit probatus Victorii & Politiani codex , quam iſtorum omnium quotquot ſunt , aut fuerunt , negligentia ac levitas . Ibi itaque ſcribitur :

bitur : *corda* & *cordi* pro *chorda* & *chordi*, *aenum*, *Tuſco*, *orcitem*, *comprendit*, *turis* pro *thuris*, *umor*, *umectus*, *umidum ab* ἰκμαδὸς, *iſtonas*, *catenas*, *acratoforo*, *ſulpur*, *ſilſium*. Quæ in Varrone auctoritate confirmantur, referente ex Agnæo Cornuto Caſſiodoro Varronianam ſcribendi regulam ſine afflatu poſcere *Rodum*, *Renum*, *Rinton*, *redarius*. Equidem & M. Tullius in ſuo *Oratore* docet majorum inſtitutum fuiſſe, ut nuſquam, niſi in vocali, aſpiratione uterentur, ſcribendo : *pulcros*, *Cetegos*, *triumpos*, *Cartaginem*. Sunt alia præterea in Politiano quæ antiquitatem tuentur, ut *tibe*, & *ube* ex quo noſtrum *ove*, *ſuſum*, unde nos *ſuſo*, *deoſum* pro *deorſum*, *menſum* non *menſium*, *temperi* non *tempori* quod tempus omnia moderatur, & temperat, *melios* non *melior*, *urbis*, *vomeris*, *verris* recto caſu, & alia, de quibus, ſiquid uſu venerit, diligentius ſcribam. Modo enim indicaſſe ſufficiat, alia ſcriptura uſos Catonem ac Varronem, alia editores atque interpretes. Quorum inertia, deſidia, audacia, temeritate quantum dedecoris & detrimenti acceperint auctores, & quantum ex lingua Latina imminutum fuerit, ac diſperſum, dabo operam ut proximis literis clarius intelligas. Nunc cura ut valeas.

D. Patavio XII. Cal. Jan. CIↃ IↃCC XXXI.

EPISTOLA II.

De veteris orthographiæ utilitate.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

GRatiſſimas meas literas tibi fuiſſe ſignificas, quibus de eo genere primum ſcripſiſſem, quod tu vel maxime probares : odiſſe enim ſemper tale inſtitutum, odiſſe interpretes, odiſſe editores, quorum opera veteres libri, dempto naturali ornamento, & antiqua venuſtate, novis pigmentis finguntur, ac dedecorantur. Et profecto non odio & execratione, ſed cruce digni exiſtimandi ſunt, quod eo nomine faciunt, ut emptorem facilius inveniant, & fallant. Norunt enim humanum genus novitate capi ; propterea ſtudent, ut vetera nova fiant, quo melius decipiatur. Quod dum in homines peccant, cum grave eſt, & deteſtabile, tum majori ſcelere ſe aſtringunt, quod ea violant & temerant, quæ ſumma fide & religione colere & venerari debemus. Sed graviſſi-

viſſimum & maximum facinus habendum, quia, antiqua ſublata ſcriptura, viam intercludunt, qua verborum origines, & linguæ primordia, gentiumque propagines inquirere & pateſacere poſſimus. Qua de re, quoniam recenter ſcripſi quanta & qualia Catoni & Varroni ſubduxerint, nunc id agam, ut tibi commoda utilitateſque breviter & ſummatim percenſeam, quæ de vetuſta ſcribendi ratione percipimus, dum, hac duce, ad prima Latinæ linguæ incunabula penetramus.

Antiquiſſimo more Latini dictiones contrahunt, ut *oracla*, *vinclum*, *periclum* quod manet in *periclitor*, *circlus*, *valde*, *Hercle*, *poplus*, ex quo *poblicola* Valerius appellatus, *ardum* pro aridum ex Nonio, unde in veteri monumento *cæmenta arda* habemus, *nomenclator* nomencalator, *clam* celam. Hujuſmodi inſtituto & noſtri auctores inſerviunt, ut ex Politiano docemur, qui prodidit: *treblæ* trebulæ, *ſoldum*, *caldum*, *lardum* (quod in vulgum apud nos ſertur *ſoldo*, *caldo*, *lardo*) *operimenta* operimenta, *lamnis* laminis, *velimna* vellimina, *aſpertatem* aſperitatem, *ſartores* ſaritores, *forda* a φορίδα, *rudecta* rudeata, *anuclæ* anniculæ, *divito* dividito, & ab illo Horatius *diviſſe* deduxit. Quorum fons in Eugubinis Tabulis tam Thuſcis quam Pelaſgis; ibi enim *popler* populus, *angla* angela, *ſtiploa* (quod in Varroniano codice *ſtipla*) ſtipula, *nomne* nomine, *cunacle* cunacula. Has quoque inflexiones ab iiſdem populis didicit Latium: *lectus* a leco, *leutus*, *junco juncitus* junctus, hinc & *Juncus* herba, *docitus doctus*, *ſcripitus ſcriptus* a *ſcripo* tanquam *cripo* quod a γράφω; nam pro γ *c*, pro φ *p* uſurpatum a Latinis indicavimus, iterumque indicemus. *Juſtus juſitus* ab *juſio*, unde Cato *juſitur* extulit. Quod enim lege jubetur *juſtum* ſive *juſitum*. *Jus* item non *juris*, ſed *juſis* olim; Similiter *libertus* & *liberta* pro *liberatus* & *liberata*. Eodem exemplo Pelaſgis erat *eveltu* ab *evello*, *poſti* pro *poſiti*, quod etiam Latini amplexi ſunt, ut Lucretius:

In terraque retro requieſcere poſta

& alibi: *Janua ne his potius regionibus eſſe*
Credatur poſta.

ut Lucilius: *Quam lepidæ lexes compoſtæ ut teſſerulæ omnes*
Arte pavimento atque emblemmate vermiculato.

In antiquis etiam Legibus apud Fulvium Urſinum *poſtum* legitur, & in Catonis codice *expoſtum*, *poſturus*. Hinc nos accepimus *poſto*, *eſpoſto* & cognata, cum plebs Romana vetera potius uſurparet, quam novitia politioribus reſervata. Sed ad tabulas Eugubinas redeamus, ubi *merſus fuſt*, *therter* cum *er* finali *thert er* quaſi territi, *vaperſus* & *vaperſuto* valde *perſus* ſive potius diſperſus. Illinc *va* particula Romam

trans-

translata, ubi radices egit: *vacillo*, *vacerra*, *vafer*, *vafellus*. Similiter *vapulo* ex *va* & *pello pepuli*, dempto augmento. *Pello* autem a πάλλω, & *pepuli* eo significatu quo Sophocles usurpat: πάλλων φόβῳ, hoc est παλόμενος. Hinc etiam *pallor* quod παλόμενος induit. Neque *vaporo* longius repeto, quam ab *va* ac πέρω, atque istinc *porus*. Haud secus de *vasto* opinarer, & ab ἵστημι quod est deterius statuo vel reddo, revocarem. Neque *vaco* ab alio fonte deducerem, quam ab *va* cum κέω vel κέω desideo. *Vacuus* etiam quod prius *vacivus* erat, hanc originem respuere non videtur, *cio* enim *cis*, *civi*; hinc & *cives* qui desides ac vacui in urbe otiantur. Nisi mavis a *civi movere* quod significat; quoniam dispersi, fuerint congregati. Porro eadem *va* particula *a* in *e* sæpe mutat, unde *vecors vecordia*, *vegraudis*, *vexilum* a ξύλον, quippe in oblonga hasta aquila ferebatur. *Vexo* similiter *ve* ἀξω ab ἄγω, *veredarius ve redarius*, *veredus ve reda*, *vestibulum* (quod ex Varrone Politianus *vestubulum* exscripsit quasi *vestabulum*) Gellius appositе ab *ve* & *stabulum* derivat. *Imbecillis*, *imbecillitas* & hujusmodi alia dum ita scribuntur, originem occultant: at veteri more *imvecillis*, *imvecillitas* (in antiquissimo enim Varronis libro *imvecillæ* non *imbecillæ* scriptum est) ab *im* & *vacillo* oriri continuo in animum inducimus.

Multa contra expanduntur apud veteres, quæ secuta ætas compingit & coarctat: *cavitum cautum*, *vacivus vacuus*. Varro *acuitum* posuit pro *acutum*, *inrigiva* pro *irrigua*, *tricilinio* pro *triclinio*, *nuculeos* pro *nucleos* (quo etiam Cato usus) *purigare* pro *purgare* a πυρίζω πύρικα, primum *purico*, deinde *purigo*, demum *purgo*. Sic *purifico* τῷ πυρὶ facio; quod igne omnia emundantur.

In vetustissima C. Duilii inscriptione cernere licet singulas vocales dictionem finientes in *d* desinere, ut *marid*, *Dictatored*, *navaled*, *altod*, *prædad*. In alio etiam monumento: *moltaticod*, *monimentid*: apud Plautum: *ted*, *med*. Cum itaque illa ætas usitatum haberet vocibus per vocalem finitis *d* adjicere, scripsisse autumo a λέγω, λέγεις, λέγει *lecod lecis lecid*: deinde ut *lecid* sejungerent a *lecid* quod erat dandi casus a lex, hoc integro relicto, illud, *d* in *t* verso, *lecit* factum. Sequioris subinde seculi usus cum hujusmodi scribendi formam in universum improbasset, in nonnullis tamen vocibus discriminis causa institutum retinuit, ceu in *quid* & *quod*, ut illud a *qui* quod communis generis ferebatur, & a *quit* separaretur; hoc vero tum a *quo*, tum a *quot*; in *quit* enim & *quot* *d* in *t* transivit. Hac ratione sejunctum *item* ab *idem* atque *id* ab *it*. Ex hac consuetudine, quam etiam Quintilianus Sosipaterque Charisius confirmant, in veteri Catonis libro *quod*

annis

annis pro *quot annis* remanſit. Præterea in multis vocabulis veſtigia ſuperſunt, ut in *proſum* a *pro* & *ſum*, *prodes* (ex quo Italicum *prode*) *prodeſt*, quippe primum disjunctim ſcribebatur *prod es*, *prod eſt*, *prod eſtis*. Contra in *præſum* non immiſcetur *d*; quoniam non a *præ* fit, ut volunt, ſed a *præs prædis*. Quare *præs es*, *præs eſt*, *præs eſſe* (quod ab antiquis extat, non *præeſſe*) ac *præs ens præſens*. Etenim qui eſt præs, is utique præſens. Quid enim aliud indicat Terentius in *Phorm.*

Non tu hunc habeas præſentem Deum?

Quid aliud Virgilius:

Agreſtum præſentia numina Fauni.

Quid aliud M. Tullius in IV. *Tuſc.* dum ſcribit, Herculem tantum & tam præſentem Deum eſſe? Nam ſi *præſum* eſſet a *præ*, diceretur *prædeſt*, *prædes*, ut *prædopto* dicitur, *prodigo*, ac *prodeſt*. Nec mirari debemus non *præſſum* ac *præſſit* ſcribi, ſed *præſum*, *præſit* vetuſtiſſimis *ſ* literam minime geminantibus. *Suadted* apud Feſtum legitur, & id eſſe ac *ſic te* declaratur. Certe de *ſua* & *te* cum *d* addititio coaleſcit. Poſteriores, primo *d* in *p* mutato, alteroque exempto, fecere *ſuapte*. Ita *meapte*, *tuapte*, *noſtrapte* olim *meadted*, *tuadted*, *noſtradted*. *Met* etiam quod cum *ego*, *tu*, *ipſe*, *ille*, & aliis copulatur, *med* fuiſſe crediderim.

Re ſimiliter ſibi arceſſerat *d*, ut retinetur in verbis *redamo*, *redarguo*, *redemo*, *redemptor*, *redeo*, *redhoſtio*, *redigo*, *redintegro*, *redundo*. Quæ ſeparata notabant: *red amo*, *red arguo*, *red emo*, *red emptor*, *red eo*, *red hoſtio*, *red ago*, *red integro*, *red undo*, *redimiculum red amiculum*, *redimio red amio*, tanquam iterum circum eo.

Quidam ex *qui* cum *d* atque *am* (eam) compoſitum videtur, ut *quidam* ſit neſcio quid inter marem & fœminam medium, ac promiſcuum. Sic *quidem* ex *qui* & *eum*; nam *em* quondam *eum*. *Is*, *ea*, *i*, appoſitoque *d*, *id*, ut a verbo *i* ſejungatur. De *i* ſive *id* atque *em idem*; memoriæ enim reliquit Feſtus, non *eundem* fuiſſe vetuſtioribus, ſed *emem*. Hic & hæc *alis*, & hoc *ali* ſive *alid*, ex quo *aliquis*, & cum *ubi aliubei*, ut in Plebiſcito poſt C. Sempronium Gracchum edito legitur, nunc eliſo *u*, *alibi*. *Pridem* ad πρὶν refertur, velut *prid em*, qnod *ante eum* interpretamur. Verum πρὶν quarti caſus adverbii modo uſurpatum, & per alios etiam caſus inflexum exiſtimo, ceu *pris*, *pris*, *pri*, *prin*. Quapropter cum *pris* ſit poſitivum, *prior* & *prius* comparativum erit, *primus* ſummum, ac ſuperlativum. A *pris priſcus*, ab eodem cum τυὸς *priſtinus*, necnon a *prin* & *ceps princeps*.

Non pretereundum quoque eſt *pri* eſſe idem ac *præ*; quoniam veteres non *præ*, ſed *pri* ſcribebant, ut memorat Feſtus; quare *præcidere*

re pricedere ante cedere, *prænomen prinomen* ante nomen, *præficio prifacio* ante facio, *præſagire priſagire* ante ſagire id eſt ſapere, *præſto priſto* ante ſtare, ut homines ait Saluſtius cæteris animantibus ſtudere ſeſe præſtare. Et *præſtites* ſive *priſtites* nonne idem ex Feſto, quod inferior ætas *antiſtites* vocabat?

Quid eſt *interim?* Videamus quid *interatim* quod pro illo antiqui ponunt. Non cernimus eſſe ab *intera*, & hoc ab *entera* cum *im?* *Enteradim* itaque primum, *interatim* deinde, denique, ſubductis *a* & *t*, *interim*. Quod interpretor *inter id*, ut *interea* inter ea. Nos vernacula conſuetudine: *fra queſto*, *in queſto*, Latinis item ſeparantibus, ut apud Plautum *Ciſtell.*

Inter rem iſtam agendam heræ huic reſpondi quod rogabat.

Et in *Stich.*

Inter illud negotium meis amicis curavi, ut cœna eſſet cocta.

Poſt longo circuitu a Græcis repetit Voſſius: ego a *poſto* cogito; ideoque *poſtidea* a *poſti* cum *d* finali atque *ea*, de quo Plautus *Stich.*

Quem æquius eſt nos potiorem habere te, poſtidea viros
noſtros.

Idem in *Ciſtell.*

Id erit factum, ornamenta ponent, poſtidea loci
qui deliquerit, vapulabit.

De eodem Terentius *Hec.*

Quod faciundum fortaſſe ſit poſtidea.

Quare *poſtidea* primigenia forma, mox *poſtea*. Poſti igitur ea, cum poſiti ſint ea, vel ea poſita. Ita Saluſtius *Cat. Ubi periculum advenit, invidia atque ſuperbia poſt fuere*, nempe poſita fuere. Idem. *Poſtea Piſo in citeriorem Hiſpaniam miſſus eſt*, ſcilicet ea re poſita. Virgilius *Æneid.* VI.

venerabile donum
Fatalis virgæ longo poſt tempore viſum.

Poſito longo tempore ſive interpoſito. Et hoc ſepulchrale carmen:

Cunctorum hæc ſuboli ſedem poſt morte reliquit.

Nempe *poſta morte* ſive tranſacta. *Poſthac* poſita hac re, *poſtilla* quo uſus Catullus hoc verſu:

Nec ſibi poſtilla metuebant talia verba,

illa re poſita. *Poſthabeo* habeo poſitum, relinquo; *poſtmitto* mitto poſitum ſive prætermiſſum; *poſthumus* qui patre, poſita humo, ſive humato naſcitur. *Poſtea quam* ſive *poſtquam* poſita ea re quam commemoravi, ut Virgilianum illud:

Poſtquam res Aſiæ, Priamique evertere gentem

immeritam viſum ſuperis.

Poſita ea re ſive tranſacta quam retuli, videlicet viſum ſuperis Aſiaticas res, ac Priami regnum evertere. Invenitur etiam *poſt nummos*, & alia, ut in Horatio:

O cives cives, quærenda pecunia primum eſt,
Virtus poſt nummos.

Cum poſiti erunt nummi, ſive poſitis nummis in loculos, conditis uno nomine. Sic Livius: *poſitis omnium aliarum rerum curis* dum dicit, poſt curas aliarum omnium rerum ſignificat, ut frequentius uſurpatur.

Hucuſque evagatus ſum, ut *d* literæ dictionem claudentis veſtigia tibi oſtenderem: videamus alia quæ ex antiqua ſpecie facilius cognoſcimus, & declaramus. *Die craſtini*, *proximi*, *noni*, ut veteres ſcribunt, ſi diligentius perpendamus, patrici caſus abſolute poſiti inveniuntur, Græcorum qui ſexto caſu carebant, exemplo. Etenim quo propius Latina lingua originem ſuam contingebat, eo ſimilior Græcæ apparet. Quare *die* pro *diei*, ut *acie*, *fide*, *requie*, *ſpecie* pro *aciei*, *fidei*, *requiei*, *ſpeciei* poſita Gellius ac Priſcianus confirmant. Pari modo *quotidie*, *poſtridie*, *pridie*, nimirum *quoti diei*, *poſteri diei*, *pris diei*. Neque aliter habenda *diu*, *interdiu*, *jam diu*, cum ſciamus ex Nonio Marcello ante *diu* quam *die* in Latio vagatum. *Diu* autem nonne genitivus a διὸς, ex quo *dies*? Diu igitur ἀπὸ διὸ, & διὸ τινος *diutinus* abſolute in patrio caſu relictum. *Intus* quoque quod antiquis *entus* ab ἔντος, pari caſu ordinatur. Equidem *alias* atque *alteras* cum apud veteres legeris, genitivos habebis adverbialiter conſtitutos, cujuſmodi multa apud Græcos fuiſſe pulchre calles; genitivos tamen, quales *materfamilias*, *paterfamilias*, & in Livio Priſco, prodeunte Priſciano, *eſcas*, *monetas*, *fortunas*, *teras*, *vias*, *Latonas* loco *eſcæ*, *monetæ*, *fortunæ*, *terræ*, *viæ*, *Latonæ*.

Cum *ſulpur* Catonis regula ſcriptum inſpicimus, & apud Ulpianum *ſulpurata*, citius ſcrutamur originem, quam recentiorum conſuetudine *ſulphur*, & *ſulphurata*; a πῦρ enim componi diſcimus, atque ab ὅλον propter aſpirationem *ſolon*, ut ἕξ *ſex*, ἑπτὰ *ſeptem*, ἕρτω *ſerpo*, ἑρπυλλον *ſerpullum*, ὑπὲρ *ſuper*, ὕδωρ *ſudor*, ὕπνος ὑπὸ νῶς, primum *ſupnos*, deinde, ut in optimo Victorii libro extat, *ſumnos*, demum *ſomnus*. Ab eodem ὅλον & *præs*, *præſul*, ſive vetuſto modo *præſol*, ut *conſol*; quod *præſul* præs ſingularis & primus.

Qui *aruſpex* unde deſcendat, indagat, atque *aru* offenditur, hac ſcriptura *entaſiaru urnaſiaru*, quam ex Tabulis Eugubinis Clar. Gorius mihi deprompſit, conſequi poterit, dummodo ſic diſtinguat: *entas iaru*,

urnas

urnas iaru, quod eſt *urnas in ara poſitas*. *Aru* itaque ab Hetruſcis emanaſſe diſcet, & inflexionem item pro *aræ*, cujuſmodi in antiquis nummis *Menandru*, *Apollodoru*, & in Varroniano R.R. volumine III. *Antephilu*. Ut *aruſpex*, ita *carnufex*, *locuples*, *quadruplex*, *ſacrufico*, *acrufolium* apud Catonem. Quæ a Græcis ad Tuſcos, & inde Romam migrarunt.

Biceps, *triceps* & ſimilia ex quo componantur, vetus ſcribendi norma demonſtrat, quæ eſt *bicepſos*, *tricepſos*, *quadricepſos*, ut Varro ex Argeorum ſacris oſtendit. *Cepſos* autem (ex quo noſtrum *ceffo*) a κεφαλὴ, pro φ litera qua Latini carent, *p* ſubjuncta, & pro aſpiratione *ſ*, reliquis in *os* converſis.

Interdum veteribus *interduatim* erat, ideo, remoto *inter*, *duatim* remanet (quod ſeparatum *duat im* verto in *det id*) ex quo *dum* coaluit. Itaque *dum* vel *duatim*, ſi tempus, ratio, modus id concedat, ut *dum ſcribo*, nonne tempus dat ſive ſinit ſcribere? Similiter veniam ad te, *dummodo valeam*, quod indicat, me venturum, ſi Deus dederit tunc me valere. Idcirco *interdum* antiqua forma: *entera duat im*, hoc eſt: *id interponit*. Ceu, ut exemplo pateat: *legit ille*, *interdum ſcribit*; *intervenit tempus quo ſcribit*, *ſive interjicitur ſcriptura*.

Tum quondam *tuatim*, quod fortaſſe a *tuo*, *is* pro *tueor*, unde non *tuitus*, ſed *tutus* dicitur: & *tuat im*, *videat id*, ut Tullianum illud ad Atticum: *diſſerò in utranque partem tum Græce*, *tum Latine*, nimirum: *diſſero in utranque partem*, *ſiquis id intueatur Græce*, *ſiquis id Latine*, ſive *ecce Græce*, *ecce Latine*. Itali melius: *guarda in Greco*, *guarda in Latino*.

Enim en im: *in id*, ut nos: *in ciò*, *in queſto*. *Ipſe* novicium eſt, vetus *ipſus*, quod in Plauto & Catone retinetur: in antiquis memoriis *ipſos*. Num ex *is* ac *ſos ſuus*, *iſſos* primum, quale noſtrum vernaculum *eſſo*, deinde, quoniam priſca ætas *ſ* non iterabat, altero *ſ* in *p* mutato *ipſos*? Quod ex *is* & *ſos* in vulgum nos eleganter reddimus: *quel proprio*.

Non olim *nenu* quod ex geminato *ne ne* & *è* videtur. Id imitamur, dum loquimur, & ſcribimus: *nò nò*: id Taſſus metro complexus eſt:

Nò, *nò*, *più non potrei*, *vinto mi chiamo*,
ne corteccia ſpogliar, *ne ſveller ramo*.

Mium (quod manet in vocandi caſu *o mi*) veterum, *meum* poſteriorum conſuetudini inſervit. Ex illo nos *mio* ſumpſimus. Illinc *nimium* repeterem, tanquam *ni mium*, ſive *ne meum*; quod enim nemo ſibi vindicat, abundat.

Toties, *quoties*, *aliquoties* detegere non facile: at nullius negotii, ſi, ut antiquitas inſtituit, legamus: *totiens*, *quotiens*, *aliquotiens*; nam obſoletum participium *ens* quo & *triens* & *præſens* componitur, recipere oſtendit. *Totiens* igitur *tot ieus*, hoc eſt *cum tot vices ſint*, *quotiens cum quot*. Noſtra lingua: *tante volte*, *quante volte*. Neque tibi dubitandum eſt quin hoc exemplo ſcripſerint antiqui, quod tum Marius Victorinus, Priſcianus, Caper confirmant, tum libri manu exarati vel formis impreſſi, ut in Catone: *quotiens ibis*, *totiens magis placebit*. Item: *Aliquotiens facito ſcopas*. Ex eodem id refert Feſtus, A. Gellius; ſed Feſtus hoc amplius: *compluriens*. Neque Varro diſſimilis: *Quotienſcunque haras ſubulcus purgat*, *totiens arenam injicere oportet*. Et de L. L. *L. Ælius noſter literis ornatiſſimus memoria noſtra erravit aliquotiens*. Plautus item *Amph.*

Quotiens vis dictum?

Virgilius etiam recepit *Georg.* 1.

Quotiens Cyclopum effervere in agrum
Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam?

ac M. Tullius *Arat. Phæn.*

Sed mediocre jacens quotiens e corpore lumen.

Præterea apud Ulpianum, Calliſtratum, Julianum, Labeonem, Pomponium *totiens quotiens* in optimis libris inveniuntur. Vetuſtæ denique lapidariæ memoriæ ad veritatis confeſſionem etiam invitos traducunt:

Quotiens . quis . eorum . ſuis . coronas . ponent
Quotiens . quonque . ſei . quis . faxſit . Quotiens

In Ancyrana inſcript.

Quo luſtro . Civium . Romanum . cenſita
Sunt . capita . quadragiens . centum millia
Et . ſexaginta . tria .

Quis *guttur* unde exiſteret, ſic tibi unquam enucleavit, ut probares? Nec mirum: adeo vetuſtum eſt, atque adeo occultas radices egit, ut non facile effodere valeas, atque in apricum proferre. Gorio itaque gratias habeo, & debito cultu eum proſequor, qui primus ex Tabulis Eugubinis hanc ſcripturam ad nos miſit: *uthturu*, *utthur*, ac *gutturu* reddidit ex quo conſtat. Iſtud itaque ex duabus vocibus componitur *ut* & *turu*: hoc a Græco θύρα, & *janua* eſſe tenes. Quod in Latio etiam vigebat, ut *obturo* oſtendit, *turunda* & alia. Illud autem de ὄσα ſive ὅττα amputatum credimus, *o* in *u* converſo, ut in multis. Igitur *guttur vocis janua*. Sic γλώσα ſive γλώττα quæ vocem excavat, & efformat; nam ex γλάφω puto atque ὄσα, eademque ὅττα.

Nec-

Necnon *audio* ab αὐδὴ cum ἔω, ſive ἰέω; quippe qui audit, voces & imagines induit.

Piaculum ac *piaculo* qua de cauſa nominentur, eadem Eugubina monumenta tibi probabunt, in quibus exſculptum eſt: *Pihacluo*. Etymon habere videtur a πίϑ & ἀκλύω, nempe: quod etiam ſelectis hoſtiis numina avertit, ſive quem rite ſacrificantem numina non audiunt. Et hac figura *piaculum* ſcelus habetur. Sin autem hoc modo ſcribatur: *Piahcluo*, ſacrificium indicat quo numina hoſtias accipiunt, & ſacrificantem exaudiunt. Hinc apud Latinos *piaculum* ſacrificium, & *piaculo* ſacrifico, ſubducta vero aſpiratione & diſcrimine dempto, unico vocabulo tam delictum, quam ſacrificium declarat. Propter quod ſæpe opinatus ſum, multa utriuſque linguæ nomina, quæ ad alia atque alia ſignificanda traducta ſunt, exſerta aſperi ſpiritus nota, in unam figuram, unamque faciem confuſa. Cæterum a πίϑ *pius* eſt, qui opimis victimis deos precatur; impius contra. Ex hac antiquiſſima orthographia retenta nonnulla in Latio, atque in noſtram memoriam propagata: ut *veho*, *vehiculum* ex *ve* & *eo*; *veha via* quod Varronis ævo ruri duraſſe fertur, ſimili ratione *vehemens*, *vehementia*, ſcilicet *ve amens*, *ve amentia*, ut vernacula noſtra: *gran pazzo*, *gran pazzia*. *Cohortes* in optimis ruſticis exemplaribus notatur, non *cortes*, quod indicat ex duobus factum *co ortes*. Id puto poſſe a χώρα & ὀρταλὶς, quia *cohors* Gallinarum ſedes, eſſe probari.

A præcl. viro Abbatio Olivierio cum Eugubinas tabulas commentaretur, accepi *aviehclir* & *aviehclu* quod *arator aratoreſque* interpretatur. Cui tamen haud aſſentior, cum ex duabus dictionibus componi exiſtimem: *avia* & *clir* cum *r* addititio (cujus antiquitatem atque uſum ex C. Duilii memoria deduximus) ac ſine *r cli* & *clu*. Utraque profecto Græca ἄβιϑ· & κλόω ſive κλῶ; ideo primum avia qui κλοῖ; ſecundum qui κλᾶ, demptis extremis, pro κλᾶσι. At quam ſcite: *infructuoſa qui colit*, ac *colunt*. Nam κλῶ frango, & hinc, interpoſita litera, *colo*; qui enim terram colit, ſive aratro, ſive ſarculo, ſive bipalio colat, terram frangit, ſcindit, ac cædit; quod ad majus radicum ſtirpiumque incrementum,

omne quotannis
Terve quaterve ſolum ſcindendum, glæbaque verſis
Æternum frangenda bidentibus.

Ab eodem κλῶ apud Græcos κλῶν viget, apud Latinos *virgultum*, quod antiqua Varroniana forma *vircultum*; quippe manu colitur, dum cæditur, & putatur. Vetuſtiſſimi igitur Pelaſgi ſuas calamitates in Eugubi-

na

na precatione misere deplorant, dum colonos qui proprie *arvahelu*, vocandi erant, *aviehelu* appellant; quandoquidem ob cœli inclementiam, terræque siccitatem nihil ex laborioso cultu percipiebant. *Arva* autem ab Hetruscis ex eodem egregio Gorio primum appellata adverto *aruvia*, hoc est τῆς ἀρώρας βία, sive bona quæ arando consequimur, nisi potius: bona sive arva aratro relicta, ut rustici nostri loquuntur, *terre arative*. Id postea in *arva* contractum, unde Hetruscum *arvamen*, cujusmodi multa Latini receperunt: *velamen*, *purgamen*, *nutamen*, *novamen*, *moderamen*, *meditamen*. Credere etiam licet *arvamen* apud Hetruscos ita usurpatum, ut nos in vulgum efferimus: *Bestiame*, *Carname*, *ossame*, *pelame*, *pollame*, *uccellame*. Ex illo βία derivatur quoque superbia ὑπὲρ βία; qui enim supra facultates & bona sive animi, sive corporis, vel supra hominis fortunas attollitur, is merito superbus. Quare ut a terendo *tera* antiquitus, inferiori ætatis gradu *terra* vocata, sic a frangendo arvo *clo*, mox *colo*. Necnon a κέω sive κείω id est scindo (unde Catoni *tracio* supereſſe ostendam) *vervactum* existit, sive priscum *vervacium*, si *va* particula quæ nominis vim & significationem intendit, præponatur. *Vacio* igitur valde findo idest proscindo; ideoque terra quæ vere proscinditur, *vervactum*.

Semen ac *semino* quis a prima origine deduxit? Latet ea tanta annorum mole obruta & penitus demersa; neque de eadem quicquam haberem quod tibi notum facerem, nisi Eugubinis literis scriptum esset *sehmenier*, quod idem Abbatius *semini* reddit. Binis dictionibus glutinari vides, interposito asperi spiritus indice, *se* & *menier*. Verum *er* addititium puto, quod Latini etiam ornandi causa replendive receperunt, præsertim vetustiores, ut Plautus *argutarier*, *memorarier*, *ludificarier*, *irascier*, & plura hujusmodi qui dixerit; ut Terentius: *deludier*, *immutarier*, *adipiscier*; ut Lucretius: *convertier*, *celarier*, *vertier*, *mirarier*; & noster Cato: *obturarier*. Apud M. Tullium hoc item invenimus ad Trebatium missum: *ut inter bonos bene agier oportet*. Et in Plinio ex veteri historico Hemina relatum *arbitrarier*. Restat igitur, *er* remoto, *meni* a μένω, ac *se* propter aspirationem, quod ἑ Græcis erat. Quapropter ἑ μένει *semen*, quod *se manet*, *seque expectat*, *& renovat*: quoniam in id redit a quo prodit. Quo quid brevius, quid elegantius, quid ad seminis naturam declarandam accommodatius excogitari potest, aut fingi? Et mirabitur quisquam solertissimum fuisse Homerum, quando tot seculis ante in dictione una doctrina tanta & sapientia eluceſcit?

Ab eodem Abbatio Florentia missum Eugubinum *vestifier* expositumque

que *veſtibus*, quod arbitror *veſtiſi er* ſive *veſtiri*; nam pro *r*, *ſ* quondam uſurpatum ex Saliari carmine oſtendit Varro, ut *doloſi*, *eſo*, *muſes*, *ruſe*, *pluſima*, *caſmena*, *aſena* pro *dolori*, *ero*, *mures*, *rure*, *plurima*, *carmina*, *arena*.

A Pelaſgis non ſolum *er*, de quo ſupra indicatum eſt, ſumpſit Latium, verum etiam *r* ſimplex multis vocabulis ſubnexum, ut in verbis quæ paſſionem ſignificant, atque in adverbiis multis declaratur. Origo ex hac inſcriptione clarius apparet:

Lerpirior. Santirpior
Duir. For
Foufer. Dertier. Dierir. Votir
Farer. Vef. Naratu. vef. Poni
Sirtir

Quæ, quoniam far, nardum, & coronam meminit, Lari domeſtico ſacrata videbitur, primum verſum hoc ordine ſeparantibus: *Ler. pirior. ſantir. pior*: videlicet *Lari. focacio. ſancto. pio*. Porro ſi *For* idem ac *Por*, *Foufer* ſive *Foufe* Dui filium eſſe quis crederet. Equidem & Romanæ memoriæ exhibent: *Quinti vel Sexti filius*: *Quinti vel Sexti Nepos*. Sic a numero *Dui* filius, ut *Duilius* quod in gentis titulum tranſit, nec non *Quintius* a quinto, *Sextius* a ſexto, *Septimius* a ſeptimo, ab octavo *Octavius*. *Por* autem manſit in his: *Caipor*, *Lucipor*, *Marcipor*, *Quintipor*. Sed & *Porſena* Tuſci regis nomen quaſi *Por ſena* ſive *hena*, hoc eſt *Senæ* vel *Henæ* filius. Quæ dictio quod ex duabus coit, credere licet, primum, interpoſito *h*, deſignatum *Porhena*, deinde *h* in *ſ* tranſiiſſe. Propterea *Porſena* unico *n*, antiquis, ut dixi, ſemivocales non iterantibus, tanquam *Ennii Filius*. Idem indicare opinatus ſum *Siſenna* velut *ὗs henna*, idem *Perpenna* Παῖς τῆ *penmæ* aut *fennæ*. Eadem ratione *Saturnus Urani ſatus* ſive filius vocatur. At *Lar* nomen tam Diis quam hominibus commune; nam *Lar Porſena*, *Larunda* vel *Lar Unda* Tiberina Nympha, & hinc Lares.

Revertamur Romam. Cur vocabula nonnulla in *ſ* & *r* deſinant, ut ſciamus, primum ab antiquis petendum, alterum a recentioribus; *labos* enim *laboſis*, *arbos arboſis*, *lepos lepoſis* illi efferebant: hi *labor laboris*, *arbor arboris*, *lepor leporis*. Illi item *pluſia* a πλύσιος, & ab hoc *plus*, *pluſima*: hi *plura* & *plurima*. Sed veteres etiam *plera* pro *plura* ſcribebant, unde *pleraque* ac *plerunque* habemus. Quare mirari non debemus in multis analogiam nos ſequi, ceu: *mus muris*, *rus ruris*, *fœdus fœderis*; rectum enim caſum antiquis dabis; poſterioribus reliquos. Neque *Fuſios*, *Vetuſios*, *Papiſios* cum legeris, alios eſſe,

ac

ac *Furios* ; *Veturios* , *Papirios* exiſtimabis ; neque verba multa in diverſum exire inconſtantiæ tribues, ſed tempori. Etenim cum *c* pro *g* plurimum uteretur priſca gens , ut proxima epiſtola indicavi , multa aliis literis incipere , in alias deſinere notabis : *lego* , *legis* , *lectum* ; *ago* , *egi* , *actum* ; *rego* , *rexi* , *rectum* ; *mingo* , *minxi* , *mictum* ; *figo* , *fixi* , *fixum* ; *ſugo* , *ſuxi* , *ſuctum* . Cum *c* hæc atque alia bene multa incipiebant : *leco* ; *aco*, ex quo *acus*, *acumen* , *acutus* ; *reco* ; *minco* ; *fico* ; *ſuco* unde *ſucus* deſcendit . *Nec otium* olim , nunc *negotium* ; *pucno pugno* a πυκάζω & ab hoc πυκνὸς ; quippe conferti ac ſtipati in acie ſtant ; *cuberno guberno* a κυβερνάω.

Accidit cum plura ad te mittere vellem , ut egregius juvenis Fabricius Morgagnus ad me veniret , ſignificans ſe cras ſummo mane Vicentiam profecturum , atque ut de ſe literas ad te darem , rogaret . Sciſcitanti mihi cur id a parente ſuo non peteret tecum ſumma neceſſitudine conjuncto , ſenatoris cujuſdam curatione Venetias accitum jam biduo abeſſe ſubjecit . Ejus itaque deſiderio indulſi , quod , non inconſulto patre , diſceſſurum ſciebam , epiſtolamque iſtam tradidi non commendaticiam , verum qua amici utrique noſtrum cariſſimi filium cum literis excultum , tum optimis moribus exornatum ad te futurum denunciarem . Fac valeas.

D. Patavio III. Cal. Jan. CIↃ IↃCC XXXI.

EPISTOLA III.

Emendatur M. Cato in caput VIII. Ruſticarum rerum.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

QUæ ad vetuſtam ſcribendi rationem Catoni ac Varroni reſtituendam attinere viſa ſunt , quæque ex eadem commoda percipimus , præcipua ac maxime neceſſaria , proximis literis brevitate qua potui, ad te miſi . Nunc Catonem diligentius percurram ordine quem hoc tempore liber præbet . Ante omnia tamen de editionibus te monitum volo , ne titulo decipiaris ; quod quæ optimæ in aliis Latinæ linguæ ſcriptoribus & habentur , & dicuntur , in ruſticis peſſimas & deterrimas deprendes . Harum tria diſcrimina video : primum ac præcipuum quod Petrus Victorius ex vetuſtiſſimo libro curavit edendum , quodque

ab

ab illo ſecuti ſunt ferme omnes : ſecundum genere , ſed tempore primum ab Jenſonio Gallo Venetiis proditum : tertium excudit Aldus Manutius , qui , quoniam de fæce hauſerat , interpolatum fucatumque emiſit . Ab Aldo accepit Joannes Parvus , & Gymnicus . Aldum quoque ſectantur Juntæ ; quippe in paucis diſſimiles . Meurſii item codex illius quo uſus fuerat Aldus , exemplum habetur . Victoriana itaque præſtant , verum non in omnibus : quæ de probatiſſimo exemplari vel exſcripſit , vel emendavit , optima cenſenda : quæ retinuit ex Aldo (hujus enim libris itemque Juntinis utebatur) ultimæ notæ ſunt , & abjicienda . In his igitur ad Jenſonium reſpicere oportet , atque exemptis Aldinis , veteri ſcriptura lacunam explere . Hæc de editionibus : ſequuntur libri manu exarati . Optimus omnium , ut ſæpius tibi inculco , quem ex bibliotheca D. Marci Florentina laudat Victorius ; ideoque de eodem quæ hic refert , neque expurgat , pro virili diligentiſſime perpendam . Et quando liber iſte jam evanuit , dedi operam , ut nonnulla quæ Angelus Politianus ante Victorium de eodem tranſcripſerat , item ex alio qui ad S. Reparatæ aſſervatur , mihi Florentia per Hieronymum Lagomarſinium literarum omnium humanitate imbutum tranſmitterentur . Cumque Cæſenæ in bibliotheca Fratrum , ut vocant , *Minorum Conventualium* cuſtodiri codicem , qui de Victoriano illo exſcriptus ferebatur , accepiſſem , per amicos curavi , ut eorum quæ dubia atque obſcura habebam , exemplum remitterent . Acceſſerunt quoque nonnulla ex bibliothecis Vaticana deprompta , ac Mediceæa , quæ in ſuum quæque locum digeſta reddam . Multa etiam per me Venetiis cum antiquo D. Marci exemplari contuli , ac collata referam , atque , ubi dubitabimus , in conſilium revocabo . Neque Petrum Creſcentium qui de agricultura impolito ſtilo , ut ea tempora ferebant , commentarios reliquit , legiſſe pœnitebit ; quoniam multa de Catone , Varrone , Palladio (nam Columella carebat) exſcripta intexit . Præterea ſiquid aliud quod auctoritate nititur , proferam , ex quo hauſerim , intelliges ; vetera enim veterum libris magis eluceſcunt , libentiuſque recipiuntur , quam interpretum ſolertia , & doctrina . His itaque præſidiis ad id quod mandaſti , aggrediar , & totam commiſſam ſegetem percurram ; ex qua tamen non meſſem colligam , verum ſpicilegium faciam ; quandoquidem alienos manipulos religare , ut meam impleam corbem , neque noſtri eſt inſtituti , neque tuæ voluntatis .

Primum in veſtibulo paululum immorari oportet dum Libri titulum expendamus : *M. Cato de re ruſtica* , quem M. Tullius tueri videtur , cum in libro *de Senect.* Catonem ita loquentem faciat : *Quid de utili-*

tate ſtercorandi loquar ? Dixi in eo libro quem de rebus ruſticis ſcripſi . At Varro de *Agricultura* editum a Catone volumen memorat , & improbat ſcripſiſſe ea quæ ad agriculturam , hoc eſt ad libri argumentum minime pertinebant , *ceu qua ratione placentam facere oporteret , quo pacto libum , quo pernas ſalire* ; libum enim & placentam facere neque ad agri cultum , neque ad rem ruſticam pertinet , ſed ad piſtorem , ac cocum : contra pernas ſalire etſi ad agriculturam non ſpectat , ad ruſticam tamen rationem ſpectat . Plutarchus non abſimilia in Catonis vita refert . Servius item ad Virgilianum illud : *laudato ingentia rura : exiguum colito* , ait , id Catonianum eſſe *de agricultura* ad filium ſcriptum . Attamen Gellius in diverſa abit : Lib. III. citat librum Catonis *de agricultura* , quem Libr. X. *de re ruſtica* vocat . Quid ergo , inquies , potius ? *De Agricultura* , & *de re ruſtica* opinor , ne veterum auctoritati atque iis quæ traduntur , repugnet , ſed *ad filium* adderem .

In præfatione deinde hoc mecum perpendas : *majores enim noſtri ſic habuerunt , & ita in legibus poſiverunt* . Ante extremum verbum *hoc* inſeritur in Codicibus Cæſenate , & Veneto , quod etiam Jenſonius recepit . Id neque a Catone abhorret , ex quo hæc invenio : *vicini quo pacto niteant , id animo advortito : id mane jejunus cyathum ſumito : poſtea id utito vini cyathum mane jejunus* ; neque a Latina conſuetudine , quo M. Tullius uſus : *credamus hoc Sext. Nævium ejus auribus peperciſſe :* item : *Quis hoc non intelligit , iſtum ex manibus P. R. eripi non poſſe ?* Quo Ovidius :

Ipſe ſed hoc vidit qui prævidet omnia Cæſar,
Stultitiam dici crimina poſſe mea .

Quo Plinius : *Hoc amplius , in Euphrate tradunt & ſcapum ipſum & florem veſpere mergi uſque in medias noctes .*

Eſt etiam quod in eadem præfatione extrema duplici modo ſcriptum prodit : principes excuſi libri quos ſecuti ſunt multi , ſic ponunt : *nunc , ut ad rem redeam , quod promiſi inſtitutum , primum hoc erit* : alii qui Victorium ſectantur , *primum* in *principium* mutant ; quaſi *primum* a *principio* longe diverſum , ſiquidem quod primum eſt , id ſane initium præbet . Præterea *primum* pro *principio* uſurpat Livius Lib. VIII. *quod bellum , ſi prima ſatis proſpera fuiſſent , haud dubie perveniſſet ad Romanos* . Uſurpat & Tacitus Lib. XVIII. *prima conciliorum fruſtra ceciderunt* .

Antequam ad alia tranſeamus , velim exiſtimes : *foenum , foeneratorem , foenerari , foetus* ſine *o* primam ſyllabam eſſe ſcribendam ; Varro enim ,

enim, atque ex Varrone Nonius Marcellus hanc esse Catonianam scripturam tradunt, exemplisque confirmant.

Caput 1. antiqui editores sic ordiuntur: *Prædium cum comparare cogitabis*, quæ tam in Veneto codice legi, quam in Crescentio: recentiores vero: *quum parare cogitabis*. Quid sequendum sit, si me rogabis, dicam, ex argumentis quæ de primo versu plerunque sumebant, antiqua distingui: *Quo modo agrum emi pararique oporteat*. Quapropter *parare* a Catone positum crediderim. Sed sine te nihil certi constituam.

Attamen hæc leviora: quæ in eodem loco leguntur, potius perpendenda; editum enim a priscis: *solum bonum sua virtute valeat*; ab Aldo, idcirco magis suspectum: *solo bono sua virtute valeat*, quod deinceps amplexi sunt cuncti. His ex Plinio addamus quæ de Catone exscripsisse fatetur: *Cato*, ait, *inter prima spectari jubet, non solum sua virtute valeat*. Quæ ex antiquis editoribus huc transtuli; quippe vulgatiora exemplaria hoc modo: *ut solum sua virtute valeat*. Vetera itaque sic malumus: *num solum sua virtute valeat*. Animadvertito, inquit Cato, utrum solum sua virtute valeat, an cultorum industria; si sua virtute colono respondet, bonum erit; sin contra ob diligentiam & labores, despiciendum. Propterea instrumenta quibus ager colitur, considerandaque inculcat; nam si multa, ager sumptuosus est, neque sua virtute valet. Quid ergo de *bonum*? Abjicias, per me licet; cur enim approbem, quod constat aliena opera insertum, quodque Catonis præceptum evertit? Docet Cato qua via de soli conditione conjecturam capere possimus; ideo nondum constat esse bonum.

Verum, quoniam vetera illustranda qui suscipit, non modo depravata emendare, & vetustate deperdita reparare ac reponere, sed etiam inserta atque aliena demere debet, videto alia quæ non longe ab eo loco de quo modo scribebam, leguntur, num Catonis esse videantur: *instrumenti ne magni siet, loco bono siet*. Mihi certe suspecta, quin etiam tanquam indices in margine quondam adnotata contemno. Quid enim insulsius: *instrumenti ne magni siet*, quando statim adjicitur: *videto quam minimi instrumenti, sumptuosus ager ne siet?* Non cernis illa hujus moniti argumentum esse? Præterea *loco bono siet*. Quid? Prædiumne? At id jam expressit Cato cum dixit: *uti bonum cœlum habeat: ne calamitosum siet: si poteris sub radice montis siet; in meridiem spectet, loco salubri*. His bono in loco debere esse prædium satis non declaratur? Cur igitur eadem extra sedem iterum? Sed, credo, non de prædio aut de villa ista sunt accipienda, verum de instrumentorum sede; quoniam instrumentis proxima collocantur. Quasi emptor,

ſi inſtrumenta viderit non apto in loco poſita, ab emendo deterreatur. Non ita ineptus Cato, ut talia præceperit. Inſtrumenta, ut ajebam, emptori ſunt attendenda, quippe ubi multa, multas operas exigunt (quod patriſamiliæ alienum) & hoc pacto magnis impenſis agrum coli certa conjectura emptor animadvertit. Perſpicuum itaque jam eſt commentatoris cujuſdam qui in codicis labro quæ de prædii qualitate jam adnotaverat, eſſe verba, non Catonis, huc ab imperitis addita atque afficta. Cujus certiſſimum indicium præbet exemplar Cæſenas, in quo inferiori loco collocantur hoc modo: *ſcito idem agrum quod hominem quamvis quæſtuoſus ſiet, loco bono ſiet, ſi ſumptuoſus ſiet, relinqui non multum.*

Et quoniam quaſi caſu in hunc locum incidimus, conſideres velim, utrum præſtet hoc Aldinum *relinqui*, ut in omnibus poſterioribus libris habemus, an *relinquere* quod in antiquis. Sane mihi expeditior videtur ſententia: *ſcito idem agrum quod hominem quamvis quæſtuoſus ſiet, ſi ſumptuoſus erit, relinquere non multum*, quam eo modo. Quibus nos, ut modo dicebam, admonet Cato, cum magnus ſit in emenda villa inſtrumentorum apparatus, magnis impenſis culturam ſuſtineri, diſci & certo ſigno cognoſci; propterea non multum utilitatis agrum colono relinquere; quia omnia fere quæ reddit, colendo abſumuntur. Idque exemplo nepotis hominis declarat, qui dum voluptuoſe vivit, quamvis multa comparat, parum tamen poſt ſe relinquit. Quod egregie Terentius in *Hecyra* numeris ſignavit:

Laches: *cedo quid reliquit Phania*
Conſobrinus noſter? Pamph. *ſane homo voluptati obſequens*
Fuit, dum vixit, & qui ſic ſunt, haud multum hæredem adjuvant.

Porro Catoniana ſic expreſſit Plinius: *agroque ut homini quamvis quæſtuoſus ſit, ſi tamen & ſumptuoſus, non multum ſupereſſe.* Ex quibus vulgata in Catone concinnare poſſumus ſcribendo: *ſcito idem agro quod homini, quamvis quæſtuoſus ſiet, ſi ſumptuoſus erit, relinqui non multum.* Sed antiqua malo.

Antequam hoc caput relinquamus, oſtendam in quo editorum diligentiam deſiderare poteris; nam in cunctis excuſis libris, principibus exceptis, ſic ſcribitur: *Prædium quod primum ſiet, ſi me rogabis, ſic dicam, de omnibus agris optimoque loco ſi emeris jugera agri centum, vinea eſt prima, ſi vino multo ſiet.* Quæ melius in antiquis diſtinguuntur: *Prædium quod primum ſiet, ſi me rogabis, ſic dicam de omnibus agris. Optimo loco emito jugera agri centum. Vinea eſt prima, ſi vino multo eſt.* Attamen neque in his, neque in illis extrema integra autumo,

mó, cum apud M. Varronem de *agric.* lib. 1. plura ex Catone commemorata videam : *Cato quidem*, inquit, *gradatim proponens, alium alio agrum meliorem dixit esse in novem discriminibus, quod sit primus, ubi vineæ possint esse bono vino & multo*. Vinum enim quamvis multum, nisi bonum, improbatur. Quam vineæ qualitatem iterum ab eodem Varrone confirmatam intelliges, dum majorum suorum indiligentiam arguit, qui *ex arvo æque magno, sed male consito, & minus multum, & minus bonum faciebant vinum*. Integer itaque Catonis locus videtur, *si vino bono & multo fiet*. Sed ecce alia macula ex Quintiliano scatet : Catonem ait Censorium, *dicam* & *faciam*, *dicem* & *faciem* scribere solere, eundemque in cæteris quæ similiter cadunt, modum renuisse, idque ex veteribus ejus libris cognosci. Quare : *sic dicem de omnibus agris*.

Venio ad secundum caput, cui præponendus antiquus titulus : *Patrisfamilias officia*, qui etiam III. & IV. caput moderatur ; ut v. hic : *Hæc erunt vilici officia* ; LXI. *Custodis & capulatoris officia* ; CXLII. *Vilici officia quæ sunt* ; CXLIII. *Vilicæ quæ sunt officia*.

Deinde ista cognoscere debes perperam distracta ac divulsa : *Ubi ea cognovit, rationem inire oportet operarum dierum. Si ei opus non apparet, dicit vilicus*. Si patrifamiliæ opus, quod, se absente, factum ostendit villicus, tale pro temporis modo ac familiæ non apparet, operarum dierumque rationem inire oportet. Quare distinguendum hoc pacto : *Ubi ea cognovit, rationem inire oportet, operarum dierum, si ei opus non apparet. Dicit vilicus*. Sic interpuncta exscripsit a Catone etiam Crescentius. Jensonius insuper immutat *operarum dierum* in *operarium dierum*, nempe *operariorum dierum*, ut nos vulgo *giorni di lavoro*, *feriali* utimur.

Hinc quæ domino villicus in excusationem afferre soleat, cum negligentiæ coarguitur, recenset Cato. *Dicit vilicus sedulo se feciſſe*. Fulvius Ursinus ex veteri codice substituit *sedolo*. Quod si *sedulo* esset retinendum, non alio modo mallem. Tamen aliud mihi fert animus, cum apud Jensonium legam : *dicit vilicus se dolosa feciſſe* (quod item ex codice S. Reparatæ apud me servo) apud Crescentium vero ex Catonis scripto : *se dolo caruiſſe*. Quid autem ? Dicam : *se dolo caveiſſe*, videlicet : diligentiæ & industriæ caviſſe ; dolus enim cum in malam partem accipitur, veteres *malus* adjungunt, ut idem Cato cap. CXLIV. & CXLV. ostendit. Exposita a villico prima ignaviæ excusatione, secundæ accedit cura : *servos non valuiſſe* ; & tertiæ : *tempestates malas fuiſſe* ; de quibus nihil subest quod tibi scribam. At de quarta : *servos ausugiſſe*, est cur dubitem. Etenim in iis quæ sequuntur, dum ad

singu-

ſingulas villici excuſationes reſpondet paterfamiliæ, nihil de ſervorum fuga exprobrat, quæ dum evenit, villici plerunque cauſa contingit; ideoque ſe a culpa non liberat villicus, ſervos aufugiſſe aſſerendo. Quoniam autem nil temere pronunciandum eſt, perpendamus diligenter, ſi vera rimari poſſimus. Dicit villicus *tempeſtates malas fuiſſe*; dominus contra quæ, pluvio cœlo, in villa fieri poſſunt, commemorat: *dolia lavari*, *picari*, *vilam purgari*, *frumentum transferri*, & alia quæ ordine deſcribit Cato. Ille ſubjicit: *ſervos non valuiſſe*: Paterfamiliæ ad hoc refert, ſi ſervi non valuerunt, cur tantos ſumptus feciſti? Cur cibaria tanta ægrotantibus dediſti? At ad illud villici *ſervos aufugiſſe*, quid reponit dominus? Per ferias, ait, foſſæ veteres tergentur, via publica munitur, vepres reciduntur, hortus foditur, purgatur pratum, virgæ vinciuntur. Cur tam multa per ferias poſſe fieri retractat paterfamiliæ villico, quem de feriis ſermonem feciſſe non videmus, niſi illud *ſervos aufugiſſe* eſſe debere *ferias ſe feciſſe* conjiciamus? Hac enim ratione par pari reſpondet, & ad ſingula allata a villico ordine paterfamiliæ redit. Etenim ferias a villico eſſe ſervandas inter villici officia capite v. includit Cato.

Hæc tamen ad conjecturas frequentius ſpectant; ideo ad alia quæ proxima ſunt, tranſeamus. *Cum ægrotarint*, *cibaria tanta dari non oportuiſſe*: in quo *ſervi* reciperem, videlicet: *cum ſervi ægrotarint*. Id exſcripſit Petrus Creſcentius, id in cunctis codicibus de quibus accepi, aſſervatur. Cæterum hæc ad Aldi libros, & ad eos qui Aldum ſequuntur, non pertinent. Cur, inquies? Quia pro Catone laboramus, non pro nugatoribus. Quid enim ineptius: *ſervis excocta cibaria non tanta dari*, *quanta cum ſine tempeſtate operantur in agris?* Cato de ægrotis loquitur; iſti de otioſis ſervis, ac feriatis. Quid *excocta cibaria*? Quaſi crudus cibus ſit affatim præbendus, coctus minime. Et quoniam quæ ab hujuſmodi quiſquiliis veniunt, inter præclara antiquitatis ornamenta retinenda non ſunt, tertium in his: Per *Ferias potuiſſe foſſas veteres tergeri*, de quibus ſupra loquebar, temere habitum Catonianum teſtabor; quod eo prima edita carent, eodemque ſublato, reliqua ſatis aperta atque æquabilia concurrunt: *per ferias foſſas veteres tergeri*. Creſcentii liber quo utor, non integer, qui hæc tantum: *foſſas veteres tergeri*. Tamen Franciſcus Sanſovinus ſinceram editionem nactus, ut ex Catone retuli, Creſcentium interpretatur: *e ne' tempi delle ferie rader foſſe vecchie*. In quibus de *potuiſſe* nihil; quare Aldi ipſiuſque exemplaris munus remittamus.

Supereſt ex hoc capite appendix, cujus titulum: *auctionem uti facias*;

cias ; quod quia in Cæſenate & Veneto codicibus video , ut Catonianum nunc recipio & amplector . In hac itaque appendice libet animadvertere (quod facile prætermitterem , ſi quicquam in vetuſtiſſimo ſcriptore prætermittendum exiſtimarem) ex antiquis editoribus legi : *vendat oleum , ſi pretium non habeat* . Quod levi immutatione corrigitur : *ſi pretium tunc habeat* . Expedit enim patrifamiliæ aptum ad vendendum tempus expectare , quod Cato etiam inter præcipua domini officia caritatem eſſe attendendam monet . Aldus & ab Aldo reliqui nihil illi *non* ſubſtituentes , ediderunt : *vendat oleum , ſi pretium habeat* . Quod nunquam improbaſſem , niſi vetera admonerent , & Aldi exemplar deſpicerem .

Sequitur tertium caput , cujus initium : *prima adoleſcentia patremfamiliæ agrum conſerere ſtudere oportet* . Ex his diſſimile in antiquis editis *ſtudere* quod eſt *ſtudioſe* , nempe accurate , diligenterque . Verum & *patremfamilias* hic & alibi ſcribendum eſſe compertum habes .

Caput IV. ſine capite jacet : *Bubilia bona , bonas præſepis , faliſcas caltratas* . Reponenda quæ in argumentum amputata fuerant : *Bubilia bona , bonas præſepis , faliſcas caltratas uti bene ædificata habeas* .

Verum , hoc capite poſthabito , quod divellitur a tertio , ut hoc a ſecundo , in quinto ubi de villici officiis agitur , pauliſper morari juvat . Et primum hoc tibi ut optimum laudabo : *litibus familiæ ſuperſedeat* , quod apud Jenſonium , & Creſcentium cuſtoditur , ac Creſcentii vernaculum interpretem : *appreſſo dee procurare che la ſua famiglia non ſia litigante* . Cæteri qui Aldum reſpiciunt , edunt alio modo : *litibus familia ſuperſedeat* , quaſi de familiæ officiis loqueretur Cato . Villicus itaque inter familiæ jurgia diſcernere debet , imperioque componere , & rixam ſedare .

Vetuſta quoque in proximo collocata : *familiæ male ne ſit , provideat* , potiora cenſeo , quam poſteriora quæ *provideat* ſubducunt . Creſcentius in luto jacet : *familia ne ſit mala* , quod librariis culpæ dabis ; recte enim in vernacula editum : *appreſſo dee procurare che la detta famiglia non ſtia male* . Refert nunc Plinii ſubjicere verba : *Inter prima idem* (Cato) *cavet , ne familiæ malæ ſint* , quæ Pintianus ad Catonis modum redegit .

Contra iſta quæ ab omnibus recipiuntur : *familiam exerceat* , ut inſitia eximerem reiceremque ; quippe eorum quæ præcedunt : *opere bene exerceat* , ſcilicet *familiam* , adnotatio videtur , ſed aliena in ſede , ut videbis , inſerta : *ad cœnam ne quo eat , familiam exerceat , conſideret quæ dominus imperaverit , fiant* . Mediis itaque remotis , nonne Catoniana

niana clariora : *ad cœnam ne quo eat, consideret quæ dominus imperaverit, fiant?*

Duo in his malo quam tria : *operarium*, *mercenarium*, *politorem diutius eundem ne habeat die*. Aliter ac vulgo fit, discreta magis decere visa sunt : *operarium*, *mercenarium politorem* ; *operarius* enim, quoniam ad opus mercede conducitur, semper mercenarius ; *politor* non semper, siquidem plerunque non pecuniam, sed fructus partem ex terræ cultu accipit, eoque labor rependitur & compensatur.

Paulo post cum optime per Victorium legeretur : *scribit in mente familiæ quid fiet*, *& illi animo æquiore facient*, extitit Meursius qui vetera sed depravata reddere conatus est, recoquens pro *scribit scibit*. Scilicet ariolus villicus qui hominum cogitationes perspiciat ? Sane scribit in mente familiæ hoc a se factum, cui munus & officium imperandi, non faciendi est injunctum ; ideo æquiore animo familia in opus incumbet. Hac de causa præmittitur a Catone : *dum ne lassus fiat* ; id enim in exemplum arriperent servi.

Hæc a villici officiis separanda sunt quæ ad filium conversus præcipit Cato : *Boves maxima diligentia curatos habeto. Bubulcis obsequitor partim quo libentius boves curent*. Inter prima monetur magis esse bubulcis quam reliquis operis, & servis indulgendum, quo proniori studio nutriendis bubus inserviant & vacent. Itaque *partim* idem ac *præcipue*, vel *maxime*, sive, ut nos vernaculo more, *particolarmente*.

Ex capite VI. duo tibi consideranda proponam : primum quod ad Asparagum circa arundineta serendum spectat : *ibi Corudam serito*, *unde asparagi fiant*. In plerisque editis *ibi* solum habemus ; in antiquis *ibique*, quod sic explico : *ibi quoque*. Id per se clarum & apertum, clarius atque apertius habebis, si Varronem adeas lib. I. ex Catone exscribentem : *ibi quoque Corudam* (seri) *unde asparagi fiant*. De hoc item loco sic Plinius : *Cato seri eam* (Arundinem) *jubet in humidis agris*, *bipalio subacto prius solo*, *oculis dispositis intervallo ternorum pedum : simul & Corudam*, *unde asparagi fiant* ; *concordare enim amicitiam*. Quibus reliqua in Catone : *nam convenit arundinetum cum Coruda*, Ursino suspecta confirmantur.

Alterum : *qui locus crassus erit*, *aut nebulosior*, *ibi amineum majus*. Scriberem : *qui locus crassior erit*, *aut nebulosior*, quod Plinius comprobat Catoniana referens.

Nunc ad caput VII. transeamus, cujus principium ab Aldo propositum : *Fundum suburbanum arbustum maxime convenit habere*, posthabendum ; quippe in vetustis editionibus potius : *Fundo suburbano*, hoc est :

eſt : *in fundo ſuburbano*. Id proxima indicant : *in eodem fundo ſuum quidquid conſeri oportet*, id etiam vetus titulus : *Quo in loco arbuſta & virgæ ſerantur*, oſtendit.

Proximis ſi judicium adhibeas, prava ex Aldi licentia reſultare fateberis : *arbuſtoque Vitem copulari. Amineum minuſculum, & majuſculum, & Apicium*. Non excudit Jenſonius *majuſculum*, verum *malum*, quod verto in *majus* ; amineum enim majus capite inſequenti, ut videbimus, appellat. Neque aliter Plinius exſcripſit. Præterea ſic diſtinguito : *arbuſtoque Vitem copulari, amineum minuſculum, & majus, & Apicium. Hæc in ollis : ollæ in vinaciis conduntur. Eadem in ſapa, in muſto, in lora recte conduntur.*

Quæ fortaſſe leviora judicabis ; graviora reſtant : *Quas ſuſpendas duracinas, amineas majores, & ſcantianas opportuniſſimas eſſe, vel ad fabrum ferrarium pro paſſis ea recte ſervantur*. Hæc communi editorum conſenſu recipiuntur, & approbantur, quamvis non Catoniana, ex Varrone, ut perite cenſebat Victorius, exprompta, atque exornata. Antiqua profecto differunt : *quæ ſuſpendas duratura, aminea majora utilia : ad fabrum ferrarium pro paſſis ea recte ſervantur*. Hæc Catonis propria ſunt cenſenda ; quandoquidem neutro genere uvas ſemper enunciat, ut *amineum minuſculum, geminum eugeneum, helveolum minuſculum, amineum majus, Murgentinum, Apicium, Lucanum*. Neque tamen eo mihi ſententia inclinat, ut *duratura* in *duracina* mutem ; Varro enim, & Plinius ut non *aminea* exſcripſerunt, ut Cato inflexerat, ſed *amineas* ſeculo inſervientes ; ita *duracinas*, non *duratura* ; quod ea ætas fortaſſe non ferebat. Nolito igitur mirari ſi Varro a Catone differat, ſi diſſentiat Plinius, qui in hunc modum Catoniana ſuis commentariis illuſtrat : *quas ſuſpendas duracinas, amineas majores vel ad fabrum ferrarium pro paſſis ea recte ſervantur*. Sed heus tu, inquies, ubi in Plinio quod vel *utilia* Catonis ſignificet, vel *opportuniſſimas* Varronis ? Latet in illo *vel* ob literarum in ſcribendo eliſionem, cum *utiles* Plinius poſuiſſet. Cæterum haud ſincera & intemerata, quæ ex Varrone ſupra commemoravi : *Quas ſuſpendas opportuniſſimas eſſe duracinas & amineas, & ſcantianas* ; aminea enim major ac ſcantiana una eſt uva, tradente Plinio, *amineam* a Varrone *ſcantianam* vocari. Quod apud Jenſonium facilius diſcernitur : *duracinas & amineas ſcantianas*. Quare non dubiis ſignis cognoſcimus quæ Catoni attribuuntur, acceſſiſſe ex Varrone, quando eadem vitia ſecum ducunt.

His itaque quæ ad conditivas uvas pertinent, ita vel acceptis vel compoſitis, majorem diligentiæ curam requirunt, quæ de Malis anne-

dit Cato : *Poma mala : ſtruthea , cotonea , ſcantiana , Quiriniana , item alia conditiva mala muſtea & punica , eo lotium ſuillum aut ſtercus ad radicem addere oportet , uti ſtabilia mala fiant* . Ex quibus extrema : *ſtabilia mala* communiter recepta veterum librorum auctoritate tanquam falſa improbantur , ac rejiciuntur ; proditum enim eſt de optimo exemplari a Victorio pro iis *fabulim malorum*, quæ in Veneto quoque reperi , quæque in Cæſenate extare nunciatum eſt . Iſta alia ratione Scaliger , alia Popma redintegrare moliuntur , ideo ille in *fabalium alarum* diſtinguit : hic in : *favuli malorum* . De quibus quid pro mea ingenii mediocritate cenſeam , antequam tibi aperiam , videndum eſt , idipſum pertineatne ad omnia mala , an ad Punica ſola ; nam ſi ad omnia , corruit facile Popmæ labor ; ſi ad Punica contrahitur , Scaligeri . Id autem quo celerius exequar , & ne multa complectar , illa : *eo lotium ſuillum aut ſtercus* ad mala Punica tantum pertinere judico ; ad omnia , quæ infra leguntur : *ſerito vel inſerito* . Etenim de Malis , de Piris , de Oleis dum in univerſum quam plurima eſſe ſerenda atque inſerenda meminit Cato , quid unicuique proprium habetur , interponit : ut de Pomis loquens , Punicæ aptum cultum inſerit : de Piris , volema , Aniciana , ſementiva optime in ſapa condiri : de Oleis , orchites & pauſias recte eſſe vel virides in muria , vel in lentiſco contuſas , inſuper orchites nigras ſale confricari , vel ſine ſale in defrutum condiri . Quæ dum librariorum negligentia male diſtrahuntur , obſcurantur . Ordinemus itaque primum diſtinguendo : *Poma : mala ſtruthea , cotonia , ſcantiana , Quiriniana , item alia : conditiva , mala muſtea , & Punica (eo lotium ſuillum aut ſtercus ad radicem addere oportet , uti fabulim malorum fiant) pira volema , Aniciana , ſementiva (hæc conditiva in ſapa bona erunt) Tarentina , muſtea , item alia genera quamplurima ſerito atque inſerito : oleas orcites , poſias ; eæ optimæ conduntur* . His jam in ſua membra digeſtis, Scaligeri emendationem nullius eſſe momenti videmus; conſtat enim ſuillo lotio vel ſtercore, ut a Columella, Palladio, & aliis traditur , quod etiam pervulgatus agricolarum mos docet , malum Punicam plurimum lætari . Supereſt altera Popmæ : *uti favuli malorum fiant* , quæ extant in codice ad S. Reparatæ hoc exemplo : *uti fabuli malorum fiant* . Quæ ita accipienda ſunt , ut acini in malis grandeſcant, fiantque vinoſi ; quippe Punica mala favorum inſtar ſinuoſa proveniunt. His erat Popmæ *favuli* caſtigationem fulcire . At quæ commentus eſt: *Fiant* , inquit, *ad radicem parva exſculpta foramina quæ lotio aut ſtercore ſuillo repleta veluti favuli malis fomenta ſuppeditent* . Veruntamen iſta homini Friſio qui malum Punicam niſi forte in pariete pictam ,

nuſ-

nuſquam viderat, largiamur. Ut ad propoſitum redeam, quamvis multum laudato codici tribuam, in Catonem tamen id non reciperem, quod ea ætas & Catonis inſtitutum repudiat, rejicitque. Quare ad prima Victoriana revolvar *fabulim malorum*, *i* in *u* converſo, quod erit: *pabulum malorum* commemoratum item ex alio codice a Victorio; cum re vera lotium vel ſtercus ſuillum optimum, ut indicabam, punicæ pabulum cenſeatur. *Fabulum* autem ex antiqua ſcriptura; videturque geminis vocibus glutinari: φάγω ὑλὴ, & primum *fabule*, deinde *fabule*, & *fabulum*, demum *pabulum* quo utimur, perfectum, & probatum.

Reſtat levis macula in iis quæ extremo loco de Catone exſcribebam: *eæ optimæ conduntur*; ſiquidem *optime* repoſco tum a Varrone qui Catoniana ſic repetit: *oleas eſui optime condi ſcribit Cato orcites & pauſeas aridas vel virides in muria*, *vel in lentiſco contuſas*: tum a Plinio qui eadem in hoc exemplum redegit: *Nec alio ullo modo laudat condi olivas*, *optime orchites & pauſias quam vel virides in muria*, *vel fractas in lentiſco*. In Victorii item caſtigationibus *optime* legitur, ex quo conjecturam capio in vetuſtiſſimo libro repertum, ſed editorum levitate non receptum. *Optime* vero non ad Olearum genus & qualitatem, ſed ad condituram refertur.

Ut epiſtolæ finem cum capite VII. imponam, hæc indicare atque animadvertere oportet: *ſorba in ſapa cum vis condere vel ſiccare*, *arida facias*. Quis *arida* a reprenſione vindicaverit, quod in primis excuſis & manu quoque ſcriptis libris *viridia* eſt? *Viridia* autem primigenio ſenſu accipies, quo a βιά ſive *vi* cum *r* addititio atque ἕω (induo) derivatur, ceu *viridis juventus*, *viridiſque ſenectus* apud Virgilium. Ab hoc ad ſtirpes transfertur, quæ, dum virent, robur oſtendunt, & vim habere; ideo ex qualitate quam induunt, *virides*. Sic nactus color viridis. Itaque ſorba viridia quæ perfectam maturitatem aſſecuta ſunt; quæ enim id non habent, vel acerba dicuntur, vel mitia, quorum alterum nondum ad perfectionem venit, alterum jam receſſit. Scire etiam refert in antiquis Catonis & Varronis exemplaribus *ſorva*, & *ſorvo* ſcribi, non *ſorba* & *ſorbo*, ut editores fingunt. Ex hoc facile detegitur etymon: primum enim ὗ ὗς vel ὁ ὗος, & cum *r* finali ὗρ, ὅρ, poſtea aſpiratione in ſ verſa, *ſer ve*, *ſor vo*, demum *ſorva*, *ſorvo*. Vale.

D. Patavio Prid. Id. Jan. CIↃ IↃCCXXXII.

EPISTOLA IV.

Emendatur M. Cato a capite VIII. in caput XXXIIX.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

DEderam nudius tertius ad te de Catone literas, quibus in caput VIII. quæ visa sunt, misi. Non dubito quin tibi redditæ sint; nam tabellario ut opportune & commendatæ traderentur, curavi. Hodie non minores excudam, nisi interpellabor. De capitibus VIII. & IX. nihil memoriæ succurrit, quod nostra cura potius desideres. Quare ad X. veniam, quod a cervice incipit; caput enim dempsit vetustas, & seorsum in argumentum projecit: *Vilicum, vilicam, operarios V.* Annectamus itaque primum quæ recisa jacent: *Quomodo oletum agri jug. CCXL. instruere oportet: vilicum, vilicam, operarios V.* Quod Varro lib. I. confirmat: *De familia: Cato dirigit ad duas metas, ad certum modum agri, & genus sationis, scribens de olivetis & vineis ut duas formulas: unam in qua præcipit, quomodo olivetum agri jugerum CCXL. instruere oporteat. Dicit in eo modo hæc: mancipia XIII. habenda, vilicum, vilicam.* Ex quibus *habere* repetere poteris, si videbitur.

Boves trinos. Eadem apud Varronem, sed in utroque vitiosa. Scriptum erat, ut in reliquis servatur, per notas: *boves VI.* ex qua primum *tri*, deinde *trinos*. Certe minor numerus non probatur. Præterea non enumerat *plostra majora III., juga cum loris ornata III.?* Igitur tria boum juga. Aratra quoque duplicantur; nam VI. ponuntur; quoniam, uno effracto, alterum paratum singula juga habeant, ne opus cesset. Ita in altero modo vinea jug. C. *boves II., aratra II.*, sed *bubulcum I.*, qui in hac formula *III.*, nempe ad singula juga singuli: addit *ornamenta bubus VI.*, sex igitur boves. Verum quid argutor? Pergamus ad Varronem: *Saserna*, inquit, *ad jugera CC arvi, boum juga duo satis esse scribit: Cato in olivetis CCXL. jugerum boves trinos. Ita fit ut Saserna dicat verum ad centum jugerum, jugum opus esse, si Cato ad octogena.* Jam liquet si ad jugera LXXX. unum jugum necessarium habetur, ad CCXL. tria necessaria esse oportere. Demum capite LXII. non scribit Cato, quot juga boum, asinorum, mulorum esse, totidem plaustra esse paranda? Itaque ubi *plostra III.*, juga item boum III.,

sive

Tab. XXXVII

Fig. I

Fig. II

Fig III

Fig IV

Fig V

Equ.t M Geyllon... sculp

Tab XXXVII



Fig I

c



Fig II

Abraham Sculp

ſive boves VI., quod utique in Varrone reficies, atque inſtaurabis. Cave tamen, in hoc modo Aſinos ad plauſtra revoces; clitellarii enim dicuntur qui ſtercus vectant, non qui vehunt.

Dolia olearia C. Quamvis ex optimo libro nota ſumatur, non caret ſuſpicione, cum in antiquis excuſis legamus: *dolia olearia* X. Etenim ſi amurcaria dolia X. numerat Cato, cum amurcæ ſemper plus fluat, quam olei, potius pauciora quam plura olearia eſſe debere inficiabitur nemo.

Opercula doliis, ſeriis, priva plura. Quid plura? Non ſatis ſingulis ſingula? Opinor cum *priva* quid eſſet, ignoraretur, *plura* id ſignificare in margine indocte adnotatum. Quid? Capite proximo num plura quam ſingula, vaſis attribuuntur? Verum quid blatero? Uterque codex Florentinus *plura* omittit.

Et quando de inſtrumentorum cap. x. apparatu ruſtico hæc pauca recenſui, plura ex proximo colligam & mittam. Primum erit quod tituli locum obtinet: *Quomodo viniam jugerum C inſtruere oportet: vilicum, vilicam*. Id in antiquam ſedem colloces, cenſeo.

Dolia V. ubi vindemiæ eſſe poſſint. Quis numerum V. vel Jenſonianum IV. in vinea C. jugerum receperit? Si capite x. ubi vineæ minor modus, oliveti major ſtatuitur, dolia vinaria X. recenſentur, cur in majori vinea V.? Confidenter locum corrigerem in *XX.* verſo numero, hac conjectura edoctus. Cum videam cap. x. dolia vinaria eſſe X., totidemque ea quæ vinaceos aſſervant, eadem uterer hoc loco proportione. Propterea ubi dolia quibus vinaceis conduntur, XX., dolia item vinaria XX. fuiſſe opinarer. Non me latet ſecus viſum Turnebo, qui notam etiam V. de Catone demebat, illos editores ſecutus qui omittunt. Veruntamen quem hujus facti approbatorem inveniet? Omnia inſtrumenta per certos numeros diligentiſſime Cato deſignat, & dolia in primis. At Varro qui id a Catone accipiebat, numerum non ſervat? Scilicet qui primi de Catone ſuſtulerunt, vel deperditum invenerunt, magis de Varrone quam de Catone ſolicitos fuiſſe exiſtimemus? Non omittendum eſt utroſque Florentinos codices videri depravatos librarii vitio, qui notam V. inter *ubi* & *vindemiæ* inſeruerit, quaſi totidem dolia ſint paranda quibus V. annorum vindemiæ condantur. Quod cui patriſamiliæ expediverit? Quid dicam Catoni ſemper vendaci qui ne ſervum quidem morboſum, aut ſenem domi retinebat, ſed ære permutabat? Certe Varro cum tantum culleorum numerum a Catone definitum miraretur, id interpretabatur, ne quotannis dominus vinum in ſumma vilitate venderet. Sextum annum eſſe attendendum neque ſuſpicatus eſt,

neque

neque poterat ex tanto viro, ac ſummo in unaquaque re Catone ſuſpicari.

Ornamenta bubus. Quot? Ubi boves VI., totidem ornamenta: igitur ubi boves II., *ornamenta II.* Sic afinis qui III., *ornamenta inſtrata* III. comparata videmus.

De falcibus nunc quærendum: *falces vineaticæ VI.* Totidem in Varrone qui Catoniana in exemplum refert. In quo tamen Victorius notam *VI.* in *XL.* convertit ex veteri ſcriptura *exi*. Quem numerum nemo probaverit. Puto ex iſto *exi* aptius deduci XI.; nam *e* repetitum videtur, cum præcederet *eſſe*. Hic numerus ad operariorum ſummam convenit; quippe operarii ſunt X., & ſaliƈtarius unus, qui etiam vineatica falce in putandis faliƈtis, legendiſque viminibus utitur. Alterum falcium genus ſequitur, *ſcirpiculæ*; tertium *ſilvaticæ*; quartum *arborariæ* quæ III. ponuntur. Sed notam ſuſpectam habeo; quoniam capite X., in quo operarii V., totidem falces arborarias accipiunt; igitur XI. operæ cum ſaliƈtario falces XI. exigunt. Quintum genus *faculæ*, de quibus traditum eſt: *faculas vineaticas XL.* eſſe oportere. Nota L., baſi nimis producta, tantam facularum peperit multitudinem. Quot falces vineaticæ, & quot arborariæ, totidem faculæ videntur neceſſariæ, nimirum ſingulis putatoribus ſingulæ. Reſtant *ruſcariæ*, quod editorum vitium eſt, cum Victorius *ruſtariæ* poſuiſſet. Hoc eſſe pervetuſtum quod etiam Varro inter Catoniana recepit, ex Politiano cognovi.

Vomeres ferreos X. Quid *ferreos?* Num quis ligneo vomere arat? Videtur legendum *vomeres II.*, *ferreas X.*; nam cum aratra duo ſint, totidem debent inſtrui vomeribus, ut cap. X. *aratra cum vomeribus ſex* ponuntur. Præterea hic ferreas X quæ capite X., ubi pauciores qui utantur, VIII. Verum quid fuerit ferrea, aſſequi nequeo: inſtrumentum apparet ex capite CLV. ad moliendam terram paratum.

Alia tibi commemorare poſſum, quæ cum X. capite collata proportione non conveniunt: ut *cuneos* III. in illa hominum ſumma, qui in hac dupla IV. pro VI. Similiter ſecures VI. ad X. homines, non V.; ſi ad V., III.. Eadem ratione ſi operariis V. palæ IV. attribuuntur, rutra V.; operis X. palas VIII. non VI., rutra X. non IV. neceſſaria exiſtimamus. Illa etiam quæ hominibus peculiaria dantur, pro majori vel minori numero addere vel demere debemus. Itaque ſi XIII. hominibus lecti VIII. ſatis viſi ſunt, culcitræ VIII., inſtrangula VIII., pulvini XVI., operimenta X.: hominibus XVI. quo pacto ſufficient lecti IV., culcitræ IV., inſtrangula IV., pulvini VI., operimenta VI. Quis porro verus numerus? Si modicæ eſſent notæ XIII. & XVI., vel

ego

ego pollicerer. Sed cum ratione certa inter se non referantur, inter cætera ob antiquitatem obscura atque incomperta hoc quoque in incerto relinquam.

Nonnulli etiam capitis insequentis XII. vitiantur numeri, ut *trochleas* V. quod in vetustis editionibus: *trochleas decem*, atque in Cæsenate exemplari: *troclias* X. nempe antiquo more: *troclias* X.. Et recte quidem; nam capite III. traditum est singulis medipontis binas esse necessarias trochleas; igitur cum in hoc loco V. sint mediponti, necesse est X. trochleas assumere. Item: *fibulas* XL.; quod scribendum: *fibulas* LX. ex eodem capite quo singulis medipontis fibulas duodenas assignat Cato. Tertium: *vectes* XL. pro *vectes* XXX.; ut enim singuli mediponti ad senos vectes respondent, ita V. mediponti se habent ad vectes XXX..

Et hæc quidem, quoniam auxilia extrinsecus arcessimus, facile tolluntur: Verum hæc capitis XIII. certa similitudine non procedunt: *lectum stratum ubi duo custodes liberi cubent, & tertius servus una cum factoribus ubi cubet*. Quot homines in uno lecto dormiunt coacervati? Fortasse scribendum: *& III. servos una cum factoribus ubi cubet*. Ita capite X. lectos gradatim proponens numerat: *lectum in cubiculo ubi vilicus & vilica cubet: lectos loris subtentos* IV.: *& lectos* III. *communis*. Quod extremum editum ab Jensonio cur reiiciant posteriores, nondum me esse assecutum fatebor. Exemplum abolescere vellem.

Sequitur: *fiscinas novas veteres, epidromum, pulvinum, corium unum*. Quid *fiscinæ* inter ea quæ ad hominum usum pertinent? Dabisne fuisse *culcitras*, & *novas privas* hoc est singulis lectis singulas; *veteres* autem adjectum, ne novæ coinquinarentur? At *epidromum*? Insolens certe in Catone Græcum vocabulum. Sed magis mirum in torculario hominum operimenta non esse, quæ hibernis temporibus, quibus conficitur oleum, perneccessaria habenda. Attamen dicet quis, nonne & fiscinæ ad oleum cogendum necessariæ? Etiam: eas nihilominus in magno illo instrumentorum apparatu quo olivetum jugerum CCXL. exornat Cato, non recenset. Easdem commemorat cap. LXVII. ubi de custodis officiis agit, dicens: *fiscinas spongia effingat*. In hoc item loco de quo scribo, infra duæ spongiæ quæ proximas fiscinas poscunt, non numerantur? Id tamen in sua sede evanuit, in aliena retentum. Erunt fortasse qui putent in his: *claves cum clostris* III., *cellas duas* latere *fiscinas*; quoniam in cella duæ aliæ cellæ non quadrant. Quibus certior vocabuli similitudo ex Jensoniana editione paratur: *claves cum clostris in cellas duas*, tanquam: *claves cum clostreis, fiscellas duas*, quo numero cap. CLII. fiscinas olearias auctor circumscribit.

Atque

Atque hæc & similia inter leves conjecturas relinquamus. Proximum est, ut de capite XIV. scribam, & prima ista diligentius separanda censeo: *Hæ rei materiam, & quæ opus sunt, dominus præbebit, & ad opus dabit; succidet, dolabit. Serram* I., *lineam* I. *Materiam dumtaxat secabit, facietque. Conductor lapidem, calcem, arenam, aquam, paleas, terram unde lutum fiat.* Distinguamus itaque hoc modo: *Hæ rei —— lineam* I. (*materiem dumtaxat secabit facietque conductor*) *lapidem.* Cuncta enim præbenda a domino, etiam instrumenta, ut serra, linea.

Villa lapide calce. Num: *Vila ex lapide, calce;* ut infra: *cætera lex uti vila ex calce, cementis,* & cap. XV.: *macerias ex calce, cementis, silice.* Perpende quæso & ista: *orbem ahena duo;* neque enim quisquam ut credam, facile me induxerit, a fabro, cui parietes, & quæ ligno fiunt, facienda locantur, ex ære vasa conficienda conduci. Quid ergo *ahena*? *Cathenas* fuisse reor, quod ex cap. XVIII. explicabo: *orbem*, scribit Cato, *olearium latum pedibus* IV. *punicanis coagmentis facito. In eum orbem tris cathenas indito. Eas cathenas cum orbibus clavis ferreis corrigito.* Quare: *orbem, cathenas* II..

His breviter animadversis, ad caput XVII. transgressus primum indicem in antiquam sedem reponam, ut reliqua membra in unum corpus coalescant. *Materies quid anni tempestiva siet. Robus, materies item pro ridica, ubi solstitium fuerit ad brumam, semper tempestiva est.* Antiqua esse *quid anni* ostendit, & Catoniana, quibus simillimum aliud in eodem capire: *Quidvis anni.* Postea admirari subit ea ætate ab hominibus naturalium rerum contemplationi minime addictis tam accurate illa animadversa quæ nostrum seculum inter præcipua sibi arrogat & assumit. Cupressi enim Pinique fructus non tantum quæ essent discrimina, sedulo adnotarunt, verum & maturitatis signum, tempus, atque ordinem contemplati sunt, quæque distincte & apposite definiendo. Ex quibus certa conjectura intelligere possumus, in pluribus quod de paucis prodiderunt, usum habuisse exercitationemque. Fieri enim non potest, ut quis pauca plene ac perfecte intelligat, nisi pluribus ad ea intelligenda sit usus. Verum rem ipsam videamus. *Ibi*, inquit, *dum sunt nuces binæ, inde semen excidet, & anniculæ eæ ubi primum incipiunt hiascere, tum legi oportet, per sementim primum incipiunt maturæ esse.* Hæc a plerisque probantur: ego tamen non æque his delector; video enim in primis editis diversa: *ibidem sunt nuces: hinc inde semen excidet: & anniculæ erunt. Et ubi primum incipiunt hiascere.* Porro utrisque dissimilia, sed illis magis de exemplaribus Victorii sive Politiani, Cæsenate, & Veneto proferamus: *Ibidem sunt nuces binæ: inde semen excidet, & anniculæ hæ*

ubi

ubi primum incipiunt hiaſcere, tum legi oportet. Quibus vetera reparare connixi ſumus hac ſententia : *ibidem ſunt nuces binæ : unde ſemen excidet, eæ aniculæ ſive auuclæ. Hæ ubi primum incipiunt hiaſcere, tum legi oportet*. Declarat Cato quibus ſignis cum Pinus & Cupreſſus maturæ ſunt ad cædendum, noſcere poſſis. Binas, ait, nuces his arboribus adhærere, quarum alteram appellat anniculam, quia anno ſuperiori prodiit, alteram quæ hoc anno, hornotinam: illam cum primum incipit hiaſcere, ſemenque emittit, oſtendere arborem tempeſtivam eſſe ad excidendum, hac viridi & acerba permanente.

Minutioris notæ ſunt quæ in cap. XVIII. recenſebimus : *ſtipites craſſi* p. II., *alti cum cardinibus* p. X. *ſuculæ præter cardines*. Scribendum : *craſſos, altos, ſuculam* quæ verbum *componito* moderatur. Quod eo fidentius dico, quoniam prima edita, & Cæſenas exemplar *ſuculam* oſtendit; & quæ ſequuntur, comprobant : *lingulam, trapetibus locum dextra ſiniſtra, inter binos ſtipites locum*.

Poſtea cementis minutis, & calce arenato ſemipedem unumquodque corium ſtruito. Iterum : *de glarea, & calce arenato primum corium facito*. Sejungenda autumo : *calce, arenato* ; quod aliud *calx*, aliud *arenatum*. Cujus exempla ex Plinio, Vitruvio, & aliis afferre ſuperſedebo; quippe omnibus nota. Præterea dum Cato calcem nominat, jam ex arena ſubactam intelligit, ut cum ſcribit : *macerias ex calce, cementis, ſilice* faciendas, villam *lapide, calce* ædificandam : *parietes calce, & cementis* ſtruendos. Quæ hoc antiquo monumento, quo de ædificio agitur, ut hic agit noſter auctor, confirmabo :

eoſque. parietes
Margineſque. omnes. Quæ. lita. non. erunt. calce
Harenato. lita. politaque. &. calce. uda. dealbata. recte
Facito. Quod. opus. ſtructile. Fiet. in. terra. calcis
Reſtinctæ. partem. quartam. indito. Nive. majorem

Nequis enim calcem maris genere a Catone poſitum putet, hic adiicitur : *calce uda, calcis reſtinctæ*, cum calx, & harenatum præponatur. Cato etiam *calcem cribro ſuccretam* dicit, & cap. XVI. *Calcem partiario coquendam qui dant*.

Ubi ſtructum erit, pavito, fricatoque, uti pavimentum bonum ſiet. In primis excuſis libris hoc amplius : *pavito, fricatoque oleo, uti*. Quod mihi percommode cadit. Ita Plinius, *quod malthatur oleo eſſe* perfricandum monet.

Orbem ex Ulmo, aut ex Corylo facito. Corylus inutilis materia nunquam in eam craſſitiem adoleſcit, ut de eodem *orbis craſſus digitos* VI.,

latus ped. IV. conficiatur. Adde hanc arborem a Catone nucem Avellanam & Prænestinam vocari, non Corylum. Melius itaque *ex carpino* unde prælum, aut *ex Corno*, sed *opulo* potissimum.

Inserit dehinc Cato quæ ad vasa vinaria attinentia parantur, de quibus quoniam nihil memoratu dignum subit, caput XIX. quo continentur prætermittam. Ad vigesimum igitur properabo, in quo primum leviora attingam: *eo plumbum effundere caveat*; malo enim *caveas*, aut cum Jensonio, *caveto*. Id aliæ similes formulæ indicant: *eximito*, *facito*, *circumplumbato*. Quare & extrema: *labeam bifariam faciat*, *& habeat quas figat*, scribito: *facias*, *habeas*, *figas*. Capite etiam X. bina errata prætermisisse memini; primum: *dolia quo vinacios condat*; alterum: *qui nucleos secernat*. Corrigito: *condas*, *secernas*; nam ad filium, cui præcepta dabat Cato, spectant.

In viam regressus majora audebo. Editum est in antiquis: *si autem movebitur*, *eximito*, *& plumbum fundito*, *& denuo eodem modo facito*, *donec non se moveat*. Ex his Victorius codicum fidem secutus, illa: *& plumbum fundito*, exemit, & addidit diligenter præceptum a Catone, ne quis plumbo ad fulciendam columellam uteretur. Attamen, etsi Victorii auctoritas plurimum me movet, aliorum placitis connivere non est fidei meæ. Constituit quidem Cato plumbum in firmanda columella non esse utendum, nisi eadem labaret; ergo si labat, plumbo uti oportet. Neque dumtaxat in columella plumbum adhibitum invenies, verum & in aliis, ut cap. XVIII., & XXI. Sed in hoc duplici modo; Jensoniano: *cum plumbum in cupam emittas*; Victoriano: *cum plumbum cupam emito*. Nihil mihi arrogabo: quid sequi oporteat, sub te judice relinquam.

Antequam ab hoc capite discedamus, libet alia referre quæ medicam manum expectant: *si autem labent*, *in cupam eos indito*, *tunicas solidas & latas digitum pollicem facito*, *labeam bifariam faciat*, *& habeat quas figat clavis duplicibus*, *ne cadant*. Rescriberem paulo concinnius: *si autem labent*, *in cupam eo indito tunicas solidas & latas digitum pollicem*, *facito labeam bifariam*, *&* (sive *uti*) *habeas quas figas clavis duplicibus*, *ne cadant*. Tradit Cato, cum labent modioli, qua firmantur, eo tunicas solidas ut de corio (quod sæpissime usu venit) esse immittendas, labiis duobus quæ clavis figuntur, hinc inde eminentibus. *Labia* autem sive *labea* sequioris generis vetustatem usam testatur Plautus in *Stich.*

Age, *tibicen*, *quando bibisti*, *refer ad labias tibias*

Testatur Nævius:

Ego

Ego dedita opera te, Pater, ſolum foras
Seduxi; ut ne quis eſſet teſtis tertius
Præter nos, tibi cum tunderem labias lubens.

Teſtatur P. Nigidius apud A. Gellium:

Et labias ſenſim primores admovemus.

Caput XXI. forte tranſcenderem, niſi Voſſius moram iniiceret. Monet *dextra ſiniſtra foramina utrinque ſecus laminas* conjunctim eſſe oportere: *utrinqueſecus*, ut Lucretius & Solinus componunt; ne id vitio demus Catoni quod Chariſius improbat, cum *ſecus illud*, quod eſt *ſecundum illud*, uſurpatur. Quare *pertuſum utrunque ſecus* ſcribamus *pertuſum utrinqueſecus*. Refert quoque tibi perpendenda ſubiicere: *ſub cupa tabulam ferream lata cupa media erit, pertuſam figito quæ in columellam conveniat dextra ſiniſtra*. Quis enim *tabulam lata* probet? Si igitur tabula in columellam convenire debet, columella autem tam craſſa paratur quam cupa, apparet *tabulam tam latam* eſſe debere, *quam cupa media erit*.

A cupa ad trapetum deinde tranſit Cato, & cap. XXII. qua ratione accommodari oporteat, & quanti ematur, & ubi melius, pro ſua diligentia deſignat. Quibus perpendendis non immorabor, ſed protinus ad caput XXIII. me convertam, ubi de vindemia, & de vino cogendo docetur. *Quæ*, inquit, *opus ſunt, picentur. Cum pluit, qualia parentur, farciantur, far molatur*. Et dolia lavari & picari cum pluviæ tempeſtates fuerint, jubet cap. II., ideo non ſunt disjungenda: *quæ opus ſunt picentur, cum pluit, qualia*.

Deinde: *Bennæ emantur, oleæ caducæ ſaliantur*. Ad vindemiam itaque, vel ad operariorum & familiæ cibum neceſſariæ *bennæ*: ſi ad vindemiam, cur in ruſtica ſupellectile eas non collocat? Si ad hominum cibaria, revocanda eſt antiqua ſcriptura *menæ* quæ primum formis excuſa eſt, quamque ex antiquo libro Politianus & Victorius exſcripſerunt, & *bennæ* Aldo relinquendum qui primus id ediderat, & illis qui probant. Mena autem piſciculus marinus magna manu Auguſto menſe capitur, & vili diſtrahitur, quique Venetiis priſtinum nomen retinet, & *menola* vocatur. Pergamus ad alia.

Uvas miſcellas ad vinum præliganeum quod operarii bibant, ubi tempus erit, legito, ſiccum puriter omnium dierum pariter in dolia dividito. Diſtinguenda exiſtimo ex utroque codice Florentino, qui *ad* ante *vinum* caret: *Uvas miſcellas, vinum præliganeum;* niſi mavis *uvas miſcellas* abiicere tanquam vini præliganei interpretationem; miſcellam enim uvam eſſe præcocem & primam legendam ex Varrone conſtat. Sublato *uvas miſcellas*, convenit quod ſequitur: *ſiccum puriter omnium dierum*

pariter in dolia dividendum; antiquitus enim vinum uva vocabatur, & pendens de vite nondum lecta, unde Cato capite CXLVIII. *qua lege vinum pendens venire oporteat*, perſcribit, & Plautus in *Trinummo*, *vinum priuſquam coactum 'ſt*, pendere putidum dicit. Hinc *Vindemia* manſit. Idem Cato *Apicium*, *Aminnæum majus* & *minuſculum*, *Lucanum*, *Eugeneum*, *Helveolum*, *Murgentinum* appellat, id eſt vinum, quæ ſequioris generis poſteriores fecere ad uvas referentes. Proxima ſic ordinanda videntur: *Si opus erit*, *defrutum indito in muſtum*, *de muſto lixivo coctum partem quadrageſimam addito defruti vel ſalis ſexquilibram in culeum*. *Marmor ſi indes*, *in culeum libram indito*. Quæ Plinius lib. XIV. repetit: ejus verba tibi ſubiiciam: *Cato jubet vina concinnari* (*hoc enim utitur verbo*) *cineris lixivi cum defruto cocti parte quadrageſima*, *pulcii vel ſalis ſeſquilibra*, *interim & tuſo marmore*. *Facit & ſulphuris mentionem*. Duo addit quæ in Catone deſiderantur, *Pulejum*, & *Sulphur*. Primum tamen vitium eſt pro *culleum*, ut vetera exemplaria, referente Pintiano, tuentur: nempe *parte quadrageſima in culleum vel ſalis*. Quid vero de ſulphure dicemus? Nuſquam in Catone apparet, & cum repetat eadem noſter auctor, tria tantum repetit, defrutum, marmor, reſinam. Ex quo igitur Plinius? Niſi ex cap. XXXIX. acceperit, verumtamen oſcitanter, quid potius reſpondeam, non video.

His aliæ vini confecturæ conjunguntur, quas Cato cap. XXIV., XXV. complectitur. In hoc vetus ulcus fovetur, ut continuo oſtendam, medicamque opem expoſtulat: *vinacios quotidie recentes ſuccernito*, *lecto retibus ſubtento cribrum illius rei parato*, *eòs conculcato in dolia picata*, *vel in lacum vinarium picatum*. Primum *recentes* quod cuncti editores atque interpretes germanum ſincerumque ducunt, vitioſum ex Politiani ſcriptura *regentes* oſtenditur; quoniam vinaceos *regentes* tanquam *regerentes*, hoc eſt in ſummum *regeſtos* ſedulus vinitor quotidie de vino ſecernit; & vimineis vaſis, quæ *ceſti* hoc tempore vocamus, iniicit, ut vinum deſtillet. Quod his: *lecto retibus ſubtento cribrum illius rei parato*: fieri jubet Cato. Quis autem ex tam vitiatis præceptum tale collegerit? Præſtat itaque in antiquam formam redigere: *lectos ceſtibus* (vel *cæſtibus*) *ſubtento*. Jam *lectos* editum eſt ab Jenſonio, quod Politianus *lector* exſcripſit: *cæſtibus* vero ab *æſtibus* Jenſonii, vel Cæſenatis libri, aut *ceſtibus* a Politiani *reſtibus* facile derivatur. Tertium *ſubtento* idem ac *ſubteneto*, quod in Cæſenate monumento ſcriptum eſt *ſubtenclo*, *c* pro *e* poſito. Porro quid ruſticis antiquis fuerit *ceſtus*, docet Varro lib. I. oſtendens uvam poſt vindemiam pendere in palmam aut funiculo aut vinctu, quod antiqui *ceſtum* appellabant. Non ab re igitur alienum eſt credere *ceſtum*

idem

idem fuiſſe veteribus quod vernaculum *ceſto*, dum idem nomen, uſumque ſervat; multa enim ab illis, ut ſæpius tibi teſtificor, quia notiora erant, ac magis in vulgum patebant, ad nos demiſſa. Reliqua quidem plana atque integra videntur, *vel* ante *cribrum* appoſito, quod in Jenſoniano & Cæſenate libris retinetur.

Hæc deinde: *indidem, ſi voles, lavito. Paulatim erit lorea familiæ, quod bibat.* Si ſeparabis, Catonem aſſequeris: *indidem, ſi voles, lavito paulatim: erit lorea familiæ, quod bibat.* Nam lora, ut ait Varro, *quaſi lota acina a* λέω ac ῥάξ.

Peracta vindemia, ſi vinum depuratum habebis, doliis opercula imponenda, & oblinendum Cato capite XXVI. jubet. *Ubi*, inquit, *erit lectum dies triginta, ſi bene deacinata erunt dolia, oblinito.* Qui primus *deacinata* in Catonem tranſtulit, iners & ignavus fuiſſe mihi viſus, qui in doliis uvam adhuc ſcipionibus hærentem condi opinaretur, neque animadverterit quid Cato capite CXII. docuerit: *acina*, ait, *de uvis miſcellis decarpito de ſcopione, in idem dolium uſque dum impleveris, manu comprimito.* Quamquam hic alio modo, ac ibi: hic acina integra in dolium addit, & poſt triduum exempta prælo ſubiicit, ut muſtum exprimat: ibi lecta uva e veſtigio calcatur, & ſubinde muſtum in dolium conditur. Reſtituamus itaque antiquum verbum a Politiano depromptum *deamata* ſive *debamata*, ſed illud magis Catonianum. Quo eleganter explanat auctor, quo pacto depuretur vinum, dum quotidie quidquid fæcis innatat, aut ad latera recedit, expiſcari atque eximere oportet. Quod per ſcopas fit, quibus tanquam hamis fæx hæret, ut capite CLII. planius demonſtrat.

A vindemia & cella vinaria Cato ad ſementim deponendaſque arbores, quibus duo capita XXVII., & XXVIII. attributa, pergit. Hæc, quia ingredientibus nihil memorabile occurrit, poſthabebo, & quid ex capite XXIX., de quo dubitari poteſt, depromam, & mittam. *Alteram* (ſcilicet ſtercoris) *quartam partem in pratum reſervato. Idque tum maxime opus erit, ubi favonius flabit. Evehito luna ſilenti.* Etenim illa (ut celeriter quod ſum pollicitus, exequar) *idque tum maxime opus erit* ſic puto legenda: *idque ſicco maxime*, videlicet prato; omnibus quippe pratis, ſed maxime ſiccaneis, ſtercus perneceſſarium habetur. Quod expreſſius inculcat Cato capite L. *Prata*, inquit, *primo vere ſtercorato luna ſilenti. Quæ irrigua non erunt, ubi favonius flare cœperit.* Quem imitatus Columella lib. II. eadem ſervanda monet præcipiens, *ut ſecundum favonii exortum menſe februario circa idus, immixtis ſeminibus fœni, macriora loca, & utique celſiora ſtercorentur.*

Ut

Ut de ſtercorandis pratis pabuli cauſa loquitur Cato cap. XXIX., ita de frondibus parandis præbendiſque bubus atque ovibus agit capite proximo. Et de ovibus ſingillatim hæc memorat: *ubi ſementim facturus erit, ibi oves delectato, & frondem uſque ad pabula matura*, quibus in antiquis editionibus apponitur *dato* haud ſupervacaneum, ut credo.

Quod adnotaſſe contentus ad caput XXXI. atque ad cædendam materiam parandamque venio. *Vimina matura, ſalix per tempus legatur*. Illa: *ſalix per tempus legatur*, quis interpretationem eſſe non agnoverit? Quicunque vimina matura parat, nonne is ſalicem per tempus legit, & contra?

Fibulæ unde fiant, aridæ ilignæ, ulmeæ, nuceæ, ſiculneæ face uti in ſtercus, aut in aquam coniiciantur. Deeſſe videtur *talea*, unde fibulæ contexuntur. Fibulæ autem ampli annuli ſunt quibus jugum cum temone committitur, & quibus per vectes vaſa torcula circumducuntur.

Eſt etiam (ut de re noſtra ſcribam) quod a me forte ſciſcitaberis, quænam ſit arbor, quam Cato *atram Carpinum* vocat, aptamque laudat ad prælum. Hanc eſſe ſcito quam Caſp. Bauhinus *Oſtryam Ulmo ſimilem* nominat. Gignitur in aſperis montaniſque locis frequens, materia firma, & ad opera torno elaboranda perutilis, fructu in racemum Lupuli modo diſpoſito, calyce ſeu veſicæ turgido ſemina obducit. Quo diſcrimine a Carpino proprie dicta, quam coloni *Carpino bianco* vocant, ſeparatur. Hæc enim calyce multifido amplectitur ſemen; præterea infra minorem altitudinem ſubſiſtit, cum utraque ante fructum julos promittat. Inter neceſſaria adiiciam a Plinio qui Catoniana laudat, *Sappinum* atram Carpinum reddi, quod editum item in Catone a Plinio, ut puto, exſcriptum. Materiarii quoque Veneti qui in publico armamentario verſantur, *Sappino* Oſtryam vocant.

Levis macula adhuc in hoc capite reſtat, quam non tollam, verum indicabo tantum, ut tuum conſilium prudentiamque ſequar. *Cavetoque per rorem trahas, aut doles*. Quæ Jenſonius cum negandi particula excudit: *cavetoque ne per rorem*. Plinius vero exſcribit ſine *que*, non ſine negativa dictione: *caveto ne per rorem*. Quod Catoni ut attribuam, alia ſimillima faciunt, ut paulo poſt: *vento auſtro caveto nequam materiam, neve vinum tractes niſi neceſſario:* ut cap. XXXII. *caveto ne vitem præcipites*; ut cap. XXXIX. *caveto ne radices ſaucies*; ut cap. XXXVII. *omnino caveto ne quam materiam doles, neu cædas*. Quid plura? Cap. XXXVIII., & XL. eandem formulam adhibet. Quibus ſi ſatis Catonis inſtitutum comprobatum videbis, tuum erit & iſta cap. XXXIV. *terram cave carioſam tractes* ad tot exempla componere.

De

De putandis propagandisque Vitibus cap. XXXII., XXXIII. præcepta tradit Cato. Ex quibus : *Vites propages sulcos susum vorsum quo ad ejus facere poteris, Vitis facito uti ducas* male conjunguntur. Rectius ordinabis hoc modo : *Vites propages ; in sulcos susum vorsum quod ejus facere poteris, Vitis facito uti ducas*. Hac ratione propagantur Vites hinc & hinc per sulcos deductis sarmentis quousque pertinent. Porro *in* ante *sulcos* ex primis editis mutuati sumus, & *quod ejus* pro *quo ad ejus* ex utroque codice Florentino.

Hæc contra prave distorta, corrumpuntur : *Vites bene nodentur per omnes ramos. Diligenter caveto ne Vitem præcipites, & ne nimium perstringas*. Scribendum, ut ab antiquis editoribus proditum : *Vites bene nodentur per omnes ramos diligenter. Caveto*. Siquidem Vitis ut per omnes ramos truncosque pampinariis palmitibus ac surunculis enodetur, diligenter curandum est, ne quis internatus oculus, in quem humores a capite evocentur, relinquatur. Verum in eo quod secundo loco præceptum est, *caveto ne Vitem præcipites*, prudentia potius quam diligentia uti oportet ; nam si plura quam Vitis conditio patitur, flagella demittantur, proximi anni fructus amittitur ; sin pauciora, Vitis luxuria se ipsam consumit. Neque tamen in ea sum sententia, ut incorrupta existimem. Quid aliud ac si diceres : caveto ne flagella in fructum demittas, caveto ne vindemiæ prospicias ? Qui enim Vitem non præcipitat (cum præcipitare Vitem sit materiam in fructum submittere) vindemiæ abnuit ubertatem. Quapropter, vel *nimium* vetustate deperditum censeo, vel *Vitem* de *nimium* deformatum.

Habes de capite XXXII. : de XXXIII., ut scribam, sequitur, in quo ista tam in Catone quam in Plinio nullo discrimine scribuntur : *in vinea vetere serito ocinum. Si macra erit quod granum capiat, ne serito*. Quibus repugnantia inter se miscentur. Si ocinum in vinea vetere est serendum, sed si macra in eadem quod granum capiat, jacere non expedit, sequitur ocinum sive jejuna sit vinea vetus, sive læta ac fœcunda, esse in eadem serendum ; quoniam id quod granum non capit (propterea quod in herba secatur) ab ocino non differt. Distinguamus igitur cum priscis excusis libris : *In vinea vetere serito ocinum, si macra erit : quod granum capiat, ne serito*.

Majorem tamen diligentiam hæc poscunt : *& quæ jam in perticam ibit, ejus pampinos teneros alligato leniter, corrigitoque, uti recte spectent*. Ex his Plinius dissimili modo hæc retulit : *porrigitoque quæ ubi recte steterint*. Quænam Catoniana spondemus ? *Corrigito* in cunctis codicibus legit Victorius, in omnium optimo etiam *steterint* pro *spectent*.

De

De hoc itaque non eſt dubitandum : de illo videndum . Jubet Cato , ut, alligatis teneris pampinis, Vitem purgemus , luxuriamque cohibeamus . Quod facere ante non expedit ; quippe dum ligantur , ſæpe rumpuntur , aut explantantur . Ideo prius Viti proſpicere debemus . Quare : *corrigito*, *ubi recte ſteterint*, hoc eſt, ubi pampini alligati & firmi, erectique erunt , inutiles dejicito , & amoveto.

Ultima colendarum Vitium cura fructibus conſulit , quorum gratia cultura inventa, & probata . *Ubi* , ait Cato, *uva varia fieri ceperit* , *Vites ſubligato* , *pampinato* , *uvaſque expellito* . Attende , quæſo , antiquiuſne ſit ac potius: *uvaſque expedito* ad ſolem, quo facilius percoquantur . Id tum uſu tum auctoritate ſatis confirmatur.

Redeamus capite XXXIV. & XXXV. cum Catone ad ſementim . Ex hoc colligo quæ cum Plinio contuliſſe juvabit : *Lentim in rudecto* , *& rubricoſo loco qui herboſus non ſiet* , *ſerito* . Quorum exemplum tale apud Plinium exprimitur : *Lentem in fruteĉtoſo* , *& rubricoſo qui non ſit herbidus* . Non igitur *fruteĉtoſo cum rudecto* convenit . Scire tamen te volo in antiquis Plinii editionibus *fruteto* legi , quod ad Catonianum *rudecto* aut *rudeto* propius accedit. Paulo poſt ubi Cato: *trimeſtrem quo in loco ſementim maturam facere non potueris*, *& qui locus reſtibilis craſſitudine fieri poterit* , *ſeri oportet* : Plinius , *trimeſtre* (nempe triticum aut far Halicaſtrum, quod a Columella ſemen trimeſtre proprie vocatur) *ubi ſementim maturam facere non poſſit* , reddit . *Trimeſtre* igitur Catoni reponendum , & Plinio *poſſis*.

Abſoluta ſementi , quibus frugibus lætetur ſolum , & quibus macreſcat , addit Cato capit. XXXVI. & XXXVII. Sed primo de ſtercore & amurca agit , quorum alterum terram fœcundat , oleas alterum opimat. Quæ leviter attigiſſe ſufficiat ; itaque ad alterum veniamus bifariam diviſum ; altera enim parte , terræ vitia , & mala tractat : altera utilia & fructifica ſpondet . *Si carioſam* , inquit , *terram tractes* , *Cicer quod vellitur* , *& quod ſalſum eſt* , *eo malum eſt* . Non intelligo , inquies . Non miror ; quis enim intelliget , remoto in argumentum principio ? Age hoc modo : *Quæ mala in ſegete ſient*. *Si carioſam terram tractes* . *Cicer quod vellitur* . Quid eſt quod obſcuritatis vitio nos a curſu retrahat , & moretur ? Verumtamen a Victorii codice *tracies* , expuncto *tractes* , recipiam . Id ex *tra* ſive περὰ conſtat, & *cio moveo* , vel κέω aut κάω *findo* , ut de *vervacto* tibi ſcripſeram.

His hoc modo compoſitis, dicendum de iis quibus ſeges pinguis redditur , & gliſcit . Ita autem exordiuntur : *Lupinum* , *Faba* , *Vicia* . Horum utique ſatu optimum evadit ſolum ac lætum . Verumtamen quis

id

id nos docet ? Cato ? Quibus ? Nihil video . Repete ex indice , & cognoſces , ſi recte , an perperam te moneam : *Quæ ſegetem ſtercorant fruges . Lupinum , Faba , Vicia* . Quæ ut Catoniana & laudat , & exſcribit Plinius : *necnon & ſatis quibuſdam ipſis paſci terram dicit : ſegetem ſtercorant fruges : Lupinum , Faba , Vicia* . Haud abſimilia proxima ſunt : *ſtercus unde facias : ſtramenta , Lupinum , paleas , fabalia , acus , frondem iligneam , quernam* . Quæ ſimiliter Plinius memorat . Nec ſupervacaneum cenſendum bis poni Lupinum ; nam ſatum arvum fœtum relinquit , ac ſtramenta , ſi ad granum pervenire ſinatur , præbet , quibus ſtercus ſparatur .

Qua de re inſtitutus ordo , ut alia explanemus , poſtulat : *Stercus unde facias : ſtramenta , Lupinum , paleas , fabalia , acus , frondem iligneam , quernam . Ex ſegete vellito Ebulum , Cicutam , & circum ſalicta herbam altam , Uluamque , eam ſubſternito ovibus , bubuſque frondem putidam* . De quibus antequam , quid ſuſpicer , proferam , libet ex Plinio , ut in antiquis libris lego , eadem recognoſcere . *Stercus unde fiat ; ſtramenta , Lupinum , paleas , fabalia , ac frondes iligneas quernaſque e ſegete vellito . Ebulum , Cicutam , & circum ſalicta herbam auctam Uluamque ea ſubſternito ovibus , frondemque putridam . Ebulum* itaque a ſuperioribus ſejungitur . Sed quid *vellito ?* Non dabis fuiſſe *evehito* vel *vehito* nempe in villam ? *Ea* quoque præſtat quod multa complectitur , quam *eam* . Nec *frondemque* negligerem , quo ab Ebulo , Cicuta , atque herba inter ſalices nata planius eandem ſepararem . Nec . *mactam* depromptum ab optimo libro pro *altam* inhonorum prætermitterem ; inflectitur enim a *macto* id eſt *augeo* , quo offenſi librarii modo in *altam* , modo in *auctam* mutarunt , ſignificationem ſervantes , non verbum .

Et quoniam de obſoletis ſcribimus , ponderemus , cur *ſaucta* non *ſalicta* , & *ſalucem* vel *ſaucem* non *ſalicem* , ut a Politiano & Victorio animadverſum eſt , in probatiſſimo libro ſcribantur . Equidem *ſalix* ab ea vocata videtur , quam Arcades , ut refert Theophraſtus , ἑλίκα vocant , ε in α (qua litera Dores & Peloponneſii qui Italiam & Siciliam incoluerunt , auctore Thucydide , frequentius utebantur) converſo . Quod a Latinis , *ſ* pro aſpiratione poſita , dictum eſt *ſalix* . Alia etiam vocabuli origo derivatur ab ἅλομαι (a quo ἅλσος ducunt , & fortaſſe *ſaltus*) atque ὑλή ; ſalix enim citiſſime creſcit ; ideo veteri more *ſalux* , *ſalucem* & *ſaucem* (unde Hiſpani *ſaucez* , & Galli *ſaule*) ac *ſalucta* , vel , dempto *l* , *ſaucta* .

Ad ſtercoris genus refert etiam Cato , quæ , expreſſo oleo , ſepo-

nuntur. *Partem*, inquit, *de nucleis ſuccernito*, *& in lacum conjicito*, *eo aquam addito*, *permiſceto rutro bene*, *inde lutum circa oleas ablaqueatas addito*. Non pœnitet me conjeciſſe: *fracem de nucleis ſuccernito*; fraces enim ac nuclei, confecto oleo, relinquuntur. Ideo, ſecretis nucleis, quos per ſegetem ſpargi vetat Cato, & comburi vult, quid remanet præter fraces? Præterea ſi lutum quod ea ratione qua jubet Cato, ſubigitur, lætas Oleas facit, cur pars ſecernenda? Expedit totos adhibere, atque eluere, fracemque omnem in lutum cogere, & ad Oleas ferre.

Rei ſtercorariæ immiſcentur, (Catoniſne manu, an interpretum injudicatum relinquam) hæc: *Per hiemem lucubratione hæc facito: vidicas & palos quos pridie in tecto poſiveras*, *ſiccos dolato*, *faculas facito*. Quoties peccatum in iſto *ſico*, unde *ſictos* quod in *ſiccos* depravant! Id quo melius cognoſcas, teque omni dubitatione exſolvam, quæ de eadem lucubratione commentatur Columella, huc tibi exſcribam: *palos una opera cædere*, *& expunctatos acuere centum numero poteſt*. *Ridicas autem quernas ſive oleagineas findere*, *& dedolatas utraque parte exacuere numero ſexaginta*.

Regrediamur ad ſtercorationem: *ſtercus egerito niſi intermeſtri lunaque dimidiata*, *tum ne tangas*. *Materiam quam effodies*. Si ſtercus neque intermeſtrua luna, neque dimidiata tangendum eſt, plenilunium ſupereſt, quo tempore inter rei ruſticæ peritos convenit non eſſe egerendum. Idemque Cato pratis fimo lætandis cap. XXIX. & L. interlunium definit: Columella autem & Palladius pratis creſcentem lunam, ſegetibus vero ſtercorandis decreſcentem utiliorem ſtatuunt, quibus Plinius aſſentitur dicens: *ſtercus niſi decreſcente luna ne tangito*: *maxime intermeſtrua dimidiataque ſtercorato*. Idem tamen alibi dum Catoniana commendat, confuſa & interpolata reponit: *niſi intermeſtrua luna atque dimidiata ne tangas materiem*. *Tunc ne effodias aut præcidas abs terra*. *Diebus quatuor proximis quibus luna plena fuerit*, *optime eximetur*. Quæ tamen ſuam habent utilitatem. Itaque Catoniana digerenda eſſe paulo diligentius concedes. *Stercus egerito niſi intermeſtri lunaque dimidiata*. *Tum ne tangas materiem quam effodies*, *aut præcides abs terra*. *Diebus* IV. *proximis quibus luna plena fuerit*, *optime eximetur*. Et quanquam intervallum a plenilunio diſſimile ſit, illud melius quo brevius; poſt enim a plenilunio dies VII. luna iterum dimidiata erit, quod tempus prohibet Cato. Ideoque, dum cap. XXXI. effodiendam materiam jubet decreſcente luna, id poſt IV. a pleno orbe dies faciendum accipito.

Sejun-

Sejungitur ab hoc capite de quo loquimur, appendicula, quæ abſolutæ putationi commodius inſereretur: *De vinea & arboribus putatis ſarmenta degere, & fiſcinam facere* nempe oportet. Politianus, ut Florentia certior fio, ex probato libro *faſcinam*, non *fiſcinam*, ut nos vernacula lingua *faſcina* eandem rem ſignificantes retinemus, deprompſit. Etenim, ut tibi paulo ante inſuſurrabam, plura a vetuſtiſſimis Latinis incultis in vulgum propagata ſunt, quam a politioribus. *Faſcina* autem a *faſce* videtur. Hæc ſcribenti cum ſomnus mihi obreperet, ne prolixiori epiſtola te quoque ſomniculoſum ingratis reddam, finem ſtatuam. Pancratice atque athletice ut valeas, diligenter cura.

D. Patavio VIII. Id. Jan. CIↃ IↃCC XXXII.

EPISTOLA V.

Emendatur M. Cato a capite XXXIIX. in caput LXXIV.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

EX tuis literis idibus datis & diligentiam tuam in legendo noſtra, & prudentiam in reſcribendo ſimul cognovi. De Plinio recte mones. Equidem uti circumſpecto judicio debent, qui ex Plinio Catonem, Varronem, alioſque auctores emendandos ſuſcipiunt: ne, ſi plura, aut pauciora in his quam in illo invenerint, continuo alterum ex altero reſarciant & confundant. Quod non animadvertentes lapſi ſunt multi, & quotidie imprudenter labuntur. De libris, ut mandas, cras videbo; hodie enim pluvia negat; idcirco totus (a nemine, ut ſpero, interpellatus) Catoni vacabo.

Verum unde exordiar? A fornace puto, quam Cato capite XXXIIX. deſcribit. In hoc itaque, ut ab antiquis exemplaribus accepi, ſcriptum eſt: *facito fortax totam fornacem infimam complectatur*. Si, quid *fortax* eſſet, docerent Catoniani interpretes, a te non ſciſcitarer. Certe φόρταξ apud Græcos *bajulum* ſignificat a φόρτος, unde, abjecta aſpiratione, Latini ſumunt *porto*, *porticus*, *porta*, quod onus ſuſtineant. Propterea ratus ſum *fortax* eſſe idem ac *fornix*, quod puto ab eodem φόρτος ac νικάω; quippe pondus ſuperat, nec cedit unquam. Sic *fortax* in ima fornace fornix qui totus lapidibus conſtipatur. *Fornax* etiam fortaſſe a φόρτος ac νάσσω νάζω (premo) interpolatum. Tu quid cenſeas, fac

diligentiſſime reſcribas ; te enim in Græcia pro centum millibus habeo .

De hoc capite nihil aliud haberem , quod ſcriberem , niſi extrema ad Plinium , a quo Catoniana adducuntur , me revocarent . Etenim Cato , nequid comparandæ rei aptum prætermitteret , commemorata fornace calcaria , in quam ligna quæ uſui ſuperſunt , comburuntur , quid de hac materia , deficientibus ſaxis , & fornacem facere prohibentibus , fieri oporteret , ſubjecit dicens : *virgas & ſarmenta quæ tibi uſioni ſupererunt , in ſegete comburito . Ubi eas combuſſeris , ibi papaver ſerito .* Quæ Plinius ut retulit , addidit : *ibi papaver ſerito ſilveſtre , quod in miro uſu eſt melle decoctum ad faucium remedia , viſque ſomnifera etiam ſativo .* Quæ cui tribuemus? Catoni , an Plinio ? Neutri credo ; quod Cato de ſativo ſcribit , cujus ſemen inter condimenta erat . Neque etiam tam excors fuiſſet , ut ſilveſtre ſereret , quod per totam Italiam , nullo cogente , in arvis ſubit . Igitur Plinio id dabimus ? Scilicet qui lib. XIX. (nam illa lib. XVIII. extant) de papavere ſilveſtri ſive erratico loquitur , & de papaveris medicina ſe deinceps ſignificat locuturum . Quod lib. XX. præſtitit , ubi dum multa colligit , iſta remedia prætermittit . Quid ergo ſupereſt , cedo , niſi ignava interpretum turba , cui addita remittamus? Verum enimvero ne fruſtra in Catone te ſim moratus , accipe quod inter germana inficitur macula *papaver* ; ſcribendum enim *papaverem* , ut antiquitas efferebat , quod in Plinii codice apud Joannem Baptiſtam Reccanatum patricium Venetum , literiſque ornatiſſimum vidi . In Plinii ſimiliter lib. XX. inter papaveris remedia hanc ſcripturam non probo : *e nigro papavere ſapor gignitur , ſcapo inciſo ;* potius enim *liquor* quam *ſapor* , ut lib. XXIX. *alterum genus eſt papaveris nigrum , cujus ſcapo inciſo lacteus ſuccus excipitur* . Manat autem quod *Opium* vocant .

Hoc in tranſitu tibi commemorato , in viam redeo . Caput XXXIX. ea recenſet quæ pluviis diebus in villa fieri oporteat , ceu : *dolia plumbo vincito , vel materia quernea viri ſicca alligato* . Quid iſtud *viri ſicca ? Viti ſicca* ſcilicet , quod etiam editum eſt . Sed quis Viti ficca dolia unquam alligaverit ? Vitio facile occurritur ſcribendo : *vel ridica* ; ridicis enim dolia revinci nemo non ignorat .

Tranſit deinde Cato ad ea quæ verno tempore opportune fiunt , eaque per capita XL. , & XLI. diſpergunt . Auſpicatur hoc exemplo : *Per ver hæc fieri oportet : ſulcos & ſcrobes fieri ſeminariis , vitiariis locum verti , vites propagari : in locis craſſis & humectis Ulmos , Ficos , poma , Oleas ſeri oportet* . Quibus Plinius non paria rependit : *Cato* , ait , *verna opera ſic definit : ſcrobes fieri , ſeminaria propagari in locis craſſis*

&

& humidis Ulmos , *Ficos* , *poma* , *Oleas* . Quæ dum diligentius attendo , minus deſpicio , quam cæteri ; quippe in compendium redacta video . Qui ſcrobes dicit , & ſulcos comprendit ; quia ſulci oblongæ ſcrobes : item qui Vites propagat , & vitiaria facit. Quare *Vites* tantum, ac *ſeri* deeſſe crediderim , ſi hoc modo ordinentur : *ſcrobes fieri* , *Vites propagari* , *in locis craſſis & humidis Ulmos* , *Ficos* , *poma* , *Oleas ſeri*. Ex eodem Plinio contra poſſumus quædam quæ ad inſitum muniendum pertinent , in Catone reponere ; affert enim ab eodem auctore : *mirum quod non contentus inſitum muniſſe* , *ut dictum eſt* , *& cæſpite ab imbre frigoribuſque protexiſſe* , *ac mollibus biſidorum viminum faſcibus* , *linguâ bubulâ* (*herbæ id genus*) *inſuper obtegi jubet* . In Catone de cæſpite quo nonnulli in muniendis inſitionibus hac etiam ætate utuntur , nihil , ut vides : *Salicem Græcam amplius circumligato* , *luto dempſto ſtirpem oblinito digitos craſſos III. Inſuper lingua bubula obtegito* . Fallor : cur nihil dico ? Reliquias videre viſus ſum , dum illa *digitos craſſos* III. conſidero . Ad quid enim referendum *craſſos* ? Num *ad digitos* ? Quot gerimus *craſſos* præter pollicem , quem ſuo nomine Cato indicat ? Reliqui qui longiores , nonne *primores* ab eodem dicuntur ? Id itaque *craſſos* ad *cæſpitem* pertinebit , ſi in *craſſum* , ut prodiit apud Jenſonium , & Juntas (quod in utroque Florentino codice reperitur) reſtituamus . Verum cur illud Plinii prætermitto : *herbæ id genus?* Cui ineptiſſimi librarii adnotatio non videtur ? Quantulum enim primo vere quo inſitiones fiunt, Bugloſſi folium, præterea quam tenerum & ſuccoſum , quæ inſitum reſpuit ? Ideo opinor *linguam* vel ex veteri corio vel de morticinæ pecudis pelle ad bovis linguæ ſimilitudinem vocari . Hæc in extremo capite iterum occurrit : *eam linguam inſuper librum alligato* . Cum extrema ſuperimponatur lingua, *libro* ad inſitum firmanda eſt , ut capite proximo : *medullam cum medulla libro colligato* ; quare *libro* non *librum*.

Quoniam vero inſtituti noſtri eſt, dum Catoni pro noſtra virili conſulimus , Plinium inter ſordes non deſerere , afferam ex cap. XLI. Catoniana iſta : *Pirorum ac malorum inſitio per ver* , *& per ſolſtitium diebus quinquaginta* , *& per vindemiam* : quibus in Plinio geminam maculam detergebo , a quo hæc : *Inſeri autem præcipit Pira ac mala per ver* , *& poſt ſolſtitium diebus quinquaginta poſt vindemiam* . In quæ quod vitium repſerit , ſtatim apparet ; utrumque enim *poſt* in *per* mutandum , ac poſteriori particulam *&* præponendam ; quod, non confecta , aut peracta vindemia, inſitiones tantum fiunt, ſed & ante ; idcirco Varro *circiter ſolſtitium* multa inſeri docet .

Non

Non vitio, ſed obſcuritate laborant, quæ de tertio inſitionis genere commentatus eſt; propterea alia ſunt ex priſcis editionibus, alia ex recentibus. Ex illis: *medias Vitis vinclis in terram defigito*, quæ in Medicæo quoque codice, & in Cæſenate, extrema litera tantum de *medias* omiſſa, ſervantur. Ab Aldo vero & Aldinis: *Vitique vinclis alligato, medias in terram defigito*. Quibus ex Creſcentio ſubnectam hæc: *mediam Vitem vinculis in terram defigito*. Ex his quæ tenenda, exploratum habebimus, ſi duas eſſe Vites quæ ad inſitionem conveniunt, conſideremus: alteram quæ inſeritur, alteram quæ palmites inſerendæ miniſtrat. Ideoque dum alterius ſarmentum ad alterius foramina perducitur, inque ea aptatur, ut capita ad inſitum conſtent, ac maneant immobilia, utraque Vitis media vinculis firmanda eſt, aggeſtaque terra pondere ſtabilienda. Quare optima prima; inania ac ficta Aldina. Non tamen diſſimulare debemus, nonnunquam arboratores, cum Vites eo intervallo diſtant, ut extrema flagella ad inſerenda foramina non pertineant, reciſis ſurculis inſerere ſolitos, quod etiam Columella ſecundo loco tradit. Opinabitur itaque quis hanc potius inſerendi rationem a Catone propoſitam, qualem exſcripſit Creſcentius, quam illam; eandemque eſſe Vitem quæ inſeritur, ac media vinculis humoque firmatur. Quod diſcernere modici judicii eſt; ſiquidem Cato ſurculos *inſectos*, quos interpretari alio modo non poſſumus, quam a matre non reciſos, in terebratione adhibet, eoſdemque *binos pedes longos*, qui multo breviores in altero modo, in quo etiam ſupra terebrationem ſtirps reſecatur, ut totus truncus inſitum alat atque educat. Quod pro ſua diligentia addidiſſet Cato, ſi hoc quam illud inſerendi genus, aut expertus eſſet, aut probaſſet.

Ab iis inſitionibus quæ per ſurculos fiunt, pergit Cato capite XLII. ad illas quæ per gemmas, emplaſtrationemque appellant. *Ficos*, ait, *& Oleas altero modo* (nempe *inſerito* quod a primis editis repetendum) *quod genus aut Ficum aut Oleam eſſe voles, inde librum ſcalpro eximito, alterum librum cum gemma de eo Fico, quod genus eſſe voles, eximito*. Ex quibus illa prima: *eſſe voles*, niſi aliqua particula negativa enuncientur, nullus optimus ſenſus inde elicitur; quin præclara ſententia corrumpitur, evertiturque. Quod enim inſeritur, improbamus, & tale eſſe nolumus, arborem ſilveſtrem nolumus eſſe ſilveſtrem, atque infœcundam, Caprificum Caprificum, Oleaſtrum Oleaſtrum: ideo ex his liber eximitur, ut ſelicioris generis emplaſtra aptemus. Itaque totum hunc locum (nam & male interpungitur) noſtris conjecturis explanatum ſic habeto: *Ficos & Oleas altero modo inſerito. Quod genus aut Ficum, aut Oleam eſſe noles, inde librum ſcalpro eximito, alterum librum*

cum

cum gemma de eo fico quod genus esse voles, eximito.

Quæ de insitionibus dicenda erant, cum capite XLII. absolvisset Cato, sulcos & scrobes quæ generatim cap. XL. finiverat, cap. XLIII. diligentius per partes executus est, primum sulcis quos derivandæ aquæ gratia in scrobes aperiunt, demensis, deinde ipsis scrobibus. *Sulcos*, inquit, *si locus aquosus erit, alveatos esse oportet, latos summos pedes* III., *altos pedes* IV. *Infimum latum pedem unum, & palmum. Eos lapide consternito; si lapis non erit, perticis saligneis viridibus controversis collatis consternito; si pertica non erit, sarmentis colligatis.* Quæ dum in Catone legas, nihil quæres amplius: eadem si ad Plinium referas, habebis quod in utroque desideres. De mensuris itaque, ut in antiquis Plinii editionibus invenio (posteriores enim fuco obliniuntur) primum videamus: *Cato si locus aquosus sit, inquit, latas pedes ternos in fauci-bus, imisque palmum & pedem, altitudine quatuor pedum.* Quod *infimum latum* dicit Cato, Plinius *imas* (nam ita legendum, scrobes nimirum) reddit. Subiicit deinde: *eas lapide consterni: aut si non sit, perticis salignis viridibus. Si neque eæ sint, sarmentis, ita ut in altitudinem semipedem trahantur.* Jam cernis extrema cum Catonis extremis non convenire. Quid igitur illud *controversis collatis*, quorum primum in optimo libro scribitur *controversriS?* Si conjecturis indulgere finis, cum extrema litera *s* in *controversis* vacet, eademque in illo codice major cæteris fiat, sejuncta *semis* indicabit, & prima in *collatis*, cujus vim & significationem illud *controversis* retinet, *p.* nempe: *controvorseis s. p. elatis consternito.* Quibus compositis, uterque auctor sibi constat, & cum altero idem clarior evadit.

Paratis scrobibus, protinus ad serendum, propagandumque Cato transitum feciſſet, nisi putandi oliveti, ut taleæ prius cæderentur, prævertisset cura. Quapropter de Oleæ putatione nonnulla cap. XLIV. præmittit. Et primum determinat intervallum dierum lx., quo circumscribitur putatio, xv. ante æquinoctium vernum, xlv. ab eo ad Vergiliarum matutinum exortum. Quod restitues Plinio, cui dies v. dempsit vetustas. Deinde putandi præcepta pro loci conditione tradit. *Qua locus*, inquit, *recte ferax erit, quæ arida erunt, & siquid ventus interfregerit, eo omnia eximito: qua locus ferax non erit, id plus concidito, aratoque, bene enodato, stirpesque leves facito.* Idcirco in solo feraci & læto arida tantum ac fracta demenda, ne largius cædendo detrahatur fructus: in minus feraci putationi indulgendum, demendumque plus; quod ad multos ramos exilitas soli alimentum ferre non possit. Quid igitur opus inter putandum aratione? Potius *artatoque* quam *aratoque*, aut Jensonia-

ſonianum *aratroque*: quod eſt, falce cohibeto, ne rami latius expandantur, quo melius in paucioribus ramis fructus alantur, ac grandeſcere valeant. Id ſi dabis, & Plinium qui eodem vitio laborat, ad Catonis ſententiam depurgato.

Poſt oliveti putationem, talearum ſatum capite xlv. aggreſſus Cato, *taleas*, ait, *oleagineas, quas in ſcrobe ſaturus eris, tripedaneas decidito, diligenterque tractato ne liber laboret. Cum dolabis, aut ſecabis, quas in ſeminario ſaturus eris, pedalis facito.* Quæ alio modo eſſe ſeparanda tum res ipſa oſtendit, tum Plinius confirmat. *Taleas* ——— *laboret, cum dolabis, aut ſicabis. Quas in ſeminario.*

Amputatis taleis, atque ad ſerendum curatis, ſubit terræ in qua deponendæ erunt, animadverſio, & molitio. *Locus bipalio ſubactus ſiet, beneque terra tenera ſiet, beneque glutus ſiet.* Ut primum certior factus ſum, in Politiani libro eſſe *glittus* & *glictus* pro *glutus*, ſtatim intellexi, cur de Plinio dempta illa fuerint: *beneque terra tenera ſiet;* quod idem, quod *glutus*, ſignificant. Sed malo *glitus* a *gliſco*: ut enim a *creſco cretus*, a *noſco notus*, ab *aſciſco aſcitus*, a *deſciſco deſcitus*, ita a *gliſco glitus*, nempe pinguis a γλίσχρος. Oportet igitur, ut terra ubi ſemina oleaginea deponimus, bene ſubacta ſit, tenera, ac pinguis. Id capite proximo planius docetur: *ſeminarium ad hunc modum facito: locum quam optimum, & apertiſſimum, & ſtercoroſiſſimum poteris.* Porro cum *glitus* obſoletum eſſet, & obſcurum, in *glutus* inmutarunt, quod erat forma ſimillimum, non animadvertendo idem eſſe *glutum* ac bene ſubactum, & tenerum; quam terræ conditionem jam indicaverat Cato. Hinc factum, ut qui Plinio falcem admoverunt, cum bis eadem poſita viderent, alterum ſubſtulerint, relicto altero quod magis Catonianum videbatur.

Palo prius locum ne feceris quo taleam demittas. Viſum eſt mihi ſuperioribus annis illud *ne* vel abundare, vel de *ſi* depravatum; quoniam principes Catonis editiones, & recentiores Plinii carebant. Verum quæ jubeat Cato, ad examen poſtea ſolertius revocatis, in aliam ſententiam traductus ſum, præſertim cum in antiquis Plinii libris *ne* inſeratur. Si enim palo locus taleæ parandus eſſet; neque malleoli neque mateolæ mentionem feciſſet Cato; præterea capite inſequente, ubi eadem repetit, de pali item fovea quid commemoraſſet. His igitur poſthabitis, alia potiora conſideremus.

Quæ connectuntur, duplici ſcriptura ſignata adverto; priſca: *ſi ita ſeveris, utilis ſiet talea, meliuſque vivet*; recenti: *ſi ita ſeveris, uti ſiet talea, melius vivet.* Hæc autem a Victorio, cum in manu ſcriptis

libris

libris legiſſet *utis ſtet talea*. Litera *ſ* vacans in *uti* quid deperditum indicat, fortaſſe *prius*, quod melius coniicitur ex Politiano exſcribente *utus*. Id erit: *uti prius ſtet talea, melius vivet*. Non abſimili modo præcipit Cato de ſerenda Vite cap. xlix.: *eodemque modo vineam ſtatuito, alligato, flexatoque uti fuerit*. Etenim ab omnibus agriculturæ ſcriptoribus præceptum habemus, oleaginea ſemina ſic eſſe ponenda, ut iiſdem cœli partibus, quibus in arbore ſteterant, obverſentur. Id Columella inculcat lib. V., id Palladius lib. III., quibus noſter vates præcinerat:

Quin etiam cœli regionem in cortice ſignant,
Ut quo quæque modo ſteterit, qua parte calores
Auſtrinos tulerit, quæ terga obverterit axi,
Reſtituant.

Cæterum in Plinio qui iſta exſcripſerat, legitur tantum: *ita melius vivet*. Quod conſultone ipſe fecerit, an vetuſtatis incuria evenerit, prorſus me latet.

Verumtamen hæc contemnenda exiſtimaveris, cum ad ea quæ in extremo capite ponuntur, oculos mentemque convertes: ſunt enim, ut mea fert opinio, vitioſiſſima: *eaſque divaricato ſupra terram, ne plus* IV. *digitos tranſverſos emineant, vel oculos ſerito*. Quid dicam de illis qui edunt, & probant: *gemma vel oculo ſervato?* Quorum auctoritas nos quoque in errorem rapuit: nunc reſipientes aperte reiicimus, atque ut falſa improbamus. Ab antiquis itaque libris recedendum non eſt, ex quibus & mente percipio, & ratione comprendo (quod uſu ſimiliter condidici) taleas vel ſupra terram paululum eminere, vel prorſus occultatas, terra ſuperveniente, totas immergi. Cujus indicium cap. proximo facit auctor, ubi ita taleas deprimit, ut vix de terra cernantur. Qua de cauſa ſignum propter taleam relinquendum monet. Totas quoque dum ſerit, immergit Columella, & quatuor digitos alte ut terra ſuperveniat, jubet, binis indicibus, ne a foſſore lædantur taleæ, hinc inde depactis. Quibus probe cognitis, *oculos* in *occultas* verſo, omnia in priſtinum ſenſum regeruntur: *ſi in ſcrobibus aut ſulcis ſeres, ternas taleas ponito, eaſque divaricato. Supra terram ne plus IV. digitos tranſverſos emineant, vel occultas ſerito*. Eadem Plinio conveniunt. Nam in taleis nullæ gemmæ vel oculi apparent, quippe cortice latent. Nulla propterea gemmarum cura, verum corticis, quem diligenter cuſtodiri vult Cato.

De capite xlvi. nihil eſſet, quod tibi mitterem, ſi editores officio recte fungerentur. *Crebroque ſarito. Si voles cito ſemina creſcant, ad eundem modum alia ſemina ſerito*. Ut ſemina cito adoleſcant, & confir-

mentur, eodem modo alia ſemina ſerenda ſunt? Quid inconſultius garriri poteſt? Interpungamus itaque alia ratione: *crebroque ſarito, ſi voles cito ſemina creſcant. Ad eundem modum alia ſemina ſerito.*

Abſoluto Oleæ ſeminario, ſubnectitur capite XLVII. vitiarium, quod eodem modo fieri & coli debet, quo oleagineum. Hunc ordinem a Catone ſervatum credo. Nunc tamen quædam de Arundine interponunt, quibus cognata & connexa quondam diſſociantur, ac divelluntur: *Arundinem ſic ſerito, ternos pedes oculos diſponito.* Teneo, inquies; nam capite VI. id abunde præceptum eſt. Accipe reliqua: *Vitiarium eodem modo facito.* Eodemne quo arundinetum? In locis ergo humectis, & circum ripas vitiarium ſtatuemus. Quid ſequatur, vides. Cum itaque in alia terra malleoli, in alia Arundinum oculi pangantur, vitiarium in eodem ſolo, atque eadem ratione qua oleagineum ſeminarium parandum mandaverat Cato, conſtituere oportet; ideoque inter vitiarium Oleæque ſeminarium quicquam olim non interponebatur, ſed nulla intercapedine, Oleæ ac Vitis ſeminaria proxima erant, atque inter ſe conjuncta. Quod igitur de Arundine inſertum eſt, alia opera factum eſt, non Catonis.

Confunduntur deinde iſta, dum ita ſcribunt, & interpungunt: *Ubi trima erit, eximito, ſi pecus paſcetur. Ubi Vitem ſerere voles, ter prius reſecato, quam ad arborem ponas.* Ubi Vitem ſaturus es, ſi pecus in ea loca inigitur, altius, inquit, educandæ ſunt Vites, quo minus a pecore carpantur. Itaque: *ubi trima erit, eximito. Si pecus paſcetur, ubi Vitem ſerere voles, ter prius reſecato, quam ad arborem ponas.*

Jam ad illa pergamus quæ in caput XLIX. recipiunt. Primum perpendere expedit: *porcas pedes quinos latas facito.* Quæ cum iis quæ capite CLI. eadem de re ſimilique cultu narrantur, ſi conferamus, de porcæ modo dubitabimus; ibi enim areæ ad pedes IV. contrahuntur. Quod potius cenſendum; nam porca IV. pedes lata herbas evellenti ab utroque latere facilius paret. Hinc etiam intelligere poſſumus per notas ſcripſiſſe Catonem; quia expeditius erratur ex IV. in V., quam ex *quatuor* in *quinos*.

Alterum de quo ambigi poteſt, ſtatim ſubſcribam: *Furcas circum offigito, eo perticas intendito, eo ſarmenta aut crates ficarias imponito quæ frigus defendant & ſolem. Uti ſubtus homo ambulare poſſit, facito.* Plura pono, non quo plura improbem, verum quo facilius totam rem cognoſcere poſſis. Unum requiro quod Plinius qui de iſtis lib. XVII. commentatus eſt, apertiſſime oſtendit. *Cato*, ait, *& furcis crates imponi jubet, altitudine hominis ad ſolem recipiendum: atque integi culmo ad frigora arcenda.* Quare in Catone invenerat: *quæ frigus defendant, &*

ſolem

ſolem recipiant. Quod perſpicuum erit cogitanti, cum tegmina ita attollantur, ut *ſubtus homo ambulare poſſit*, ſolem, qui per ver quo Cupreſſi ſeruntur, obliquus fertur, facile admitti.

In capite XLIX. vix quod nos moraretur, occurrebat. Hoc tamen a te perpendi volui: *ita uti fuerit*, *ponito in ſcrobe*, *aut ſulco*, quod ex Plinio deſumptum videtur, ubi id vitium reſidit; nam numero multitudinis ediderunt primi editores: *ita uti fuerint*: Quod ad radices ſpectat; quandoquidem de Vite ſubiiciuntur illa: *eodem modo vineam ſtatuito*, *alligato*, *flexatoque uti fuerit*. Summam item Catonis diligentiam prudentiamque ſimul in his quæ præcedunt, ſuſpice: *ex radicibus bene effodito*, *uſque radices perſequitor*; non enim recidendæ bipalio, ſed circumdique conſectandæ ad extrema. Non diſſimilia præcipit cap. LXI. *cætera cultura eſt multum ſerere*, *& diligenter eximere ſemina*, *& per tempus*, *radices quam plurimas cum terra ferre*. Quamquam ex illis *uſque radices perſequitor* vel Plinius poſthabuit, omnia in compendium redigens, vel Plinio ævum ſubduxit, atque extinxit.

Capiti L. ubi multa miſcentur verno peragenda, ſubnectitur hæc clauſula: *hoc facito antequam vineam fodere incipias*, quam etiam Plinius in librum XVIII. recepit, diſſimili tamen ſententia: *hæc antequam vinea florere incipiat*. Utra melior ſit, paucis conſiderandum. Finit, commemoratis operibus vernis, Cato tempus, antequam vinea fodiatur; foditur autem a putatione, ut capite XXXIII. præſcribit. Id jubet etiam Columella rationem inſuper afferens dictis; *nam*, *ſi palmis incipientibus*, *progerminantibuſque foſſorem immiſeris*, *magnam partem vindemiæ decuſſeris*. Vertitur itaque vinea nondum germinans. Cur igitur foſſionem in florentem ferme Vitem, nimirum in matutinum Vergiliarum exortum diſtulit Plinius? Sed quid Plinium culpamus? Culpandi qui tot aliis vitiis Plinium deturpant vel præter modum audaces interpretes, vel imperiti librarii.

Seponitur ab hoc capite appendix, quam hoc tempore prætervolabo: ea utar cum ad caput CLI. ventum erit. De radicatis ſeminibus quæ capite LI., & LII. commemorantur, volo nunc quædam a te perſpici, & primum de mergis: *Ab arbore abs terra pulli qui naſcentur*, *eos in terram deprimito*, *extollitoque priorem partem uti radicem capiat*. Hoc extremum retinendum ne ſit, an in *capiant* mutandum, videto; pulli enim iidemque ſtolones qui in mergum curvantur, humoque cooperiuntur, radicem capere debent, non pars eorum ſuperior quæ ſurſum extra terram in germinationem attollitur. Haud alia capite CXXXIII., ubi de eadem cultura præcipitur, repetuntur.

Quæ igitur circa arborem ſine radice proſiliunt, ita curari oportet; & radices elicere. Quoniam autem multa radicata gignuntur, neque tali opera indigent, quin protinus ſerenda ſunt, atque in ordinem digerenda, pleraque eorum Cato numerat, ceu *Ficum*, *Oleam*, *malum Punicum*, *Cotoneum*, *aliaque omnia mala*, *Laurum*, *Murtum*, *nuces Præneſtinas*, *Platanum*. Quæ iterantur capite CXXXIII., a quo Plinius. His etiam in utroque auctore adiicitur *Prunus*, quæ hic ſiletur. Conſtat tamen ex eodem Plinio Pruna omnia poſt Catonem cepiſſe: quin etiam ipſe Plinius mirabatur, nullam Pruni ſilveſtris quæ ubique naſceretur, mentionem habitam a Catone. Prunus igitur ad Catonem non pertinet. Quid vero de *Platano* ſcribam? Inter ſtirpes fructu nobiles miſceri Platanum perito agricolæ non conſentit. Adde inter eas quoque quæ denſa ſilva ab radice pullulant; Platanus enim ſimplici caudice ſurgit, neque ſtolones ab radice, neque ſurculos ad caput emittit. Adde Plinium, qui de Platano quo tempore primum Italiæ innotuerit, diligentiſſime inquiſivit, nihil de Catone addidiſſe, quod non prætermiſiſſet propter arboris dignitatem. Inferiore itaque tempore celebrari cepit ac nobilis evaſit, quo veluti peregrina inventuque rara, & cultu non probata, vino, ut melius adoleſceret, irrigabatur. Jam vero Horatius non cecinit?

Jam pauca aratro jugera regiæ
Moles relinquunt, undique laxius
Extenta viſentur Lucrino
Stagna lacu, Platanusque cælebs.
Evincet Ulmos tum violaria & &
Myrtus, & omnis copia narium
Spargent olivetis odorem
Fertilibus domino priori.
Tum ſpiſſa ramis laurea ſervidos
Excludet ictus. Non ita Romuli
Præſcriptum, & intonſi Catonis
Auſpiciis, veterumque norma.

At Cato & violaria, & Myrtum, & Laurum ſerenda jubet? Sane propter utilitatem, & Cupreſſum ſimul, ut plantæ vel pro ridicis ſerantur, vel cum ære permutentur. Platanus autem quid præſtat præter umbram? Non enim ut veneat, ſed ut ſeratur in fundo, eximitur, & propagatur.

Prætervehar hinc ad caput LVI. quod incipit: *Familiæ cibaria. Qui opus facient per hiemem*. In quibus argumentum a reliquis ſeparamus. Verum

Verum quid ſibi volunt Græca nomina in Catoniana familia : *Vilico*, *vilicæ*, *epiſtatæ*, *opilioni ?* Villici ſive villicæ expoſitionem eſſe *epiſtatæ* puto quondam in libri ora adnotatam ; quod præter villicum & villicam in familiæ cenſu præfectos alios non attulit Cato. Adjungitur opilio cui item panis detrahitur; quia ut villicus & villica, opus in agro non facit. Etenim pro uniuſcujuſque labore augetur, vel diminuitur modus.

De capitum LVII. & LVIII. indicibus eadem habeatur ratio, ac de capite LVI. *Vinum familiæ. Ubi vindemia facta erit. Pulmentarium familiæ. Oleæ caducæ quam plurimum condito.* Necnon cap. LIX. *Veſtimenta familiæ. Tunicam* p. III. *S.* nempe *dato*. Item cap. LX. *Bubus cibaria annua. In juga ſingula lupini modios CXX.* In quo hoc amplius: *Ocini, fabæ modios XX., viciæ modios* XXX. *Præterea granatui videto uti ſatis viciæ ſeras*. Tria pabuli genera deſcribit Cato, quæ ſicca & recondita dantur, Lupini, glandis, fœni: duo quæ viridia, ſive quæ in viride pabulum ſecantur, ut Fabæ ac Viciæ. In ocinum itaque Fabæ modios XX., Viciæ modios XXX. neceſſarios eſſe ſuadet ; præterea curandum ut ſatis Viciæ pabularis feratur. Quoniam quidem ocinum ex Faba & Vicia miſta conſtat, ex hac miſtura orta eſt barbara declaratio *granatui*, qua quid eſſet *ocinum*, noſtris vocibus interpretabantur ; non enim ignoras *granata* vulgo farraginem atque ocinum dici ab immiſtis & confuſis granis. Nam quod Turnebus opinabatur: *præterea granatui videto uti ſatis viciæ ſeras*, indicari Viciam quæ ſemini progenerando jacitur, cur id de Lupino, cujus modii CXX. bubus in cibum dantur, non potius coniiciebat ? Verumtamen, ut dixi, de *granatui* nunquam ſomniavit Cato. Scire etiam refert Politianum, cum Jenſonianam editionem ad veterem codicem conferret, nihil adnotaſſe ; quippe Jenſonius non *granatui* ediderat, ſed *gnati* quod habitum eſt *generatim*, atque ita quondam excuſum.

Quo perſpecto, conſentaneum eſt commemorare, de arandi diſciplina quæ præcepta inter domeſticarum rerum rationes interponantur. *Quid eſt* (inquit Cato cap. LXI.) *agrum bene colere ? bene arare. Quid ſecundum ? Arare. Tertio ſtercorare.* His diverſa ſunt quæ in Plinii lib. XVIII. reperiuntur : *In arando magnopere ſervandum eſt Catonis oraculum. Quid eſt primum ? Agrum bene colere. Quid ſecundum ? Bene arare. Quid tertium ? Stercorare.* Quæ non perinde audio, ac vulgo fit ; quod vitioſa facile oſtendam. *Quid eſt primum ?* Quanam in re? Num in optimis, an in ſordidis artibus ? Num in ruſtica re, an in alia atque alia ? Profecto in ruſtica : ergo bene colere agrum primum

eſt

eſt in ruſticatione : ſecundum , bene arare : tertium , ſtercorare . Sed quid eſt bene arare , niſi agrum bene colere ? Item ſtercoratio ubi fit, niſi in agro ? Non vides agrum bene colere non primum eſſe in agricultura , non ſecundum , non tertium , verum omnia? Idem arationem complectitur , idem ſtercorationem , idem arbuſti vineæque cultum , idem prata purgare , ſilvas nutrire , ſeminare , putare ; ablaqueari , idem denique , ut paucis abſolvam , quidquid in fundo recte & tempeſtive ſit , agrum bene colere habetur . Scribendum itaque , ut in Catone : *Quid eſt primum agrum bene colere ? Bene arare . Quid ſecundum ? arare . Quid tertium ? Stercorare* . Etenim a Catone de arandi diligentia hæc prodita ſunt , non de agro bene colendo , cujus arandi ratio eſt pars , ut illa prima præpoſita a Plinio declarant : *in arando*. Jam non puto , te inficiaturum , illud *primum* ſive 1. non eſſe reſtituendum Catoni ; quod præcipuus agri cultus eſt , ſi bene aretur . Quin etiam per notas reliqua duo adnotarem ; quoniam *quid eſt ſecundum* , & *quid tertio* non conſentiunt inter ſe .

Affertur deinde bonæ & malæ arationis exemplum , quod adeo diverſum & deformatum excudit Aldus , ut ſecutos editores qui tale retinuerunt , ſine reprenſionis nota præterire non poſſim : *Qui oletum ſæpiſſime & altiſſime miſcebit , is tenuiſſimas radices exarabit : ſi male arabit , radices ſurſum adibunt , craſſiores fient , & in radices vires oleæ abibunt* . Quare neque id ſequendum exiſtimavit Victorius , neque nos (quantuluſcunque eſt noſtri judicii ſenſus) ſequemur , ſive quia de illis codicibus depromptum , qui multa fucata & ficta congerunt ; ſive quia inane atque jejunum ; ſive demum quia antiquis & probatis libris diſſimile . Inducamus itaque vetera : *Qui oletum ſæpiſſime , & altiſſimas radices exarabit* . Bene igitur ille arat qui olivetum ſæpiſſime arat , & ſummas radices exarat atque exſtirpat . At Plinius etiam eo modo ? Quid ? Qui Catonem tot maculis inſecerunt , a Plinio manum abſtinuiſſe dicemus ? Quare credere licet ex depravato Catone depravatum Plinium , & contra . Quod etiam hac ætate in tanta literarum luce fieri videmus , dum quiſque ad ſua placita veteres libros detorquet & miſcet .

Præcepta oliveti arandi diſciplina, de agro frumentario apponit , ut , *cum , ares bene , & tempeſtivo ares* . Quibus reſtitui ex Politiano *tempeſtivo* pro *tempeſtive* , quale illud : *verno arare incipito* .

Poſtquam ea quæ ad ſationem pertinere viſa ſunt , commentatus eſt Cato , ſubnectuntur duo de plauſtris & funibus capitula a ſua ſede ſeparata , & divulſa . Quibus perpendendis non immorabor . Inde ad cogen-

gendam oleam, oleumque faciendum divertitur Cato, quibus ſex capita, hoc eſt LXIV., LXV., LXVI., LXVII., LXVIII., LXIX. attributa ſunt. Ex his LXV. ita incipit: *ſervet diligenter cellam, & torcularium*. Quis ſervet? Ab indice, ex quo principium amputatum eſt, repetito: *Cuſtodis, & capulatoris officia. Servet diligenter cellam*. Quæ quo facilius recipias ac libentius, primum edita hoc modo per Jenſonium ſcito. Reliquis ſatis ab editoribus proviſum eſt, ideo ad caput LXX. me conferam, ubi divinum, ut vocant, Salmaſii ingenium mortalium miſerrimos Catonem & Columellam redigit, niſi nimiæ iſti divinitati nos homunculi occurramus.

De bovum medicina agere ibi inſtituit Cato, quæ per quatuor partes diſtrahitur. Si cum Catone incipiendum eſt, ab indice eſt incipiendum: *Bubus medicamentum. Si morbum metues*; ſi cum editoribus & interpretibus, ab illis: *ſi morbum metues, ſanis dato*. Ideo cui medicinam facies, ignorabis, dum ſaniſne ſervis, an Ovibus vel Aſinis dari oporteat, neſcis. Sed attende de ipſa medicina: *Sanis dato ſalis micas* III., *folia laurea* III., *Porri fibras* III., *Ulpici ſpicas* III., *Alii ſpicas* III. Quæ recte conſtituta, atque eruditorum conſenſu bene firmata, extiterunt nonnulli, qui, ut doctrinæ ſpecie improvida hominum ingenia raperent, infirmarent. Horum anteſignanus celebratur Salmaſius, qui *ſpicas* in *ſticas* mutat, & *tunicas* habet, affirmatque nihil poſſe iſta emendatione verius excogitari. Quem ſecutus Joannes Georgius Grævius *ſticam* ſimiliter *tunicam* reddit, eandemque *vocem* (utar ipſius verbis) *Catoni a divino Salmaſio reſtitutam* affirmat, ubi noſter auctor de medicamento, quod bubus paratur, agit. Ad hos tertius acceſſit Voſſius, & quos pro ſua doctrina reſellere poterat, auctoritate ac dictis confirmavit. Neque tale vitium inuſſiſſe Catoni contenti, ipſum Columellam in tonſtrinam rapiunt, & deraſis *ſpicis*, *ſticam* circumdique infigunt. Apud iſtos itaque leges:

Jam teneris frondens lactucula fibris,
Alliaque infractis ſticis, & olentia late
Ulpica.

Et lib. XI. *Habet enim velut Allium plures cohærentes ſticas, eæque cum ſint diviſæ, liratim ſeri debent*. Hæc, propter quæ Salmaſius divini nomen nactus eſt, quæſo, pro tua ſapientia mecum recognoſcas. Etenim, ut mittamus carmina quæ aliquatenus poſſumus ad tunicas accommodare, illa: *eæque cum ſint diviſæ, liratim ſerendæ*, quis de *ſticis* nucleorumque involucris ſanus accipiet? Tunicaſne ſeremus? Quid illud Columellæ quoque: *ſpicæ Ulpici vel Allii* (*nam id quoque ſimiliter conſeritur*)

ritur) *disponendæ sunt*: vel hoc: *deinde cum ternas fibras emiserunt spicæ, sarriantur?* Membranas, credo, in porcarum pulvinis disponemus, sarriemusque germinantes. Quid de Palladio? *Si capitatum* (Allium) *facere volueris, ubi ceperit caulis prodire, proculca, succus revertetur ad spicas*, videlicet ad tunicas, & capitatum fiet, crassioribus membranis. Quo quid potest dici ineptius, aut excogitari imprudentius? Verum quando insanire juvat, ne insaniæ veteres auctores damnentur, proferamus alia. De Gallinæ pituita hæc præcipit Columella: *Si tamen pestis pervaserit, sunt qui spicas Allii tepido madefactas oleo faucibus ingerant*. Quod remedium excerpens Palladius pro spicis Allium reponit. Non tunicas, non membranas sufficit. Allium terendum jubet, & ulcus eodem mundandum. Quid? Apicius dum condimenta parat, & *unam spicam Allii purgatam teret*, tunicas purgasse & trivisse, succumque inde expressisse putemus? Sed quo abeo? Ipse Cato capite proximo, dum eadem repetit, *postridie*, ait, *caput Ulpici conterito cum hemina vini*. Ubi *stica?* Ubi tunica? *Caput*, inquit, *conterito*, ipsas nimirum spicas, quibus caput coacervatur. Id dum memorat Columella, spicas pro capite reddit dicens; *postero die spicas Ulpici vel Allii cum vino conteras*. Et dubitabimus adhuc quin spicæ nuclei in Allio Ulpicoque vocentur, quod nomen ad id significandum noster quoque vernaculus mos usurpat? Spicarum nomine in Allio ab interitu vindicato, fibrarum etiam vocem ut explicem, inter necessaria esse video, quas tenuissimas Porri radiculas, aut quid item credidisse Salmasius videtur. Scire ergo convenit Porri fibras apud Catonem esse folia; quoniam angusta & oblonga in gracilitatem producuntur. Quod nomen latius apud Latinos patuit; nam & Tritico & Adoreo cum primitus oriuntur, fibras non folia assignat Columella, necnon Lactucis hoc carmine:

Jam teneris frondens Lactucula fibris

Præterea (nequis fibras cum radiculis confundat, & misceat) idem Scriptor utrumque lib. XI. distinguit, dum Porri radiculas omnes esse amputandas jubet, & fibrarum summas partes intondendas. Pluribus fortasse quam perspecta judicii tui summa ratio poscebat, circa hanc partem te sum moratus, reliqua in hoc capite brevitate compensabo.

Ibidem ubi ea commemoravi bovis remedia, sequitur: *Vitis albæ caules* III. *fabulos albos* III. De quibus Columella lib. VI. *Multi*, inquit, *caulibus vitis albæ, & valvulis erui bubus medentur*. Quod igitur Cato *fabulos* vocat, hic *valvulas*, nempe siliquarum putamina dicit: alterum *albos* fuisse *erui*, idque Catoni restituendum videtur. De reli-

reliqua Boum medicina quam omnibus apertam & perſpicuam video, nihil quæram amplius.

Accedunt piſtoria opera, non tamen qualia mihi apud te hoſpitanti apponere ſoles. Ea in aliud tempus differam, ut tibi jejuno quo jucundius ſapiant, exhibeam; ex hac enim epiſtola ſatietatis quantum potes, habebis. Vale.

D. Patavio VI. Cal. Febr. CIↃ IↃCC XXXII.

EPISTOLA VI.

Emendatur M. Cato a capite LXXIV. in caput CLVII.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

QUidquid de gratiarum actione habuit M. Tullius vel ad ſenatum ab exilio redux, vel apud Julium Cæſarem pro Marcelli reſtitutione, ea omnia collegiſti, & tibi comparaſti, ut de libris, quos tibi curavi, gratum animum oſtenderes. Videlicet tanti erat convenire librarios, & tua pecunia rem conficere? Mitte, quæſo, has nugas, *quaſi nunc non norimus nos inter nos*, & ſi quid tibi uſuvenit, ſine hujuſmodi blandimentis manda. Sedulo pro meo modulo curabitur. Ex proximis meis literis, quas tibi redditas eſſe ſignificas, quid me a Catone avocaverit, intellexiſti. Væ homini inofficioſo! adhuc ejus ineptias ructo, nec percoquere valeo. Itaque in Catonis cellam me conferam, ut vel pulte Punica, vel ſavillo recreer, nauſeamque deponam. Eo quoque te ſocium arceſſo; quoniam incomitata langueſcit voluptas. Sed ſatis jocati ſumus.

Ad caput LXXIV. Catonem VI. Cal. Febr. reliquimus, a quo in caput XCI. ea docet, quæ coquus & piſtor curant. Hæc ſine dubio ad agriculturam non pertinent, ad patrisfamiliæ rationes tamen maxime conducunt, quandoquidem magis expedit ex domeſtico Lare apponere, quam a foro cupedinario mittere in villam. A pane depſticio exorditur, de quo nihil expeto. Adjungitur libum. In hoc: *caſei p.* II. *bene diſterat in mortario: ubi bene diſtriverit, farinæ ſiligineæ libram, aut ſi voles tenerius eſſe, ſelibram ſimilaginis ſolum eodem indito*. Ex quibus malo *diſteras*, & *diſtriveris*, ut reliqua reſpondeant: *ſi voles*,

indito, *permiſceto*, *addito*, *facito*, *ſubdito*, *coquito*, quæ ad filium Catonis, ut tenes, referuntur.

Placentam quomodo facias, caput LXXVI. te docebit: ego quo vaſe coquas, indicabo. *Ubi depſueris*, *panno oleo uncto tangito*, *& circumtergeto*, *unguitoque ubi tracta erunt*. *Focum ubi coquas calefacito bene & textum*. Quæ ſic diſtinguito: *unguitoque ubi tracta erunt*, *focum ubi coquas*; *calfacito* (ita in utroque codice Florentino) *bene & textum*. Prius enim textum calefacere oportet, focum nequaquam, ſed unguine tangitur, ut bene combibat. Quare *focus* quod ad ignis ſedem tantum circumſcribunt, apud veteres inſtrumentum etiam erat coquinarium, quorum utrunque in vernaculum uſum nos aſſumpſimus, qui *focolare* & locum ignis vocamus, & vas in quo cibi aſſantur. Nam quid aliud indicant, quæ a Catone inſeruntur? *tunc placentam imponito*, *texto caldo operito*, *pruna inſuper*, *& circum operito*. Item: *aperito dum inſpicias bis*, *aut ter: ubi cocta erit*, *eximito*. Et capite LXXV.: *In foco caldo ſub textu coquito leviter?* Quid aliud in Apicio hæc de *offella aprugna*: *Ex oleo liquamina coquuntur*, *& mittitur in condimentum*. *Cum cocta fuerit*, *ſuper adjicitur his cum in foco ſunt*, *conditura?* Jam vero Seneca in epiſtolis dum ſcribit *circa cœnationem coquorum tumultum eſſe*, *ipſos cum obſoniis focos transferentium*, quid aliud niſi vas, demonſtrat? L. ſimiliter Attius in Atrei tragœdia, ut refert Nonius, hoc carmine: *concoquit partem vapore*, *flammam tribuit verubus*, *lacerta in focos*, non aperte ſignificat alia membra in aheno coxiſſe, alia in verubus, alia concidiſſe in focos, ut aſſarentur? Quibus tamen non *flammam*, verum *femen* convenire magis crediderim. Non ignoro eadem in diverſum diſtrahi a Voſſio, modo hæc reponente:

concoquit partem vapor
Flammæ, *lacerta tribuit verubus in focos*;

modo illa: *Concoquit partem vapore flammeo*,
Tribuit verubus lacerta.

Qui ita fluctuat animo, quod ſoci ſenſum non bene calleret. Verumtamen non illi præcinerat haud abſimili carmine in *Thyeſte* Seneca?

Hæc verubus hærent viſcera, *& lentis data*
Stillant caminis: *illa flammatus latex*,
Querente aheno, *jactat*, *impoſitas dapes*
Tranſiluit ignis, *inque crepitantes focos*
Bis ter regeſtus.

Hinc ex *foco*, quod vas amplum, deducuntur *foculi*, quos etiam Cato in ruſtico inſtrumento numerat, & Plautus in *Capt.*

Jubes

Jubes an non jubes aſtitui aulas, patinas elui,
Laridum atque epulas foveri foculis ferventibus.

Idem in *Perſa* :

At edes jam ; nam intus ventris fumant focula.
Calefieri juſi reliquias

A foci & foculorum uſu orta verba *focillo* & *refocillo*. Porro a foculi forma vaſa ſive ærea ſive fictilia vocantur *foculi*, in quibus ad arcendum frigus hiberno tempore prunæ aſſervantur. Ideo Mutius Scævola dextram accenſo ad ſacrificium foculo injecit, & Sibylla in foculo etiam, inſpectante Tarquinio, libros combuſſit. Quoniam itaque quid eſſet *focus* & *foculus*, tenemus, opportunum eſt ad Catonem redire, atque ad placentam, cujus partem librariorum negligentia inuſtam indicabo.

Confecta placenta, ad focum ut coquat, regreditur Cato, & inquit : *ornatoque focum deinde premito temperatoque*. Ita accepit Jenſonius atque edidit. Aldus deteriora hauſit, niſi ſi peperit : *ornatoque focum de junipero, temperatoque*. Quænam ſequar? Neutra ; ſiquidem optimus & vetuſtiſſimus liber diſſimilis, exſcribente Politiano : *ornatoque focum de veprimo temperatoque* ; referente autem Victorio : *deve primo*, quocum S. Reparatæ codex conſentit. At, inquies, numquid iſta integra? Non ita inſanio : tamen ut Catonianas reliquias agnoſco & recipio. Certa tamen emendandi ratio non patet. Scribam tamen quid ſentiam, quando tecum jocari licet. Id quidquid eſt, ſtomachari noli. Conjicio autem *de* fuiſſe *adepe* partem, *e* litera propter analogiam retenta, alterum *veprimo* ſive *veprino* (quod ex Politiano etiam habeo) *verino*; nemo enim non novit focum, antequam offas placentaſve imponant, adipe ſuillo parari. Age experiamur num conjectura procedat : *ornatoque focum adepe verino, temperatoque. Tum placentam imponito, texto caldo operito, pruna inſuper, & circum operito*. Omnia concurrunt, ſi recta intelligentia animadvertamus. Hoc amplius ex Victoriano *deve primo* conflari poteſt : *adepe primo*, tanquam præcipuo, velut qui primus liqueſcit : vel *primo* de butyro accipiendum ; quod inter adipes butyrum præſtat.

Ab hoc ſcopulo & vadis vix emerſi, in aliud malum incidimus in ſpiram nempe quæ placentæ annectitur. De hac ſcriptum eſt : *inde tanquam reſtim tractes, facito. Ita componito in ſolo ſimplicibus completo bene arcte*. Quis Scyllam iſtam *ſimplicibus*, ſive, ut excuſum ab Jenſonio, *de ſimplicibus* ſuperare poterit? Equidem ſi quibus partibus conglutinatum fuerat, conſtaret, aliquid conjectando fortaſſe eruere poſſem. Sed quoniam

ita efformatum eſt, reciſis quæ eminebant, membris, ecquid pro auctoris dignitate non reparari, ſed inveniri excogitarique poteſt? Quod minus obſcurum videtur, compoſitum aſſerere auſim. Cedo, inquies, ex quibus? Scribamne quod mihi primum in mentem venit? Scribam profecto, quando optima eſſe audivi quæ prima obtulerit fortuna. Cogitanti itaque mihi ac diligentius perpendenti hoc unum occurrebat *ſimplicibus* cum *de* Jenſoniano fuiſſe *reſtim plexibus*, nempe: *reſtim plexibus completo bene arcte*. h.e. comprimito ne plicaturæ appareant, ut de ſphærita quam ad ſpiræ modum faciendam præcepit, loquitur: *ſphæras pugnum altas facito, eas in ſolo componito, denſas eodem modo componito, atque ſpiram*. Verum dices quid *ſphæras*? Arbitror fuiſſe *ſpæras*, aſpiratione, ut mos ferebat, dempta, unde mox *ſpira*. Certe potius *ſpæra*, a cujus ſimilitudine *ſpærita*, quam *ſpira*.

Ad alia progrediamur, Scriblita, globis, Encyto poſthabitis. Erneo autem ipſiuſque capiti lxxx. reſtituam *facito*, quod in argumentum ſubductum eſt: *Erneum tanquam placentam facito. Eadem*.

Quatuor deinde capita tranſgreſſus, verba cap. lxxxvi. *indat*, *lavet*, *deterat*, *eluat*, *coquat*, *addat*, neque principio: *Graneam triticeam ſic facito*, neque Catoniano modulo accommodata verterem in *indas*, *laves*, *deteras*, *eluas*, *coquas*, *addas*. Nec minus in capite proximo duo diſcrepantia *indat* atque *addat* adimerem, reſcribendo *indas*, *addas*, ſive *indito*, *addito*, ut *facito*, *purgato*, *exſiccato*, & alia in eodem loco. De capite ſimiliter lxxxix., & de his *concludat*, *faciat*, *intinguat*, *indat*, *addat*, *conſideret*, *farciat* quis ambigere poterit, dum etiam circumpoſita videt *farcito*, *dato*, *alito*? Quot enim ſunt, quibus iſta facienda edicuntur? Nonne unus, id eſt filius, quocum loquitur, & ad quem reſpicit Cato? Ideo ut prima & ultima tali perſonæ conveniant, ita media ordinanda ſunt. Illud vero ſubobſcurum in fine: *ne plus aqua ſita ſiet horam unam* ſic accipies, ut horæ tantum ſpatio avibus bibendi poteſtatem facias.

De Palumbis caput inſequens quædam ſubiicit ſcribenda. Et primum nemo tibi perſuadeat hoc initium tanquam Catonianum: *Palumbum recentem ut prenſus erit*. Ut multa a Catone exempta ad argumentum traduxerunt, ita huic capiti detractum fuiſſe verbum index oſtendit. Reponamus igitur, diis bene juvantibus: *Palumbum recentem ſic farcito. Uti prenſus erit*, quod Jenſonii exemplari confirmatur. Eodem modo de Gallinis Anſeribuſque farciendis ſupra habemus: *Gallinas & Anſeres ſic farcito*.

Deinde: *Poſtea Fabam freſam puram, & Far purum facito, & Fa-*

bæ

bæ tertia pars uti inferveſcat. Tum Far inſipiat, puriter facito, & coquito bene. Quæ, ſi tantum dabis, alio modo digererem, pauculis immutatis: *Poſtea Fabam freſam puram, & Far purum facito. Et Fabæ tertia pars ubi inferveſcat, tum Far inſipias. Puriter facito, & coquito bene.* Ubi Faba inſerveſcit, tum Far iniicito.

Annectuntur hæc: *id ubi excoxeris, depſito bene*; quæ ab Aldo: alia ſunt prima edita: *id ubi excuſſeris*; alia antiquiſſima ex Politiano: *id ubi exluſeris*, *L* pro *C* poſito. Niſi malimus, *exlueris* ab *eluo* apud priſcos fortaſſe *exluo* ſimplicium vocum literis componendo ſervatis. Utrumque præſtat quam Aldinum, quod frigidum, quale a deterrimo fonte.

Hæc fidentius ſcribebam. De his dubitanti ſimilis agam: *Poſtea magis depſes, oleo tangito, depſitoque dum poteris facere turundas.* Optarem *depſito uſque dum poteris*, ceu alia Catoniana: *uſque dum impleveris*: *uſque dum odorem malum dempſeris.* Nihil tamen, niſi te auctore, conſtituam.

De amurcæ utilitate & medicina a capite XCI. in caput CIV. præcepta ac laudes congerit Cato, quorum nonnulla ſeligam, atque illuſtrabo. Itaque in extremo capite XCV. in cunctis excuſis libris ſine ulla differentia habetur: *Convolvolus non naſcetur*. In optimo Victorii non *naſcebit*, quod in margine vertitur in *non nocebit*. Per ea ſane quæ affert Cato, ne Vitibus Convolvulus noceat, prohiberi quidem poteſt; ne naſcatur, nullo modo. Idcirco *non nocebit* antiquius mihi erit; præſertim cum videam Catonem de Curculione eadem ſcribentem: *curculio non nocebit*: de tineis: *ſi ita feceris, tineæ non nocebunt*: de ricinis: *ſi hæc ſic feceris, ricini non erunt moleſti*: de area amurca ſpargenda: *neque formica nocebit*. At enim, inquiet quis, nonne Plinius vulgata tuetur, dum lib. XVII. ex Catone prodidit: *ita non fore convolvulum*? Quid opus ex Plinio argumenta arceſſere? Idem Cato non præpoſuit: *Convolvolus in vinia ne ſiet*? Expleto Plinium: *ita in vinea non fore convolvulum*. Sed in qua vinea? Ubi nempe medicamentum addideris; non ubi medicinam non feceris. In agro igitur convolvulus naſcetur, ad medicatam tamen vineam non advolabit, eique non nocebit, neque in ea erit.

Et quoniam quaſi caſu in hunc Plinii locum incidimus, vitium capitis XCIV. apud Catonem indicabo. Ut enim groſſos Fici teneant, *cum ver appetet, terram adaggerato bene*. A quibus priſca edita diſcrepant: *cum ver apparet, terram adaggerato terram*. Quid eſt iſta terræ geminatio? Cur alterum in *bene* ab Aldo converſum? Numquid rei magis

con-

conſentaneum non erat ex Plinio emendare: *terram adaggerato veterem*; quod veteri & requieta terra Ficus plurimum lætatur, non quacunque?

Vetuſta ſimiliter edita in capite C. mihi magis probantur: *Oleum ſic in metretam novam inditurus eris. Amurca ita uti eſt cruda*, quam poſteriora: *Oleum ſi in metretam novam inditurus eris*; nam illa conſueta Catoni initii formula. Memoria quoque repeto me apud Creſcentium lib. v. ubi multa a Catone exſcribuntur, inter *colluito* & *agitato* inveniſſe medium *oppillato*, videlicet: *prius colluito, oppillato, agitatoque diu, uti bene conbibat*. Quod non omnino contempſi.

Hactenus de amurca. De vino qua ratione ad potum, & qua ad medicinam condiatur a capite CIV. in caput CXVI. multa aggeruntur, & miſcentur. Inter quæ capite CVI. aquæ marinæ concinnatio perſcribitur, cujus uſus in vini confectione late veteribus patebat. Tale autem capitis principium conſtituunt: *Aquæ marinæ quadrantal* I. Quibus male detracta ſunt, quæ in indice legimus: *Aquæ marinæ concinnatio*. In eodem capite inveniuntur: *Biennium in ſole ſinito poſitum eſſe*. Quod *biennium* nulla ratione defendi poteſt; ideo ſcribendum *biduum*. Itaque de vini Coi confectione: *ne plus quatriduum in ſole ſiveris*, ubi in vetuſtis libris iterum erratur, *quadriennium*, ut Victorius adnotat, ſcribentibus.

Inſequens quoque caput fœdius mutilatum jacet: *ſapæ congios* VI. Abſunt in indicem diſtracta plura: *Quo labra doliorum circumlinas, uti bene odorata ſient, & nequid vitii in vinum accedat*. In hoc ipſo extremo capite differunt inter ſe primi formis excuſi libri, & manu exarati; illi: *ſiquidem plus voles aquæ marinæ concinnare, pro portione ea omnia facito*; hi: *ſiquis plus voles*. Fortaſſe: *ſiquid plus voles*.

Hæc breviter attigiſſe ſatis habui: ad caput CX. traductus ipſum qua ex indice, qua ex Catoniana regula redintegrabo: *Odorem deteriorem demere vino ſi voles. Teſtam de tegula craſſam puram calfacito in igni bene*. Capiti vero CXII. a primis editionibus *puta* pro *pura*, ut antiquiores maluere, repeterem, ſi vera quamvis inculta ſunt eligenda.

Duo hinc capita expendam CXIV. nempe, & CXV., quæ ex Elleboro nigro qua ratione ad movendam alvum paratur vinum, docent, & eadem docent; ideo quis utrunque ab eodem auctore eſſe contenderit? Illi tamen deeſſe opinor *atri*, ſcilicet Ellebori, quod tam in appendice ſervatum eſt, quam in capite CXV. Præterea etiam Dioſcorides atrum Elleborum circa Vitis radicem humari ſolitum, ut vinum ventrem deiiciat, memoriæ mandavit. Retulit etiam in ſuos commentarios Plinius, vinum Elleboritem quo maxime modo ex Veratro nigro fieret, docuiſſe Catonem.

Poſtea

Poſtea in capite CXVII. *mutet*, *exprimat*, *conjiciat*, *addat*, *condat*, verterem in *mutes*, *exprimas*, *conjicias*, *addas*, *condas*; quid enim aliud expoſcunt tum retenta ſemper ſemel inſtituta ſcribendi norma, tum quæ ſequuntur: *voles*, *utitor*, *calcato*, *ſumito*?

Cum multa ſint quæ perturbatum hoc opus mihi perſuadeant, tum illud in primis quod capite CXXIV. comprenditur, maximum probationis momentum afferre mihi videtur. Quid enim inter vini condimenta Canum commemoratio? An quia hæ compoſitiones magis metuunt furem, quam reliqua quæ in villa reponuntur? Non de Bubus Ovibuſque ſcripſit Cato, quibus cuſtodes Canes melius apponerentur; non de ruſtica ſupellectile, & conditis fructibus fuſius egit, quæ majorem cuſtodiam requirebant, quam medicinæ? Nunquam etiam placentam vel libum parante Catone, in colinam Canes introierunt, ut eorum mentio fieret? Nihil iſtorum profecto aptum viſum quibus Canes adjicerentur. Solæ vini compoſitiones inventæ, quæ contra coxendicum dolores parabantur. Perſpicuum itaque eſt, iſta neque a Catone, neque ab alio qui modo ſe eſſe hominem cognoſceret, hoc pacto ordinata, verum quo caſus tulerit, aggeſta ac coacervata. Quis etiam Catoniana eſſe probaverit? In tanta enim rerum perturbatione aliquid exſtrinſecus aſcitum credendum; ſiquidem ſi a Catone eſſent, non *ſint* & *clauſos* ſcriberetur, ſed *ſient* & *cluſos*. Quid? Varro non abſimilia de Canibus prodit? Illa tamen ex Varronianis eſſe continuo non urgeo. Hoc tantum (quod facile conceſſeris) ſive Catoniana ſint, ſive non, aliena in ſede, ut multa alia, collocata eſſe affirmabo.

Omiſſis capitibus CXXV., CXXVI., in capite CXXVII. expedire mihi ne recuſa quid ſequamur, vetuſtoſne libros, in quibus excuſum eſt: *ad dyſpepſiam & ſtranguriam malum Punicum ubi florebit, colligito*; an ſequioris ætatis volumina quæ illa ita augent: *ad dyſpepſiam & ſtranguriam mederi malum Punicum ubi florebit, colligito*. Nam utraque exquiſitius diſtincta ſententiam pro Catonis inſtituto non malam aſſequuntur: illa autem ſic ordinarem: *Ad dyſpepſiam & ſtranguriam. Malum*: hæc vero: *Ad dyſpepſiam & ſtranguriam mederi. Malum*; quæ ſimillimo cap. CXXII. exemplo confirmantur: *vinum concinnare, ſi lotium difficilius tranſibit*.

Perge hinc mecum ad capitis extrema: *dato jejuno & puero pro ætate triobolum, & vini heminam*. De potionis modo dubitandi cauſam invenio; nam puero vini heminam præbere, quæ pro potu in diem operario datur, non ſani medici videtur. Opinabar itaque *vini* fuiſſe *viro*; quippe verminibus ac tineis tam viri quam pueri tentantur, licet hi

fre-

frequentius. Itaque puero dato ad trioboli pondus : viro heminam, ut capite CXXVI. adversus tormina, & si alvus non consistit, item contra lumbricos jejuno homini heminam bibendam definit. Præterea quid opus apponere vinum, quando potio ex vino constat?

Caput CXXIX., & CXXX. alia de amurcæ usu repetit, etiam a Plinio relata; ideo caput XCI. de area paranda ad Catonem non pertinet, si istud CXXIX. quod eadem præcipit, Catonianum esse ex Plinio comprobatur.

Nunc cognosce cur capitis L. appendicem in caput CXXXI. distulerim; illa enim hujus exemplum est, neque lac lacti tam simile. Quid igitur eadem modo huc, modo illuc nullo delectu asperguntur? Videlicet hoc ipsum librariorum vitio? Id neque affirmare audeo, de quo dubitandum est, neque etiam cum in aliis factum appareat, omnino inficiari. Maximi tamen momenti conjecturam duco, quam ex Plinio desumam. Describit hic lib. XVIII. quæ in Catonis capite L. continentur; quibus expositis, ad caput CXXXI. transitum facit, ipsumque excerpit. Cur, amabo te, tanto intervallo dissita consectatur, quæ proxima erant, capiti L. subjecta, & quasi connexa? Censesne, si eo modo quo nostra ætate ordinantur, quondam constituta essent; ex remota potius sede susceturum fuisse eadem Plinium, quam ex vicina? Accedit Cato, qui præpositis quæ, dape pro bubus facta, maturanda erant ab agricolis, continuo capite proximo CXXXI. quo ritu dapem fieri oporteat, describit. Hæc quidem capiti L. non adduntur. Quibus nonne appendix ista dubia atque incerta declaratur? Nec secus censendum de capitibus LI. LII., CXXXIII., quod illa hujus exemplar esse liquet; ideoque Plinius hoc secutus est, non illa. Adde de Platano quæ tibi proxime misi : ex illis venit in caput CXXXIII. insititium, quod mox in Plinium etiam translatum. Hoc tamen caput inhonoratum non dimittam; ex Politiano enim rescribam pro *Avellanas Abellanas* ab Abella, ac *biemum* pro *binum*; nam a *biennis* primum *biemus*, deinde *bimus*. Nisi forte *bienium* legendum, quod in Jensonio *biennium*.

De porca præcidanea capite CXXXIV. sacra peragit Cato; immolare enim porcam, antequam messem inciperet, rustica illa simplicitas solebat: quæ ita appellabatur, quia ante novas fruges præcideretur. Itaque : *Priusquam messim facias, porcam præcidaneam hoc modo fieri oportet. Cereri porca præcidanea, porco fœmina, priusquam hasce fruges condantur; Far, Triticum, Ordeum, Fabam, semen rapicium, thure, vino Jano, Jovi, Junoni præfato*. Ex quibus *hasce* cum *hæce*, ac *Fabam* cum *Fabæ* commutarem, ut cum verbo *condantur* recte copulentur; vetustissimi enim,

nim, ut ſcribit Priſcianus, *ce* pronomini articulari vel demonſtrativo adjungere ſolebant, quod ſecuti mores, in illis caſibus quæ in *ſ* deſinunt, retinuerunt. Deinde ad majora aggreſſus ſacrificium ſic ordinarem: *Priuſquam meſſim facias, porcam præcidaneam hoc modo fieri oportet. Porco fœmina* (*priuſquam hæce fruges condantur, Far, Triticum, Ordeum, Faba, ſemen rapicium*) *thure, vino, Jano, Jovi, Junoni præfato*. Cur autem: *Cereri porca præcidanea* damnem, atque eximam, ſi me rogabis, facile reſpondebo, plus juſto congeſtum mihi videri atque ex margine petitum. Quid enim porca præcidanea niſi porcus fœmina ante fruges cæſa, & diis ſacrata? *Cereri* vero qua de cauſa reſpuam, ſic dicam: tribus diis ſacra fieri Jano, Jovi, Junoni, quibus ſingulis fertum movetur, exta porriguntur & vinum: Junonem cui præfatur, eandem eſſe ac Cererem, quam extremo ſacrificio Cato nominat; ideoque ſi Cererem initio retineamus, numina non tria ſed quatuor futura, libationes tamen tres; propter quod jejunis faucibus deum unum abiturum incœnatum.

In capite cxxxv. novæ diligentiæ cauſa mihi oritur, cui multa ſubtrahuntur in argumentum, multa etiam vitiantur. Exordiuntur ita: *Romæ tunicas, togas, ſaga, centones, ſculponeas*. Quid faciam, non intelligo. Induamne Romæ iſta, an feram, an vendam, an contempler ignoro. Dicent: ex argumento ſcies. Cur ergo demitis, quæ neceſſaria? quod enim ablatum non minuit, ſed extinguit ſententiam, Catonianum eſſe fatendum. Reponamus igitur: *Quemadmodum tunicas cæteraſque res, & ubi emas. Romæ tunicas*. Quo *emas* reguntur emenda uſque ad *treblæ*, inde ceſſat, & rectos caſus *treblæ, tegulæ, vomeris* moderatur *optima erunt* vel *erit*; ideo: *fiſcinas Romanicas* depravatum habeo ex *fiſcinæ Romanicæ*, ſive priſco more: *fiſcinai Romanicai*. Porro *trapetos latos maximos, trapetum latum ad faber* & *faciet* refero.

Perpendamus alia: *aratra in terram validam Romanica bona erunt, in terram pullam Campanica: Juga Romanica optima erunt. Vomis inutilis optimus erit: Trapeti Pompeis: Nolæ ad Rufri maceriam claves: cloſtra Romæ*. Inter quæ *indutilis* alii in alia vertere & fingere conati ſunt: mihi ſeparandum videtur: *inde utilis* a Campania ſcilicet; nam Calibus & Minturnis optima eſſe ferramenta declarat Cato. At de illo: *optimus erit?* Librarii vel interpretis erratum credere poſſumus, vel quid ſit *inde utilis*, declarantis; vel poſt depravationem, ſententiam eo modo explentis. Si tibi id judicium non eſt, ad inſequentia revoca, & cum *Trapeti* compone hoc exemplo omnibus digeſtis: *Aratra in terram validam*

dam Romanica bona erunt, in terram pullam Campanica: juga Romanica optima erunt, vomeris inde utilis. Optimus erit Trapetus Pompeis, Nolæ ad Rufri maceriam. Claves, cloſtra Romæ. Etenim Pompejis & Nolæ optimos eſſe trapetos, & optime emi capite XXII. docemur. *Vomeris* autem & *Pompeis* ex antiquo codice reſcripſi; quamvis etiam *vomeris* ab Jenſonio excuſum ſit.

Nolæ fiſcinæ Campanicæ. Hæ hamæ utiles ſunt. Quidam *hæ hamæ* improbant; quidam id cum ſequentibus eximunt. Quibus aſſentiri non poſſum, niſi alia ſcriptura lacunam expleant. Equidem *hæ hamæ* perlibenter repudio; quoniam ab Aldo, & a peſſimo exemplari infertum eſt. Prima edita *caniæ*, & Politiani reſcriptum *Eamæ* (quod in Veneto & Cæſenate codicibus extat) cui liber S. Reparatæ adiicit *a æamæ*, reiicere non valeo; & puto fuiſſe *olariæ*, hoc eſt: *Nolæ fiſcinæ Campanicæ olariæ utiles ſunt*, ut caput CLIII. aſſervat: *Fiſcinas olearias Campanicas duas illæ rei habeto.*

Ex capite LXIII. huc, ubi male ſcriptum eſt: *ſubjuga in luſtrum lora p. XIX.*, afferam *ſubjuga in ploſtrum lora p. XIIX.*, numerorum notam eandem conſtituens; ſiquidem de XIX. medium ſignum facile demi poteſt.

Quæ de capitis CXXXV. initio ſcribebam, volo eadem in capite CXXXVI. perſpicias: *in agro Caſinate & Venafro in loco bono parte octava corbi dividat.* Quid dividam? Non vides quid titulus ſignet: *Politionem quo pacto dari oporteat?* Apponas igitur qui ſciam. Recte mones. Id & capiti inſequenti curabo: *Viniam curandam partiario uti des. Bene curet fundum.* Reliqua tibi cognita credo, qui tuum fundum ſuburbanum probe per partiarium curatum vidi.

Itaque ad ferias venio, ex quibus capite CXXXVIII. Cato recipit: *arvehant ligna, fabalia, frumentum quod non daturus erit.* Scribit Columella licuiſſe conductori vineam conductam feriis colere, ac cogere fructus. Hinc opinor partiario, de quo proxime locutus erat Cato, non licuiſſe quod cum domino diviſurus erat, vehere, propterea eſſe adiectum: *quod non daturus erit.* Etenim conductoris gravior eſt conditio quam partiarii: ille non modo ſumptus facit, ſed etiam pecuniam pro fundo conducto ſolvit: hic ſumptus tantum; ideo conductori majus detrimentum imminet, ſi fructus propter malas tempeſtates vel cunctationem amiſerit, quam partiario qui dimidium ſolum deperdit. Hæc ex communi ſcriptura. Attamen talia commentanti obiicitur antiqua de codice S. Reparatæ expreſſa: *quod non daturus erait* qua in diverſum rapior, & conjectura ad ſuſpicandum impellor fuiſſe: *quod non datur uſu-*

rai,

rai, ſcilicet fœnerari per ſe inhoneſtum & vetitum feriis exerceri non licuiſſe: Quod religioni conſentit.

Feriis alia ad veterem religionem attinentia annectunt capita CXXXIX., CXXXX., CXXXXI.. Primum de ſacris lucis cædendis ac conlucandis agit, quod piaculo, ideſt ſacrificio procurat Cato, ne ſe familiamque piacularem faciat. Alterum, ſi reciſis ſtirpibus, ſodere & ſerere ibi velis, ſacra & ritus eſſe repetenda monet: *Si fodere velis altero piaculo eodem modo facito, hoc amplius dicito: operis faciundi cauſa: cum opus quotidie per partes facito. Si intermiſeris.* Quorum ſenſus obſcuratur, dum ita ſcribuntur. Expedit itaque hoc modo: *Si fodere velis, altero piaculo eodem modo facito: hoc amplius dicito: operis faciundi cauſa, dum opus quotidie per partes facito. Si intermiſeris.* A Politiano & Cæſenate exemplari *dum* pro *cum* ſubſtitui, id eſt *dummodo*.

Tertium de agrorum luſtrationibus tractat, in quo vetuſtiſſimum ſacrificium duplici ſcriptura notatur: in antiquis editionibus *ſolitaurilia*, in ſequioris ætatis, atque etiam in manu exaratis exemplaribus probatiſſimis: *ſuovetaurilia*. Utrunque defenſorem inveniet: illud Feſti auctoritate nititur: hoc Quintiliani & Livii, quod ex tribus diverſi generis hoſtiis Tauro, Sue, Ove denominatur, quibus hoc loco cum aſſentiatur Cato, antiquam vocem retinebo, nec quæram num ſolitaurilia ad tres hoſtias pertineant, an ad Taurum tantum, ceu illa Virgilii:

Cum faciam vitula pro frugibus.

aut hæc: *Cæſis primum de more juvencis,*
Exorat pacem divum.

Interea dum circumaguntur ſuovetaurilia, viſne pompam ſpectemus, & antiquum ritum? Nam religione quadam tacti librarii multam vetuſtatis effigiem hic reliquerunt, non omnem tamen, ut: *beneque evenire ſinas*, quorum extremum *ſiris* in Victoriano codice ſcribitur. Eo uſum Livium video: *ne iſtuc Jupiter Opt. Max. ſirit:* eo Plautum:

Per deos atque homines dico, ne tu illum agrum
tuum ſiris unquam fieri.

Nec non: *Mars pater, quod tibi illuc porco neque ſatisfactum eſt, te hoc porco piaculo*; autumo enim *illoce porco* & *hoce porco* eſſe oportere. Sunt alia quæ ad librarios item refero, non tamen ad priſcam ſcribendi rationem, ut: *mando tibi Mani*; nam *Mani* loco illius quo uſurus erat in ſacrificio, ſupponitur. Quare *Manli* potius, quod capite CXLIV., & CXLV. uſurpat Cato. Similiter: *nominare vetat Martem neque agnum, vitulumque*. Si antiquas editiones, ubi *vetat matrem* excuditur, inſpiciamus, *Martem* ab Aldi officina emanaſſe dicemus. Hoc

matrem tandem quale eſt ? Porcam autumo , hoc eſt naturam qua fœminæ ſunt ; ideo in ſacrificiis cum porca immolaretur , porcum fœminam nominabant , vocabuli obſcenitatem evitantes . Qua de re , ubi in Varronis lib. II. R. R. editum eſt naturam in virginibus appellari *porcum* , eſſe debere *porcam* , ut nonnulla exemplaria retinent , arbitrabar . Cur vero neque agnus , neque vitulus in ſacris nomen habeant , alii alia afferunt , quæ nos minime morantur . Hoc conſtat in Catone non nominari , & ſuovetaurilibus comprendi . Porcus nominatur . Perſpicuum etiam eſt nos veriſimilia ſecutos capiti CXXXIV. *porca præcidanea* recte exemiſſe , ſi cum diis præfabantur , porcam nominare non licebat . Itaque *nominare vetas* (illi cui ſacrificium peragendum mandas) *matrem* . Reponamus amplius a Politiano edocti *dubitavit* pro *dubitaverit* , quod ad ſacrificii procuratorem reſpicit . His nobile carmen ex Horatio tibi exſcribam , quo propoſita illuſtrabo , teque a moleſta cura reficiam :

Agricolæ priſci , fortes parvoque beati ,
Condita poſt frumenta , levantes tempore feſto
Corpus , & ipſum animum ſpe finis dura ferentem ,
Cum ſociis operum , & pueris , & conjuge fida ,
Tellurem porco , Silvanum lacte piabant ,
Floribus & vino Genium memorem brevis ævi .

Cum plurimum interſit ruſticarum rerum peritum , ac moribus compoſitum , habere villæ præfectum , parum viſum Catoni de villici officiis capite V. præcepiſſe ; iterum de eadem re cap. CXLII. , & CXLIII. agere inſtituit . Primum eſt : *Quæ dominus præcepit* . Probaſne hoc ſincerum ? Quidni ? At Catonianum ? Nullo modo , ſi antiquum Victorii exemplar legeris , ubi hæc : *Quæ domino præceps* . Quibus extremis ſi particula *it* apponatur , ea fit ſententia quæ mihi pulcherrima atque optima viſa eſt . *Præcepſit* autem pro *præceperit* , ut vetuſtiſſimi uſurpabant . Fortaſſe tamen inſanire tibi videbor , quod boni quid atque elegantis ſenſus hinc polliceor . Et inſaniam per Jovem , ſi *præcipio* , ut vulgo fit , hoc in loco interpretemur . Id primigenium ſpecto , ut *antecapio* , *præoccupo* , *prævideo* . Quapropter quæ domino villicus præceperit , idem ſic intelliges , ac quæ villicus præviderit in rem domini fore . Hac ſignificatione perraro uſurpatur , tamen eam numeris concludit vates :

Omnia præcepi , atque animum mecum ante peregi .

Item hoc alio carmine :

Exultatque animis , & ſpe jam præcipit hoſtem .

Quan-

Quanquam quid perraro? Nihil hoc frequentius; quod enim alicui præcipitur, id quod bonum atque illi utile futurum prævisum est, prædicatur. Et quoniam nemo in bonum & fructuosum natura non ducitur, tanquam mandatum quisque sequitur, quod sibi profuturum cognoscit. Propterea quicunque aliqua in re optima demonstrat, a præcipiendo, hoc est prævidendo *præceptor*, & prævisa *præcepta* & habentur, & dicuntur.

De villici officiis hoc solum tibi considerandum trado, ut qui mihi semper utilia præcepisti, pristinum munus ne deseras. Sunt alia illis finitima quæ de legendis vendendisque fructibus per septem capita digeruntur; quippe si dominus, ut his moribus evenit, domesticæ rationi interesse dedignetur utique villico cedunt. Hæc nos non prætervolamus. Capite igitur cxlv. de legenda olea sancit quædam perutilia Cato, quæ tam ad dominum fundi, quam ad conductorem pertinent æquo jure. Ad conductorem hæc: *legulos quot opus erunt, præbeto & strictores. Si non præbuerit, quanti conductum erit, aut locatum, deducetur.* Cum ad veterem scripturam proditam a Victorio *fictores* me converto, repositi *strictores* pœnitet: cum Victorium, qui præstantissimus in hoc genere floruit, specto, acquiesco, & confirmo. Tamen ne nimiæ verecundiæ a te damner, perpende mecum pro tua virtute & acumine, quid sequendum nobis sit amplectendumque. Alios esse legulos, alios strictores asserit Victorius, hoc est, alios qui de arbore pendentem oleam legunt, alios qui e terra caducam: illos *strictores*, hos *legulos* vocari. Quod probe animadversum est. Nihilominus leguli nomine utrunque concludit Cato, quandoquidem sive de arbore, sive de terra quis oleam legerit, semper legit: *leguli*, ait, *volunt uti olea caduca quam plurima fiet, quo plus legatur: Factores uti in tabulato diu fiet, uti fracida fiet, quo facilius efficiant.* Ubi strictores qui caducam oleam quam plurimam malle debent, quam leguli, quo citius legant? Legulos itaque eos esse videmus qui pendentem oleam, quique caducam de terra legunt, dum cupiunt potius ab humo legere, quam de ramis; quoniam eo modo opus celerius absolvunt, & ad id etiam pueros ac mulieres delegant. Sed attende alia quæ ex capite cxlvi., quo olea pendens venit, tibi commemorabo: *Si emptor legulis & factoribus qui illic opus fecerint, non solverit, cui dari oportebit, si dominus volet, solvet.* Ubi *strictores* qui neque ad legendam oleam præsto sunt, neque, perpetrato opere, ad mercedem accipiendam? Latent fortasse in *legulis?* Latent profecto, ut ex his clarius cognosces: *assiduos homines quinquaginta præbeto, duas partes*

stri-

ſtrictorum præbeto. Legulos ad opus aſſiduos L. præbeat conductor, ex quibus duas partes ſtrictorum paret; ſiquidem difficilius legitur olea ex arbore, quam e terra acervatur. Redeamus ad prima: *legulos quot opus erunt præbeto*. His & ſtrictores & leguli comprenduntur; addit tamen & *ſictores*, quos accipio qui ligna cædunt, atque ad cogendum oleum in torcularium ferunt. Pergit lex: *ſi non præbueris* (nam ſic potius quam *præbuerit*) *quanti conductum erit aut locatum, deducetur. Tanto minus debebitur. De fundo ligna & oleam ne deportato.* En quid ſtatim prohibetur: ne ſictores ligna, ne leguli oleam furentur. Ad ſictores illud etiam cap. LXVII. ſpectat: *ligna in torculario ne cædant.* Qui igitur recentioribus *ſectores*, antiquis *ſictores* erant a *ſico*.

Poſtquam de olea legenda & facienda quæ ſtipulari debeat conductor inter ſe ac dominus, commemoraſſet Cato, prævidens fore, ut multi pendentem potius fructum, quam coactum e cella mercatori traderent, his quoque conſulendum ratus, certas leges & conditiones conſtituit, quas in rem domini eſſe videbat. Ad pactam itaque pecuniam accedat, inquit, olei olivæque tam caducæ, quam ſtrictivæ certus modus, & reliqua quæ ipſius verbis reddam: *Modio oleario menſum dato unguinis pondo X. Ponderibus modiiſque domini dato iri primæ cotulas duas*. Quæ partim obſcura, partim aperte vitiata. Obſcura fiunt, male interpuncta; clareſcunt ſi ſcribamus: *modio oleario menſum dato. Unguinis pondo X. ponderibus modiiſque domini dato*. Illa ad menſuram olivarum quas dominus ſibi recipit, ſpectant: hæc ad vaſa torcula, ne atterantur. Depravata igitur reliqua. Popma *iri* expandit *in rem illam*, quod non contemnerem, ſed valde admirarer, ſi proxima *primæ cotulas duas* convenirent. Equidem quod tradat Cato, aſſequi viſus ſum, verba tamen reponere mihi non aſſumam. Pro vaſis cæteroque inſtrumento, quibus ad oleum faciendum redemptor utitur, quid domino eſſe ſolvendum video, ne gratis præbeantur, Catone præſertim legislatore. Propter quod conjiciebam, quid vetuſtate eliſum. A Politiano plura exſcripta habeo *irs prs prſmæ cotulas duas*; eademque in exemplari ad S. Reparatæ leguntur hoc exemplo: *iri pri primæ cotulas duas*. Quæ explerem: *i. r. i. preſſuræ privæ primæ cotulas duas*, nempe pro trapetis cæteriſque inſtrumentis dato olei cotulas duas in ſingulas preſſuras primas, quantum dominus dum ſuo ſumptu oleum exprimit, factoribus dat, ut capite LXVII. indicatur, quod huc educam; ad iſta enim intelligenda maxime conſert: *Factoribus det in ſingulos factus olei ſextarios*, hoc eſt cotulas duas. Erunt tamen qui putent, *primæ* otiari, quod eſt longe ſecus; nam ter minimum factus

prelo

prelo subjicitur, ideo haud æquum esset ex singulis pressuris binas cotulas exigere, dum de extremis minus fluit. Propterea interponitur *primæ*, ut modus servetur, & qualitas existat; quod primæ pressuræ oleum melius & purius. Id ex Columella de oleo conficiendo lib. XII. Cap. L. loquente confirmatur: *Sint*, inquit, *in cella olearia tres labrorum ordines, ut unus primæ notæ id est primæ pressuræ oleum recipiat, alter secundæ, tertius tertiæ; nam plurimum refert non miscere iterationem, multo minus tertiationem cum prima pressura, quoniam longe melioris saporis est, quod minore vi preli quasi lixivum defluxerit*. Hæc de codice S. Reparatæ. Politiani autem scripturam solertioribus perpendendam relinquo; notæ enim S quid aliud indicare videntur. Quod quid sit, non me assequi fatebor.

Abeamus e torculario in vineam, ubi uvæ vendendæ præconium tibi canam: *locus vinis a. d. k. Octobr. primas dabitur, si non ante ea exportaveris, dominus vini quid volet, faciet. Cætera lex quæ oleæ pendenti*. Quæ extremo capiti CXLVIII. iterum subnectuntur librariorum opera, per quos tanta in turba & perturbatione versatur Cato. Cæterum hic locus in quo prave scriptum est *exportaverit*, admonet ut alia vitia in istis legibus indicem, ut de olea legenda: *si sumpserit*: pro *si sumpseris*: ut de olea vendenda: *ne quid eorum de fundo deportato. Siquid deportaverit*, melius *deportaveris*; item: *si non reddet, æquum solvito, reddes* quidem: ut de vino vendendo: *vinum accipito ante K. Jan. primas: si non ante acceperit*, nempe *acceperis*; ut demum de vendendo pabulo: *prato sicco decedat*, quod credo *decedas*, ut anteriora *occipito*, & posteriora *decedito* concurrant.

Sed in illo de vini venditione hoc amplius: *quod admensum erit, pro eo dominus resolvito*; legendum enim *domino* vel *dominum*, ut in Plauti *Bacch. Ego ad forum ibo ut solvam militem*. Illud tamen mallem, cum in optimo exemplari invenerit Politianus *rem solvito* non *resolvito*. In hoc vero de Pabulo vendito. *Qua vendas, finis dicito. Pabulum frui occipito ex K. Septembribus. Prato sicco decedat, ubi pirus florere ceperit; prato irriguo, ubi super inferque vicinus permittet, tum decedito*. Prima scriberem: *Qua vendas fini, dicito*, ut cap. CLIV.: *qua fini culeum capiet*. Deinde: *Pabulum frui occipito*; unde *frui* in contextum venerit, me latet. Antiquæ editiones *fini* ostendunt, Politiani autem liber *fieri*, quod interpretor: pratum posse fieri pabulum: hoc est, ex Cal. Septembr. habebis pratum cum herba aptum ad pabulandum, ut fraus tollatur; nam, pabulo vendito, serius secant quidam, quo plus fœni tollant, & detrahant pabulo. In reliquis

quis conjeceram olim *permittet* fuiſſe *permutet*, nempe cum vicinus pecudes alio egerit; neque improbaveram *permittet*, dummodo ad id ſignificandum acciperent, quod carmine extulit Lucretius:

Eſt alio ut poſſit permitti longius alter.

Nunc epiſtolis Florentia miſſis, certior fio apud Politianum *promittet* legi. Itaque ſenſum collimavi, non verbum.

Reſtat ex fructuariis legibus quod Ovium fructum reſpicit, caput cl., in quo vox *ſerarios* explananda ſuccurrit de vetuſtis exemplaribus per Victorium deprompta. Quod quo melius exequar, primum Catonis verba exſcribam, deinde quid de iis ſentiam, ſubnectam. Inter Ovium fructus recipitur domino, quod *menſe X ab coactore releget porcos ſerarios. In Oves denas ſingulos paſcat.* Quæritur quid ſit porcus ſerarius. Vetuſti libri excuſi *Porcos ſectarios* amplexi ſunt; & qui primus in Catonem id inegit, deceptus videtur a Pompejo Feſto, ut hic non incorrupto Plauti loco ſuccubuit. Feſtus quidem ſectarium Vervecem opinatur, qui agnorum gregem præcedens ducit. Atqui Plautus in *Capt.* vitiato quamvis carmine, aliud oſtendit:

Tum lanii autem qui concinnant liberis orbas oves,
Qui locant cædundos agnos, & duplam aguinam dauunt,
Qui petroni nomen indunt verveci ſectario,
Eum ego ſi in via petronem publica conſpexero,
Et petronem & dominum reddam mortales miſerrumos.

Conqueritur itaque paraſitus vervecem petronem, nempe durum & annoſum nomine ſectarii vendi: Sectarius itaque petroni opponitur; propterea ſectarius teneræ atque optimæ carnis; ideoque juvenis: petro autem duræ, ſiccæ, atque annoſæ. Verum qui ſectarius eſt, cæteriſque ſe ducem præbet, ætate etiam, & amplitudine cæteris præſtare debet: minime igitur recentis ætatis teneræque carnis. Quo ergo nomine petronem antecedet? Jam patet mendoſum eſſe carmen, & *ſerarium* reponendum. Porro *ſerarius* a ſero, a quo etiam porcus ſerarius, cujus gregem cum Ovibus etiam cum Vaccis paſtores abigunt in montes, ſeroque & herba paſcunt, quouſque deſcendant, & ære permutent.

Reliquum eſt ut paucis ſubjiciam *Cal. Octob. primas*, & *Cal. Jan. primas* ex juris prudentia, qua Cato utique excelluit, derivari; ideo apud Scævolam *Cal. Apr. primas*, apud Ulpianum *Cal. Mart. primas* leges; & *primas* accipiunt quæ proximæ futuræ ſunt, quod etiam ponunt, ut Paulus: *Cal. Novembr. quæ proximæ futuræ ſunt*, ut Modeſtinus de uſuris & fructibus: *quos ei reddam Cal. Juliis proximis cum ſuis uſuris placitis inter nos.*

Avo-

Avocatur poſtea Cato, & in diverſa rapitur, interpoſito Cupreſſi cultu, qui quædam perpetua iiſque de quibus ſcripſimus, finitima continuaverat. Quapropter & nos non Catonis, ſed librariorum ordinem cogimur ſequi. De Cupreſſo itaque Tarentina cap. CLI. ex Percennio Nolano nonnulla interponit, quæ capite XLIIX in univerſum de toto genere docuerat. Cave igitur, ſuſpiceris utra ſint Catoniana; Plinius enim de Cupreſſo ſæpius & verboſius egiſſe Catonem, quam de cæteris, affirmat. Itaque ſi ſæpius, non uno loco. Nunc perquiramus, ſiquid non deceat. *Semen Cupreſſi Tarentinæ per ver legi oportet: materiem ubi Ordeum flaveſcit: id ubi legeris, in ſole ponito.* Quid *materia* cum ſemine, quando titulus de ſemine legendo, ſerendo, & propagando agere pollicetur? Nonne capite XVII. ſcriptum eſt: Cupreſſi materiem *quidvis anni maturam eſſe & tempeſtivam*? Nullus itaque hic materiæ locus. *Maturum* edebatur olim, a quo quid editores ſecutos averterit, video: ſi Cupreſſi ſemen per ver legi oportet, cur maturum ubi Ordeum flaveſcit; maturum enim legendum? Hæc ſolvendo impares ad aliud declinarunt. Neque ignaviæ arguo. Scire autem licet Ordeum inter frumenta præcocius tam cito ad maturitatem percurrere, ut ſæpe extremo vere meſſorem invitet. Quare optime Cato dum Cupreſſinum ſemen per ver legendum prodidit, maturitatis ſignum a flaveſcente Ordeo dedit, quod & vere fit, & a verna temperatura pendet.

Ut Cupreſſi Tarentinæ cultum a Percennio Nolano accepiſſe fatetur auctor, ita a Manliis de extergendis doliis quædam quæ titulus nunc obtinet: *De ſcopis virgeis*. Quibus in caput CLII. revocatis, ad caput CLIV. tranſeundum eſt, ubi vinum jam capite CXLIIX. venditum, mercatori admetiamur. Id qua via fiat, ac ſine moleſtia, egregie docet Cato. Cum enim vinum vendimus, duo incommoda ſequi non ignoras, alterum de menſura, alterum de vino imo. Primum quod vaſa quibus admetimur, plerunque majora fiunt, quam modus poſtulat; ideo ſignis æqua menſura finitur. Hinc ſæpe controverſiæ inter emptorem & venditorem oriuntur, dum alter ad ſignum convenire vinum affirmat, alter negat. Hoc ut dirimat Cato, jubet, *qua fini culeum capiet*, ut labrum perforetur; effluet enim vinum, cum erit culleum, & altercatio tolletur. Alterum incommodum declinat, imo labro perforato, qua vinum de dolio aſcendere in labrum vult. Siquidem dum educitur de dolio vinum, quod in imo eſt (ubi fæx plerunque) ut facile exhauriatur, ab una parte dolium attollunt. Quo fit ut agitata fæx cum vino confundatur; quod propterea reſpuit emptor.

ptor. Immoto igitur dolio per ſiphonem evocat Cato de dolio in labrum vinum, relicta fæce. Hoc non ſatis perſpicuum in Catone nunc habemus: *id* (labrum) *in ſuggeſtu inter dolia poſitum habeto, uti in culeum de quo vinum ſalire poſſit*. Non vides *de quo* ſive Politiani ac S. Reparatæ codicum *de eo*, & Jenſoniano *de ea* eſſe oportere *de dolio?*

Quoniam grandem mihi creviſſe epiſtolam video, reliqua in proximas Idus reſervabo. Vale.

D. Patavio IV. Non. Febr. CIↃ IↃCC XXXII.

EPISTOLA VII.

Emendatur M. Cato a capite CLVII. ad extrema.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

Quod natum Phœbus docuit; quod Chiron Achillem;
Quod didicere olim Podalirius atque Machaon
A genitore ſuo, qui quondam verſus in anguem
Templa Palatinæ ſubiit ſublimia Romæ;
Quod Cous docuitque ſenex, quodque Abdera ſuaſit,

In Catoniana Braſſica nunc contemplabimur, qua uſus eſt P. R. ut refert Plinius, annis DC., & cui Chryſippus medicus volumen dicavit per ſingula humana membra digeſtum, itemque Dieuches, quamque Pythagoras miris laudibus complexus eſt, & Cato noſter ut unum inſtar omnium remediorum adverſus cuncta mala in cœlum uſque tulit. Quare in omnium medicamentorum officinam venire ne gravere; ibi enim tuis pedibus callo captis, impoſita Braſſica, medebimur. Sed antequam ingrediamur, quod ſupero limini inſcribitur, perluſtrandum eſt: *Braſſica quot medicamenta in ſe habeat*. Quæ in poſterioribus libris & melioribus, ab optimo fonte deductis, in argumentum ſeponuntur. Quare intus afferrem, eaque capitis CLVII. principium facerem; quod enim politiores apponunt: *de Braſſica quod concoquit*, quis caudex, ſtipes, Aſinus, plumbeus ineptiſſimum non judicaverit? Id unde ſit, ſi inquiramus, ex ea Braſſicæ facultate quæ in his: *mirifice concoquit*, occurrit prima, poſtquam quod erat initium, in titulum evocarunt, contextum inveniemus.

Inter medicinas nunc vagari licet, ſi forte quid ſucatum atque adulteri-

terinum videamus. Næ ego in iſtis vitium latere credo: *Et item ubi cœnaveris, commeſto aliqua* v. *folia, reddent te quaſi nihil ederis, biberiſque, bibeſque quantum voles*, dum exſcripta per Politianum inſpicio; nam *ederes* non *ederis* poſuit, *biberiſque* omiſſo. Procul dubio qui vino affatim indulgent, peracta ſæpius cœna, id faciunt; ideo medicamento occurrit Cato; poſtea ob hauſtam Braſſicam *bibes quantum voles*.

Neque iſtud ſincerum duces: *Poſtea ubi deorſum verſus ibis*: Priſca enim Politiani lectio: *Poſtea ubi deoritum* hoc eſt *dehauritum*, ſed veteri conſuetudine *deoritum*, aſpiratione etiam poſthabita, ut *aenum*, *umor*, *ſulpur*, *ſpæra*. Ab his proxima veniunt prima edita *decoritum*, levi tamen macula infecta.

Ad tormina hoc facit: *coquito uſque donec ea commadebit bene*. Narratur apud Politianum *ea* non inveniri. Opinatus igitur ſum *donec ea* fuiſſe *donicum*, quod librarii plerunque vel detruncant, vel corrumpunt.

Primo Braſſicæ quaſi veſtibulo perluſtrato, penetrale quoddam offertur, a quo ut profani ſe abſtineant, grandibus literis ſignatur: *De Braſſica Pythagorea quid in ea boni ſit ſalubriſque*. Quæ nos neque Pythagoræ, neque cuiquam philoſophorum ſectæ addicti demoliri non dubitabimus. Sed ecce ingredientibus tanquam labirynthus quidam objicitur, & verborum monſtrum *ſeptembona* adlatrat. Quare diligentius pernoſcere ante oportet omnia, ne cæcis ambagibus irretiamur. Exſcribamus itaque quouſque facilis pateat via, ac ſedulo conſideremus: *Principium te cognoſcere oportet quæ genera Braſſicæ ſint, & cujuſmodi naturam habeant omnia. Ad ſalutem temperat, commutatque ſe ſe ſemper cum calore, arido, ſimul humido, & dulci, & amaro, & acri. Sed quæ vocatur ſeptembona in commixturam, natura omnia hæc habet Braſſica*. Quorſum iſta recidant, & ad quem auctorem cuncta ſpectent, perlibenter ex te ſcire deſidero. Mihi quidem Pythagorici cujuſdam e plebe, aut Galenici pleraque deliramenta videntur. Etenim Cato de Braſſicæ generibus primum ſe dicturum proponit, deinde de facultate ac natura: in iſtis fit ſecus; de vi primum ac virtute quædam præmittunt, atque enuntiant. At quam inſulſe, dii boni! Age itaque tentemus, ut germana diſtinguamus: *Principium te cognoſcere oportet quæ genera Braſſicæ ſient, & cujuſmodi naturam habeant omnia*. Hanc formulam a Catone præpoſitam, ut ſolet, exiſtimo: reliqua uſque ad illud: *nunc uti cognoſcas*, tanquam inſerta atque aliena ſi funditus repudiaveris, exploratum habeo, neminem id non probaturum. Et primum poſt *cujuſmodi* interpoſuerunt; ideo formulam extremam *na-*

turam habeant omnia iterum poſt *in commixturam* repetunt & inculcant: *natura omnia hæc habet Braſſica*. Inferiori tempore ex alio exemplari redintegrata formula, pars abſciſſa relicta quidem, ſed diſcriminis ergo paululum immutata. Propterea illud in *commixturam* quod apud Jenſonium *incommixta* eſt, inſititia a Catonianis ſejungit. Quid autem *incommixta*? Si ad ſuperiora calidum humidum refero, male refero; quia inter ſe illa miſceri & confundi tradunt. Fortaſſe interpretis monitum, hic *incommixta*, videlicet cum aliis non confuſa, ſed germana incipere. Illud etiam prætereundum non eſt in duobus antiquis codicibus non *ſeptembona* ab Urſino inventum, verum *ſeptembrina*; quod vernaculum morem redolet, & barbari auctoris inditium facit. Cæterum (quod non negabis) ſecluſa a nobis vana, frigida, otioſa, non modo non digna Catone, verum etiam non Catoniano verna ſine reprenſione aſſerere poſſum.

De alienis ſatis. De Catonianis jam videndum. *Altera eſt criſpa; apiacon vocatur*. Apud Politianum legitur: *Apia convocatur*, ſeu ab omnibus vocatur, vel pro ſimplici *vocatur*. Jenſonius item *Apia* excudit. Plinii codices modo *apianam* ponunt, quod etiam Georgius Alexandrinus in Catone nominat, modo *apiacam*; ideo, ſi *apia convocatur* repudiabis, ex *apiacon apiana* habeto.

De tertio Braſſicæ genere quod *Lene* dicitur, adjicit Cato: *& primum ſcito de omnibus Braſſicis nulla eſt illius modi medicamentoſior*. Quorum extremum in Victorii codicibus atque Jenſonianis & Bruyschianis libris *medicamento* eſt. Quod longe melius reputabitur interpretantibus nullam Braſſicam vi medica cum criſpa eſſe conferendam.

Si bis die apponitur, dolores auferet, & ſiquid contuſum eſt, erumpet. Erunt qui vetuſtarum editionum ſcripturam mallent; quippe magis Catoni propria: *Bis die id apponito*, & reliqua: *ſiquid contuſum eſt* in *ſiquid concluſum* vertere, quod paulo ante docuerat Cato: *ad omnia vulnera, tumores eam contritam imponito. Hæc omnia ulcera purgabit, ſanaque facict ſine dolore. Eadem tumida concoquit, eadem erumpit*. Neque diſſimilia ex Catone laudat Plinius: *ſic etiam fiſtulas eluxatas, & tumores evocari, quæque diſcuti opus ſit*. Quamvis *eluxatas* emendem edamque *& luxata* tum ex Catone in quo recte: *& luxatum ſi quod eſt*, tum ex Pſeudoplinio (ita enim libri qui cum Latinis medicis recenſetur, falſoque Plinii nomine proditur, auctorem voco) de Plinio tranſcribente: *Fiſtulas atque luxata diſcutere*, non tamen inficior id ante nos ab Harduino animadverſum.

Et ſi voles eam confectam, lautam, ſiccam, ſale aceto ſparſam eſſe,

ſe, *ſalubrius nihil erit*. In quibus doctiſſimos interpretes fugit *conſectam* ſcribere pro *conſectam*, & *ſictam* pro *ſiccam*; neque enim ſiccam arefactamque aſſumendam in cibum jubet Cato, verum crudam, ut in his declaratur. *Quo libentius edas*, *aceto mulſo ſpargito*, *Mentam ſiccam & Rutam Coriandrum ſectam*. Sed hic quoque *ſictam* non *ſectam* malo. Verumtamen id de Mentha ſuſpiceris cavebis, Apicio ſiccam Mentham ad condimenta revocante. Quod poſui, clarius oſtendunt quæ ſequuntur: *Verum morbum articularium nulla res tantum purgat*, *quantum Braſſica cruda*, *ſi eam edes cum Ruta & Coriandro conciſam*. Non prætermittenda etiam ſunt quæ de hoc loco exſcripſit Plinius, quo melius alter auctor ex altero illuſtretur: *prodeſſe etiam tradit* (Cato) *capitis doloribus*, *oculorum caligini*, *ſcintillationibuſque vel ſtomacho præcordiis crudam ex aceto & melle*, *Coriandro*, *Ruta*, *Mentha Laſeris radicula ſumptam acetabulis duobus matutino*. Ex quibus *ſcintillationibus* ad quid Catonianum referrem, non inveniebam; nam Cato hoc modo: *de capite & oculis omnia deducet*. Deducuntur autem quæ eo deſtillant; igitur melius *deſtillationibuſque*. Quod etſi magis probem quam vulgatum, de utroque tamen ambigi poteſt, cum Pſeudoplinio, qui reliqua ſumpſit, id videam deeſſe. Hoc valde me movet, quia liber iſte (quod ſemper facio maximi) nulla interpretum cura interpolatur. Idem ſcriptor pro Plinii *matutino* reſcribit *mane jejunis*; unde in Plinio ſuſpicio oritur, depravatum ne ſit ex *mane jejuno*, an *jejuno* omiſſum; id enim ſervandum etiam Cato mandat. Tu quid conſtitues, fac ſciam.

Non alienum quoque duco ex primis editionibus repetere: *ſi lienes turgent*, *& ſi cor dolet*, *& ſi jecora*, *aut pulmones*, *aut præcordia*; ſiquidem editores cæteri ab Aldo ad Meurſium qui poſtremus Catonem excudit formis, *jecur* ſubſtituerunt. In Cæſenate codice mendoſe ſcribitur *ſuecura*, *u* ex duobus *ii* facto: igitur *ſi jecura*, ut litera *u* in recto *jecur*, ſervetur in obliquis.

Veteres ſimiliter editiones in ſequentibus magis laudo & tibi probo: *ac ſi uteris*, *omnes articularios poteris expellere*, quam Aldinum: *articulares morbos*, aut in ſequioris ætatis libris qui Victorii gratia vigent: *articulos*. Nam *articularius* qui morbo articulari tentatur, ut ſpeneticus, hepaticus, ſtomachicus qui ex ſplene, jecore, ſtomacho agitantur. Plautum quoque ſic locutum memini:

Nec podagricus, *nec articularius eſt quem rus ducunt pedes*.

Repoſito ex antiquis *articularios*, a poſterioribus ſuſcipiam pro *expellere experiri* quod eſt liberare, expedire, quale illud Plautinum in *Mercat.*

C. *Viſii*

C. *Visi' me experiri?* L. *Volo*. C. *Mercedem mihi dato*.

His junguntur alia quæ de eodem verbo *experior* dubitationem movent: *Nullus sumptus est, & si sumptus esset, tamen valetudinis causa experirer*. Victorianus enim liber vetustus ultimum in *experirus* vertit fortasse de *experiturus* contractum. At qui experimentum facit, nonne aliquid in id pro quo connititur, impendit? Quid igitur experiri impendere est, ut potiora consequamur. Neque aliam esse Catonis sententiam intelliges, si verba paulo diligentius distribuantur. *Nullus sumptus est, & si sumptus esset, essem tamen valetudinis causa experirus* vel *experiturus*. Quod si negas; age quam minima licentia utamur, litera una in *experirus* mutata: *Nullus sumptus est, & si sumptus, esset tamen valetudinis causa experitus*, id est ob valetudinem sumptus esset. Jam tenes apud priscos non *expertus*, ut politiora ingenia mox contraxerunt, in usu fuisse, sed *experitus*, quod Festus meminit, & alia ab antiquo *perio* derivata usuque trita confirmant, ut *peritus*, *imperitusque*.

Hunc alius contingit locus, quem eodem Victorii & Politiani libro illustrabimus: *omnis qui insomniosus est, hac eadem curatione sanum facies*. Quæ fucata & picta vetus lectio declarat: *omnis vel si quis est senio sus*. Senes minimum dormire novimus; ideo *senio sus* qui, ut senes, assiduis vigiliis maceratur. Confirmat & Plinius Catonis scripto, dum insomnia vigiliasque tolli decocta Brassica refert. Hæc ad veterem scripturam explicandam ita ad te dabam, non ignorans plura alia esse incommoda quibus afficiuntur senes.

Aliquo intervallo disjuncta ista quæ ab omnibus recepta sunt, in hominum manus primus sic emisit Aldus: *dato edat si poterit sine pane; si non, panis parum ibidem madefaciat*. Plura ediderant Jensonius & Bruyschius: *dato edat, si poterit sine pane: si non dato panem parum, ibidem madefaciat*. Sed diligentia omnibus antestat Politiani liber, & Cæsenas: *dato edit: si poterit sine pane; si non dato pane, parum ibidem madefaciat*. Nempe, nullis pigmentis intinctum ibidem madefaciat, ut ipse quoque panis medicatus fiat. Recepi una perlibenter *edit* pro *edat*, quod sæpius usurpat Cato hoc capite; talis enim scribendi mos veteribus fuit, ut Nonius indicat, exemploque confirmat. *Edim* ait pro *edam*. Cæcil. *Asor*. *Nihilne tibi esse quod edim?* Nov. *Bucula: quod editis, nihil est*. Plautus *Pœn. Est domi quod edimus, ne nos tam contemptim conteras*. Quare mendosa item in Catone: *Quo libentius edas: paulo lubentius edes: si eam edes cum Ruta*.

Verum enimvero majori vitio involuta sunt quæ continuo exscribam: *Et si mulier eo lotio locos fovebit, nunquam ii virosi fient*. At, inquies,

inquies, ubi vitium? Numquid hæc non optima atque integra habetur ſententia? Habetur quidem non tradita a Catone, ſed a correctoribus efficta. Ex Victorii libro fallacia patet; ibi enim ſcriptum eſt: *nunquamum ſeri fient*. Et hæc quidem depravata nemo non videt. Tamen hoc quam eo modo, malo. *Um* quod in Cæſenate exemplari cum *ſeri* conjungitur, fitque *unſeri*, opinor immutatum ex *ii* ſive priſca ſcribendi arte *eiei*. Itaque: *& ſi mulier eo lotio locos fovebit, nunquam eiei ſeri fient*. Quod eſt, nunquam ſeri erunt ad ea quæ a partu ſequi ſolent, emittenda. Quæ quo plenius cognoſcas, proxima perpendemus: *& fovere ſic oportet: ubi in ſcutra ferveſeceris, ſub ſellam ſupponito pertuſam, eo mulier aſſidet, operito, circum veſtimenta eam dato*. Quibus primi editores addunt ante *ſub*, *fœtæ*, & demunt *operito*. Illud minus neceſſarium exiſtimo nunc, olim ſecus; quoniam fœta mulier mox aſſidet, niſi quis ad ſellam transferat, & *fœtæ* ſellam eam accipiat, quæ enitenti mulieri ſupponi ſolet; alterum otioſum nemo non fatebitur; quid enim *operire*, niſi circum mulierem veſtimenta apponere?

Tranſit deinde Cato ad Braſſicæ erraticæ medicamenta, ex quibus ea commemorabo quæ dum aliis remedia oſtendunt ipſa medicam opem expoſcere videntur: *ubi eſſe volet, carnem aſſam dato. Si eſſe non volet, dato Braſſicam tritam & panem*. Ecquis contraria contrariis confundi non videt? Eſſe dum quis vult, cur aſſam carnem reſpuit, trita potius Braſſica contentus & pane? Cur? Quia non caro aſſa datur, ſed aſinina. Antiqui libri, ut ſcribit Victorius, non *carnem aſſam* habent, verum *carnem aſinam*. Qua de cauſa neque Victorius id receperit, neque poſt Victorium qui Catonem illuſtrarunt, me prorſus latet. Aſininam profecto inter ea quæ alvum lenire ſolent, & facile deſcendunt, vetuſtiſſimus auctor Hippocrates de victus ratione commendat. Id voluiſſe Catonem locus ipſe declarat; nam qui purgandus erat, ſorbitione liquida per dies VII. curat, & aſininam reſpuentem, ad coctam Braſſicam, qua item venter ſolvitur, remittit.

Quæ probatiſſimorum codicum præſidio nixus fidentius ſcribebam. Ubi eo deſtituor, nihil audeo ſine verecundia, & dubitatione. Itaque dum lego paulo infra: *& ſi quis ulcus tetrum vel recens habebit*, de *tetrum* ambigo, quod ſequitur *vel recens*; ad *vetus* enim hoc melius convertitur; ut mox eadem repetens Cato in ordinem diſponit: *ad omnia vetera ulcera & nova contritam cum melle opponito*. Neque diſſimilia Plinius commentatur: *ſi foveantur vulnera & recentia & vetera, etiam carcinomata*. Sed *ulcera* habebis, non *vulnera*.

Nobilis ſupereſt in extremo Braſſicæ tractatu locus, de quo multa

multi

multi reſcripſerunt : *Deinde petigini parce Braſſicam opponito*. Nos, aliorum placitis poſthabitis, ex optimis & fidelibus libris quod exſcripſit Victorius quodque in Cæſenate exemplari cuſtoditur, Catoni reponemus, ac ſententiam redintegrabimus. *De petiginis porcæ Braſſicam opponito*. In quibus ſpatium quod inter primam & ſecundam vocem vacat, occupaſſe *i* credo, & *dei* præpoſitum *petiginis* fuiſſe *deipetiginis*, ut vetuſtiſſimi ſcribebant. Quod minus attendentes librarii & hunc locum depravant, & Lucilii quoque, quem citat Nonius, verſum diſſolvunt: *illuvies ſcabies oculos huic denique petigo*, cum eſſe oporteat *deique petigo*. Sed quid de *porcæ?* Exime *deipetiginis* extremam literam, & habebis : *deipetigini ſporcæ*, nempe *ſpurcæ*. Neque quis id mirabitur qui in vetuſtis monumentis legerit : *tolit*, *tabolcis*, *conſol*, *ſingolos*; in Catone *jogales*, *iſtoc*, *paulolum*; in Varrone *paulola*, *tabernola*.

Poſtquam tot remedia ex Braſſica tibi commemoravi, addam etiam ex magicis artibus, ut cantando te exhilarem; nauſeabundum enim ex nimia Braſſica puto. Sed prius quæ paranda ſunt, diſcito, ut ſi quando tuus Muxarthus aut Flavius de tegulis proruens luxetur, medicinam facias. *Arundinem prende tibi viridem p. IIII. aut V. longam. Mediam diffinde, & duo homines teneant ad coxendices. Incipe cantare in alio*. Quid *in alio?* Ut ſuſpicor, invicem. Mox : *diſſunapiter uſque dum coeant*. Quid iſtud? Accipe a primis editoribus clariora : *dic una pariter uſque dum coeant*. In his tamen Victorii codex corrigit *pariter* in *petes* verſum, nempe *pedes* ſive Arundinis ſciſſæ extremitates. Propterea : *dice una* (cantato invicem) *uſque dum petes coeant : ubi coierint, & altera alteram tetigerit, id manu prende, & dextra ſiniſtra præcide*. Sed, inquies, cur *petes* ex *pedes* converſum retines, & probas? Quidni? Numquid *petiolus* a *pes petis* non deſcendit? Maluiſſe enim opinor vetuſtiores vel *pes petis* & *pes pedis* utroque modo inflectere, cum a *petis petiolus*, ut a *pedis pediculus*; vel uno tantum *pes petis*, quo planius *petes* quod animalis pars, a *pedes* & *pediculus*, quæ beſtiolas indicant, ſepararetur.

Quæ luxata hoc loco viſa ſunt, ſic in ſuam ſedem reſtituenda exiſtimavi. Tonſtrina egreſſis occurrit Aſparagi cultus, quem noviſſimum tractaverat Cato, ſi Plinio credimus; ideo hic item a ſua ſede receſſit. Quo non contenti librarii principium etiam demerunt : *Aſparagus quomodo ſeratur*. Propter quod hoc primum videto, ut capiti caput annectas; tum id ipſum in ſua membra digeras : *Deinde ſupra areas ſtercus ſpargito bene. Serito ſecundum æquinoctium vernum. Ubi erit natum, herbas crebro purgato*. Confunduntur enim vulgo : *deinde ſupra areas ſtercus*

ſpar-

ſpargito, *bene ſerito*. *Secundum æquinoctium vernum*. Nam *bene* ad *ſtercus* ſpectat, quod larga manu ſpargendum ſit, ſive, ut expreſſit Plinius, humum ſtercore ſatiari oporteat. Reliqua etiam ex Plinio confirmantur: *Præterea ad lineam* (jubet) *grana bina aut terna paxillo demitti: videlicet ſemine tunc tantum ſerebatur*. *Id fieri ſecundum æquinoctium vernum*. Et hæc quidem in Plinio integra invenimus: verum iſta: *velli donec in ſemen eat*. *Id autem matureſcere ad ver*, *incendique ac rurſus*, a priſtino ſtatu immutata; quoniam Cato ſemen maturum fieri ad autumnum ſcribit, idque quotidiana intelligentia probatur. Cui dabimus ergo vitio? Plinione, ut plerique ſolent quidquid humanarum rerum viciſſitudine in Plinio contigit, auctori vertentes reprenſioni? Qui poſſumus? Primum iſte aliena refert, in qua re nemo poteſt decipi, deinde plana & omnibus nota. Vides igitur an nobis ita ſcribentibus reclamandum ſit: *velli donec in ſemen eat*, *id autumno matureſcere*, *ad ver incendi*; ex *autumno* enim vel per contractionem notato, ut evenit, vel extremis vetuſtate detritis, factum eſt *autem*, & alterum *ad ver* ſuperioribus annexum, cum ad ſequentia referatur; quippe ſupra etiam poſitum: *tertio incendi verno*.

Dum Plinio mederi cupimus, & longius devertimur, in Catone maculam prætermiſimus: *quo anno ſeveris*, *ſubſtramentis per hiemem operito*. Hanc deteximus, & tollemus Politiani ope, qui *ſubſtramentis* ſcripſit: *ſum ſtramentis*, hoc eſt *cum ſtramentis*.

De pernis ſaliendis noviſſimam Catonis curam faciunt; ſed vetus index quid aliud pollicebatur: *Salſura pernarum*, *offellæ Puteolanæ*. Pernas quidem in ſalſura video, & de carnario ſuſpenſas, offellas non video, quod fortaſſe vetuſtas interceperit; niſi librariorum ſalſamentum fuiſſe dicamus, quid eſſet perna dum declarant. Profecto argumentum extremum ex iis quæ ſeorſum edenda curaverat Victorius, ab optimo, ut puto, codice deprompta, conjecturam dat, cum omiſſa perna, inſcribat: *de ſalſura offellæ Puteolanæ*. Varro nihilominus ex Catone pernas memorat, neque adiicit offellas. Sed forſitan requiris quid de cæteris indicibus, quos capitulis ſingulis præpoſuit Victorius, cenſeam. Si eos excipiam, qui ad Catoniana redintegranda neceſſarii inveniuntur; quoſque ut Catonianos reponendos ſcripſi, de reliqua turba, ut vetus proverbium uſurpem, *Accio idem quod Titio jus eſto apud me*.

Hæc erant præcipua quæ ad Catonem illuſtrandum pertinere exiſtimabam; ideoque de Catone tecum loqui deſinam, ſed eſſe tecum non deſinam, proximis diebus quæ ad Varronem, executurus. Interea cura ut valeas.

D. Patavio idib. Febr. CIↃ IↃCC XXXII.

EPISTOLA VIII.

Emendatur Varronis liber I. de Agricultura in caput XIV.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

BInæ a te epiſtolæ in eandem ferme ſententiam redditæ mihi ſunt, altera VI. cal. Mart. altera prid. cal. eaſdem, quibus ex Varroniana meſſe promiſſum ſpicilegium ut tibi in villam referrem, poſtulabas. Jam retuliſſem, niſi permoleſtæ occupationes me invitum alio avocaſſent. Sed ecce adſum: aream expedito & tribulum, ut tibi grana exteram, & tu quod leviſſimum erit, evannes. Itaque cum tribus voluminibus quæ in villa & circum villam, in agris vel ſaltibus a colonis aut paſtoribus agenda ſunt, Varro ſit complexus, quorum primum eſt de agricultura, alterum de re pecuaria, tertium de villaticis paſtionibus, ſcribam nunc de eo quod ordine ac natura primum eſt, deinceps reliqua eodem modo conabor. Utar autem horum librorum diſtractione ab omnibus ferme recepta, & utar tanquam argumentis quibuſdam, non ignorans connexa quondam omnia, & perpetua junctura inter ſe alligata, quæ per interpretes & librarios intercepta fuerunt, & divulſa. Incipiam itaque a primo in quo Fundaniam uxorem alloquitur, & hoc mittam primum: *indicabo a quibus ſcriptoribus reperias*. Quod ultimum in antiquis exemplaribus *reperitas* invenerat Victorius, neque tamen probabat, cum antiquius haberet *repetas*, quod inter excuſa ab Joanne Parvo vagatur. Id certe non contemnendum: verumtamen aut vetuſtum *reperitas* potius exiſtimarem, aut una inverſa literula, *repetitas*; quid enim illa, quæ proxima connectuntur: *qui Græce ſcripſerunt diſperſim alius de alia re, ſunt plus quinquaginta: hi ſunt quos tu habere in conſilio poteris, cum quid conſulere voles*, aliud indicant, quam ab iiſdem ſcriptoribus ruſticarum rerum præcepta eſſe ſæpius repetenda?

Recenſet ſubinde Varro auctorum qui Græce & Latine ſcripſerant, nomina, in quibus quanta immutanda ſunt, cum aſpiratione minime uteretur Varro? Cujus quidem ſcripturæ reliquias quaſdam ex antiquo codice protulit Politianus: ut *Taſius* pro *Thaſius*, *Arcitas* pro *Architas*, *Plentipanes* non *Plenthiphanes*, *Teopilus* non *Theophilus*.

Demiſſa uxore, agere continuo de agri cultu ingreditur, & prius ſecernit,

nit, ut propoſuerat, quæ ad ruſticam diſciplinam, prolatamque inſtitutionem minime pertinere cenſebat, ne ſibi vitio verteretur, quod aliis reprenſioni dabat. Hæc capite 11. nunc comprenduntur, quæ pro noſtra diligentia perpendemus. Ex quibus primum: *tamen æſtivo die ſi non diffinderem meo inſititio ſomno meridie, vivere non poſſem*. Accipe quod prima cogitationis intentio mihi obtulit: *tamen æſtivo diem*; eodem enim modo lib. III. loquentem auctorem videmus: *ubi æſtate diem meridie dividere ſoleam*. Neque nos ab hac ſuſpicione retrahit *æſtivo*, cum id tempori aptem, ut *verno*, *hiberno*, & ſimilia. Reſtituendum quoque cenſeo pro *ſomno ſumnu*, ut in optimo codice adnotat Victorius; quod hac forma antiqua origo facilius recluditur, de qua literas ad te dediſſe memoria teneo.

Commemorat exinde Varro communis parentis noſtræ nonnulla ornamenta, quæ librarii ad Græcos transferre conantur, dum ita ſcribunt: *Aut Argos quod idem poeta πολύπυρον, in qua terra jugerum unum denos, & quinos denos culeos fert vini, quot quædam in Italia regiones*. Diſtinguamus igitur, ne feliciſſimam vitium noſtrarum ubertatem ad alias gentes traducant: *Aut Argos quod idem poeta πολύπυρον? In qua terra —— regiones?*

De eadem Vitium fœcunditate repetit ex *Originibus* Catonis: *Ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus eſt*. Conjeceram ex priſca ſcriptura: *viritim Cæſarem inundatus eſt; viritim Cæſateis inundatus eſt*. Galli enim *Cæſatæ* ſive *Gæſatæ* qui ſedem inter Rhenum & Alpes incoluerunt, acciti a Boiis & Inſubribus in Italiam adverſus Romanos venerunt, & ea loca ubi ante habitabant Galli Senones, occuparunt, ut Polybius, Plutarchus, Oroſius in literas retulerunt. Et *viritim* interpretabar eodem impetu quo agrum inundarunt, inter ſe domicilia diſtribuiſſe. Nunc, quoniam eandem ſcripturam quam redintegraverat Victorius, ex Politiano accepi *cis Areminum*, quamque in antiquis exemplaribus etiam Fulvius Urſinus inveniſſe teſtatur, in veteri auctoritate acquieſco.

Locum alium in hoc capite indicabo, de quo alia alii cenſuerunt: *hujuſce, inquam, pomaria ſumma ſacra via, ubi poma veneunt contra auream imaginem*. Ubi pomaria oporothecas accipies; quippe in ſacra via non naſcebantur, verum aſſervata venibant poma. Quod tamen lectorem non retardat. Detinet, atque ancipiti cogitatione diſtrahit illud, *contra auream imaginem*, dum ad antiqua exempla *contra aurum imago* ſe convertit. Quis igitur *contra auream imaginem* producit? Aldinus codex, aut Aldinum ingenium ad fucanda vetera paratiſſimum; primi e-

nim excusi libri *contra aurea imago* propius ad veterem speciem accedunt. Quid tandem *contra aurum imago?* Ignorare fatebor, nisi forte siveris legere *contra aurum in Argo*. Quo indicasse videtur Varro tabellam pictam vel signum, Argum cum decantato illo aureo vellere referentia, quæ, ut fit, discriminis gratia ante tabernas appendebantur.

Refert etiam ponderare hæc ab aliis neglecta: *sed error hinc quod pecus in agro esse potest, & fructus non in agro ferre.* Quorsum istud? Ubicunque est pecus, ibi fructus. Quare vel *non* eximendum cum Politiano, vel *in* secundum: scilicet, non adjuvant pecudes culturam, etsi fructum ferant; *non enim* (ut infra Varro) *si quis propter agrum, aut etiam in agro profectus domino agriculturæ acceptum referre debet, sed id modo quod ex satione terræ natum ad fruendum.*

Hoc quod apponam, non tibi scriptum putabis, sed librariis: *& tamen verum dicit, inquit, hic, ut hoc scripserit in agricultura*; subiicienda enim interrogationis nota.

Venio ad caput III., quod incipit: *Igitur, inquit Agrasius, quæ dijungenda essent a cultura, cujusmodi sint, quoniam discretum, de iis rebus dicendum quæ scientia sit, & quid in colendo nos docet, ars an sit, an quid aliud, & a quibus carceribus decurrat ad metas.* Mallem hoc modo: *Igitur ——— discretum: de iis rebus dicendum quæ in scientia sint. Ecquis in colendo nos docet ars an sit, an quid aliud, & a quibus carceribus decurrat ad metam?* Quoniam, quæ ad agriculturam non pertinebant, sejuncta sunt, nunc dicendum de iis quibus scientia constat; ideo quis vestrum hoc nos docet? Cum hæc dixisset Agrasius, Stolo ad Scrofam conversus, Tu, *inquit*, *& ætate*, *& onore*, *& scientia quod præstas*, *dicere debes*. Scito autem illa *quæ in scientia sint* a primis editoribus huc translata, rejectis Aldinis, *quæ scientia sit*.

In capite IV. nihil rimatus sum quod Varronianam segetem inquinaret: in v. Lolii granum inveni ex mala Aldi semente: *neque eo dico quod non habeant & utilia & communia*. Ursino magis *quo* placebat, quam *quod*: mihi excusa prima: *quin habeant*, quam *quod*, vel *quo non habeant*, potiora sunt.

Postquam Varro prima principia proposuit, constituit hinc quæ partes ad agriculturam spectent; & quatuor assignat: primam, prænotionem fundi & soli: alteram, quæ in eo fundo esse debeant culturæ causa: tertiam, quæ fieri oporteat: quartam, quo tempore. Quæ singula in bina sejungit; quod prima terram amplectitur & villam: altera instrumenta & homines: tertia quæ paranda sint, & ubi quæque facienda:

da: quarta & ſolis circuitum annuum reſpicit, & lunæ menſtruum. De his ordine agit.

Itaque ad primam hæc refert capite VI. comprenſa: *contra æſtiva montanis locis commodiora*. Quæ Aldi codici vitio vertes; præſtant enim antiqua: *contra æſtiva montana his locis commodiora*. Siquidem æſtate montana loca campeſtribus meliora: hieme campeſtria montanis. Tamen optima a Politiano habeo: *contra æſtiva montana iis locis commodiora*; nam præcedunt: *quod tunc prata ibi herboſa, putatio arborum tolerabilior*. Itaque *iis locis*, ubi prata & vineæ.

Velim poſt hæc perſpicias quæ ad extremum ferme caput VII. apponuntur, *quod alii dant primatum bonis pratis, ut ego quoque, a quo antiqui prata parata appellarunt*. Neſcio enim quid in his latere vitii ſuſpicatus ſum; quoniam etſi bonis pratis primæ attribuantur, non propterea ſequitur neceſſario *parata* eſſe appellanda prata: nec contra, quod pratum ſemper ſit paratum, ideo pratis primatum dari. Acceſſit cum anceps eſſem, Creſcentius qui Varroniana iſta in exemplum tranſcripſit; hic enim hoc amplius ſubnexuit: *quia modicas aut nullas requirunt expenſas, a quo antiqui prata parata appellarunt*. Ad eundem fere modum de pratis idem Varro ſcribit lib. de L. L. *Prata dicta ab eo quod ſine opere parata*. Id docet Ulpianus de *Verb. ſignif. Pratum eſt*, inquit, *in quo ad fructum percipiendum falce dumtaxat opus eſt, ex eo dictum quod paratum ſit ad fructum capiendum*. Hoc idem & ſentit & præcipit Columella: *tertia ratio loci rigui, quia ſine impenſa fructum reddere poteſt. Hanc primam Cato eſſe dicebat, qui maxime redditum pratorum cæteris anteponebat*. Ibi tamen *Cato* vitioſe legitur qui quintum locum dabat pratis; igitur *Varro* qui primum. Non male tamen, his poſthabitis, ex Cæſenate codice excuſa defendi poſſunt, ſi, ut in illo, legamus: *ut ego: antiqui quoque prata parata appellarunt*. Depravatum Politiani librum opinor, ubi habemus: *ego a quoque antiqui*. Ab his diſſentit Jenſonius: *ut ego, a quo antiqui*. Quapropter quæ per omnia exemplaria nunc vagantur a nobis præpoſita, ab Aldo ſunt; ideo nulla auctoritate commendanda.

His ita expoſitis, tranſeo ad ea quæ in caput VIII. diſtrahuntur: *aliæ* (Vites) *ſublimes, ut quæ appellantur jugatæ, ut pleræque in Italia, quarum nomina duo, pedamenta, & juga: quibus ſtat recta vinea, dicuntur pedamenta: quibus tranſverſa junguntur, juga*. In his Fulvius Urſinus *quarum nomina* in *ridicarum nomina*, & *quæ tranſverſa* in *queis tranſverſa* mutanda cenſebat. Cui aſſentiri nullo modo poſſum; neque enim ridica in pedamentum dividitur, & in jugum; quin contra alterum

rum ex his pedamentum in ridicam, palum, Arundinem, & arbuſtum quod eſt nativum pedamentum, ſeparatur. Id apparet ex Varronianis proximis: *Pedamentum item fere quatuor generum, unum robuſtum quod ſolet afferri in vineam e Quercu ac Junipero, & vocatur ridica, alterum palus e pertica*: & quæ ſequuntur. Illud ſimiliter *queis tranſverſa junguntur* a quo probabitur? Per ridicaſne tranſverſa firmantur, an per vimina? Ædepol, per vimina. *Queis* igitur cui aptabimus? Certe, ſi quicquam hoc in loco innovandum eſt, haberem antiquius: *quarum nomine* hoc eſt quarum cauſa; quod propter jugatas Vites duo dicuntur, pedamenta & juga, cum in ſtratis aut ſine ridicis rectis vineis neque pedamenta neque juga quibus non indigent, nominentur.

De quarto jugorum genere hæc utique expedit tecum ſtudioſius meditari: *quartum arbuſta, ubi traduces poſſint fieri Vitium, ut Mediolanenſes faciunt in arboribus quas vocant Opulos: Canuſini in harundulatione in Ficis.* Hoc enim *harundulatione*, ſive Politiani & Jenſonii *hardulatione* non valde delector: vellem: *in harum jugatione*. Cum directo jugo in vineis utantur Canuſini, traduces per Ficorum tabulata in Jugum ſuſpendunt. Porro non ſcribit lib. XVII. Plinius ſaluberrimam in jugo Arundinem connexam faſciculis, & quinis annis durare?

Alterum genus vineti, ubi ea removetur e terra Vitis, quæ oſtendit ſe afferre uvam. Sub eam, ubi naſcitur, ſubjiciuntur circiter pedales e ſurculis furcillæ. Quibus alterum Vitis genus deſcribit Varro, quod ſine jugo miniſtrat uvam. De quo etiam Columella lib. v. ſic loquitur: *ſed ex iis quas ipſe cognovi, maxime probantur veluti arbuſculæ, brevi crure, ſine adminiculo per ſe ſtantes.* Quare in Varrone: *ubi arbuſculæ modo removetur e terra Vitis. Quæ oſtendit ſe afferre uvam, ſub eam, ubi* (uva) *naſcitur, ſubjiciuntur circiter pedales e ſurculis furcillæ.* Quibus *modo* ex Politiano Jenſonioque inſerui, *ea* de *arbuſculæ* diminutum, ac depravatum ratus. Reliqua per ſe clara noſtræ diligentiæ non repugnant. Cæterum hujuſmodi vineæ diſcrimen in gracili & ſaxoſo loco tantum probatur.

Afferam quoque alia ex eodem capite, de quibus multa dici poſſunt, quamvis non multa apud auctores inveniam: *& vindemia facta denique diſcat* (uva) *pendere in palmam aut funiculo aut vinctu quod antiqui vocabant ceſtum.* Hoc autem κεστὸς, qui, quod in cingulum acu contexebatur, a κεντεῖν nomen invenit. Hinc apud Homerum Iliad. ξ. Venus traditur κεστὸν ἱμάντα Junoni dediſſe, quo circa ſinum poſito, virum obnoxium ſibi redderet Juno. Ceſtus itaque cingulus ſive faſcia, a quo *ciſtillus* deducitur, circulus nimirum vel oblonga faſcia

ſcia contextus, vel Ulva, vel Junco, vel quo item, quem qui onus capite fert, ſibi capiti ſuperimponit. Ceſtum quoque vetuſtiſſimi Latini vimine aut ſcirpo ad funiculi vel circuli modum intextum, in quo uva per palmam hinc & hinc racemorum tenus amputatam ſuſpendebatur, vocarunt, quem inferior ætas a vinciendo in *vinctum* nomine mutavit. Et quoniam ex ceſtis ſive oblongis faſciolis de vimine aut libro formatur corbis, hæc quoque ceſtus dicitur, ut in Catone tibi enarravi.

Hac conſuetudine in Italia utuntur Reatini. Hoc proximum Politiani manu exſcriptum eſt *Uriatini*, idque ab *Uria* Apuliæ oppido.

Ad caput IX. divertamur, in quo eſt de quo te monitum in univerſum volo, cum in iſtud *inquam* incideris, ne decipiaris, ut multi non animadvertentes id a perſona quæ loquitur, interferi, in errorem trahuntur. Etenim haud ignoras dum loquimur, ubi quid ex narratis repetimus, hoc *inquam* adhiberi. Solet igitur idem Varro interponere; ut capite II. cum Scrofa de Saſernarum nugis quid commemoraſſet, & alia tum a Varrone, tum a Stolone interjecta eſſent, retexens ſermonem ſic incipit: *multa, inquam, item alia miracula apud Saſernas invenies*. Similiter capite VII. cum dixiſſet: *Refert enim quæ res in eo ſeri naſcique*, capite VIII. quaſi in viam rediret, ita ordinem connexuit: *Refert, inquam, quod genus vineæ ſit*. Non ſecus caput IX. inchoatur: *Terram, inquam, cujuſmodi ſit refert*, repetens ea quæ extremo capite IIX. locutus erat: *Quod terra cujuſmodi ſit, refert*.

Multi hac ſcriptura in hoc loco offenduntur: *Itaque in iis, ut in Pupinia, neque arbores prolixas, neque Vites feraces, neque ſtramenta videre craſſa poſſis*; ideo apud Jenſonium *in iis* fit *in nux*; apud Aldum *in Veiis*, in utroque Florentino libro *in nus*, unde *in eieis* priſca ſpecie facile revocatur, quod ad terræ diſcrimina refero, quæ tria meminerat Varro, & primum macræ terræ. Itaque in iis diſcriminibus, ut in Pupinia ceu in macra; nam infelicis ac jejuni ſoli Pupinia. Illud etiam *in nus* ſi *in hac*, nempe macra terra, immutaveris, eandem ſententiam recludes, & perficies.

Cum ex quadripartita diviſione quæ ad fundum pertinebat, *quæ ſit forma, quo in genere terræ, quantus, quam per ſe tutus*, duo prima explicaſſet Varro, ad tertium *quantus* deſcendit cap. X. Et primum de metienda terra docet, atque ex primis modis *jugum* facit. *Jugum*, inquit, *vocant, quod juncti boves uno die exarare poſſint*. Quæ Plinius in lib. XVIII. tranſcribit, ut nunc vulgo editum eſt, in hoc exemplum:

plum : *jugerum vocabatur quod uno jugo boum in die exarari potuiſſet* : Quæſitum video utrum utri excellat, cum aliud *jugum* ſit, aliud *jugerum*, neque tamen aliud Varro, aliud Plinius notet, ſed uterque idem. Res eſt cognitu facilis, & ſic aperta, ut mirer Voſſium, cum ad emendandum Plinium eſſet commotus, pro *jugerum jugus* ſubſtituiſſe. Numquid *jugus* aliud, ac *jugerum* ? Quid enim prodeſt de Tibullo *jugere* a recto *jugus* afferre ? Sciunt omnes *jugus jugeris* dici, ut *jugerum jugeri*, & Juvenalem ceciniſſe :

Jugeribus paucis lumbos donare clientis.

Longe melius providit Fulvius Urſinus diligentiſſimus antiquitatis inveſtigator, qui Plinio repoſuit *jugum*, quod in antiquis excuſis libris apud Plinium ego item adnotavi. Equidem *jugum* in utroque auctore retinendum videtur, quod etiam Nonius Marcellus, qui, ut Plinius, a Varrone exſcripta commemorabat, oſtendit. Erat autem menſura qua Hiſpania ulterior utebatur, ut verſibus Campania, Jugeris Romani & Latini. Reſtat in Plinio *in die*, de quo ambigi poteſt, cum id in Varrone, & Nonio *uno die* ſcribatur.

Deſignata deinde jugeri menſura quod actus duos quadratos habeat, quadrati actus modus explicatur : *actus quadratus qui & latus eſt pedes* xx., *& longus totidem. Is modus acnua latine appellatur*. Peream, ſi *acnuam* a Latinis vocari actum quadratum ſcripſerit Varro, quam vocem Bœticam eſſe teſtatur Columella lib. v., cui ſuccinit Iſidorus. Præterea cum Varro Latine ſcribat, & ſua lingua, quid opus admonere hoc vel illud Latine dici ? In alienis quidem ſervat : hoc Græce dicitur, hoc a Sabinis vocatur, illud a Campanis. De Latinis vocabulis cum quid expreſſius adnotat, *noſtri* apponit, ut l. II. c. I. : *nec multo ſecus noſtri*. cap. v. *Quod Græci vocant* λύραν, *fidem noſtri*, & hoc lib. c. XVII. *quos obæratos noſtri vocitarunt*. Dubitatur item de *acnua*, quod Columellæ eſt *agna*. Sed Varro priſcam ſcribendi formam ſequebatur, Columella ſui temporis conſuetudinem. Videtur etiam *acnua* ad Latinam rationem *acna* ſive *agna* accedere, verumtamen neque perfecte neque plane ; ita enim dicebatur a barbaris, nempe a Bœticis Latinam linguam imitantibus. Columella Latine ſcripſit, ut aliud terræ ſpatium jam in Latio tritum *porca* quod Bœticis fortaſſe fuerat *porcua*, tam ab eodem, quam ab aliis nuncupatur. Utraque ſcilicet menſura ab ovillo & ſuillo pecore deſumpta, credo, quod pecuarii ad aratrum verſi, nihil prius quam pecudum nomina tenerent ; ceu qui primi paſtoralem agentes ætatem, de ſummis jugis ſtellas contemplaſſe dicuntur. Ipſarum enim figuras poſitioneſque pingui Minerva notantes, nomini-

bus

bus ab armentis & gregibus cæteriſque animalibus inter quæ verſabantur, aſtra ſignarunt, & hac ratione pecudibus ac beſtiis refertum cœlum habemus.

Et *ſcrupulum* quoque minimus metiendorum agrorum modus non minimum mihi injicit ſcrupulum, quem mihi ut ex animo evellas multa ad te ſcribere inſtituo. Tradit Varro minimam jugeri partem vocari ſcrupulum, centum nempe quadratorum pedum ſpatium, cum jugerum ſcrupula occupet cclxxxviii. quæ pedes $\overline{\text{xx}}$ $\overline{\text{viii}}$. dccc. quadratos efficiunt. Cum itaque exigua etiam in ponderibus ratio appelletur *ſcrupulum*; communis & loquendi & ſcribendi conſuetudo obtinuit, ut a ſcrupo, ſive calculo tam agri portiunculam, quam puſillum pondus, tertiam drachmæ, vigeſimamque quartam unciæ partem pendens, ac lapillum *ſcrupulum* diceremus. Atque in hoc nihil animadverti poteſt; recte enim a ſcrupo ſcrupulus: in altero etiam quod ad pondus pertinet, poſſumus aliquatenus connivere, quaſi lapilli ad pendendum imponantur, ut Siliquæ, Lentis, Speltæ, & Lupini grana. Verum de primo quid dicemus? Quonam ſocietatis vinculo area quadratorum pedum centum, & parvus lapis continentur? Numquid ad definiendum jugeri *ſcrupulum* lapillus adhibetur, ut ad Siliquæ pondus Siliquæ granum? Quid ſi oſtendam in ponderibus *ſcrupulum* non dici, ſed *ſcriptulum*? Soſipater Charifius quid lib. i. *inſt. Gramm.* memoriæ reliquerit, audiamus: *ſcriptulum*, ait, *quod nunc vulgo ſine t dicunt, Varro in Plautotino dixit. Idem* iii. *annal. nummum argenteum conflatum primum a Servio Tullio dicunt, is quatuor ſcriptulis major fuit quam nunc eſt.* Flavius ſimiliter Caper vetuſtus de Orthographia auctor *ſcriptula* eſſe ſcribendum, non *ſcripula* confirmat. Itaque *ſcrupulum* in ponderibus nunquam appellatum eſt; dumtaxat cum vitioſe ſcribebatur, *ſcripulum*, cum recte, *ſcriptulum* hac auctoritate expertum eſt, probatum, probeque perſpectum. Hinc in antiquis manu exaratis voluminibus, ut etiam Voſſius adnotavit, *ſcripulum* & *ſcriptulum* occurrit, atque etiam contractum *ſcriptlum* ac *ſcriplum*. Apud Martialem in optimæ notæ libris ita hi lib. iv. verſiculi ſcribuntur.

Ergo nec argenti ſex ſcriptula Sextiniani
Miſſa, nec a querulo mappa cliente fuit.

In Q. etiam Rhemni Palæmonis antiquioribus libris *de Pond.* & *Menſ.* editum invenies *ſcriplum*, ut puto, pro *ſcriptlum*; nam *ſcrupulum* quod editores nunc maxime probant, niſi in tribus multitudinis numeri caſibus ab eo carminis genere non admittitur. *Scriptulum* igitur non ſolum pondere quod Græci vocant γράμμα (ut

etiam veſter Palæmon hoc verſu declarat :

Gramma vocant , ſcriptlum noſtri dixere priores)

refert , ſed etiam ſignificat ; idcirco in vetuſtis *Gloſſis* , cum γράμμα apud Græcos etiam epiſtolam comprendat , *ſcripula* ac *ſcribula* (*ſcriptula* rectius) epiſtola vocatur . Hactenus præſtitiſſe videor *ſcrupulum* in ponderibus non fuiſſe , ſed *ſcriptulum* vel *ſcripulum* , atque a Latinis id indicari , quod a Græcis γράμμα , quibus adjiciendum , ut egregie Palæmon numeris nectit :

Grammata dicta , quod hæc viginti quatuor in ſe
Uncia habet , tot enim formis vox Græca notatur .

Supereſt jam altera cura , ut de minima jugeri parte , cujus gratia hæc tam longe contexuimus , videamus . Quod non incommode efficiam ; quid enim facilius ad definiendum agrum non admittere ſcrupulum id eſt lapillum , quem de exiguis ponderibus in quibus minima quæque non improbantur , dejecimus ? Utar primum conjectura facili , quam ſubinde confirmabo . Conjectura veteri lectioni innititur , quam , ut ſupra attigi , Soſipater , & Flavius Caper in vulgum ſui temporis receptam prodiderunt , quamque ex Varronianis libris Victorius deprompſit *ſcripulum* , & *ſcripula* . Apud veteres igitur tam in ponderibus quam in agrorum modis *ſcripulum* , non *ſcrupulum* fuiſſe vides . Id ad antiquam normam , qua etiam Varronem uſum teſtatus Soſipater , redactum *ſcriptulum* dabit . Nunc quod conjectando aſſecuti ſumus , alia via aſtruere & confirmare conabor . Quod , ut pauca complectar , advertere licet ſcriptulum in ponderibus ita ſe habere ad libram , ut idem in terræ dimenſione ad jugerum , quorum pars duodecima in utroque uncia habetur . Nam & in geometricis nominatur uncia , de qua Varro infra agit hiſce verbis : *Ab hoc principio menſores nonnunquam dicunt , in ſubſicivum eſſe unciam agri , aut ſextantem , aut quid aliud , cum ad jugerum pervenerunt* . Ut igitur uncia commune nomen , ita & ſcriptulum . Quis enim in dubium id revocare poterit , quod priſca monumenta declarant , quod auctores docent , quod analogia confirmat , quod communis ac promiſcuus apud veteres ſive quid pendentes ſive metientes uſus demonſtrat ? Hæc tamen noſtra vel ratio vel opinio valde premitur , & coarctatur , quod *ſcrupulum* ſubit ante omnium oculos poſitum , & in uſu quotidiano , atque in hominum congreſſione collocatum , cum *ſcriptulum* , quod jam a Latini & ſermonis noſtri conſuetudine penitus receſſerit , ab alta oblivione ac ſilentio ſit repetendum . Quapropter tuum erit , mi Andrea , quæ familiari officio ad te ſcribo , tua prudentia acrique ingenii acie perpendere , ne aliquando , ſi

quid

quid ex his in hominum manus effluxerit, nimiæ novitatis damnemur. Id ſi pro tua humanitate feceris, literiſque ad me datis, me nimis fortaſſe ſcrupuloſum monueris, ſpero fore, ut intelligas, inter uvæ quoque genera verſari *ſcriptulum*, quod nunc apud Plinium in *ſcripula* latet, in *ſcirpula* apud Columellam.

Atque hæc de agrorum dimenſionibus quæ capite x. finiuntur, ſatis. Ad XI., & XII. (male enim in duo ſeparatur, peſſime in tria) ubi de villa præcipit Varro, veniamus. In illo inter præcipua habemus: *Villam ædificandam potiſſimum, ut intra ſepta villæ habeat aquam*. In quibus conjicerem eſſe legendum: *Villam ædificandum*; ut multa perſimilia in Varrone admonent: *Serendum Viciam*: *objiciendum farinam*: *colligendum eas*: *præfectos alacriores faciundum præmiis*, & capite XII. in primis editis *dandum operam*.

De villæ poſitione ſaluberrimum ſequitur præceptum: *ſin cogare ſecundum flumen ædificare, curandum ne adverſum eum ponas; hieme enim fiet vehementer frigida, & æſtate non ſalubris*. Hæc a pleriſque hoc modo probantur; contra enim veteres editores, qui *eurum* pro *eum* excudendum curaverant, ab omnibus conclamatum eſt. Quos merito reprenſos cenſebis, cogitans Eurum a ſolis exortu ſpirare; ideoque eſſe ſalubrem. Quare ſequioris temporis editores illud, quam hoc ex vetuſtis, ut credo, libris amplexi ſunt. In qua re aliqua laude fraudandi non ſunt; faciliora ſiquidem ad emendandum poſteris tradiderunt. Quod cum facerent, in animo habuiſſe exiſtimo, ut *eum* vel ad *fluvium*, vel ad *flumen* referrent. Ego tamen (ut ſimpliciora proferam) mecum perpendi, num pro *eum eam* Varro ſcripſerit, id eſt villam; ſtatim enim de villa quædam continuavit, cum de eadem multa præmiſiſſet. Propterea Plinius ex Varrone hæc expreſſit: *convenit* (villam) *nec juxta paludem ponendam eſſe, nec adverſo amne*. Neque diſſimilia meminit Columella.

Verum hæc levioris curæ habenda: gravioris quæ ſubiiciam; quid enim editorum diſcrepantia magis varium? Varium autem? Divulſum & quaſi diſcerptum. Non enim ſolum veteres editores a vetuſtiſſimis diſſentiunt, & a recentioribus (ut in Varrone ac Catone frequentius evenit) ſed & hi a primis diſcrepant, & inter ſe diſſociantur. Itaque per quinque veluti ſectas miſere dilaniatur Varro, ut ordine recenſebo, ab Jenſonio initio ducto: *advertendum etiam ſiqua erunt loca paluſtria, & propter eaſdem cauſas, & quod areſcunt creſcuntque animalia quædam minuta*. Altera Aldi: *advertendum —— cauſas, & quod areſcunt, & quod in iis creſcunt animalia*. Ex Creſcentio qui Varroniana

iſta recenſet, afferam tertiam: *Animadvertendum eſt ſi juxta erunt loca paluſtria, & propter eaſdem cauſas, & quia cum areſcunt, creſcunt animalia quædam minuta.* Quarto loco Victoriani in cenſum veniunt: *advertendum —— cauſas, & quod areſcunt, creſcunt animalia.* Ab his deſcivit Popma non codicum auctoritate, ſed Fulvii Urſini conjectura ductus, quo opinante ex *aleſcunt* factum *areſcunt*, & deinde appoſitum *creſcunt*, hoc ipſum tanquam Varronianum ut approbavit, ita excudit: *advertendum —— cauſas, & quod in iis aleſcunt animalia.* Itaque cum hujus loci quinque ſint ſcripturæ, & una tantum vera eſſe debeat, quamnam ex his recipiemus? Jenſoniana percommode cadit, quæ etiam antiquitatis jure reliquis anteferenda. Ab hac paululum diſtat Victoriana, *que* particula ſubducta. Aldi vero & cæterorum qui cum Aldo conſentiunt, infucata apparet, & veluti muliebriter interpretum ſtylo compta; ideo deterioris notæ. Quid de Creſcentiana exemplorum antiquiſſima dicemus? Equidem haud incongruam ſententiam aperit, neque a Varrone alienam. In qua tamen ſiquis *juxta* improbaret, haberet arbitrium, quamvis iterum in Varrone ſcribatur: *quod & beſtiolæ ſi quæ prope naſcuntur, & inferuntur.* Cave nihilominus, credas in Creſcentio primitus non extitiſſe illud *ſiqua*, cum in vernaculis interpretationibus antiquis habeamus: *ſe v' aveſſi alcuni luoghi paludoſi.* Quod ſecuti interpretes cum in Latinis ſequioris ætatis exemplaribus non inveniſſent, referre ſuperſederunt. Ultimæ conditionis & deterrimæ cenſenda ſunt quæ protulit Popma. Hæc palam improbare non verebor; quod paludoſa loca vel maxime areſcendo nocent. Tunc de cœnoſa colluvie gravior & magis virulentus emittitur ſpiritus, & animalia quæ circa paludes, dum aqua abundant, morantur, humore deſtituta, & caloribus agitata ad proxima quæque evolant, domoſque infeſtant. Tunc etiam cava & inferiora loca natricibus ſerpentibus, ac bufonum lue replentur. Omnia ſiquidem natura ducuntur, ut aliunde cibum, aliunde ſedem, quo adverſus nimios ſolis ardores ſe recipiant, exquirant. Quapropter vitandas eſſe vicinas paludes provide inculcat Varro, tum quod dum areſcunt, peſtifero halitu cunctis habitatoribus graviores ſunt, tum quod majora infeſtorum animalium agmina emittunt, hominibus, armentis, frugibuſque perniciosa.

Peractis iis quæ ad capiendum aptum ædificii locum, ubi villa ſtatuatur, pertinent, pergit Varro, ut ſingillatim villæ ruſticæ membra deſignet. *In villa*, inquit cap. XIII., *faciunda ſtabula, ita uti bubilia ſint ibi, hieme quæ poſſint eſſe calidiora.* In his diligenter animadvertito, quid deſiderem. Cum apud Jenſonium & Bruyſchium capitis argumen-

mentum indicet: *quod in villa primitus faciunda ſint bubilia & ovilia: & cellæ: & vaſa vinaria & olearia: & alia*, cumque interpretes ex primis plerunque verſibus argumenta excerpta apponere ſoleant (quod abunde in Catone a nobis indicatum eſt) tanquam ii qui ex ſcripto deperdita vel furata in aſſe per judicem repetunt, ſic ego ex illo *ovilia* non per leges, ſed per te tuamque mihi probe ſpectatam ſapientiam, ſi congruum videbitur, afferam *ovilia* Varroni. Et quo facilius hanc villæ partem temporis longinquitate, colonorumque incuria delapſam in ſuam ſedem reſtituendi judicium des, ſi bene circumiveris, reperies alteram partem *ita uti bubilia ſint ibi* (per quam Varro ejus quod de ovili & bubili præceperat, exceptionem facit) niſi alterius adminiculo fulciatur, valde labefactari.

His junguntur alia membra vetuſtate hiulca, in quibus fruſtra archetypon requiro, poſtquam ſecuti artifices, dum quiſque pro ſua virili veteri ſtructuræ manum adiicit, alia atque alia fecerunt lineamenta. Quatuor modis, quos ordine referam, excuſum eſt: primæ figuræ propoſitæ ab Jenſonio tale habeto exemplum: *Fructus ut eſt vinum & oleum loco plano in cellis: item vaſa vinaria & olearia potius faciundum in locis aridis: Fructus ut eſt Faba: Lentes: Ordeum: Far: & fœnum in tabulatis*. Altera forma ab Aldo: *Fructus ut eſt vinum & oleum loco plano in cellis, ita ut vaſa vinaria & olearia potius ſint in locis aridis quam humidis, fructus ut eſt Faba, Lentes, Ordeum, & Far, & fœnum in tabulatis*. In hac non lacera, non hiantia membra, non ſolutos articulos vides, qualia in Jenſoniana, verum partibus apte compoſitis, & ad ſedem redactis, integra omnia, tum marmorato nitida, ac tectorio tacta: quæ dum antiquitatis vitia occultat, artificium prodit. Utriuſque diſſimilem ac contractiorem eruit ex optimis monumentis Victorius, ac in publicum protulit hac facie: *Fructus ut eſt vinum & oleum loco plano in cellis: item ut vaſa vinaria & olearia potius faciundum. Aridus ut eſt Faba, & fœnum in tabulatis*, quibus adjungam, *Faba* omitti a Politiano. Quartam denique de Varronianis libris, ut ipſe faſſus eſt, exſcripſit Creſcentius, quæ ut omnium breviſſima, ita planiſſima omnium, & maxime perſpicua videtur: *item cellas* (faciundum quod proximum præcedit) *in loco plano, ubi vaſa vinaria & olearia eſſe poſſint. Item ubi condantur fructus aridi, ut granum & fœnum in tabulatis*. Hæ ſunt quatuor formæ quas Varronis nomine proditas ad hoc tempus ſciebam, inter ſe valde diſſimiles; ideo non ex uno archetypo. Quænam autem vera & Varroniana habenda, non noſtræ eſt facultatis profiteri. Creſcentiana, ut diximus, perſpicuitate præſtat, & antiquitatis etiam titulo;

tulo; vetuſtiſſimus enim editorum omnium qui e manu ſcriptis libris Varroniana expreſſerunt, Creſcentius, qui ſi probatis neque ſua, neque aliena manu interpolatis uſus eſt, auctoritate quoque illa præſtabit. Ergo, inquies, in ruptis & cæſis Jenſoniana, ac Victoriana relinquemus, quando ex hujuſmodi ruderibus nihil boni, nihilque ſtructilis ſpondes? Nequaquam; quoniam, ſi nos ad aptam ſtructuram ex iis quicquam componere non valemus, id fit fortaſſe noſtro vitio: alii vel optima eruent. Quanquam & nos quo deſiderio tuo plenius ſatisfaciamus, aliquid ex illis ædificabimus hoc modo: *Fructus ut eſt vinum & oleum loco plano in cellis, item ubi vaſa vinaria & olearia eſſe poſſint, faciundum, aridus ut eſt fœnum, in tabulatis.* Hoc eſt, faciundum ubi fructus, ceu oleum & vinum eſſe poſſint loco plano in cellis; item ubi collocanda ſint vaſa vinaria & olearia; item ubi fructus aridus, ut fœnum in tabulatis condas. Animadvertere etiam licet *vaſa vinaria & olearia* non id eſſe hoc loco accipienda, quo vinum & oleum ſervantur, ſed quo coguntur; quin juriſperitis ac Juliano in primis vaſa vinaria proprie vaſa torcularia eſſe placet.

A fructuariis cellis in quibus te ſine fructu, utinam ſine faſtidio, diu epiſtola detinuit; abeamus ad alia loca, quæ ſingulariter deſcribit Varro. *In primis culina videnda, ut ſit admota.* Hic, & alibi ſi forte invenitur, item apud alios auctores præſertim vetuſtiores, *colina* per *o*, non per *u* ſcribendum tibi probabo. Et primum ceu fundamentum Nonii Marcelli verba ponam ex capite primo deprompta: *Culina veteres colinam dixerunt, non, ut nunc vulgus putat. Varro Modio: at hoc intereſt inter Epicurum, & gaueones noſtros quibus modulus eſt vitæ culina. Plautus Muſt.*

Exi e culina ſis foras maſtigia,
Qui mihi inter patinas exhibes argutias.

Varro de vita P. R. lib. 1. *qua finis* (Lege *qua fini*, ut in Catone indicavimus) *ſit antica, & poſtica: in poſtica parte erat culina dicta ab eo, quod ibi colebant ignem.* His quod a nobis propoſitum eſt, exemplo, auctoritate, & ratione etiam confirmatum habes. Varro enim ac Plautus duo præcipua antiquitatis, & Latini quoque leporis lumina ſemper dicti ſunt atque habiti. Nonius item non obſcure inter præſtantiſſimos grammaticos fulget. Attamen in quibus Latini nominis auctoribus veterem iſtam conſuetudinem non deſideramus? Omnes tanquam nihil interſit inter *colinam* & *culinam*, hoc utimur, hoc probamus, hoc noſcimus tantum. Atqui quanto intervallo hoc ab illo diſcriminatur? *Culina* (ut Feſti dicam verbis) *vocatur locus, in quo epulæ in funere com-*

comburuntur. De eodem Aggerius Urbicus in libro quem *de limitibus agrorum* compoſuit, hæc poſteris reliquit: *Sunt in ſuburbanis loca publica inopum deſtinata funeribus, quæ loca culinas appellant*. De eadem in *Catalectis* hi verſiculi leguntur:

Neque in culinam, & uncta compitalia
Dapeſque ducis (an Ditis?) *ſordidas*.

De eadem demum intelligit Catullus dum de Rufa canit:

Bononienſis Rufa Rufulum fallat
Uxor Meneni, ſæpe quam in ſepulchretis
Vidiſtis, ipſo rapere e rogo cœnam,
Cum devolutum ex igne proſequens panem
A ſemiraſo tunderetur uſtore.

Cernere etiam licet in vetuſtis lapidibus ſacris ædibus adnexam culinam, ut in iſto:

Herculi. Saxano. Sacrum
Ser. Sulpicius. Trophimus
Ædem. Zothecam. Culinam
Pecunia. ſua. a. ſolo. reſtituit.

Et in alio:

Junoni. ſacrum
M. Magius. M. L. Amaranthius
VI. Vir. &
Magia. M. F. Vera. Magia. M. L. Ilias
Ædem. Signa. X. Porticum
Macerias. II. Culinam. &
Locum. in. quo. ea. ſunt.
U. S. L. M.

Porro quandoquidem a colina, ubi cibi parantur & coquuntur, ad culinam mortuorum cineribus, epuliſque ſepulchralibus refertam pauliſper te ſeduxi, hinc recedentibus per alia fœdiora loca, ſi ad Varronianam villam redire cupis, eſt tranſeundum. Cumque ſecundum villam quidquid purgamenti e cohorte everritur, evehiturque ex ſtabulis, in ſterquilinia tollatur, ne ex ipſis alienus odor exhalans te moleſtia afficiat, quæ ſuper his indicanda ſunt, ex tranſitu cito indicabo. Duo eſſe oportere in villa ſterquilinia laudat Varro, *aut unum bifariam diviſum: alteram enim partem ferri oportet e villa novam, alteram veterem tolli in agrum; quod enim infertur recens minus bonum, id cum conflacuit, melius*. Viſne hanc clauſulam brevius atque elegantius complectamur? Non puto te inficiaturum, dummodo Varroniana præſtemus. Germana dabi-

mus:

mus : *Quod enim quam recens quod confacuit , melius* . Hæc de optimis fontibus hauſit Victorius, non tamen Varroni reſtituit, verbi , opinor , *confacuit* inſolentia offenſus. Id porro vel ab ea origine venit, unde *fæx*, quamvis nunc obſcurum & obſoletum (nihil enim temere de antiquitate pronunciandum , ne eorum mores qui plerunque damnant , quod non intelligunt, imitemur) vel fuit *confracuit* a *fraceo*, ex quo *fraces*. Nam ſi oleam quæ nimis in acervis fuerit , fraceſcere ait Varro , hoc eſt calore macerari , & mox corrumpi ; cur non potius dicemus fraceſcere ſtercus, quod coacervatum item concaleſcit , & concaleſcendo maceratur , quouſque fiat putre , & tertio denique anno terra? Nonne apud Nonium fraceſcere eſt *tanquam friari & putrefieri vetuſtate?* Ut ut res ſe habeat, ſpero fore ut intelligam, tibi fuiſſe meliora vetuſta, quam ab Aldo edita , & retenta a Victorio . Neque enim dubitandum quin vulgata Aldina ſint, cum primæ editiones quamvis vitiatæ, veteris ſcripturæ imaginem referant : *Quod enim quam recens , quod cum faciunt , melius* .

Redeamus in cellam vinariam, ubi paucis te volo, & ut habeas curabo: *cellam vinariam & oleariam ad modum agri aptam, & pavimento proclivi in lacum, quod ſæpe, ubi conditum novum vinum , orcæ in Hiſpania fervore muſti ruptæ , necnon & dolia in Italia* . Quid deperditum opinatus ſum , partim cum addat Jenſonius : *ne vinum proluerent* , quod ſic expono : *quo vinum proluerent* dolia in lacum, dum rumpuntur.

Antequam te e villa dimittam , contemplator etiam quod extra villam pictum oſtendo: *item videre oportet , ſi eſt collis (niſi quid impedit) ut ibi potiſſimum ponatur villa* . Non enim mihi architecti manu poſitum videtur, ſed neſcio cujus. Varrone intempeſtive abutentis , primum quod extra ſedem eminet, neque ſuperioribus adnexum, neque inferioribus ; deinde quod hic inordinate , illic ubi villa ſtatuenda erat , ordinate, & bis digeſtum: *ut potius in ſublimi loco ædifices : ab hoc utroque ſuperiora loca tutiora*.

Ex quadripartita diviſione quam Varro capite VI. propoſuerat : *Quæ ſit forma fundi : quo in genere terræ : quantus : quam per ſe tutus*, relinquitur hoc de finibus tuendis , quod cum aliis ad Liberalia tibi reſervo. Id autem quod nunc epiſtola ſecum fert :

Quidquid erit, boni conſulas.

Cura diligentiſſimè, mi Andrea, ut valeas.

D. Patavio III. Non. Mart. CIↃ IↃCC XXXII.

EPI-

EPISTOLA IX.

Emendatur Varro a capite XIV. in caput XXIV.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

REdeunti mihi heri ex Academia domum afferuntur tuæ literæ, quas pridie ſcripſeras. Has dum perluſtro, primo obtutu obſtupui dum lego: *odi profanum vulgus & arceo*, ſed mox intellexi, cur tale principium feceris. Parebo libenter, neque in *ſcriptulo*, *colina*, cæteriſque aliis hæſitabo, quando tuo judicio prudentiaque expedior. De etymologicis Varronianis teneo, & quæ ſenſerit Quintilianus, memoria cuſtodio. *Colina* a colendo rectene, an contra, nihil ad nos: primam ſyllabam in utroque eandem ſpecto, ex qua originem deducit Varro. De reliquis quod ad te quam primum ſcribam, jubes, curabo diligenter; ideo nunc aliam penſiunculam mittam, exorſus a ſeptis quæ tutandi fundi cauſa parantur.

Primum naturale ſepimentum quod obſeri ſolet virgultis, aut ſpinis, quod habet radices, aut vivæ ſepis, prætereuntis laſcivi non metuet facem ardentem. Adhuc in his non me pœnitet legiſſe *vivas ſepis*, hoc eſt connexiones implicationeſque ſpinarum ac virgultorum, quibus fit ſepimentum, & proprie ſepes a ſepiendo vocatur; quæ, quoniam viridia, ignem reſpuunt; radices enim terra abditæ in tuto jacent. Inter quæ ex utroque Florentino codice *ac* pro *aut* recipio, quo conjectura approbatur. Cave tamen, ne Fulvii Urſini auctoritate decipiaris (etſi difficile eſt, ut tua prudentia præſertim in hoc loco te fallùm habeat) qui exemptum *vivæ ſepis* ad *naturale ſepimentum* apponebat, & nimia cura inanem ſententiam parabat.

Tertium militare ſepimentum eſt foſſa, & terreus agger, ſed foſſa ita idonea, ſi omnem aquam quæ a cœlo venit, recipere poteſt, aut faſtigium habeat, ut exeat e fundo: agger is bonus qui intrinſecus junctus foſſa, aut ita arduus, ut eum tranſcendere non ſit facile. De quibus mihi cogitanti videri ſolet perfectior ſententia, ſi ſcribamus: *foſſa ea idonea*, ut *agger is bonus*; ſive, quoniam in Jenſonio: *Sed & foſſa ita idonea, ſed ea foſſa ita idonea.* Præterea: *aut ita arduus* legerem: *ac ita arduus*, ſive, ut excudit Jenſonius, *ſed ita arduus*; nam *aut* foſſam excludit, de quo ſepti genere agitur poſtea: *aggeres qui faciunt ſine foſſa, eos quidam vocant muros.*

Extat in extremo capite xv. tanquam brevis peracti propositi peroratio ; ut primum enim Fundanius , conquisitis omnibus quæ ad finium tutelam pertinere visa sunt, conticuit, subiicit Scrofa redigens in compendium quæ narrata erant: *igitur primum hæc quæ dixi, quatuor videnda agricolæ: de fundi forma, terræ natura, de modo agri, de finibus tuendis* . Quibus si quartum *de* ex Jensonii libris addamus , non solum ea amplificabimus , sed ornabimus etiam : *De fundi forma , de terræ natura*? Noli tamen existimare me ita apud Jensonium inveniisse : vestigium inveni, sive potius vestigii indicem: *De fundi forma: T terræ natura* . Litera *T* altera fuisse in *Et videtur* , ut in extremo quoque membro reperitur ; hoc autem depravatum est ex *de* . Nostram porro conjecturam adjuvant aliæ hujusmodi in Varrone scribendi formulæ , ut Lib. II. *Alteræ partes quatuor sunt , cum jam emeris , observandæ : de pastione , de fœtura, de nutricatu, de sanitate*. ut lib. III. *ut hos quinque gradus observaret , quos in Gallinis dixi: hi sunt de genere, de fœtura, de ovis , de pullis , de sagina* . Quæ si pro sua diligentia animadvertisset Fulvius Ursinus, nunquam in eam adductus esset sententiam, ut illa ex Jensonio a nobis allata tanquam ab expositoribus adiecta repudiaret.

His satis compertis, annectit Varro capite xvi. (ut nunc finitur) alia quatuor, quæ ad villam & agri cultum propter affinitatem referuntur. Primum: *si vicina regio est infesta*: secundum: *si quo neque fructus nostros exportare expediat, neque inde quæ opus sunt, apportare*: tertium: *si viæ aut fluvii qua portetur, aut non sunt, aut idonei non sunt*: quartum : *siquid est in confinibus fundis, ut nostris agris prosit, aut noceat*. Quæ subinde explicat, ac latius deducit. Et primum quidem his explanat: *E queis quatuor quod est primum, refert, infesta regio sit, nec ne*. Secundum autem (ut proditum in mediæ ætatis editionibus) hoc pacto: *secundum quæ vicinitatis invectos habet idoneos* . Quorum primum frustra in Victorianis libris requires, frustra etiam in Jensonianis, quamvis necessarium . Sed magis mirari subit a quibus *secundum* , ut secundum non recipiebatur , ipsius partem fuisse appellatam *tertium* , quasi ista ad secundum Varronianum non pertinerent: *Tertium est item si ea oppida, aut viciniæ, aut etiam divitum copiosi agri ac villæ , unde non care emere possis, quæ opus sunt in fundo, quibusque quæ superfint, venire possint*. De his enim secundo loco non præceperat Varro, ut retuli? Quare vel deme *tertium*, & lege: *item si ea:* vel *tertium* in *secundum* mutato . Neque tamen in hoc solum stetit eorum quos attigi , indiligentia : ad inferiora defluxit , & quod erat tertium , quartum fecerunt ; quarto, cum ultra progredi non liceret, extra numerum habito.

Et

Et de his ſimiliter quatuor partibus quas extra fundum ad agrum colendum arceſſiverat noſter Varro, non plura quam quantum ex librorum in re non mediocri diſcrepantia arripui, commemoranda judicavi. Agriculturæ hinc propiora videbimus, cum Varro capite XVII. ad ea inſtrumenta quibus agri coluntur, deſcendat. Quorum tria genera proponit: *vocale*, *in quo ſunt ſervi*: *ſemivocale*, *in quo ſunt boves*: *mutum*, *in quo ſunt plauſtra*. In primo: *omnes agri*, inquit, *coluntur hominibus ſervis*, *aut liberis*, *aut utriſque*. De ſervis nihil addit, quod eorum opera adeo in unaquaque villa erat communis, ut explicatione non indigeret. Itaque de liberis: *aut cum ipſi colunt*, *ut plerique pauperculi cum ſua progenie*, *aut mercenariis*, *cum conductis liberorum copiis res majores ut vindemias*, *ac fœniſicia adminiſtrant*, *iique quos obæratos noſtri vocitarunt*. Iſti igitur quos *obæratos* ſcribunt, liberi erant; cur tandem *obærati?* Alia eſt hujus vocis ſcriptura vetuſta: *obærarios*, hoc eſt qui ob *æs* aliena curant. Quapropter *opera* primum *ob æra*, & *operarius obærarius*; nam ſervi in domini fundo opus faciunt: liberi in proprio agro: Operarii qui item liberi, ubi mercede conducti.

Qui vero optimi ſint operarii, & ad agriculturam dociles ex Caſſio oſtendit Varro: *eam conjecturam fieri poſſe ex aliarum rerum imperatis*, *& more incolarum e novitiis requiſito ad priorem dominum quid factitarent*. Ex quibus extremum membrum tam varium, tam diverſum, tam alienum codices Victoriani, & Cæſenas ac Venetus ſervant, ut vulgata non modo ficta, ſed male etiam, atque imperite ficta eſſe maximo ſit argumento. Quænam enim inter illa & iſta: *& in eo eorum e novitiis reliquiſitio ad priorem dominum quid factitarent* cognatio intercedit? Et tamen illa quamvis fictitia, inania, aliena in omnibus libris leguntur: hæc antiqua atque ex Varronianis inter antiquitatis rudera quiſquiliaſque ſeponunt. At illa probis vocibus, & Latino more enunciantur: hæc barbaris, monſtruoſiſque involvuntur? Quid mihi vel optima proſint, quæ Varroniana eſſe non conſtat? Afferant vel ex M. Tullio Romanæ eloquentiæ principe, conſtantiſſime repudiabo; cum quid verum, non quid melius inquiramus. Recedant itaque novi iſti architecti, quibus ſi tanta eſt ædificandi libido, in ſua area & fundo ædificent, inque ea omnes ingenii opes effundant. Malo detruncata vetera, quam nova integra. Nihil in vetuſtis detrahi, nihil immutari, nihil fingi poliendi nomine opto; quin etiam ſiqua ex ævo antiquas memorias occupant, *araneas ego illas ſervari volo*. Sive obſequio & officio (ut nos) ſive ſtudio, ſive ingenio, ſive alia ratione ductus quis de veterum monumentis impellitur ad ſcribendum, id ſibi ante oculos proponat, ut quam

minima licentia utatur, eaque contentus, si etiam fidelis conjectura ex priscorum auctoritate addatur. Temere coniiciat, caveat, quicquam immutare perhorrescat, aliena inserere ne cogitatione quidem audeat: in commentariis ornare, polire, fingere, & refingere licet. Nemo enim si in viam publicam ibis, te prohibebit: at si per alienas segetes, statim deturbabit. Quapropter illi qui tantum sibi licere opinati sunt, ut Varronianum hunc locum, qui longe meliori conditione in antiquis stabat, nobis deformarent, male de omni posteritate meriti sunt, nullaque ætas improbum eorum factum sine execratione prætermittet. Atque utinam mihi de cunctis libris pessime detorta verba delere daretur. Quod cum impossibile, id agam, ut de hac epistola eximam, ac vetera reponam. Et illud *reliquisitio* in quo maximum est quæstionis & obscuritatis momentum, idem esse coniiciam, ac *redinquisitio* sive *redinquisito* ab *inquiro* cum *red* composito, ut *redinvenio*, *redabsolvo*, *redadopto* dixerunt veteres, & nos, quoniam ab illis exempla supersunt, dicimus. Itaque mercenarii gregis industria exploratur *ex aliarum rerum imperatis, & in eo eorum e novitiis redinquisito ad priorem dominum quid factitarent.*

Proxima sunt alia, quorum non eadem similiter in manu scriptis ac excusis libris scripturæ forma; alia namque in codicibus quibus utebatur Victorius: *facilius enim ii quam minore natu dicto sunt audientes*, a quibus Cæsenas exemplar, & Venetum *hi* tantum pro *ii* differunt. Alia in primis editionibus: *facilius enim his quamvis minores natu dicto sunt audientes:* Alia demum in Aldinis: *Facilius enim his quam minoribus natu dicto sunt audientes* quæ nunc in omnibus libris, ut optima, videmus. His propositis, inquirendum est breviter quæ præstent, ut meliora sequamur. Ante omnia prænoscere oportet, scribendi ambiguitate plurimum delectatum Varronem, ceu in illo de uva: *Itaque lectius defertur in forum vinarium, ut in dolium inane veniat*; *forum* enim *vinarium*, & *veniat* de uva vendenda suspicionem facit, quando forum pars accipitur instrumentorum quibus vinum cogitur, & *veniat* pro *eat* sive *importetur*. Ambigua quoque extremi hujus libri sententia: *non molestè ferentes discedimus de æde*, ubi quod de mora est intelligendum, de æditui morte quæ proxima narrata est, non molestè illos tulisse videtur indicare. Similiter hæc de fœta Asina: *venter enim labore nationem reddit deteriorem*: dum *nationem* ad asininum genus referri opinamur, partum esse invenimus. Haud secus hoc loco obscure & ambigue locutus est Varro, nisi diligenter attendatur. Præcipitur enim qui ætate præstant, facilius quam juniores domino esse dicto audientes. Sed quem hoc pacto de excusis libris intellecturum pute-

putemus? Quem etiam primo intuitu ex antiquis ſine aliqua ingenii contentione? Et tamen quæ protulit Victorius, cur non integra exiſtimanda? Cur etiam paulo attentius intuenti, una litera *ſ* in *minore* poſita, non aperta & dilucida? Quod quo melius cognoſcere poſſis, apponam iterum eadem cum ſuperioribus juncta: *Qui præſint, eſſe oportere qui literis aliqua ſint humanitate imbuti, frugi, ætate majores quam operarios quos dixi; facilius enim ii* (ſive *hi*) *quam minores natu, dicto ſunt audientes.* Qui iſta indiligenter perluſtrarunt, id ſibi accipere viſum eſt, quod in moribus frequentius poſitum videbant, majoribus natu facilius, ac promptius obtemperari, quam minoribus. Propterea Varronis verba tanquam vitiata ad eam opinionem declarandam immutare ceperunt, & primum ſenſim ac circumſpecto judicio, ut Jenſonius: deinde repente, & inconſiderate, ut Aldus. Hac ratione boni iſti viri, quorum libri magno veneunt, Varronianum monitum ad aliud tranſtulerunt.

Ad præfectos hæc pariter ſpectant: *Ad iniciendam voluptatem his præfecturæ, honore aliquo habendi ſunt, & de operariis qui præſtabunt aliqui communicandum quoque cum iis quæ faciunda ſunt opera.* Diſſentiunt vetera Victoriana: *injiciendum voluptatem præfectorum honore aliquo habendo, & de operariis qui præſtabunt alios.* Hinc recepto a Victorio *voluntatem* pro *voluptatem*, reliqua ſic diſtribuam: *inliciendum voluntatem præfectorum, honore aliquo habendo, & de operariis qui præſtabunt alios, communicandum.* Antiqua ſcribendi ratio librarios in errorem adduxit: *inliciendum* pro *illiciendum*, ut *inlicium* apud Varronem pro *illicium* teſtatur.

Ex iis quæ de villicis & operariis nos monuit Varro, ſejungunt interpretes in novum caput quod XIIX. ordine ſequitur, tanquam diſſimillima, quibus familia ruſtica ſingillatim recenſetur. In hoc ſimiliter nonnulla ab aliis, credo, propter materiæ tenuitatem contemptui habita, brevitate qua dabitur, tibi percurram. Et prima quæ haud commode diſtinguuntur: *Dicit enim in eo modo hæc, mancipia* XIII. *habenda, villicum, villicam.* Deinde: *ut dicat haberi oportere hæc,* XV. *mancipia, villicum, villicam.* Cum priſcis editoribus, primo articulo ad ſecundum revocato, moram aliam interponerem, videlicet: *Dicit in eo modo hæc mancipia* XIII. *habenda: vilicum, vilicam.* Necnon in altero modo: *ut dicat haberi oportere hæc* XV. *mancipia: vilicum, vilicam;* quis enim non viderit *hæc* ad mancipia quæ nominatim collocantur, pertinere? His inſuper ex antiquis editoribus numerorum notas apponerem: *bubulcum* I, *Aſinarium* I, *ſubulcum* I; quod non aliter

ter Cato, unde ſumuntur. Tum quibus Catonem perſtringit Varro, quandoquidem inter ſe excuſi libri non conſentiunt, perpenderem diligentius. Incipiam igitur a primis: *Quod Cato, ſi voluit, ut debuit, ut proportionem ad majorem fundum & minorem adderemus, & demeremus. Præterea extra familiam debuit dicere villicum, & villicam.* Ab his Junta hoc *pro portione* differt. Sed longius recedit Aldus: *uti proportione, ad majorem fundum vel minorem addere vel demere.* Quibus rejectis, ad ultima veniamus: *uti proportione, ad majorem fundum vel minorem adderemus, vel demeremus, extra familiam.* Nunc his præter oculos poſitis, quænam tibi magis quadrent, perlibenter intelligam: idque quo facilius abs te impetrare valeam, quod mea fert opinio, proferam primus; ita eodem tempore tum quid melius in illis conſtituendum ſit, tum quid me opinantem feſellerit, ſpero fore, ut cognoſcam. Sed quæ tandem a me probari putas, niſi antiqua? Illa quidem cæteris anteferre cur dubitem, quæ Cæſenas etiam codex mihi confirmavit? Hem, inquies, tam vitiata? Nequaquam; verum ex Cæſenate Victorianoque libris purgata accipito. *Quod Cato ſi voluit* (*ut debuit*) *uti proportione* (in Cæſenate exemplari *ſit proportione*) *ad majorem fundum ut minorem adderemus, vel demeremus. Præterea extra familiam debuit dicere vilicum & vilicam.* Iſtane modo tibi vitiata videntur? Quid? Num Varroniana? Quidni? Quæ litera, quæ dictio, quis articulus, quod interpunctum in illis quæ non in excuſis voluminibus, verum probatæ fidei, hac excepta particula *ut* ante *minorem* poſita, quam Cæſenas codex ſuppeditavit? Idque malui quam *vel*; quod elegantius ſonat, ut in his Varronianis: *paucos ſi Lepores mares ut fœminas intromiſeris*, nempe mares, vel fœminas, quod utranque naturam habere credebatur. Cedo quo offendimus in cæteris? Dicam (quantum noſtra mediocritate aſſequi poſſumus) cum ex duobus quæ Varro Catoni dat vitio, unam clauſulam habeant, hoc ipſum in antiquis quod tollitur, fortaſſe diſplicere, ac moleſte ferri; nam aliud quod notent, improbentque, non video. Hoc tamen qui poſſunt? Scilicet duo non ſunt, quæ in Catoniano modulo non probat Varro, ſundi ſervorumque numerum pariter, ac ſine ratione inter ſe relatum, & villicum ac villicam cum familia? Horum primum eſt, quod Cato in illa fundi formula proportione uti debebat, ut ad majorem fundum vel minorem mancipia addi demive poſſent. Propoſito enim oliveto jugerum cc., *e quo* (ita namque Varro infra explicat) *quum ſexta pars ſit ea* XL. *quæ de* CCXL. *demuntur, non video quemadmodum ex ejus præcepto demam ſextam partem, & de* XLII. *mancipiis*

nihilo

nihilo magis, ſi vilicum, & vilicam removero, quemadmodum ex XI. *ſextam partem demam*. Quibus ut acquieſcas, vitio purganda ſunt; quis enim numerum xl. ſextam partem numeri cc. tibi probaverit? Purgantur minimo ſumptu: *e quo cum ſexta pars abſit ea* xl. *quæ de* ccxl. *demuntur*. Extremum hoc, quamvis in primis editionibus videam eſſe *diminuitur*, retinui, quod de optimo fonte puto, ut Virgilianum illud: *pars in fruſta ſecant*. Hoc itaque primum in Catone reprehendebat Varro: alterum quod ex illo colligunt: *extra familiam debere eſſe vilicum & vilicam*, ab hoc non pendet, ſed ex iſtis quæ continuata annectit Varro: *neque enim ſi minus* ccxl. *jugera oliveti colas, non poſſis minus uno villico habere: nec ſi bis tanto ampliorem fundum, aut eo plus colas, ideo duo vilici aut tres habendi fuere*. Hæc ſunt quæ me ad vetera revocanda impellunt: quibus ſi intemperatius utor (nam magno, fateor, antiquitatis ſtudio, ne dicam morbo afficior) tuum erit non ſolum me commonefacere, verum etiam ab iſta inſania deducere & ſanare.

Ecce nos hinc egreſſos ad antiqua iterum declinare: *ut duo vilicos, & duas vilicas* habeamus. Quæ quis reciperet, niſi vetuſtis codicibus, Grammaticorum auctoritate, ſcriptorumque exemplis confirmata? Ita primus ex optimis libris edendum Victorius curavit; quippe priſcis Latinis *ambo* & *duo*, quam *ambos* & *duos* uſitatiora fuiſſe Chariſius *Inſt. Gramm.* lib. 1., & lib. *de Analogia* teſtatur, ut Afranius in *Pantal.* uſurpat:

revocas nos ambo ad prælium.

Ut Terentius *Andr.*

Euge o Charine, ambo opportune vos volo.

Ut Virgilius *Buc.*

Nam ſæpe ſenex ſpe carminis, ambo
Luſerat.

Et *Georg. Verum ubi ductores acie revocaveris ambo.*

De altero Q. Claudius Quadrigarius apud Gellium: *Cum interim Gallus quidam nudus præter ſcutum, & gladios duo torque atque armis decoratus proceſſit*. Terentius *Adelph.*

Tu illos duo olim pro re tolerabas tua.

Accius in *Epinauſimache*:

Martes armis duo congreſſos crederes.

Quæ ſæpe librarii, ut male accipiunt, ita male excudunt. Sed jam hoc caput dimittamus, in quo ſi verboſius quam eram pollicitus, te detinui, ſcito in hoc de inſtrumentis vocalibus agi.

Ad

Ad ſemivocalia tranſeo, quæ cap. XIX. comprenduntur. Incipiam ab his: *Terram Boves proſcindere niſi magnis viribus non poſſunt, & ſæpe fracta bura relinquunt vomeres in arvo*. Nonnulli quid deeſſe opinantur, qui, dum agriculturæ præcepta emendanda ſuſcipiunt, quid ſit agricultura, prorſus ignorant. Terra enim quæ proſcinditur, quoniam requieta, ſemper dura; eademque ſi inceſſerint ariditates, cum aratore colluctatur; ideo *Boves ſæpe, fracta bura, relinquunt vomerem arvo*, ut Nonius ex Varrone accepit.

Quod addit Aſinos qui ſtercus vectent, tres, Aſinum molarium in vinea jugerum c. *jugum Boum, Aſinorum jugum, Aſinum molarium*. Primum *Aſinum molarium* longurio ad ſuperiora coercerem, ut in Cæſenate codice: *Quod addit Aſinos qui ſtercus vectent, tres, Aſinum molarium: In vinea jugerum* c.; ſiquidem illa ad modum oliveti jugerum ccxl. ſpectant, reliqua ad alterum modum. At quid facias *molarium?* Optimum Varronis exemplar *molendarium* retinet, quod item Jenſonius invenerat. In Cæſenate libro primum ſcribitur *molarium*, alterum *molendinarium*. Ex quo conjecturam duco, utrunque non eſſe Varronianum, eodem enim modo ſcriberetur. Adde Catonem qui primo caret. Cum itaque librarii in Varrone legiſſent *molendarium* vel *molendinarium* (quod utrunque codicum fide probatur) in Catone autem *molarium*, hoc etiam ad Varronem tranſtulerunt. Primum igitur ejicerem, & a Varroniana villa longe ablegarem.

Tertio loco ex mancipiorum ignavia ignaviores indicabo editores, qui repugnantia in his non viderunt: *adjiciendum de pecore ea ſola quæ agri colendi cauſa erunt, ut ſolent eſſe pecuaria, pauca habenda, quo facilius mancipia quæ ſolent ſe tueri, & aſſidua eſſe poſſint*. Qui enim ſe tuetur, non eſt aſſiduus, & contra. Illum comitatur pigritia, deſidia, vecordia, languor, otium: hunc vero diligentia, cura, ſolicitudo, anxietas, labor. Commodiora itaque apud Jenſonium & Bruyſchium habemus: *pauca habenda, quo facilius mancipia quæ ſolent ſe tueri, & aſſidua eſſe non poſſunt*. Attamen ex Victorianis quæ ex Cæſenate libro confirmantur, mendi coarguuntur. Quid igitur? Revolvemurne ad Aldum, a quo tam diverſa, tam perturbata, tam ficta, a veritate demum tam aliena excuſa ſunt? Iſtane approbem & recipiam: *pauca habenda, quo facilius tueri poſſint; quoniam mancipia quæ ſolent eſſe aſſidua, eſſe non poſſunt?* Quis tanta licentia ad nobiliſſimum ſcriptorem corrumpendum Aldum abuſum crederet? Nam Parvus ac Gymnicus qui ab Aldo ſumpſerunt, etſi culpa non careant, minus tamen peccaſſe videntur, qui Aldi nomine, quod apud omnes

fama

fama percrebuerat, decepti errori ſuccubuere. Præclare Junta unus ex Aldinis ſectatoribus, qui ſe ab illis abſtinuit, avertitque, & vetera expreſſit. Ab Aldinis nos quoque non ſine indignatione oculos avertamus ad prima converſi, quæ potiora habenda tum meliorum editorum conſenſu, tum etiam codicum & Victorii, & Cæſenatis, & illorum quos Jenſonius ac Junta exſcribebant. Operæ autem pretium eſt cognoſcere quanta facilitate purgentur, illuſtrenturque. Unius literæ immutatione hæ omnes turbæ conticeſcunt. Igitur & ad antiquam ſedem *tueri* reſtituto, fit *tuerier*, cujuſmodi innumera veteres carmine, ac ſoluta etiam oratione, ut indicatum eſt, uſurpant. Itaque *: adjiciendum de pecore ea ſola quæ agri colendi cauſa erunt : ut ſolent eſſe pecuaria, pauca habenda; quo facilius mancipia quæ ſolent ſe tuerier, aſſidua eſſe poſſint*. Quo plura enim animalia in ſundo aluntur, eo ſæpius ab opere mancipia avocantur; dum in paſcuum agunt, dum potum propellunt, dum ſtercus evehunt, dum ſtramenta ſternunt. Quare qui ſibi proſpicit, longum tempus terit, & negligentiæ ac deſidiæ hoc nomine indulget.

De Bubus qui ad opus parantur, capite xx. præcepta habemus, & primum : *Hos veteranos ex campeſtribus locis emendum non in dura & montana : necnon ita ſi incidit, ut ſit vitandum*. Quorum *necnon ita* ſcriptum eſt in optimæ vetuſtatis libris, ut exſcripſit Victorius, *nec contra*, quod nos ex Bruyschiana editione confirmamus. Verum, ut Victorium debita laude proſequimur, ita Popmam qui diſtinguit : *nec contra. Si incidit*, commendare non audemus, Varronianam vim hac diſtractione diſſolventem. Non expedit e campeſtri regione ad montana loca Boves ad uſum producere, tum quod pabuli ubertate aſſueti in torrido ac gracili ſolo æque non nutriuntur, tum potiſſimum ob ungulas, quas molles & teneras in roſcidis & uliginoſis campis gerunt; iidemque in montes adacti terræ duritie & ſaxis ſtatim offenduntur, ac claudicatione tentantur. Contra qui hinc deſcendunt, e deteriori loco in meliora, facile aſſueſcunt, utilioreſque fiunt, &, cum ſint duriſſimis ungulis, nullo incommodo ad vecturam parati afficiuntur.

De domandis juvencis quæ apponuntur, cum varia & diverſa ſint, experiamur modo tentemuſque explorare quid ſequendum, vel contra. Ac prima vulgatiora, & pleriſque probata tibi ſubjiciam : *Et primum in æquo loco & ſine aratro, tum eo levi, & principio per arenam aut molliorem terram*. Quæ ſatis aperta & dilucida nunquam me ſolicitum haberent, niſi primæ editiones eſſent refertiores : *& primum eos æquo in loco, & ſine aratro, aut eo levi ſimul gradi facias : & principio*

per arenam, aut molliorem terram leniter procedant. His adde Georgica carmina, in quibus multa a Varrone præſtantiſſimus vates imitatus eſt, & non obſcure hunc locum lib. III. metri legibus revinxit, dum cecinit:

Ac primum laxos tenui de vimine circlos
Cervici ſubnecte, dehinc, ubi libera colla
Servitio aſſuerint, ipſis e torquibus aptos
Junge pares, & coge gradum conferre juvencos.
Atque illis jam ſæpe rotæ ducantur inanes
Per terram, & ſummo veſtigia pulvere ſignent.

Quid negotii eſt Varronianum illud quod præcedit: *ſi eorum colla in furcas deſtitutas incluſerit*, in primo verſu recognoſcere, & Jenſonianum: *ſimul gradi facias* in quarto, ut reliqua in ſequentibus? Quæ tamen cum ita ſint, utram in partem me dem, & utra ſint eligenda, animi pendeo, nec prius dubitatione ſolvar, quam tuis literis tuoque judicio expeditus. Interea nequid te celaviſſe arguar, quæ ab Aldo ſunt, proferam in medium: *& primum eos æquo in loco, & ſine aratro, tum eo levi ſimul arare facias, & principio per arenam, aut molliorem terram dum conſueſcant*. Quod *arare facias* pro *gradi facias*, item *dum conſueſcant* pro *leniter procedant* vel de ſuo penu deprompſit Aldus, vel ſi aliunde hauſerit, de ſentina hauſit.

De Bubus qui ad aratrum emuntur, hæc Varro: *Quos* autem *ad vecturas, item inſtituendum*. In quibus animadvertito num a Creſcentio recipiendum ſit *paras*, videlicet *quos ad vecturas paras, item inſtituendum*; Boves enim alii ad aratrum apti, alii ad vecturam. Ideo in emendo alios ſpectat arator, alios qui vecturam facit. Non alius Varro de Equis. *Equi*, inquit, *quod alii ſunt ad rem militarem idonei, alii ad vecturam, alii ad admiſſuram, alii ad corſuram, non item ſunt ſpectandi, atque habendi*. De Bubus etiam hoc loco: *prima eſt probatio qui idonei ſint Boves, qui arandi cauſa emuntur*.

Connexa ſunt: *ut inania primum ducant plauſtra, & ſi poſſis per vicum aut oppidum, creber crepitus, ac varietas rerum conſuetudine celerrima ad utilitatem adducit*. Poſt *oppidum*, *ubi* prima excuſa porrigunt, ſententiamque continuant atque explanant: Ex quibus quando multa optima recepimus, hoc ipſum non reprobarem; apparet enim ex probatis fontibus hauſtum; ſi enim de cœno, ea immiſcerentur, quæ immiſcuit Aldus.

Reliquum eſt in hoc capite, de quo fidentius ſcribam: *in confragoſo enim, & difficili hæc valentiora parandum*. Quorum *hæc* ſi ratione

tione atque animo diligenter ponderemus, *nec* fuiſſe, aut quid aliud quod negandi vim habeat, fatebimur; quippe in confragoſo loco Boves validos alere e re domini non eſt: primum quod gracile ſolum id armenti robur non requirit: deinde quod magna ac valida corpora ex arida & jejuna terra difficilius ſuſtentantur. Præterea præceptum eſt a Varrone, *ſi fundus ſit confragoſus atque arduis clivis*, pauciores Boves opus eſſe, & bubulcos. Id tamen clarius in his quæ illis junguntur: *& potius ea* (paranda) *quæ per ſe fructum reddere poſſint, cum id operis faciant*. Si enim *id operis* faciunt Boves validi, ac Vaccæ Aſellique pro loci conditione, nunquam profecto illos expedit habere, cum pluris parentur, atque alantur pluris: verum potius ea emenda, *quæ per ſe*, ſive (ut editur etiam) *quæ plus fructus reddere poſſint*; quod Boves arando tantum inſerviunt; Vaccæ autem lactis ubertate & fœtibus rem dominicam augent; Aſelli vero ad molas, & ad ea quæ in fundum convectantur, vel hinc efferuntur, utiles.

De capite xx. hæc habebam; quod tum materiæ cognatione, tum ordine quod ſequitur xxi., cum attingat, idipſum quoque quamvis breviſſimum, non paucis perſtringam. Quod dum bifariam ſeparant; primum enim de Canibus qui ad villam tutandam educuntur; deinde de pecore in fundo paſcendo agit, de iis quæ huic tanquam argumentum præmittuntur, afferam multa; mox de eodem pecore pabuloque ſines quid racemari. Eſt veluti titulus apud antiquos editores hujuſmodi: *De indomitis quadrupedibus: de pecore inſtructo ac Canibus hoc faciundum*. Quem etſi in pauciora Victoriani libri & Cæſenas codex redigant, tamen Joſephus Scaliger, quod in eo adhuc redundaret, invenit, ſatis ſibi viſum retinuiſſe: *de indomitis quadrupedibus, ac de pecore*. Id recte an non, intelliges, ſi prius quæ narranda ſunt, acceperis. Videre viſus ſum quæ hoc capitulo comprenduntur, in duo quondam fuiſſe divulſa, in ea quæ ad Canes, & in ea quæ ad pabulum. Quod ut ſuſpicer, titulus facit vetus quidam, ſed non Varronianus: *De Canibus ſine quibus villa parum tuta ſit*. Ubi de indomitis quadrupedibus? Ubi de pecore? Ubi de pabulo? Cur iſta in tam brevi capite non præponuntur, quando e ceteris etiam contractioribus diligenti admodum cura colliguntur omnia, atque indicantur? Nihil certe non ſine cauſa. Quid, amabo te, opus erat in argumentum educere, & capiti apponere, quod capite non continebatur? Sed cur te conjecturis moror, cum certiſſimum habeamus ſignum hujus nimirum ſecundi capitis argumentum? Namque inter Victorianos hujus libri indices, quos eſſe liquet perantiquos, tradente Victorio in manuſcriptis

exemplaribus reperiri, inter, inquam, duos unum capitis XXI. *de Canibus*, alterum capitis XXII. *de muto instrumento* extat medius iste nulli annexus capiti: *si prata sunt in fundo, pecus non est, quid sit faciendum*. Quoniam igitur duo fuisse, quæ deinde in unum caput coiverunt, manifestum habemus, inquirendum breviter ex ipsis indicibus quid primum concluderet, quidque secundum. Et illud quidem de Canibus egisse apparet; docuisse hoc: *si prata sunt in fundo, pecus non est, quid sit faciendum*. Quid de indomitis quadrupedibus? Nihil indicatur. At de pecore? Tantundem: ergo non Varroniana illa sive ab Jensonio proposita: *de indomitis quadrupedibus, de pecore instructo ac Canibus hoc faciundum*: sive a Victorio: *de indomitis quadrupedibus, & pecore faciundum?* Ita statuendum videtur, si tanquam argumenta sumantur: si vero ut peractæ narrationis clausula, cujusmodi multa in hoc opere occurrunt, & germana asserentur, & optima. Postquam enim quæ ad domandos juvencos, item quæ ad pecus instructum, hoc est ad id pecus, quod, ut fundi instrumentum, agri colendi causa est habendum, necnon quæ ad Canes villaticos pertinere visa sunt, pertractavit Varro, conclusionem ponit dicens: *de indomitis quadrupedibus, de pecore instructo ac Canibus hoc faciundum quod dixi*. Quæ extrema Stephani beneficio de veteri codice eruta, atque a Varronianis excusa seorsum ita mihi affulserunt, ut sine hac face ab ambagibus tantis tenebrisque numquam me expediviſſem.

Restant igitur ea quorum argumentum illa esse credebantur, quæque, ut indicabam, in novum caput veteres editores excipiebant: *si prata sunt in fundo, neque pecus habet, danda opera ut pabulo vendito, alienum pecus in suo fundo pascat, ac stabulet*. Quibus si Petrus Victorius inter *pecus* atque *habet* addidisset *dominus* quod ediderat Jensonius, nihil esset, quod de his ad te scriberem. Verum quod ille non declinavit, sed ignoravit (primis enim excusis carebat) nos ut priscum, ut germanum, ut necessarium amplectemur. Priscum Jensoniani libri declarant: germanum autem quo alio ostendam argumento quam ipsius Varronis simillimo lib. II. exemplo: *propterea quod pabulum in fundo compascere quam vendere, plerunque magis expedit domino fundi?* Necessarium denique nemini erit dubium qui viderit illa, *alienum pecus in suo fundo pascat ac stabulet*, nisi recto adminiculo firmentur, quam nutent, ac quam vacillent.

Ad tertium villaticum instrumentum quod *mutum* appellabat Varro, quodque interpretes capite XXII. circumscribunt, jam tempestivum esset transire, siquid præter ea quæ in Catone recensui, & hoc *ex ære aheneo*

nea male receptum pro *ex ære aena*, quod in Jenſonio *ex ære ahena*; haberem quod ad ſcribendum me hortaretur. Itaque a muto inſtrumento ad ea quæ in prædio fructus gratia fiunt, de quibus tertio loco in diviſione prima ſe locuturum Varro pollicitus erat, taciti atque ignavi tranſeamus. Quæ quidem cum ſimplicem atque unam non habeant naturam, ſed alia aliam terram atque aliam requirant, idcirco, ut divinus vates numeris ſignavit:

Cultuſque habituſque locorum
Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet,

varie ac diffuſe in caput XXVIII. a capite XXIII. per Varronem docemur. In hoc primum indicat Varro quæ in tenuiore ſolo felicius proveniunt, ut Cytiſus & legumina, Cicere excepto: deinde quæ pingui lætantur; quoniam (ut ipſius dicam verbis) *cibi ſunt majoris, ut olus, Triticum, Siligo, Linum*. Tum addit quæ non tantum propter fructum præſentem ſeruntur, ſed etiam quia in proximum annum proſpiciunt, opimas ſegetes ad triticeam ſationem præbendo, cujuſmodi in primis Lupinus ac Faba celebrantur. *Itaque*, ait, *Lupinum cum necdum ſiliculam cepit, & nonnunquam fabalia, ſi ad ſiliquas non ita pervenit, ut fabam legere expediat, ſi ager macrior eſt, pro ſtercore inarare ſolent*. Quæ hoc modo ab Aldo edita ad hanc ætatem per omnia volumina propagata ſunt. Non ea licentia abuſi qui primi Varronem per *formas*, ut dicunt, excudendum curarunt, Jenſonius nempe ac Bruyſchius: quod in manu ſcriptis erat, cum fide expreſſerunt: *itaque Lupinum cum dominus ſiliculam cepit*. Quam ſcripturam ex cunctis codicibus affert Victorius, cum in Veneto quoque reperiatur, necnon in Cæſenate. De qua dictione *dominus* quid cenſeam, ſive, ut verius dicam, quid conjiciam (nihil enim ſine dubitatione ad te ſcribo) indicabo. Opinor igitur *donicum* fuiſſe, quod a priſcis Latinis pro *donec* uſurpatum ab hominum memoria cum evanuiſſet, ſecuta ætas ſuæ imperitiæ nimis indulgens, quia nihil aptius quod ex illo conglutinaretur, occurrebat, in *dominus* deformavit. Neque iſte error hoc ſolo exemplo patet: aſſerit Victorius ſæpe in hac voce a librariis eſſe peccatum, ut ex Lucretio oſtendit atque ex Catone, apud quem *donicum ſolutum erit* in *domino cum ſolutum erit* inverterunt. *Itaque Lupinum cum donicum ſiliculam cepit*, vel: *Lupinum donicum ſiliculam cepit*; ut enim in illo Catoniano *donicum* factum *domino cum*, ita hic *cum dominus*; videlicet quoad ſiliculam ex flore emicantem oſtenderit (ut de Aſparago Cato: *uſque licebit vellas, donicum in ſemen videris ire*) inarato. Si enim ad ſiliquam pervenit, nihil vel parum ad ſtercorationem refert. Hæc ad te fuſius ut ſcriberem, *domi-*

nus

mus iſtud ſuo quodam jure juſſit, qui ſi Joſepho Scaligero geſſiſſem morem, dominio ſolutus, ad alia protinus gradum feciſſem. Nam hic confidenter ut ſolet nihil magis verens, (quod de Vellejo Epicureo prodit M. Tullius) *quam ne dubitare de aliqua re videretur*, neglectis omnibus ſive a veteribus libris, ſive ab egregiis viris propoſitis, ſanciverat: *cum ſiliculam cepit*, ut tantum retineretur. Cujus auctoritas ſi apud omnes tanta eſſet, ut dubia, incerta, obſcura, obſoleta, vitiata de antiquis libris demere atque abiicere liceret, expeditior omnibus foret emendandi ratio.

Ad inſequentia deinde converſus Varronem Epicureum factum aſpicito, qui propter voluptatem fructuoſas arbores ſtatuit: *Nec minus ea diſcriminanda in conſerendo quæ ſunt fructuoſa propter voluptatem, ut quæ pomaria ac floralia appellantur*. Sed ſecus; autumo enim ſcripſiſſe *præter voluptatem;* ſiquidem, ut capite VII. innuit, *quæ ſpecie fiunt venuſtiora, ſequi ut majore quoque fructu ſint; ut qui habent arbuſta, ſi ſata ſunt in quincuncem propter ordines atque intervalla modica*. Floralia quoque præter voluptatem quam ex floribus capimus, ære permutato flore, fructuoſum agrum reddunt.

Salicta etiam fructuoſum fundum præbent, *unde utendo quid facias*. His Victorius ex U. c. *viendo* reſtituit, exempto *utendo*. In primis editis hoc amplius *aliquid* pro *quid* habemus. Hinc, cum in optimo libro inveniſſet Victorius: *viendo L quid*, & tanquam vitiato loco appoſita eſſet nota, quæ in Cæſenate exemplari etiam collocatur, conjectabam *L* reliquias ſuiſſe *aliquid*. Porro de *viere* pro *vincire* Varro de L. L. *viere*, inquit, *vincire*, *a quo eſt in Aſoto Ennii: ibant malaci viere veneriam corollam*. Eadem refert Feſtus: *viere alligare ſignificat, unde vimina & vaſa viminea quæ vinciuntur ligata*. Quod extremum abiicies.

Atque in his quidem aut non multum nos erraſſe, aut non inveriſimilia ſecutos eſſe, nobis facile largiamur. Verum prope cum videam quod magna antiquitatis caligine circumfuſum, nec quid ſit, nec quid eſſe debeat, polliceri audeo, quam vereor ut id nunc obtineam quod mihi in dubiis rebus conjectanti ſæpe condonas. Ut ut erit, malo ineptiviſſe videri, dum tuæ voluntati pleniori officio obſequar, quam quicquam de quo dubitem, ſubtrahendo culpa vacare. Accipe itaque ex noſtris literis, quæ meliora ex tua ſapientia remittas. Inter ea quæ proprium cultum expetunt, nec quacunque terra contenta, nec communi cœli poſitione, memorat Varro *Canabim*, *Linum*, *Juncum*, *Spartum*, *unde nectas Bubus paleas*, *lineas*, *veſteis*, *funes*. Diu multumque tota ingenii

genii mei acie contendi, ut quid ex iis ſtirpibus contexeretur, appellareturque *palea*, cognoſcerem : operam tamen, & laborem luſi. Nunc neſcio quid circa palearia quod in torque ad jugum annectendum Bubus implicaretur, *paleæ* nomen a palearibus ductum occurrebat : nunc cum Guilandino Budæoque Stapelio non *paleas*, ſed *ſoleas* quibus ex Sparto Juncove intextis claudicantis Bovis pedem induunt armentarii, ut eſſet conabar. Verum utrunque e veſtigio diſplicebat. Animadvertebam enim ſoleam inter funes & lora non proprie poni, neque inter quotidiana inſtrumenta quod perraro uſuveniret : Item *paleas* a palearibus nec commode fingi, nec licere ſine exemplo, idque ex veterum monumentis non ſupereſſe, quamvis multi ita de re ruſtica ſcripſerint, ut ſi nomen in villa habuiſſet *palea*, locumque inter funes, vel minus attendentibus aliquando excidiſſet. Hinc alia atque alia diligenti meditatione animo volvebam, & cum multa fingerem, ac refingerem, delebam continuo omnia. Quoties etiam tentavi ex Aldo (qui hoc exemplo Varroniana miſcuerat : *ubi Cannabim*, *Linum*, *Juncum*, *Spartum*, *unde lineas*, *reſteis*, *funes facias*, *quibus nectas Boves*. *Paleas & alia*) quod ſcripſiſſe non pœniteret, vel invenire, vel comminiſci? Sed, ut rem contraham, hoc extremum fuit, in quo acquieſcerem. Cum ad caput XXII. ubi de ſtirpibus ad texendum aptis tractatur, regreſſus Varronem vidiſſem narrantem *quæ fiunt de Cannabi*, *Lino*, *Junco*, *Palma*, *Scirpo*, *ut funes*, *reſtes*, *tegetes*, ſtatim in animum induxi *paleas* eſſe a *Palmas* vel *Palmam* deformatum; quod præter Varronem, multa ex Palmis fieri auctores ſunt Columella, Plinius, & alii. Non prætereundum tamen videtur eſſe in illis quæ de capite XXII. commemorabam, quod non æque ac cætera probem. Unam enim eandemque ſtirpem fuiſſe veteribus Juncum & Scirpum (nam hoc tempore in plura genera a noſtris ſeparantur) quis ignorat? Propter quod vel delendum *Scirpo*, vel potius, ut in utroque loco eadem quæ ad eoſdem ſimiliter caſus laudantur, inter ſe conſtent, in *Sparto* mutandum. Hac ratione Palma *paleæ* munus commodius implere poterit, dummodo utraque ſimilia pariter ordinentur, ut Palma quæ capite XXII. Sparto adnectitur, capite XXIII. cum eodem copuletur, Columella etiam Palmam a Sparto non ſeparante.

Hæc profecto confidentiſſimi illi, qui primi prodita ab Aldo ex ingenio fœdiſſime immiſcuerunt, ſine ſcrupulo auderent. Nos vel in minimis exhorreſcimus, tantumque nobis ſumimus, quantum ad explicandum Varronem conferre exiſtimamus. Nec deſperandum eſt fore ſortaſſe ut aliquando quis exiſtat qui de optimis libris *paleas* eſſe retinendum con-

confirmet, & quid ſit, congrue exponat, noſtraſque lucubratiunculas ad aniles fabellas deturbet.

Duo alia in hoc capite obſcuritate (ut leniter dicam ; nam revera vitium appellandum) implicantur; utrumque tamen facile aperitur, illuminaturque. Primum eſt mala horum diſtractio: *quædam loca eadem, alia ad ferendum idonea*. Scribendum ſine intervallo, ut in antiquis excuſis; per hæc enim monemur quædam loca, in quibus jam quid ſatum eſt, eadem ad ferendum aliud eſſe idonea . Id exemplo auctor declarat quod *in pomariis recentibus deſitis ſeminibus alii hortos conſerunt , alii quid aliud*. In his alterum quod Varronem obſcurat, latet; nam in codicibus non *deſitis* ſcriptum vidit Victorius , ſed *deſſitis* : nec tamen , ut ipſe ingenue fatebatur , quid ſequendum eſſet , animadvertit , quamvis vulgata improbaret. Ubi vitium, inquies? Num vitium dicemus unius literæ diſcrimen, idemque ob ſcriptorum liberalitatem? Utinam hanc liberalitatem qui Varronem exſcripſerunt, in omnibus præſtitiſſent; nihil haberemus perfectius accuratiuſque. In hoc ſane præclare ſe geſſerunt : peſſime τυπογραφοὶ, & non illiberaliter modo, verum etiam imperite, qui *deſſitis* priſca ſcriptura eſſe *diſſitis* , ut corrigimur a politioribus Latinis , ignorantes, *deſitis* quod ab eo loco non admittitur, nobis impoſuerunt . Si enim ad communem ſcribendi normam vetera fingi placebat , ſatis ſibi licuiſſe non viſum *e* in *i* mutaſſe, ut *devertor*, *derigo*, *deſcretis* ex optimis libris accipientes, *divertor* fecerunt, *dirigo*, *diſcretis*? Itaque *deſitis* manifeſti vitii redarguo , improboque , quod abſonum inter illa ſignificat. *Deſſitis* autem a *deſſero* pro *diſſero* libenter recipiam , nempe ſtirpibus per intervalla ſeparatis, *inque ordinem arbuſculis poſitis*, *primis annis* , *antequam radices longius procedere poſſint* , *alii conſeruut hortos* , *alii quid aliud*, adeo ut Columella vicena, Julius Atticus ſena & dena malleolorum millia per vineæ novellæ jugerum inter ordines collocarent. Pluribus ut caput XXIII. abſolverem, te ſum moratus. Vale.

D. Patavio XXVI. Cal. Apr. CIↃ IↃCC XXXII.

EPI-

EPISTOLA X.

Emendatur Varro a capite XXIV. in caput XXX.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

HOc biduum ſine tuis literis interfluxiſſe mirabar; magis tamen admiratus ſum hoc mane, tantula epiſtola a te mihi reddita. Accipio excuſationem: ego imprudens qui tam refertas tabellas miſeram occupato. Sed dic mihi, non æquiore animo apud te eſſe pateris multiloquam epiſtolam, quam multibibum hoſpitem? Hic interea dum tibi dolia exhaurit, præcepta ex Varrone colligam, quibus uberiorem vindemiam in poſterum tibi pares; ea enim quam hoc anno ex tuis prædiis coegiſti, aut jam nulla eſt, aut jam nulla erit. Verumtamen bono animo eſto: quam primum te vacuum fore denuncio.

Scripſeram nuper me caput XXIII. abſolviſſe. Id ſic audias velim, quouſque materiæ ordo ſinebat; nam extrema, Stolo ubi ſubiicit quædam ex Catone referre, poſthabui, quæ ad inſequens caput pertinebant. Etenim ut mittam, non eſſe ea quæ unum corpus efficiunt, divellenda, revera membra minutatim concidere, articuloſque ab articulis diſcerpere non diſtinguere eſt, ac perſpicuitatis gratia ſeponere, verum dilaniare. Numquid aliter factum eſt, ac dico, quando ultima capitis XXIII.: *idem ager ſi nebuloſus ſit, Rapa, Raphanos, Milium, Panicum:* ita a capite XXIV. reſcinduntur, ut longo intervallo ab hoc verbum *ferere* ſit arceſſendum, ne ſpurium *fert* ab Aldo ſumamus?

Hæc tamen exteriora, & ad illos pertinentia quibus Varronem per capita lacerare placet: videamus Varroniana. Primum animadvertendum (nam *ferundo* non *ferendo*, quod in primis excuſis libris *fœcundo*, eſſe oportere prætermitto; quis enim horum modus?) quod majoris negligentiæ reprendi poteſt: *Sed hoc neque in omnibus fundis eſt opus, neque in quibus eſt opus, propter frondem maxime, ſine detrimento ponuntur ab ſeptentrionali plaga, quod non officiunt ſoli.* Ordinanda videntur hoc modo: *Sed hoc neque in omnibus fundis eſt opus: neque in quibus eſt opus propter frondem maxime. Sine detrimento.* Præterea non *plaga* retinent primæ editiones, verum *parte*, quod Cæſenas item codex qui ab optimo Victoriano exſcriptus eſt, oſtendit; ideo *plaga* efficta ab Aldo.

Reiicit autem Varro hoc loco circa fundum Ulmos & Populos eſſe ſerendas, quod Cato docuerat; tum quia in omnibus agris tales arbores non ſunt neceſſariæ; tum etiam, quia, etſi neceſſariæ ob frondem quæ in Boum Oviumque cibatum ſtringitur, tamen cum umbra noceant, non ſunt ponendæ. Si vero quis pangere velit, in agrorum limitibus ſeptentrionali regioni obverſis ſine detrimento licebit.

In eodem capite *frons* vulgo ſcribitur, quod *fros* ſine *n* eſſe oportere docet Chariſius lib. I. *Gramm. Inſt. Fros*, ait, *ſine n. ne faciat, inquit Plinius, frontis. Varro Rerum Ruſticarum lib. I.: Ulmos & Populos unde eſt fros. Idem Antiq. Rom. lib. XV. fros, fœnum, meſſis.*

Atqui hæc nec tua doctrina, neque tuis fortaſſe oculis digna ita ponebam, ne quid omittendo negligentiæ committerem. Divertamur, poſthabito capite xxv. (quod totum Catonianum cum ſit, de eo quæ habebam, in Catone ſcripſi) ad xxvi., in quo intereſt paululum morari. *Si Cupreſſos vivas pro ridicis inſerunt, alternos ordines imponunt: neque eas creſcere altius quam ridicas, patiuntur: neque propter eas adſerunt Vites, quod inter ſe hæc inimica.* Pene totum caput deſcripſi, ut qui ſaltus, ne feræ latibulum excludant, retibus circumdant: ita quo ſagacius vitii nidum inveſtiges atque odoreris, plura tibi expreſſi, cum in angulo quod ſcrutamur, deliteſcat. In quo angulo, inquies? Tam appoſite omnia concinnata ſunt, fucoque oblita, ut nullum ſuperſit mendi veſtigium. Eſto: tamen extrema latebram produnt. Quæ ſunt iſta inter ſe inimica? Num Vitis & Cupreſſus? Sic puto; aliud enim non video. Verum ſi Cupreſſus inimica Viti, cur prope pangitur? Cur pro ridica Viti adnectitur? Cur Vitem ſuſtinet? Cur amplectitur? Cur fovet? *Olus* profecto, *Olus*, ut proditum eſt ab antiquis, Viti habetur contrarium, atque inimicum. *Olus*, inquam, in quo Braſſica intelligitur, propter quod non admoventur ſerendo Vites. Neque aliud quam *Olus* a Varrone poſitum reris, præſertim cum hortum, de quo ut alia multa tranſtulerit Varro, non ſit difficile indicare, Theophraſtum dico in IV. περὶ φυτῶν ἱσορίας. Pernicialia quoque ait Plinius eſſe Braſſicæ cum Vite odia, ipſumque Olus quo Vitis fugatur, ex Ciclamino atque Origano areſcere. Sed me inertem & ſtupidum qui ex aliis quod in proximo jacet, atque adeo in noſtro fundo, longius derivo. Repetamus Varronianum caput XVI., quod quærimus, inveniemus: *Si enim ad limitem Quercetum hæret, non poſſis recte ſecundum eam ſilvam ſerere Oleam, quod uſque eo contrarium eſt natura, ut arbores non ſolum minus ferant, ſed etiam fugiant, ut introrſum in fundum ſe reclinent: ut Vitis adſita ad Olus facere ſolet.* Nunc inter neceſſaria eſt indagare, ubi Olus

lus collocandum. Euge, Victori, tetigisti locum, hæc ex vetustis libris commemorando: *neque propter eos ut adserunt Vites*. Quis enim Lolio victitans non viderit *eos ut* fuisse *Olus?*

Hucusque spectant ex quadripartita divisione qua de rusticis rationibus agere instituerat Varro, tres partes, de fundo, de instrumento, de rebus quæ culturæ causa in prædio faciendæ sunt. Restat quarta quo quæque tempore in agris fieri conveniat; quæ cum varia & multiplex, quod ex hoc volumine reliquum est, distinet atque implet. Id bifariam primum separatur, in ea quæ ad annalem solis circuitum referuntur, & in ea quæ ad menstruum lunæ cursum: illa per x. capita diducunt: hæc i. quod est xxvii., finiunt ac circumscribunt. In prima de anni temporibus differit Varro, quorum cum quatuor assignet, ver, æstatem, autumnum, hiemem, tum subtilius alia totidem interponit, æquinoctia duo, solstitium, brumamque, quibus perite discretis, quo singula dierum spatio circumducantur, subnectit. Hæc omnia nobis declinanda existimamus, sive quod nostræ rusticæ simplicitatis non est, depositio sarculo atque aratro, ad tam abstrusas contemplationes animum intendere, ne de Icaro fabulam aperiamus; sive quod ingentia edita sunt de hac materia volumina, quæ, cum quid dubium aut obscurum in Varrone deprenderis, huc in consilium poteris utilius ac commodius revocare. Scribam igitur quæ nostri instituti sunt, non alienæ disciplinæ; neque altius quam aer qui villas circumfluit, patitur, attollar. Quapropter his cœlestes institutiones tradenti relictis, videndum quæ ab agricolis opportune sint peragenda. *Vere stationes quædam fiunt*. Ursinus nos admonet ex U. C. legendum: *Vere stationes quædam fiunt*. Quod non solum melius quam editum & receptum, sed etiam ut verum necessariumque est admittendum. Idque Varro capite xxix. confirmat præcipiens inter Favonium & æquinoctium vernum *seminaria omne genus ut serantur*; a primo enim Favonii afflatu vernum tempus inchoari scimus.

Deinde de proscindenda terra: *& simul glæbis ab sole percalefactis, aptiores facere ad accipiendum imbrem, & ad opus faciliores relaxatas. Neque ea minus bis arandum, ter melius*. Vel *glæbis percalefactis* ad cætera *aptiores*, *faciliores*, *relaxatas* redigenda sunt; vel interponendum *segetes* aut deperditum aut consulto in *simul* depravatum a correctoribus, cum quid esset seges, non assequerentur. Hoc de *segetes* si dabis, & illud *neque ea* in *eas* mutato. Noscere etiam oportet, ut exscripsit Politianus, *glæbis* nimirum *clævis*, unde vocabuli fons aperitur, ex κλάω frango, atque ἄλα pro γᾶα terra, inserto *u*, ut αἰὼν primum, deinde *ævum*. Quod enim de dura segete dum proscinditur, magnæ glæbæ so-

lent excitari, ideo *glæba* ſive *clæva* terræ membrum, vel pars de terrâ evulſa. Porro quod hic de verna aratione docetur, divino carmine proſequitur Virgilius in *Georgicis*:

Pingue ſolum primis extemplo a menſibus anni
Fortes invertant Tauri, glæbaſque jacentes
Pulverulenta coquat maturis ſolibus æſtas.

Æſtate fieri meſſes oportere. Autumno ſiccis tempeſtatibus vindemias, ac ſilvas excoli commodiſſime: tunc præcidi arbores. Malis interpunctionibus diſtrahuntur. Rectius ordinantur prima excuſa: *æſtate fieri meſſes oportere: autumno ſiccis tempeſtatibus vindemias, ac ſilvas excoli: commodiſſime tunc præcidi arbores.*

Eadem negligentia capite XXIIX. ſcriptum eſt: *quæ redacta ad dies civiles noſtros qui nunc ſunt primi verni temporis;* diſtinguendum enim: *quæ redacta ad dies civiles noſtros qui nunc ſunt, primi verni temporis.* Deinde *autumnales* vertendum in *autumnalis* ex Jenſonio, ut *verni, æſtivi, hyberni* id eſt temporis. Item: *ſubtilius diſcretis temporibus obſervanda quædam ſunt, eaque in partes VIII. dividuntur.* Quæ fuiſſe & eſſe debere affirmarem: *ſubtilius deſcretis temporibus, obſervanda quidem ſunt ea quæ in partes VIII. dividuntur.*

De capite proximo plura ſcribenda ſuccurrit: *in primo intervallo inter Favonium & æquinoctium vernum hæc fieri oportet: ſeminaria omne genus ut ſerantur, putari in primis.* Nam iſtud *in primis* quod in antiquis libris eſt *in pratis*, rejiciendum cenſeo, præſertim cum a Favonio præcipua non ſit Vitium putatio, quam alia tempora ſibi ex parte vindicant, docente capite XXXIV. Varrone, poſt æquinoctium autumnale incipiendam eſſe, & capite XXXVI. inter brumam & Favonium repetendam. Neque tamen *in pratis* eſt quod ſequamur; prata enim falce vineatica non indigere, ſed fœnaria, quia Vitibus plerumque arbuſtiſque vacua, vulgo notum. Videbis igitur ſi *putari imputata* dicamus, id vitium nobis ſit imputandum. Etenim cum pleraque per contractionem ſcriberentur a librariis, fieri potuit, ut de *imputata* extiterit *imprata*, quod mox corruit *in pratis*. *Imputatum* autem nondum purgatum apud Feſtum, & *imputata Vitis* apud Plinium, ac *vinea imputata* in Horatii carminibus. Quas ergo vineas ſub brumam, & a bruma propter pruinas & gelicidia aliaſque cœli intemperies prætermittere nondum purgatas coacti ſunt agricolæ, eædem poſt Favonium ut purgentur, curant. Quod ſi nos licentiores videmur *putari imputata* opinantes, quid fiet Scaligero, qui primus *putari vepreta* docebat? Quanquam ne vepres putando colonus ſpinis læderetur, eminus fieri putationem, poſito intervallo, ſtatuerit:

puta-

putari, *circum vites ablaqueari*, *vepreta*. Popma etiam qui *putari in paratis* inſtituit, quid aliud præter veterem ſcripturam imitatur? Quis enim a Latinis didicit *vineam paratam* eſſe ſemiputatam? Itaque ſæpenumero cum evenit vel autumnalibus pluviis, vel intempeſtivis gelicidiis, vel alia de cauſa, ut ante brumam & poſt a putatione coloni prohibeantur, a quibus *paratis* quæ nullæ erunt, vernum opus inchoabitur? Væ miſeris illis quibus imputata vinea erit relinquenda, nec diis (quoniam de non putata nefas) libare novum vinum licebit. Quamvis tamen aliorum placita mihi non conſtent, noſtris conjecturis non ita inſervio, ut omni dubitatione me exſolvam. Hæreo adhuc, mi Andrea, dum ad antiqua exemplaria reſpicio, atque incerta cogitatione pendeo, fluctuoque. Animadverto etiam inter duo ſpatia autumnale, ac brumale de Vitibus arbuſtiſque putandis præcepiſſe Varronem; ideo tertio verno inculcare idem ſupervacaneum videtur. Inſuper dum librariorum atque interpretum vel audaciam vel ſocordiam ſpecto, & quot ex margine aliena interpoſuerint, conſidero, facile adducor ut ſuſpicer iſtud *putari in pratis* eorum quæ infra leguntur *prata purgari* eſſe interpretationem. Neque multum a vero nos aberraſſe intelliges, cum bina ejuſdem generis vitia ex hoc ipſo capite indicavero.

Ad ſegetem hinc, qua nihil uberius ruſticas rationes fœcundat atque educit, brevis quidem, verum erroribus fere inextricabilis patet ſemita; quare te nobis ductorem præbe,

Iguaroſque viæ mecum miſeratus agreſtes
Ingredere.

Principio *ſeges* quid ſit, quo fine circumſcribatur, & quanto, & quo loco explicandum: tunc ſi iſthinc evadimus, opponitur *arvum*, quod ut aſſequamur, per eoſdem difficultatis gradus eſt tranſeundum. *Seges* (ut in pleriſque excuſis libris) *dicitur quod aratum ſatum eſt*: *arvum quod aratum necdum ſatum*. Quem mihi adverſus hanc ſegetis arvique definitionem patronum paras? Quem ſtrenuum bellatorem? Quem ducem? Nihil moror novitios & gregales: veteranis opus eſt, & iis qui ordines ſæpe duxerunt. Ante omnes ipſum expoſco Varronem, quem ad conficiendos ſui monumenti everſores, dictatorem dicam: tum Coss. duos M. Catonem, & M. Tullium: deinde cætera Romanorum principia. Hac ratione comparatis copiis & ducibus, pro ſegete & arvo adverſus illam definitionem barbarorum manu inſtructam ſtrenue, te auſpice, pugnabimus. Itaque primum præconium facimus ſegetem eſſe eam agri partem quæ arari, & ſeri ſolita ſit, eandemque ſive inaratam, ſive aratam, ſive ſatam, ſive, ſublata meſſe, requietam

tam esse & dici segetem : Quod seges dicatur terra neque arata, neque sata, quem alium defensorem primum statuam, quam Varronem? Hic enim capite XXXVII. sic loquitur : *ad alia arandum, aut fodiendum, ut si segetem instituas*; & lib. II. *Ibi contra progenies eorum propter avaritiam contra leges ex segetibus fecit prata*. Huic materiæ affinitate proximus Cato ad id significandum segetem quoque usurpat, ut capite XXXVI. *stercus columbinum spargere oportet in pratum, vel in hortum, vel in segetem*; capite XXXVIII. *virgas & sarmenta quæ tibi usioni supererunt, in segete comburito, ubi ea combusseris, ibi Papaverem serito*; & cap. XXXIX. *stercus dividito sic; partem dimidiam in segetem ubi pabulum seras, invehito*. Tum consularem consularis sequetur M. Tullius, qui eundem Catonem lib. *de Senect.* ita loquentem facit : *nec vero segetibus solum, & pratis, & vineis, & arbustis res rusticæ lætæ sunt*. Ejusdem Tullii sunt apud Nonium ex libro qui inscribebatur, *Hortensius*, hæ reliquiæ : *ut enim segetes agricolæ subigunt aratris multo ante quam serant*. Quarto loco accedit Columella, in cujus lib. I. invenies : *quando cuique contingit, ut & segetum arationumque perciperet usum?* Et in II. *sin autem surculo & segetibus, atque etiam pratis fundus est dispositus*. Deinde vates canentes audiamus; ut Virgilium Georgica ita auspicantem :

Quid faciat lætas segetes.

Et in II. *Ante locum similem exquirunt, ubi prima paretur*
Arboribus seges.

Ut Tibullum lib. I.

Fert Casiam non culta seges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna Rosis.

Ut *Moretum* qui condidit :

tectusque galero
Sub juga parentes cogit lorata juvencos,
Atque agit in segetem, & terræ condit aratrum.

Quibus L. Attii in Œnomao celebrata carmina adjungam, ut de optimæ ac sinceræ vetustatis libris expressit Vossius :

Ferte ante auroram radiorum ardentum indicem,
Cum somno in segetem agrestis cornutos cient,
Ut rorulentas terras terras ferro fidas
Proscindant glæbas, arvoque ex molli excitent.

Vitiis tamen purganda sunt, cum primum atque extremum versus integros habeam, inviolatosque; secundum Vossius cum aliis emendatum edidit hoc pacto :

Sono

Sono cum in ſegetem cornuum agreſtes cient.

Quem nemini probarem; venatores quippe cornu ad Canes excitandos utuntur, non bubulci quo boves ad arandum impellant. Quare una litera, quam apud Nonii interpretem Dionyſium Gothofredum vidi, appoſita, nihil in eo quærerem amplius:

Cum e ſomno in ſegetem agreſtis cornutos cient.

Qui enim ante lucem ſurgit, e ſomno ſurgit; quibus Attius aratorum diligentiam ſolertiamque declarat, tum quod ante auroram ad opus ſurgunt, tum quod e ſomno. Tertius a Voſſio ſic producitur:

Ut roruleutas terras ferro & uvidas
Proſcindant glæbas.

Quæ dum cogito mecumque perpendo, quod alterum *terras* abjecerit, & *fidas* fecerit *uvidas*, quam vereor, ut Attii mentem ſententiamque aſſequatur. Uvidum enim ſolum cuinam agricolæ arare perſuaſerit, quod tunc, ne carioſum fiat, atque anno a fructu ceſſet, conſtat inter peritos neque ferro, neque aratro eſſe tangendum? Numquid uvidi arvi indicium faciunt extrema *arvoque ex molli excitent?* Sane glæbæ niſi de ſicca ac dura terra proſcindendo non excitantur. At, inquies, quid tu ex iſto *fidas* boni colliges? Quid? Eheu miſeram Latinam eloquentiam, quæ ita barbarorum immanitate afflicta & vexata jacet, ut tota ferme jaceat. Nam, ſi integris membris priſtinaque virilitate floreret, quam facile eſſet in ea *infidas* recognoſcere ab antiquo *fido* deductum, unde *bifidus*, *trifidus*, *quadrifidus* habemus. Neque aliud quam *infidas* ab Attio ſcriptum deſidero; tum quia vetus ſcriptura id plane admittit; tum quia *ferro infidas glæbas* proſcindere, primam arationem, in qua cultrato aratro prædenſa & infiſſa terra, quam vomer ſciſſuris ſubinde inſiſtens reſupinat, aperitur, liquide ſub oculos ponit. Non erit quoque laborioſum, ſi quis utrunque *terras* retineat, rationem, ne ſe facti pœniteat, invenire; dummodo priſca forma, ſine qua incaſſum contenderit, utatur. Itaque cum in confeſſo ſit apud vetuſtiores *r* literam non geminari, ita ſcribat, ut *teras teras* fuiſſe non dubitet. Deinde quanta fuerit ſuperiorum temporum in deſcribendis ſcriptoribus vel negligentia vel imperitia, cum noverit, alterum *teras* de *terant* factum deprendet. *Terere* autem *teram* primo ævo *arare* dicebant, & Boves a terendo ideſt arando *teriones*, qua voce aratores Boves etiam tunc cum Varro hæc commentaretur, bubulci nominabant. Tam multa de Attii carmine ſcripſi, quo commodius hujus item auctoritate ſegetem dici terram neque aratam, neque ſatam confirmarem.

Nunc oſtendendum, eſſe ſegetem terram aratam, necdum ſatam; utar-

utarque, ut hoc tempore mihi occurrunt, Catonis, Varronis, Plinii, Virgiliique ac Attii præsidio. *Segetem ne defruges* inter Catoniana præcepta est, nempe ne minus seminis jacias, quam terræ fertilitas poscit. Varro lib. 1. *Quod ad sationem, tum* (Far) *promendum, cum segetes maturæ sunt ad accipiendum*. Plinius lib. 1. *segetes iterare* dixit. Virgilius in *Eclog.*

Impius hæc tam culta novalia miles habebit,
Barbarus has segetes?

Demum Attius apud Nonium in *Androm.*

Quod beneficium haud sterili in segete, Rex, te
Obsessse intelliges.

At καταχρηστικῶς, ut fert Vossius, *seges capitur de terra nondum consita, quo modo Accius ait: frugem in segetem dare?* Quid καταχρηστικῶς? Num M. Tullius, Cato, Varro, Plinius, Columella, Tibullus, Attius, Virgilius, aliique oscitanter tibi locuti videntur, verbisque abusi? Equidem tam καταχρηστικῶς accipitur seges de terra non sata, quam de sata, cujus exempla non subtraham. Itaque Varro *segetes sarrire ac runcare* scribit; *de segetibus siqua est aqua, deduci*. Quæ tamen de ipsis etiam frugibus satis (quod nonnunquam seges item significat) dici possunt; ut hic Horatii versiculus:

Et villicus Orbi
Cum segetes occat, tibi mox frumenta daturus.

Pariter in utranque partem vertuntur ista Columellæ, sive lib. 1. *quam in segetibus & vinetis manus movemus*, sive lib. VI. *quanquam Pontifices negent segetem feriis sepiri debere*. Nihilominus sunt quæ dubitandi ansam non præbent, ceu Varronianum hoc de porca, hoc est de acervata inter duos sulcos terra, *quod ea seges frumentum porricit*. Ad id declarandum usurpat M. Tullius in *Orat.* ubi ostendit segetes fœcundas & uberes non solum fruges, verum etiam herbas effundere frugibus infestas. Id carmine complectitur vates in *Eclog.*

Astrum quo segetes gauderent frugibus.

Id Horatius in *Epistolis*:

Hæc seges ingratos tulit, & feret omnibus annis.

Restat arvum, sublatis frugibus, appellari segetem, ut demonstrem. Cujus rei luculentissimus auctor est Varro lib. 1.: *licet videre segetes fructuosas, & restibiles. Quod Far ferro cæsum Farrago dictum, aut nisi quod primum in farracia segete sevi ceptum. Stramenta relinquunt in segete, unde tollantur in acervum.* deinde: *& stramenta stantia in segetem relinquit, ut postea subsecentur.* Lib. 11. *Quibus in locis messes sunt*

factæ,

factæ, imigere utile duplici de causa, quod & caduca spica (Oves) *saturantur, & obtritis stramentis, & stercoratione faciunt in annum segetes meliores.* Idem παρὰ Μενίππῳ *: aut in segetibus post messes colligebant stramenta, queis domicilia colerent.* Quibus addas, sis, ex Plinio: *segetes quæ interquievere, fundere Rosam* sativa odoratiorem.

Quoniam igitur ex hac segetis quadripartitione perspicuum ac comprobatum censeo, segetem non esse id solum *quod aratum satum est*, sed quidquid in fundo ad arandum ac serendum reservatur, nec secus a Latinis atque adeo ab Varrone adhiberi: nemo eorum quos vel præsens vel superior ætas tulit, aut auctoritate, aut exemplo, aut prompti excellentisque ingenii vi ita apud nos valere debet, ut vulgatam segetis definitionem in dubium non revocemus. At ex Varrone est? Cujus Varronis? Illius scilicet quem Romanorum eruditissimum fuisse audivimus, qui florentissimis illis Latinæ linguæ temporibus viguit, ex cujus beatissimi ingenii ubertate tanquam ex perenni totius Latii fonte tot, tanta, atque ab omnibus tam celebrata opera emanarunt? An potius istius qui in vulgum profertur, vetustatis injuria, barbarorum sævitia, emendatorum protervia, librariorum negligentia tantum a pristina forma immutatus, ut verus ille Varro se ipsum in se quæreret, si ab inferis excitaretur? Numquid vana deploramus? Numquid in hoc ipso loco fœdum ulcus non occultatur? Nam (ut mittam nihil esse homini turpius quam in suo decreto fluctuare, & postquam constituerit segetem esse *quod aratum satum est*, eo ad omnem fundi terram abuti) cur in posterioribus libris editum est, ut supra posui, cur in antiquis, cur in duobus Vaticanis codicibus, cur in Veneto alio modo: *Seges dicitur quod aratum necdum satum est*, excluso *arvo*, atque iis quæ arvo attribuuntur? Non ista illis opponuntur, ut utraque Latinæ consuetudini? Jam vero quæ ad novale pertinebant, cur ad arvum aut segetem traducunt? Etenim arvum idem ac seges. Nam, ut fundum dividebant veteres in pratum, segetem, saltum, vineam, quam terram sic distribuendo appellabant segetem, ita eandem & arvum nuncupabant, ut Varro apud Servium digerit: *aut arvus est ager idest sationalis: aut arboribus conserendus: aut pascuus pecoribus: aut floridus, in quo sunt horti Apibus congruentes.* Ex qua distributione totidem divinus vates prodit volumina: de segete sive arvo: de vinea: de pascuo, in quo sunt armenta gregesque: de florido, in quo Apes. Catullus ideo quod erat seges, in Mentulam arvum vocat:

Mentula habet instar triginta jugera prati,
Quadraginta arvi, cætera sunt maria.

Item: *Prata, arva, ingentes ſilvas, ſaltuſque, paludeſque.*
Et alibi: *Aucupium omne genus, piſces, prata, arva, feraſque.*
Virgilius ſimiliter hoc II. Georgicis principium fecit:

Hactenus arvorum cultus.

Ad quem locum Servius, *mire*, ait, *iteravit illum verſum: quid faciat lætas ſegetes*. Idem Poeta rurſus, dum canit:

Nunc locus arvorum ingeniis, quæ robora cuique,
Quis color, & quæ ſit rebus natura ferendis,

Quid aliud intelligit, quam quod in illo carmine, ut retuli,

Ante locum primum exquirunt, ubi prima paretur
Arboribus ſeges?

De ſua villa quoque non canit Horatius:

Ne percunctteris, fundus meus, optime Quincti,
Arvo paſcat herum, an baccis opulentet olivæ,
Pomiſne & pratis, an amicta vitibus ulmo:

Nimirum: ſegetene & oliveto, an pomis, pratis, & vineis commendetur?

Quid tandem Columella? Nonne hic quod lib. I. *ſin autem ſurculo* (ut antea ſcribebam) *& ſegetibus, atque etiam pratis fundus eſt diſpoſitus*, ſegetis nomine appellat, in his arvum vocat: *campus in prata, arva, ſalictaque, & arundineta digeſtus ædificio ſubjacet?* Idem igitur arvum, quod ſeges. Hinc inſigne fuit apud Romanos *Fratrum Arvalium* ſacerdotium, quorum erat pro frugibus, quæ in ſegetibus ſive arvis proveniunt, hoſtias mactare, & nuncupare vota.

Propterea ut ſeges terra dicebatur nec arata, nec ſata, ita arvum, quod exemplis confirmare non ſuperſedebo. Columella lib. I. *Interim*, inquit, *qui frumentis arva præparare volent*. Lib. II. *Non igitur fatigatione, quemadmodum multi crediderunt, nec ſenio, ſed noſtra ſcilicet inertia minus benigne nobis arva reſpondent*. Et poſtea: *neque enim idcirco rudis, & modo ex ſilveſtri habitu in arvum tradicta fœcundior haberi terra debet, quod ſit requietior, & jejunior*. Plinius lib. XVIII. *Ordeum in novali, & in arvo quod reſtibile poſſit fieri*. Item hæc: *omne arvum rectis ſulcis, mox & obliquis ſubigi debet*. Plautus *Truc.*

non arvus hic, qui arari ſoleat,
Sed compaſcuus eſt ager.

Tibullus. *Agricolæque modo curvum ſectarer aratrum,*
Dum ſubigunt ſteriles arva ſerenda boves.

Poſſum quoque tibi, ut de ſegete oſtenſum eſt, commemorare qui ſolum aratum, nec adhuc ſatum dixerint arvum, ut Columellam lib. II. *nam penitus arvis ſulcatis, majori incremento ſegetum, arborumque*

fœtus

fœtus grandeſcunt : ut Plin. lib. XVIII. *Male aratum arvum, quod, ſatis, frugibus occandum eſt* : ut Virgilium II. *Georg.*

Hic ſtirpes obruit arvo,
Quadrifidaſque ſudes, & acuto robore vallos.

Poſſum etiam qui pro terra ſubacta & conſita ſumpſerint, laudare; quid enim aliud indicat Varro lib. I. quam arvum Vitibus refertum, dum ita loquitur : *Itaque majores noſtri ex arvo æque magno, ſed male conſito & minus multum, & minus bonum faciebant vinum & frumentum?* Quid aliud Virgilius hoc carmine :

Vitis ut arboribus decori eſt, ut Vitibus uva,
Ut gregibus Tauri, ſegetes ut pinguibus arvis?

Aut hoc I. Georg.

Sic quoque mutatis requieſcunt fœtibus arva:

Vel hoc: *Quid dicam, jacto qui ſemine cominus arva*
Inſequitur, cumuloſque ruit male pinguis arenæ?

Quid aliud denique Plinius lib. XVIII. indicat, dum hæc quæ ordine tibi exſcribam, poſteritati tradit? *Ideo circa Macedoniam Theſſaliamque cum florere* (Faba) *incipit, vertunt arva. Rubigo quidem maxima ſegetum peſtis, Lauri ramis in arvo defixis, tranſit in eorum folia ex arvo. Reliqua pars nonniſi cum falce arva viſit. Pinguia arva ex una ſeminis radice fruticem numeroſum fundunt, denſamque ſegetem e raro ſemine emittunt?*

Forſitan etiam requiris, num quarto modo pro ſolo, remotis frugibus, capiatur arvum? Quidni? Ecce tibi Columella lib. II. *quia conſtat arva ſegetibus ejus maceſcere*. Item : *nam vineis jam emaciatis, & arvis optimum ſtercus præbet*. Non aliter Plinius de eodem Lupino : *pingueſcere hoc ſatu arva vineaſque diximus*. Similiter : *Vicia pingueſcunt arva*. demum : *Virgilius alternis ceſſare arva ſuadet*; nam quod hic Plinius ex vatis ſententia arvum vocat, ille novalem dixerat illis Georgicis :

Alternis idem tonſas ceſſare novales,
Et ſegnem patiere ſitu dureſcere campum.

Hæc tam clara, tam gravia, tam multa, & de tam probatis ſcriptoribus deſumpta, quibus plurima addi poſſunt (numerus enim hujus generis in veteres libros late & varie diffuſus eſt) ut ſegetem & arvum idem eſſe demonſtrant, ita Varroniana edita, ſive mavis vetera, ſive recentiora, abſona, vitiata, falſa convincunt. Nec vero tibi quiſquam perſuadeat, quæ apud Feſtum vel de ſegete : *ſeges dicitur ea pars agri quæ arata, & conſita eſt*; vel de arvo : *arvum diximus a-*

grum, *necdum fatum*, prodita ſunt, vitii & falſitatis non eſſe plena; Etenim vel quis iſthinc accepit ad Varronem depravandum; vel (quod facilius dabis) ex illo huc tranſtulit, ubi omnia cum fœde hiulca eſſent, & lacunis plurimis intercepta, ſuæ induſtriæ locum non laborioſe invenit. Poſtquam igitur ſegetem & arvum iis finibus quibus in Varrone circumſcribuntur, & coarctantur, non limitari, ſed latius extendi ac diffundi probe tenemus, quid de illa definitione ſit ſtatuendum, valde ſoliciti ſumus; neque enim adverſus totius antiquitatis auctoritatem probari poteſt, neque contra noſtrorum hominum conſenſum, vetereſque codices audeo improbare. Verum quando tibi uni hæc ſcribimus, dicam libere, veram rationem plus apud me, quam hominum opiniones, valere. Itaque, quoniam nullam laudem ex his aucupamur, & tibi ſolum inſervimus, alterutro vel *ſegete* vel *arvo* ſublato, poſſe ex reliquis quid non omnino improbandum glutinari arbitramur. Quotus enim quiſque invenietur tanta dementia, qui duo idem valentia retinere malit, cum unum ſufficiat? Nec tamen utrum utri ſit anteponendum, diu nos morabitur quæſtio, cum antiquæ editiones, & Venetus codex, quæ de ſegete traduntur, careant, quæque de arvo alia exemplaria afferunt, ad ſegetem reddant. Hæc autem ſi diligenter attendantur: *arvum quod aratum necdum ſatum eſt*, quid aliud eſſe, niſi *novalis* explicationem colligemus? De margine igitur intromiſſa videntur. Quibus remotis, de ſegete cura ſuperat. In qua ſi minima licentia daretur, ut litera extrema in *ſatum* eſſet *i*, videbatur congrua ſententia futura: *ſeges dicitur quod aratum ſatui eſt: novalis, ubi ſatum fuit ante, quam ſecunda aratione renovetur*. Hoc ſi minus probes, & *ſatum* ut eſt, placeat, in tuam voluntatem facile adducar, dummodo quæ de ſegete dicuntur, ita accipias, ut non in univerſum ſeges ſit quod aratum, ſatum eſt (id enim falſum) ſed de ea ſegete quæ ſarritur; hæc enim, niſi arata & ſata eſſet, non ſarriretur. Verumtamen

Si ad vitulam ſpectes, nihil eſt quod pocula laudes.

Magna iſta ſegetis atque arvi cura liberatus, animo magis vacuo, & ſoluto quæ in capite XXIX. ſuperſunt, explanabo. De arandi ratione nunc ſequitur, & quid ſit proſcindere & quid offringere, ipſius Varronis dicam verbis: *Rurſum terram cum primum arant, proſcindere appellant; cum iterum, offringere dicunt, quod prima aratione glæbæ grandes ſolent excitari, cum iterum offringere vocant*. Quorum extrema: *cum iterum offringere vocant* ex interpretum ſegete, ut viſum quoque Urſino, huc in Varronianum arvum venere.

Pro-

Protinus ad tertiam arationem tempestivum est transire, velut cum, jacto semine, Boves dicunt lirare, atque in porcas, interpositis sulcis, satum frumentum operire. Cujus partes, quoniam duæ, sulcus, ac porca, utranque pro sua diligentia describit Varro, & sulcum hoc pacto: *qua aratrum vomere lacunam striam fecit, sulcus vocatur*. Quæ magna eruditorum concertatione celebrata audivimus, cum alii *striam*, alii *lacunam* improbarent. Ex illis qui *striam* damnarunt, primus extitit Aldus; ideo in ejus libris non invenitur. Hunc secutus Vossius *striam* quoque tanquam *lacunæ* interpretamentum abjecit. Qui vero *lacunam* repudiabant, *striam* amplexi sunt, ceu Popma, & Ursinus. Sed hos quoque fugerat ad Nonium Marcellum respicere, qui hunc locum ex Varrone ita attulit: *Qua aratrum vomere lacunam istriam fecit, sulcus vocatur*. Videsne quam antiquum in Varrone sit *stria*, & qua ratione scribatur? Non igitur in eorum sententiam transire possum, ut tanquam mendum educam; quin ex illa scriptura quid boni animus mihi vaticinatur, & spondet. *Istriam* namque elisо nunc per vetustatem *n*, *instriam* fuisse credo, atque eo nomine accipio, quod striis privatur, quales debent esse in arvo lacunæ sive sulci, qui recto in versum aratro, ne vomer subsultim aut oblique impulsus crudum solum eminens relinquat, ducuntur. Quod itaque Cato *sulcos perpetuos* dixit, Varro *lacunam instriam* vocat, ut aratoris diligentiam ostendat, quem, sive reluctante radice, sive terræ duritie, sive cæco saxo, sive alia de causa a liris hoc est sulcis rectis aratrum qua in dexteram, qua in siniſtram partem declinet, delirare dicunt. Hæc magis conveniens mihi visa sententia, quam eorum qui *striam* eximunt, aut eorum qui *in striam* scribunt; nam *striæ* quidem in porcis dum aratur, inter minores sulcos qui *liræ*, Festo auctore (ut in melioribus libris legitur, non *limi* aut *lumi*) vocantur, eminent, sed has sedulus agricola subinde aratori insistens rastris vel sarculis tollit, *cumulosque*, ut celeberrimi vatis dicam verbis, *ruit male pinguis arenæ*, porcasque explanat. Ideo nullæ, ut sulcus inter strias subsidat relinquuntur. Sed jam modus epistolæ a me non servatur: in diem longiores excurrunt. Hanc tamen per otium leges, hospite, ut spero, in patriam reverso. Cura ut bene valeas.

D. Patavio IV. Cal. Apr. CIↃ IↃCC XXXII.

EPI-

EPISTOLA XI.

Emendatur Varro a capite XXX. in caput XXXVIII.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

EXanimasti pene tua epistola qua Silenum istum ad me significas venturum. Hercle si veniset, lora enecassem. Sed tandem abiit. Beasti. Nunc vacuo animo nobis operam dato, dum tuam cellam jam penu vacuam epistolis refarcio.

Venio nunc ad secundum temporis intervallum, & ad ea quæ inter primum æquinoctium, & Vergiliarum exortum matutinum fieri debere commemorat Varro. Ex iis sunt cap. xxx. quæ non uno modo excusa video: *Quod siquæ folia amittere solent, ante frondere inceperint, statim ad ferendum idoneæ non sunt*. Hæc a Victorio habemus, & probata ab omnibus. Paululum ab his distare videntur, quæ de veteribus monumentis in lucem revocaverat idem Victorius, quæque codices tum Cæsenas, tum Venetus confirmant: *Quod siquæ folia mittere solent, ante frondere inceperunt, statim ad ferendum idonea non sunt*. Nam *mittere* in *amittere* se mutasse Victorius fatetur, non inverisimilia, ut ratus est, secutus, veruntamen nec vera, nec necessaria, cum arbores folia non mitterent, hoc est fronderent, nisi prius amisissent. Tertiæ notæ, verum deterioris, Jensoniana & Bruyschiana addamus: *Quod si quæ folia mittere solent, ante frondem florere inceperint, statim ad ferendum idonea non sunt*. Quibus tantum antiqua præstant, quantum quæ generalia specialibus. Etenim cum arbores bifariam separentur, in eas quæ per hiemem foliis privantur, & Vere rursus se foliis vestiunt, atque in eas quæ semper frondent, semperque virent, illas, utpote in plerisque ad germinandum faciles, & præproperas in antiquis habemus, quippe ὡς δ' ἐπὶ πᾶν (ut ait Theophrastus περὶ φυτῶν αἰτιῶν) καὶ καθόλου λαβεῖν τὰ ἀφύλλα τῶν δένδρων καὶ ὀψιβλαστότερά, καὶ ὀψικαρπότερα. De quibus secundo loco agit Varro postea dicens: *Oleam seri interputarique* oportere. At per Jensoniana illæ tantum decidui folii stirpes, quæ ante frondem fundunt florem, a latu florentes repudiantur, ut Amygdala, Persica, Cornus, Siliquastrum, Ulmus. Verum hæ naturali modo florent, nec folia ante florem unquam producere solent; ostentum enim est per aruspices, atque adeo majoribus victimis procurandum, arbores quæ prius frondes, quam flores ex innata vi protrudunt, inversis naturæ legibus, germinandi ordinem

dinem immutare, & florere, antequam frondere. Non immerito igitur ab Jenſonianis declinavit Aldus, verum ſiniſtrorſum ex malis pejora nobis excudendo: *Quod ſi quæ folia emittere ſolent, aut ante frondere quam florere ceperint, ſtatim ad ſerendum idoneæ non ſunt*. Quare vetera ex codicibus laudata præſtantiora.

Nec plura erant quæ de capite xxx. ſcriberem. Non ea tamen brevitate ſequens trigeſimum primum tibi expediam, cum multa ſint inveſtiganda, multa cognoſcenda, perſpicienda multa; quoniam tertio intervallo inter matutinum Plejadum exortum ſolſtitiumque multa agricolis facienda præcipiuntur. Et primum, peracto verno opere, oportet *vineas novellas foderc, aut arare, & poſtea occare id eſt comminuere, ne ſit glæba. Quod ita occidunt, occare dicunt*. In quibus *occidunt* priſca norma *occædunt* facerem a veteribus admonitus, ut a Feſto: *occare*, inquit, *& occatorem Verrius putat dictum ab occædendo, quod cædant grandes glæbas terræ, cum Cicero venuſtiſſime dicat ab occæcando fruges ſatas*. Ciceronis autem locus ubi de occatione loquitur, extat lib. *de Senect.* ad hanc ſententiam: *quæ* (terra) *cum gremio mollito* (l. *molito*) *ac ſubacto ſparſum ſemen excipit, primum id occatum cohibet, ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata eſt*. Sed fortaſſe non *occatum*, verum *occæcatum* ex Feſto, ſive Verrio legendum. Occationem item Nonius ex Sereno *occæcationem* eſſe tradit. Itaque in Varrone *occædunt*; veteres enim (quibus ſe magis uti, quam delectari affirmabat Varro) ſimplicium vocales in compoſitis retinebant; ideo in hoc capite admonet Victorius in optimo codice *reſicari* ſcribi, non *reſecari*, ut librariorum vulgus excudit, a *ſico*.

Ex eadem antiqua ſcribendi ratione quæ Victorius dubitanti tamen ſimilis de veteribus libris infra expreſſit, confirmabo: *Ejuncidum enim ſarmentum propter infirmitatem ſterile*. Quid aliud *ejuncidum* quam *juncidum?* Quis, quæſo, *eidem*, *poſeivi*, *eitur*, *quei*, *plebei*, *ſei*, & ſexcenta alia pro *idem*, *poſivi*, *itur*, *qui*, *plebi*, *ſi* in vetuſtis memoriis non legerit? Juncidum igitur ſarmentum in gracilitatem emaciatum ab Junco. Eandem etiam vocem ex codicibus Plinii deprompſit Harduinus, & verbum item *ejunceſcit*.

Atque in his noſtra induſtria ſufficere viſa eſt: tamen non longe ſunt, in quibus parum profeciſſe videbimur, cum multum conjecturæ ſit attribuendum, nonnihil etiam interpretum opinionibus dandum. Verum totum iſtud ut videas, cujuſmodi ſit, & qua via facilius tranſigi poſſit, cum iis a quibus pendet, apponam: *Neque ex ſe poteſt ejicere Vitem quam vocant minorem flagellum, majorem etiam, unde uvæ naſcuntur*,

tur, palmam, prior, litera una mutata, declinata a venti flatu ſimiliter flabellum ac flagellum. Poſterior (nempe Vitis major) *quo ea Vitis immittitur ad uvas pariendas, dicta primum videtur a pariendo parilema: exin, mutatis literis, ut in multis, dici cepta palma. Ex altera parte caprea dicta, quod parit capreolum.* Suſpicor *etiam* fuiſſe *enim*, & reliqua ordinata hoc modo: *minorem flagellum; majorem enim, unde uvæ naſcuntur, palmam: prior, litera una mutata, declinata a venti flatu flabellum ſimiliter ac flagellum: poſterior.* Quibus a Varrone doceri reor, qua *parte* flagellum uvas parit, a pariendo *palmam* dici; qua capreolum emittit, *Capream*. Hæc ad hanc rationem ſcripta in cunctis excuſis libris leges, ſi Popmæ editionem excipias, qui a communi ſcriptura deſcivit. Nec fortaſſe immerito; a Victorio enim de antiquis libris pauciora prodita invenerat, Cæſenate etiam confirmata codice. Hac auctoritate adductus Popma tantum retinuit, quantum a Victorio hauſerat, videlicet: *ex altera parte parit Capreolum.* Ex his *caprea* abigitur. Quid nunc mihi auctor es? Si *capream* in vinea retinemus, non veteres colonicas leges, quibus ut Capra natum in fundo paſcamus, cavetur, timendum eſt, ſed priſcorum codicum nomen, fidemque: ſi expellimus, omnem editorum turbam in nos commovebimus, & veterum præſertim, qui ab antiquis quoque monumentis *capream* ſe accepiſſe exclamabunt. Equidem Jenſonianis ac Bruyſchianis libris valde moveor, non ſolum quod de manuſcriptis memoriis compoſiti ſunt, verum etiam quod, cum plerunque Victorianos codices ſectentur, nonnullis quæ in his (ut indicavi, iterumque indicabo) deſiderantur, integriores ſunt, refertioreſque. Quin etiam, ne vana jactaſſe videar, quæ commemoratis adnectuntur, ita tibi ex ordine continuo ſubiiciam, ut Jenſonianos libros uberiores, quam Victorianos cæteroſque cognoſcas. Et primum ex Aldo: *Is* (capreolus) *eſt coliculus viteus intortus, ut cincinnus. Is enim Vites ut teneat, ſerpit ad locum capiundum, ex quo a capiendo capreolus dictus.* Deinde quæ de Victorianis libris ſunt. *Is eſt —— teneat: id qua ſerpit ad locum capiendum, ex quo a capiendo capreolus dictus.* Tum ex Cæſenate codice: *is eſt —— teneat id quod ſerpit ad locum capiendum cum capiendo capreolus dictus.* Noviſſime Jenſoniana ſubſcribam: *is eſt —— Vites quibus teneat: & quas eripiat: & ad locum capiundum ſe erigit. Ex quo a capiendo capreolus dictus.* Quænam igitur ex quadrigemina ſcriptura non melior (id enim nunc non quæro) ſed refertior ac plenior tibi apparet? Nonne ab Jenſonianis, ut Victoriana redintegrentur, repetenda ſunt multa? Quare, ſi in his quæ ad capreolum pertinent, Victoriana deficiunt, fieri poteſt ut in illis quæ

ad

ad capream, deficiant. Si capreolum mutilatum oſtendunt, cur Caprea, quæ illum peperit, integra exiſtimabitur? Verumtamen, ſi de Caprea conclamatum eſt, eaque tibi probatur ſententia, liceat ſaltem capreolum incolumem ſubducere, vetuſtiſque vulneribus arte qua poſſumus, ſuccurrere. Sed cui dabimus curandum, Victorione, an Jenſonio, an Aldo? Huic profecto quicquam de grege committere non auſim. Videſne capreolum qualem nobis remiſerit Jenſonius, & qualem Aldus? Hic namque malus opilio non pilum contentus evelliſſe, carnem quoque abſcidit & crura, atque ex quadrupede ſerpentem fecit. Quare Victorio tradamus, illique ſocium Jenſonium cooptemus. Sic ex utroque vel ſanus, vel a priſtina forma non valde alienus nobis capreolus procedet. *Is eſt coliculus viteus intortus ut cincinnus. Is enim, Vitis quibus teneat id quæ ſerpit, ad locum capiundum ſe erigit, ex quo a capiundo capreolus dictus.* Siquidem Vitis eſt quæ ſerpit, non capreolus, quem illa ſecum trahit, ut de Vicia idem Varro paulo poſt docet: *Vicia dicta eſt a vinciendo, quod item capreolos habet ut Vitis, quibuſcum ſurſum vorſum ſerpit ad ſcapum Lupini aliumve quem, ut hæreat, id ſolet vincire.* Ex quorum ſimilitudine, ſi illud *quibus* emendaveris ſtatueriſque eſſe *quicum*, talem nobis capreolum dabis, qualem coloni in ſundum recipere fortaſſe non recuſent.

Cæterum quod capreolus a capiendo dicatur, Joſephus Scaliger improbavit, neque nos contra nitimur; ſunt enim multa hujuſmodi in quibus Varro male accipi poteſt; ut alii bene multi in reprenſionem incidunt, dum de nominum origine, nullo habito delectu, confidentius commentantur. Nihilominus *laſcivia quadam propter* teneritudinem capreolum dici nunquam mihi Scaliger perſuadebit, cum ſit firmiſſimus duriſſimuſque. Idcirco vinitor, dum vi ſumma flagella deorſum adducere tentat, ut purgata præcipitet, ſæpe ramulos quos capreoli tenent, explantat potius, quam capreolos diſtringat, aut enodet; nonnunquam, ſi firmius committuntur, ipſos palmites luxat & diſcindit. Sic enim a natura conſtitutum, ut Vitis uvarum laborans pondere, ſeſe per capreolos, cum ſit caule ramiſque infirmior, ſuſpendat, valenterque ſuſtentet. Porro ſiquis capreolorum formam tueatur, a caprarum cornu quod figura referunt, opportunius nuncupatos judicabit.

Capreæ jam & capreolo tanquam cibo proſpicientes nonnulla de pabulo addamus: *Ocimum*, ait Varro, *dictum a Græco verbo ὠκέως, quod valet cito.* Referuntur hæc a Nonio, ſed diſſimili modo: *ocimum dictum a Græco verbo ὠκέως, quod venit cito.* Quæ magis probanda; quia Græca lingua adeo familiaris Latinis erat, ut Græce quid pronunciantes ex-

plicationem apponere ſuperſederent. Ideo Varro non quid eſſet ὠκέως, nam notum omnibus, ſed qua de cauſa ocinum dictum, videlicet quod *venit cito*, poſuiſſe videtur. Hoc ex Plinio etiam confirmatur, qui a Varrone ocinum appellatum a celeritate proveniendi e Græco quod dicunt ὠκέως, refert.

A nominis ratione tranſit deinde Varro ad ocini qualitatem explanandam: *id ex pabuli ſegete viride ſectum ante, quam genat ſiliquas*. Hoc modo apud Juntam editum eſt, ſi *genat* (quod ad Victorium referendum) demamus; uſus enim fuerat Junta vulgari *gerat*. Verum longe ſecus Jenſonius locum ante expreſſerat: *id eſt pabuli ſegetes virides ſectæ ante, quam genet ſiliquas*. Aliter etiam Aldus de ſuo horreo nonnihil admiſcens: *id genus pabuli ſunt ſegetes virides ſectæ ante, quam gerant ſiliquas*. Aliter Bruyſchius, ſed omnium optime: *id ex fabuli ſegete viride ſectum antequam genat ſiliquas*, quæ cum codicibus Victorianis, Cæſenate, & Veneto conveniunt; propter quod Popma in ſuam editionem recte eadem recepit. Verumtamen viſne locum ex Plinio accuratius explicemus? *Apud antiquos*, ſcribit lib. XVIII., *erat pabuli genus: quod Cato ocinum vocat: quo ſiſtebant alvum Bubus. Id erat e pabulis ſegete viridi deſecta: antequam gelaret: Sura Manilius id aliter interpretatur: & tradit Fabæ modios X. Viciæ duos tantundem & Eruiliæ in jugero autumno miſceri & ſeri ſolitos*. Quid mihi, inquies, tam depravata exſcribis? Hiſcene illuſtrantur Varroniana? Veterum librorum imaginem, quæ fuco caret, expreſſi. Age inducamus huc penicillum, & vetuſtatis vitia emendemus. Primum illud *quo ſiſtebant alvum Bubus*, vitiatum fatemur; Varro enim ocinum dari ſolitum ait, quod *citat alvum Bubus*, ideo *ſiſtebant* jaceat in ſpongia, atque ex Pintiani tabula vel *ciebant* exprimito, vel *citabant*: deinde *e pabulis*, pro quo alii *e pabuli* Varroniano colore inducunt, *e fabuli* fingamus, aut: *e fabali*: tum *gelaret* ex eadem arcula fiat a *geno generet*; neque enim *ſiliquaret*, nec *gignat ſiliquas*, ut nonnullis placuit, illinire vetus pictura permittit. His hoc modo compoſitis, quod ocinum, admixtis Faba, Vicia, Eruilia, ſeritur, a Faba potius, cujus major modus adhibetur, quam ab aliis, eſſe *ex fabuli ſegete* diſcetur.

Alterum pabuli genus Farrago vocatur, de qua Varro: *contra ex ſegete, ubi ſata admixta Ordeum, & Vicia, & legumina pabuli cauſa viridia, quod far ferro cæſa farrago dicta, aut niſi quod primum in farracia ſegete ſeri ceptum*. Ex his primum inculpandum venit *ex ſegete* ſignatum quondam in margine, quod farrago *ex ſegete farracia* appellaretur. *Far* quoque inutile videtur; nam ubi Ordeum, ibi & Far intel-

telligi poteſt. Præterea in Cæſenate codice non *farrago* ſcriptum eſt, ſed *ferrago* a ferro, ideo non a farre. Demum *Faracia* unico *r*, ut mos fuit antiquis, a primis editis repetendum. Ex hujuſmodi itaque conjecturis horum connexionem perpendes: *contra, ubi ſata admixta Ordeum, & Vicia, & legumina pabuli cauſa, viridia quod ferro cæſa, ferrago dicta; aut niſi quod primum in faracia ſegete ſeri ceptum.* Farrago igitur, ut vult Varro, vel a ferro appellata, vel a farracia ſegete, ubi ſerebatur. Merito igitur *Far* eximitur; nam ſi immiſcuiſſet id auctor, ab eo potius originem deduxiſſet, quam vel a ferro, vel a farrario arvo.

In extremo capite additum eſt: *in poma quæ inſita erunt, ſiccitatibus aquam addi quotidie.* Cur poſt *quotidie* reiicitur *veſperi*, quod Nonius ex Varrone tranſcripſit, quod excuſa nonnulla retinent, quod demum neceſſarium, cum id opus veſperi tantum probetur?

Ad hominum fruges hinc tranſeamus; ſiquidem confecto ſolſtitio, priuſquam Canicula linguam exerat, meſſem capite XXXI. promittit Varro. *Quarto intervallo inter ſolſtitium & Caniculam plerique meſſem faciunt, quod frumentum dicant quindecim diebus eſſe in vaginis, quindecim florere, quindecim exareſcere, cum ſit maturum. Arationes abſolvi.* Ubi meſſis, dices? Ubi falx, & corbis? Video quidem frumentum ad metendum tempeſtivum, ſed meſſorem non video. Numquid *cum ſit maturum*, avibus cæteriſque animantibus præda relinquendum, aut, ſi ventorum tempeſtates, ac grandines inceſſerint, ut calidioribus anni menſibus ſæpenumero contingit, procellarum ludibrio? Ubi ea Varronis ſedulitas quam capite L. præſtitit dicens, *cum eſt matura ſeges, metendum?* Nunc cum anni tempus & opportunitas invitet, neque oporteat recraſtinari, ad arandum, neglecta meſſe, colonos traducit. Jure ac merito Varronis locum exagitas. Sed cujus Varronis? Scilicet iſtius quem omnes manibus terimus; veterem enim & verum non puto a te ſocordiæ damnari: nec potes. Adde Plinium, atque aſpice quid apud ipſum ſcribatur: *Varro quater novenis diebus fruges abſolvi tradit, & menſe nono meti.* O incredibilem librariorum negligentiam! Ad quas anguſtias, *nono menſe* ſubducto, Varronem redegit? Ergo niſi Plinius extaret, tanta inertiæ macula nobiliſſimo auctori inureretur? Etenim ſcriptum eſſe a Varrone: *cum ſit maturum nono menſe*, non eſt cur dubitemus. Hoc erat, quod inter *maturum* & *arationes* in priſcis editionibus: *collige. Inde* ſuggeſtum eſt: aut vacuam ſedem, aut vitio deformatam qui primi id commenti ſunt, invenere, aut ipſi perbelle ita deformarunt. Cum itaque quid neceſſario ſit addendum, nihil commodius duco, quam ſi

eo modo legamus; nam Triticum, peracto autumnali æquinoctio, menſe octobri terræ committitur, ut capite XXXIV. docetur, atque circa ſolſtitium quod ex a. d. VI. cal. Quint. conficitur, tollitur; ideo nono menſe a ſatione demetitur maturum.

Ita hoc incommodum facile tranſegimus. Eſt aliud cujus culpa ubi primum reſederit apud Pliniumne, an apud Varronem, plane exploratum non habeo. Varro ait frumentum *XV. diebus eſſe in vaginis*, *XV. florere*, *XV. exareſcere*: contra in Plinio: *quater novenis diebus fruges abſolvi tradit*. Profecto, cum ſint eadem ab eodem auctore, ad dierum ſummam non convenire miramur. Hoc Plinii libris Pintianus, qui ſui auctoris vulnera eſſe plura, quam Varronis fortaſſe ſuſpicabatur, vitio dare ſolebat; Pliniumque hac de cauſa ad Varroniana verba accommodabat. Nobis qui in Plinio integriora, quam in Varrone nunc experti ſumus, eſſet ſecus ſtatuendum. Verum quis eandem fortunam in Plinio iterum promiſerit? Quare utra ſint probabiliora, potius inquiramus. Sed unde melius quam a Theophraſto, a quo multa in Varrone recognoſcimus? Ἀπολυθεὶς, ait Philoſophus lib. VIII. περὶ φυτῶν ἱστορίας, δ' ὠδὺς ἀνθεῖ μεθ' ἡμέρας τεττάρας ἢ πέντε καὶ πυρὸς καὶ κριθή. καὶ ἀνθεῖ σχεδὸν πᾶς ἴσας. οἱ δὲ πᾶς πλείσας λέγοντες, ἐν ταῖς ἑπτά φασιν ἀπανθεῖν. De hoc fonte hauſta ſunt quæ ex Plinii libro XVIII. huc tibi exſcribam: *ſed non ante ſupra dictum geniculorum numerum conceptus eſt ſpicæ: qui ut ſpem ſui fecit, quatuor aut quinque tardiſſime diebus florere incipiunt, totidemque aut paulo plus defloreſcunt. Ordea vero, cum tardiſſime, ſeptem.* Vides omnia cum Græcis ut quadrent? Quæ enim differunt, ut extrema, neque a Theophraſto ſunt, neque etiam a Plinio, verum

Hæc pultifagus opifex opera fecit barbarus,

qui poſtea quam Triticum de medio ſublatum fuit, ut reliqua cum verbis *incipiunt*, & *defloreſcunt* convenirent, Ordeum multiplicavit. Quapropter de Theophraſti modio Plinii ſeges redintegranda videtur: *aut paulo plus defloreſcunt Triticum & Ordeum; verum, cum tardiſſime, ſeptem*. Hinc ſatis mirari non poſſum fruges apud Varronem tandiu in flore cunctari in decimum quintum nempe diem, quod in Theophraſto & Plinio, cum tardiſſime, ſeptimo abſolvunt, in Columella octavo. Quod certe florendi ſpatium, etſi pro aeris & loci conditione modo promitti, modo contrahi videamus, nunquam tamen ultra decimum diem in hac Ciſalpina Gallia produci obſervavimus. Ideirco Plinianis, quibus Varro diebus XII. frumenta defloreſcere memorat, juvat indulgere. Hoc tamen intervallum quod Varro ex eo tempore quo ſpicæ in vaginis eſſe deſierunt, ad extremum florem computat, in duas partes conſumitur: prima

illos

illos quatuor vel quinque dies, quos Theophraſtus refert, ac Plinius, quique inter ſpicarum florumque explicationem intercedunt, occupat: altera reliquos ſeptem, quibus ſpicæ flores fundunt, & quibus deponunt. Summum autem numerum ſumpſit Varro tanquam Italo cœlo, ubi agriculturæ præcepta dabat, convenientiorem, quam medium, qui Græciæ, in qua ex calidiori plaga cuncta celerius ad maturitatem percurrunt, aptior videbatur. Eadem de cauſa cum in Græcia frumenta perraro, aut fortaſſe nunquam nonum menſem in ſegete attingant, Varro in Italia ſpatium produxit, & non citius quam nono menſe meti affirmavit. Jam vero opportune huc inducendus locus ex Theophraſti lib. VIII. περὶ φυτῶν ἱστορ. videtur, quo & Varroniana hæc illuſtrabuntur, & ipſe quoque cum vetuſtatis tenebris obtegatur, lumen aliquod admittet: ὥσπερ ἄλλοτε καὶ μάλιστα ἐπιδήλως αἴγυπτος· ἐκεῖ γὰρ κριθαὶ μὲν ἐν ἑξαμήνῳ. πυροὶ δὲ ἐν τῷ ἑβδόμῳ περὶ τὴν ἑλλάδα. παρὰ δὲ τοῖς πλείστοις ὀγδόῳ, πυρὸς δὲ ἔτι προσεπιλαμβάνουσιν. Quorum interpretationem ex ſupra laudato Plinii volumine ſtatim dabo: *In Ægypto enim Ordeum ſexto a ſatu menſe, frumenta ſeptimo metuntur. In Hellade Ordeum in Peloponneſo octavo, & frumenta etiamnum tardius.* Quibus inter ſe collatis, hoc unum apud Plinium *in Peloponneſo* & diſſimile videmus, & alienum; quod enim pluribus fieri locis docet Theophraſtus, Plinius ad unum contrahit; & quod in Græcia tota ille, hic in Græciæ parte. Quid illa: καὶ ὅλως τὰ ἐπιθαλάττια καὶ εἰς ταῦτα καὶ εἰς τὰς ἄλλας καρπὰς, ὡς τὰ περὶ τὴν ἀκτὴν καλουμένην τῆς πελοποννήσου, καὶ τὰ ἐκ φαλήκου τῆς μεγαρίδος, ut citius maturitatem capiant, plurimum conferre non affirmat? Igitur, cum in Peloponneſo ſint loca quæ celerius quam aliæ Græciæ regiones, fruges percoquunt, nemo non videt etiam Ordei ſegetem magis in Peloponneſo quam in cætera Græcia, ad perfectionem feſtinaturam. Cur itaque octavo menſe illic matura, quo hic? Jam patet non ſolum locorum, ſed & ipſius naturæ quæ ſit repugnantia. Quæ tandem Plinium emendandi ſpes nobis affulget? Manifeſta, ſi Salmaſium audiamus, qui ſequioris ævi ſcriptores ex prava Ptolemæi interpretatione in eum errorem adductos eſſe ut Helladem & Peloponneſum eandem terram eſſe crederent, declarat. Hac opinione imbutus neſcio quis terræ filius, dum in Plinio quid eſſet Hellas, explicat, ac ſcribit in margine eſſe *in Peloponneſo*, in mendum ſecutos librarios implicavit. Ipſe quoque Plinius (ne ab omni reprenſione vindicem) minus dilucide περὶ τὴν ἑλλάδα *in Hellade* quæ Græciæ pars habetur ac Peloponneſo finitima, interpretatur; cum *in Græcia* eſſet vertendum. Etenim totam Græciam cum Ægypto confert frugum celeritate Philoſophus, non Helladem, ut expreſ-

ſius

sius iterum lib. IV. περὶ φυτ. αἰτ. significat: ἐπεὶ καὶ τὸ ἧττον τελειοῦσθαι παρά τισιν, ὥσπερ ἐν αἰγύπτῳ φασί, μηνὶ πρότερον ἢ ἐν τῇ ἑλλάδι, τὸν ἀέρα τις ἂν αἰτιάσαιτο, μαλακὸν ὄντα καὶ ὑγρᾷ. Quoniam itaque in Ægypto menſe celerius quam apud Græcos, maturantur fruges, hoc modo ſuperiora etiam illa in Theophraſto ordinanda opinor: ἐκεῖ γὰρ κριθαὶ μὲν ἐν ἑξαμήνῳ. πυρὸς δὲ ἐν τῷ ἑβδόμῳ. περὶ τοῦ ἑλλάδα παρὰ δὲ τοῖς πλείστοις ὀγδόῳ, πυροὶ δὲ ἔτι προσεπιλαμβάνουσιν. Ita erroris quo ab interpretibus reprenduntur, ſuſpicio tollitur, nec quicquam ſupereſt quod lectorem moretur; propter quod Julii Scaligeri πυροὶ δὲ περὶ τοῦ ἑλλάδα ἐν τῷ ἑβδόμῳ emendatio vaneſcit. Id enim in Ægypto ubi æſtus calidiſſimi, non in Græcia contingit; quippe, ſi hic Triticum ſeptimo a ſatione menſe percoqueretur, Ordeum quod magis feſtinat, ſexto eſſet demetendum. Nullum igitur inter Ægyptum ac Græciam cœli diſcrimen eſſet. Quod eſt longe ſecus. Sed intelligo quid mihi ad hæc es reſcripturus. Si in Ægypto Ordeum ſexto menſe maturum legitur, idemque in Græcia octavo, falſum eſſe ἐν Αἰγύπτῳ μηνὶ πρότερον ἢ ἐν τῇ ἑλλάδι frumentum perfici; quod non uno, verum duobus menſibus diſtant meſſes. Non latuit hoc maturi ingenii virum Theophraſtum; addidit enim: ὁ μὲν ὁ δὲ ἐκεῖ. τόγε πᾶν πλεῖσθ' ὅτως. ἀλλ' ἴσον ἐς ἀπαρχὰ. κομίζεται γὰρ πρὸς ἱερῶν τινων χρεῖαν ἀλφιτανέα τῷ ἕκτῳ μηνί. καὶ ταῦτα ἐκ τῶν ἄνω τόπων ὑπὲρ Μέμφιν. Quapropter ut eo unde digreſſi ſumus, revertamur: cum Ægyptii menſe citius quam Græci, fruges ſecent, tertio gradu deſcendens Varro, nono in Italia id fieri indicavit. Quoniam, ut opinor, ſatis clare docuimus, frumenta in Varrone cum totam ſpicam edíderint, citius ad maturitatem pervenire, quam editores deſignant: quanto rectius eſt credere majori intervallo in Columella a vero aberraſſe, in cujus libro II. fruges diebus XL. poſt florem ad maturitatem devenire deſcribunt?

Confecta meſſe *arationes abſolvi* oportere Varro colonis edixit, ſive, ut edidit Aldus, *arationes abſolvere*. Sed num præſtet *arationes adſolvendum* dicere, tum ex veteris apud Jenſonium & Bruyſchium ſcripturæ veſtigio *arationes ad ſolum*, tum ex Varroniano ſtylo, an *arationes adſolvi* ex Politiani ſcripto, tu videbis.

His difficultatibus liberi, quod nos a caniculæ exortu in æquinoctium autumnale in ſundo retardet, vix invenimus; nam *aratro offringi*, quaſi ſarculo offringatur, mendum eſſe, & ſcribendum *arata offringi* ab aliis in vetuſtis libris animadverſum prætermittimus. Quapropter de æquinoctio autumnali pauca addamus, quod, ut nunc excuſum eſt cap. XXVIII., XXXIII., XXXIV., vitiatum oſtendit Chariſius de

ana-

analogia ſcribens : *autumnal* : *Varro æquinoctium autumnal quod idem Plinius eodem libro ſexto notat*.

In ſexto etiam intervallo ab æquinoctio autumnali ad Vergiliarum occaſum, hoc eſt in hiemem breviter ſationis tempus eſt nobis definiendum, præcipiente Varrone ab æquinoctiali ſidere *oportere ſerere uſque ad diem* XCI. *Poſt brumam, niſi quæ neceſſaria cauſa coegerit, non ſerere*. Scribendum ſane XXCVIII.; neque enim plures ab æquinoctio autumnali in brumam dies numerantur; quin etiam alii auctores non modo confecta bruma, ſementim damnant, ſed etiam quæ brumæ proxima antecedit, abdicant, ut Columella qui diebus XX. ante brumam, totidemque poſt neque arat, neque Vitem, arbuſtumque putat; ut Plinius qui circa brumam non eſſe omnino ſerendum inter rei ruſticæ peritos convenire affirmat; magno argumento quod hiberna ſata quæ ante brumam humo traduntur, ſeptimo die erumpant, quæ autem a bruma, vix LX. Sed hæc nota nimis producta : ſcribendum XL. a bruma enim in Favonium dies ſoli XLV.; ante Favonium vero brumalia ſemina ſemper fibras emittunt.

At in ſeptimo intervallo quod eſt ab occidentibus Vergiliis ad brumam, quoniam ibi de coronariis ſtirpibus agitur, de floribus quidquid miſero, cum tibi nihil injucundum fore exiſtimem, paulo latius evagabor. Itaque, hoc tempore, ſcribente Varrone, oportere *ſerere Lilium, Crocum quod jam egit radicem : Roſam ea conciditur in virgulas palmares, & obruitur, hæc eadem poſtea transfertur facta viviradix*, de Croco & Roſa quæ videbis, ex noſtris literis colliges. Prius tamen quæ ad Roſam ſpectant, a Croco ſunt ſeparanda, *ſerere Lilium, Crocum, quod jam egit radicem, Roſam; ea* (ſive *etiam*, ut in primis editionibus, vel *&*, ut in Cæſenate exemplari) *conciditur*. Etenim Crocus qui autumnali tempore floribus explicatur, citoque evaneſcit, nec fibratarum radicum eget, ut ſeratur; nec ſic radicatus tuto transfertur, nec, dum, demerſis Vergiliis, id fit, ob radiculas quas tabidas fert, verum ob bulbos in quibus cuſtoditur, plantatur. Roſa eſt, quæ, ſi radicem egerit, facta viviradix e ſeminario in deſtinatam ſedem ante brumam tranſit : ſin radicatam non habueris; ut radicem capiat, in virgulas palmares conciditur, obruiturque. Quam propagandi rationem accepit Varro a Theophraſti libro περὶ φυτ. ἱστορ. II. ubi panguntur ῥοδωνιὰ δὲ καὶ κρινωνιὰ, καπακοπέντων τῶν καυλῶν, ὥσπερ καὶ ἡ ἄγροστις. Ab eodem etiam Plinius, ſed ex lib. VI. in ſuum XXI. tranſtulit hæc : *tardiſſime* (Roſæ) *proveniunt ſemine, quod in ipſo cortice eſt ſub ipſo flore opertum lanugine : ob id potius caule*

con-

conciſo inſeruntur. Subiiciam & Theophraſti verba non ex Philoſophiæ penetralibus deſumpta, ſed ex diligentiſſima ſtirpium obſervatione, quibuſcum in hac tanta Botanices luce quid conferri poſſit, non facile inveneris: φύεται μὲν ἡ ῥοδωνιὰ καὶ ἐκ τῶ σπέρματος. ἔχει δὲ ὑπὸ τὸ ἄνθος ἐν τῶ μείλῳ κνηκῶδες, ἀκανῶδες ἔχον δέ τινα χνοῦν, ὥστε ἐγγὺς εἶναι τῶν πρώτων σπερμάτων. ἐ μὲν ἀλλὰ διὰ τὸ βραδέως παραγίνεσθαι, καπακόπτοντες, ὡς ἐλέχθη, τὸν καυλὸν φυτεύσιν. Et quando de Roſæ cultu in univerſum multa diximus, libet ſingillatim de eo genere addere, quod apud Plinium poſt Lychnides inter Roſas his verbis recenſetur: *alia* (Roſa) *funditur e caule malvaceo, folia oleacea habens moſceuton vocant*. Quid tibi de hoc Roſæ monſtro videtur, malvaceo caule, foleo oleaceo, quod *moſceuton*, *moſcenton*, *moſcheuton*, *moſcheuma*, *aceton* in exemplaribus antiquis ſcriptum eſt? Num Malva quæ roſea a noſtris dicitur? neque enim mirum Malvam a Plinio inter Roſas numerari, qui Lychnides Roſis immiſcet, Græcaſque Roſas a Latinis nuncupatas oſtendit. Quid vero de nomenclatura? Nonne barbara, atque ab illis appoſita, qui *Coroncolam* de qua inter Roſas proxime agit Plinius, id eſſe opinati ſunt, quod vernacula conſuetudine *Moſchetta* vocamus? Neque a vero hæc noſtra ſuſpicio longe recedit. Ecce tibi Laurentius in ſua *Amalthea*: *Moſcheuton Roſæ genus moſchette*. *Plin.* Propterea quo facilius tegeretur mendacium, folia etiam Ulmi qualia Roſis Moſchum olentibus gignuntur, nonnulli editores apponunt. Qui ſi odoribus etiam illinirent, nihil eſſet perſonatæ ſtirpi accommodatius. Hæc tamen (ſi cui libeat diligentius perſequi) cujuſque arbitrio exiſtimanda relinquamus. Ad Crocum redeo, de cujus natura miranda quidem, & quaſi portento proxima a Theophraſto & Plinio narrantur. Ab illo quidem lib. περὶ φυτ. ἱσορ. v. hæc: Φιλεῖ δὲ καὶ πατεῖσθαι· καὶ γίνεται καλλίω καπατριβομένης κάτω τῆς ῥίζης· διὸ καὶ παρὰ τὰς ὁδὸς καὶ ἐν τοῖς κροτητοῖς κάλλιος. Hic vertit lib. XXI.: *Gaudet calcari, & atteri pede: pereundoque melius provenit, ideo juxta ſemitas, ac fontes lætiſſimum*. Quæ cum legeret Victorius ut ſummi, ita mitiſſimi ingenii vir, ſtomachabatur tamen, quod eſſet prorſus incredibile, nec fieri poſſet; ſiquidem quod perit, perditur, nec melius renaſcitur. Non minus lente ac faſtidioſe probabat, quæ a Theophraſto allata ſunt tanquam a noſtrorum temporum conſuetudine diſcrepantia; propterea quod qui Croco colendo inſerviunt, nihil antiquius habent quam in bene ſubacto ſolo, & molli, necdum veſtigio violato bulbos pangere; tum locum circumſepientes curant ſedulo, ut homines ac beſtiæ ab ea ſegete ſubmoveantur, arceanturque. Quæ cultura etſi nunc probetur maxime,

xime, tamen vetera damnare non audeo; qui enim Crocum hac diligentia colunt, in aliena terra, & procul ab ea ubi ſponte gignitur, colunt. Ob id omnibus illecebris eſt indulgendum, quo facilius diſſimilem nutricem, inſolenſque cœlum patiatur. At Theophraſtus de naturali modo ubi Crocus, nullo cogente, funditur, loquitur, non de peregrino cultu, & tanquam novercali. Nec tamen abſurdum aut impoſſibile videri debet de condenſato, & pedibus quaſi pavito ſolo lætius prodire in patria terra Crocum, quod in Ornithogalis ſilveſtribus, in Muſcari, & in aliis ſtirpibus felicius in viis & compitis, quam in hortorum pulvinis, ſegetumque porcis provenientibus fieri videmus. Verumtamen hæc ſi pede atterantur, dum germinant ac florent, graviter affliguntur. Crocus autem *gaudet calcari, & atteri pede, pereundoque melius provenit?* Peream, ſi hoc ſcripſerit Plinius: interpretum correctorumque iſta ſunt deliramenta, non Plinii. Nam primum in antiquis non impreſſis libris illud *pede* omittitur, quin totus locus ita legitur: *Gaudet calcari, & atteri pedoque: quo melius.* Porro *pedoque* deformatum eſt a *pereundo quo:* ita erit: *Gaudet calcari, & atteri pereundo; quo melius provenit.* Noli tamen *pereundo*, ut vulgus aſſolet, interpretari, ſed propria ſignificatione, ut pereundo ſit ultro citroque eundo, commeandove. Id etiam, ſi diligenter attendamus, ex Theophraſto habetur, inſerto pro κάτω πάτῳ, quod ex veteri exemplari affertur: φιλεῖ δὲ καὶ πατεῖσθαι· καὶ γίνεται καλλίω καταβαινούσης πάτῳ τῆς ῥίζης. Hac via & Croci naturam ac proprietatem declarare poſſumus, & utrunque auctorem a vitiis, atque adeo a repreſſione vindicare.

Roſis & Croco adjungit Varro quædam de Violariis quæ Leucoia hac ætate dicuntur: *Violaria*, ait, *in fundo facere non eſt utile; ideo quod neceſſe eſt e terra ad ea obruenda pulvinos fieri, quos irrigationes & pluviæ tempeſtates abluunt, & agrum faciunt macriorem.* Vetera impreſſa demunt *e* ante *terra*, & poſt *ad*, *ea*; ideo proxima vetuſtiſſimis Victorianis: *terra adruenda pulvinos fieri.* Quæ quo libentius admittam, Leucoi proprietas facit, quod in ſumma terra ponitur ſtatuiturque. Pulvini autem, aggeſta terra, fiunt, quo melius hiberno ſidere ſolem excipiant, citiuſque florem fundant. Extremum quoque *macriorem* non tanti facio, quanti vetuſtum *minorem*; quod Varronem totum ſubolet; abluta enim terra, tenuior pars ac melior ſubducitur, & agrum minorem relinquit.

A Favonio uſque ad Arcturi exortum recte Serpullum e ſeminario transferri; quod dictum ab eo quod ſerpit. Hæc ad primum intervallum

quod eſt inter Favonium vernumque æquinoctium, ſpectant; nam ſeptimo inter Vergiliarum occaſum & brumam male collocantur. Columella etiam docet circa I. æquinoctium Serpullum eſſe plantandum.

De octavo & ultimo intervallo quod pertinet a bruma in Favonium, ut eo unde temporum diviſionem incepimus, redeamus, eſt deinceps dicendum. Verumtamen, quoniam nihil aliud, niſi apertum & perſpicuum video, hoc prætermiſſo, ad alterum temporum genus quod luna menſtruo circuitu metitur, ac definit, ut ſecundo loco cap. XXVIII. conſtituit Varro, veniamus. In quo duo ſunt de quibus ſcribam: unum aperte vitiatum; alterum obſcurum. Primum: *Quædam faciendæ in agris potius creſcente luna quam ſeneſcente; quædam contra quæ metas ut frumenta, & cæduam ſilvam.* Quorum extrema fuiſſe: *& cædas ut ſilvam* vel *ſilvas* (principio enim excuſum eſt: *cæduas ſilvas*) monitore non eſt opus, ut cognoſcas; quod, decreſcente luna & ſicca, ſilvam in materiam cædi, cum ad perennitatem id plurimum conferre credatur, nemini ignotum. At cæduam ſilvam, creſcente luna, detondent, quo citius & melius regerminet ac reſurgat. Alterum: *nunquam rure audiſti, inquit, octavo janam lunam, & creſcentem, & contra ſeneſcentem, & quæ creſcente luna fieri oporteret, & tamen quædam melius fieri poſt octavo janam lunam, quam ante?* Quæ ſunt iſta: *VIII. Janam lunam: poſt VIII. janam lunam?* Nec de nomine laboro; ſcimus lunam Janam primum eſſe appellatam, deinde *Dianam* tanquam a *διὰ Jana*, ut opinor; quanquam majores alii alia de hac voce tradant, Latinæ linguæ nimis obſequentes. Sed quærimus, ſi luna eſt Jana, ſive Diana, cur utrunque ponatur; præterea quota ſit in menſtruo curſu luna Jana? Cogitanti hoc mihi ſuccurrebat lunam Janam eſſe plenilunium, quo tempore pulcherrimam ſui ſpeciem præbet, totum ſolem ad nos remittens, & dici Janam ea ratione, qua ſol appellatur Janus; ideo *VIII. Janam lunam* eſſe lunæ ſeptimum diem, nempe diem VIII. ante plenilunium: ſic *poſt VIII. Janam lunam* diem lunæ circiter vigeſimum primum, hoc eſt a plenilunio VIII. Quæ tempora in ruſticatione religioſiſſime obſervabantur, & hac etiam ætate a pleriſque ad ſuperſtitionem fere attenduntur.

Ni decreſcente luna tondens calvus fiam. Vetus lectio: *tondes calvos*, ut in lapidibus antiquis: *Clemes, creſces, doles, lacrimas, libes* pro *Clemens, creſcens, doleus, lacrimans, libens. Calvos* autem, ut *alvos, davos* & ſexcenta alia hujuſmodi.

Hæc erant quæ de tempore, quo quæque in fundo opportune & tempeſtive facere debent coloni, hoc eſt de quarta parte atque ultima ex

qua-

quadripartita agriculturæ forma a Varrone initio propoſita hucuſque producta, tibi ſcribenda exiſtimavi. His alteram temporum diviſionem adnectit auctor conjunctam, ut ipſe ait, *quodammodo cum ſole & luna*, quam in ſex partes ſecat, cum ſit *primo præparandum*, *ſecundo ſerendum*, *tertio nutricandum*, *quarto legendum*, *quinto condendum*, *ſexto promendum*. De his item, ſiquid ex meis literis te velle cognoſcere arbitrabor, ſcribendi officio tuæ voluntati ſatisfaciam. Vale.

D. Patavio Cal. Apr. CIↃ IↃCC XXXII.

EPISTOLA XII.

Emendatur Varro a capite XXXVIII. in caput XLIV.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

INſtituenti quid de Varrone ad te ſcribere literæ tuæ mihi redduntur ſatis opportune. Quare quod mandaſti, Cornoltio noſtro remiſi; is enim ad hanc rem aptiſſimus, ut ineptiſſimus ego. De cœleſti diſciplina recte tecum ſentio. Tamen quæ expediunt, non ſemper præſtare poſſumus. Sed ſuſtine te pauliſper. Quando Mathiæ Geſnero opus demandatum eſt, omnia quam primum habebis diligenti cura expolita; niſi enim eſſet in omni diſciplina ſummus, tantam provinciam non ſuſcepiſſet. Interea nos levioribus deſiderium tuum leniemus, quo avidiori animo, cum illa venerint, ſuſcipias, penituſque recondas.

Itaque, propoſitis ex Varrone ſex partibus quæ ex I. volumine ſuperſunt, quod ſit primo præparandum, ſecundo ſerendum, tertio nutricandum, quarto legendum, quinto condendum, ſexto promendum; de primo & ſecundo nunc ſcribam. Propterea cum ad primum, videlicet ad arvum parandum vel in primis pertineat ſtercoratio, de eadem in univerſum, & per ſingula ſtercoris diſcrimina gradus faciens capite XXXVIII. agit Varro. In eo traditum eſt communi agricolarum prudentia, optimum eſſe ad agriculturam quod aves egerunt nec paluſtres nec natantes, primaſque habere quod de Turdorum ac Merularum aviariis everritur; quippe *non ſolum ad agrum utile*, *ſed etiam ad cibum*, *ita Bubus ac Suibus*, *ut fiant pingues*. Quæ cum commentare-

tur Plinius, tanta ea tempestate fuisse aviaria, ut ex his arva pinguescerent, mirabatur. Nobis vero id non mirum videtur, ubi enim summæ opes, ibi etiam plerunque summa luxuria; nec deessent hac tempestate tot aviaria, si P. R. potentia staret, si crebri essent triumphi, & collegiorum cœnæ, si plebeii animi pretiosis dapibus allicerentur: quæ ferme omnia, rerum summa in unius arbitrium redacta, intermissa invenerat Plinius, atque obsoleta. Illud potius mirandum ex stercore glisceré animalia; & tamen nihil non verum narratur, Sacris etiam literis testantibus Columbarum simo vivere hominem, & in Samariæ obsidione *quartam partem Cabi stercoris Columbarum quinque argenteis* venisse.

Hæc in transitu de arvo præparando attigi: proximum est ut de serendo deque semine verba faciam. *Quare cum semina fere quatuor sint generum, quæ transferuntur e terra in terram, viviradices: quæ ex arboribus dempta demittuntur in humum: quæ inseruntur ex arboribus in arbores.* Cum quatuor proponantur genera, quo se unum subduxit; nam tria tantum supersunt? Merito igitur Popma, notis appositis de loci defectu lectorem monuit; quod Victorius similiter suspicabatur; quamvis enim de optimis libris desumeret, ad numerum tamen non convenire affirmavit. Quocirca, his nunc posthabitis, alia excusa videamus, & primum prima quæ longe meliora, aut minus mutila ac detruncata inveniuntur. *Quare cum semina fere quatuor sint generum, quæ transferuntur e terra in terram per se a natura, alia ex industria, ut faciunt viviradices: quæ ex arboribus.* In his ejus quod quærimus, vestigium remanet, sed extra sedem. De quo priusquam quid conjiciam, proferam; quid esse debeat, quod desideramus, determinandum est, atque ante oculos collocandum. Igitur in Theophrastum, in quo horum omnium fontem & originem indicabo, me sequi pro tua humanitate ne gravare. In 11. itaque περὶ φυτ. ἰσορ. aspice quæ Philosophus docet: αἱ γενέσεις τῶν δένδρων καὶ ὅλως τῶν φυτῶν ἢ αὐτόματοι, ἢ ἀπὸ σπέρματος· ἢ ἀπὸ ῥίζης· ἢ ἀπὸ παρασπάδος· ἢ ἀπὸ ἀκρέμονος· ἢ ἀπὸ κλωνὸς· ἢ ἀπὸ αὐτοῦ τοῦ στελέχους ἐστίν· ἢ ἔτι τῇ ξύλῳ καπικοπέντος εἰς μικρά. Quæ est ista prima γένεσις αὐτόματος, nisi primum Varronianum seminis genus, cujus reliquiæ *per se a natura?* Nam & alterum ἀπὸ σπέρματος in Varrone cernere licet *ex industria*, & utrunque una capite lx. explanatum. Qua enim ratione *quæ transferuntur e terra in terram per se fieri a natura* dicemus? Hoc absurdum Aldus declinasse videtur, si ex ingenio ita edidit: *Quare cum semina fere quatuor sint generum; quæ non transferuntur e terra in terram, sed per se fiunt a*

natura

natura alia ex induſtria, ut faciunt viviradices. In quibus ſi extremum: *ut faciunt viviradices* rei propoſitæ tanquam exceptionem habuit, non male primum genus explanavit; ſed alterum ſuſtulit: ſin vero ut exemplum, nihil eſt conſecutus; falſum enim non transferri de terra in terram viviradices; falſiſſimum id fieri *per ſe a natura*, cum totum pendeat ex induſtria. Quare primum Varronianum genus videto num fuerit: *quæ per ſe fiunt a natura, alia ex induſtria.* Quod ex proximis Varronianis explicabo: *Primum ſemen quod eſt principium genendi, id duplex, unum quod latet noſtrum ſenſum; alterum quod apertum. Latet ſi ſunt ſemina in aere, ut ait phyſicus Anaxagoras; & ſi aqua quæ influit in agrum, inſerre ſolet, ut ſcribit Theophraſtus. Illud quod apparet ad agricolas, id videndum diligenter.* Audiſne primum ſemen eſſe duplex, obſcurum unum, alterum apertum: ex illo fieri quæ ſua ſponte in agris ſubeunt, ex altero quod procurat induſtria? Quorum utrunque ſive de hoc fonte, ſive a Theophraſto ſumptum egregio carmine II. *Georg.* amplexus eſt Virgilius; primum quidem hiſce verſibus:

Principio arboribus varia eſt natura creandis;
Namque aliæ, nullis hominum cogentibus, ipſæ
Sponte ſua veniunt, campoſque & flumina late
Curva tenent, ut molle Siler, lentæque Geniſtæ,
Populus, & glauca canentia fronde ſalicta.

Alterum his:

Pars autem poſito ſurgunt de ſemine, ut altæ
Caſtaneæ, nemorumque Jovi quæ maxima frondet
Æſculus, atque habitæ Graiis oracula Quercus.

Hæc igitur ad colligendas atque in ſua ſede conſtituendas primi feminis jam deperditi reliquias maximo, fateor, mihi fuere adjumento. Nunc accipe alterum, quod haud incorruptum ex Victorianis codicibus, & Cæſenate habemus: *Quæ transferuntur e terra in terram, vivas radices*; extrema enim verbum ex Jenſonianis libris expoſcunt, *ut faciunt vivas radices*. Porro hoc bifariam ſimiliter diſpertitur: ἢ ἀπὸ ῥίζης: ἢ ἀπὸ παραφύδος. A radice eſt, quoniam, ut ait celeberrimus Vates:

Pullulat ab radice aliis denſiſſima ſilva,
Ut Ceraſis, Ulmiſque, etiam Parnaſia Laurus
Parva ſub ingenti matris ſe ſubjicit umbra.

Quod radicatum ſedulus agricola effodiens, in ordinem digerit ſerendo. A ſtolone alterum quod exiſtit, non ſimplex: nunc enim de matre explantantur ſtirpes, videlicet:

Hic

Hic plantas tenero abſcindens de corpore matrum
Depoſuit ſulcis.

Nunc ut ſtolones & virgæ radicem capiant, humo tegunt, & matri relinquunt alenda. Verum duplici modo; quæ circa imum truncum nata ſine radice ſuccreſcunt, in arcum curvantur, &, terra effoſſa, merguntur, cacumine emicante, a quo mergendo *mergum* appellant; inde biennio poſt cum radicem egerint, regeſta, & de arbore reciſa ad paratam ſedem veniunt; unde perite Virgilius:

Silvarumque aliæ preſſos propaginis arcus
Expectant.

Quæ vero de ſummo trunco & ramis proſiliunt (quod mergi genus hac ærate frequentiſſime uſurpatur) per fictilia vaſa, aut qualos trajiciunt, aggeſtaque circum terra, in ipſa arbore ſuſpendunt, ut radices eliciantur, & fiant

Viva ſua plantaria terra.

Nunc, antequam ad reliqua ſeminum genera pergam, neceſſarium eſt, quæ Plinius lib. XVII. ex Theophraſto Virgilioque etiam expreſſit, inſerere: *Arbores*, inquit, *aut ſemine proveniunt*, *aut plantis radicis*, *aut propagine*, *aut avulſione*, *aut ſurculo*, *aut inſito*, *& conſecto arboris trunco*. Primum igitur, ut Theophraſtus, & Varro ſtirpes de ſemine provenire aſſerit, deinde quæ Theophraſto eſt ἀπὸ ῥίζης, reddit *plantis radicis* a nonnullis male reprenſum, peſſime, ut vitium repudiatum; tum adjicit quæ ex *propagine*, cujuſmodi ſunt quæ per mergos procurantur, in quo Virgilium, non Theophraſtum imitatur; nam utrunque etiam propagandi per mergos modum capite XIII. diligentiſſime exſequitur. Explicatis his ſerendi generibus, opportunum quoque mihi videtur, quæ capite II. in Varrone de ſtolonibus adnotaveram, & in hunc locum, cui unice explicando inſerviunt, & a quo lumen capere poſſunt, ſepoſueram, ſubnectere, & quaſi unum corpus efficere, quo melius de omnibus inter ſe connexis, & copulatis quid conveniret, quid non, judicares. Varro itaque ut cauſam redderet, ex qua C. Licinius diligentiſſimus agricola ſibi poſteriſque ſuis *Stolonum* cognomen pepererat, ſubjecit; *quod effodiebat circum arbores e radicibus quæ naſcerentur e ſolo*, *quos ſtolones appellabant*. Verum cum duo ſint ſtolonum genera, ἀπὸ ῥίζης unum, ἀπὸ παρασπάδος alterum, & utrunque commemoratum a Varrone credere liceat, alterum non bene dilucidum & manifeſtum habemus. Primum quidem eſſe apparet *quod effodiebat circum arbores* tanquam circa Ornos, Ficos, Oleas, Lauros, quæ hujuſmodi ſtolonibus abundare ſolent, de quo

genere

genere etiam Cato intelligit dicens : *ab arbore abs terra pulli qui naſcentur* : alterum eſſe oportet : *& e radicibus*, quos Cato memorat dicens : *e radicibus bene effodito* ; ſive *& radices* excuſum ab Jenſonio Bruyſchioque . Etenim ſtolones qui longe ab arboris trunco gignuntur, quales in Ulmis , Ceraſis , Prunis , Populis , Zizyphis magis radices ſunt dicendi , quam virgulta ; ſive quia arborum revera radices ſunt , ſive quia ſemper radicati , ſive demum quia ſarculis & aratris afflicti non in altum proſiliunt ; ideo eorum pars maxima radix habetur . In quibus tamen vel arando vel ſarriendo parum proficit colonus , niſi magna ſedulitate eos conſectetur , atque ab imo effodiat , exſtirpetque . Quod cum fieret a C. Licinio , propterea a conſectandis effodiendiſque ſtolonibus laudem & cognomen invenit .

Ad propoſitum ordinem redeo . Sequitur tertium ſeminis genus , quod apud Varronem eſt : *quæ ex arboribus dempta demittuntur in humum* . Hujus duas quaſi partes facit Theophraſtus quæ magnitudine differunt : unam ἀπὸ ἀκρέμονος , alteram ἀπὸ κλωνός . De hac noſter vates hoc modo canit :

Nil radicis egent aliæ , ſummumque putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.

de illa :

Hic ſtirpes obruit arvo
Quadrifidaſque ſudes , & acuto robore vallos.

Illud quod dicitur *e ſurculo*, in Plinio ſervatum eſt : hoc vero quod ſine controverſia eſſet *aut ramo*, per vetuſtatem eſſe deperditum magno eſt argumento, quod illa quæ ex Theophraſto tanquam in compendium protulit, in eo libro ſingillatim repetiit, deduxit, diligenterque explicavit : *Reliqua genera* , inquit, *caſus ingenio ſuo excogitavit , ac defractos ſerere ramos docuit , cum pali defixi radices cepiſſent . Multa ſic ſeruntur , in primiſque Ficus , omnibus aliis modis naſcens , præterquam talea : optime quidem ſi vaſtiore ramo pali modo exacuto adigatur alte , exiguo ſuper terram relicto capite , eoque ipſo arena cooperto . Ramo ſeruntur & Punicæ , palis laxato prius meatu , item Myrtus* . Hæc omnia ad id quod præmiſiſſe videtur, *aut ramo* , referuntur ; quod enim *de ſurculo* pangitur, jam alibi expoſuerat in illis : *ex eodem inventu* nempe naturæ vel caſus , quod ex antiquis libris impreſſis exſcripſi , nam in poſterioribus *inventum* probatur .

Ad hoc tertium Varronianum ſeminis genus rediguntur reliqua duo quæ in Theophraſto ἢ ἀπὸ αὐτῆς τῆς σελέχους ἐστὶν , ἢ ἔτι τῆς ξύλης κατακοπέντος εἰς μικρά , quorum utrunque Plinius ſignificat : *aut inſito , & conſecto*

ſecto arboris trunco. Utrunque etiam Virgiliano carmine celebratur, ut primum:

Sed truncis Oleæ melius, propagine Vites
Reſpondent, ſolido Paphiæ de robore Myrtus.

Alterum:

Quin & caudicibus ſectis (mirabile dictu)
Truditur e ſicco radix oleagina ligno.

Quod Aloyſius Alemannus in majus extollens, vernacula conſuetudine ita imitari non dubitavit:

Ma quel ch' è più, che dalla morta Oliva
Il già ſecco pedal ſegando in baſſo
Si vedran germinar le barbe ancora.

In quo profecto quid de ſicco ligno prodire non ſolum mirum ſed omnino impoſſibile; idcirco multa alia alii afferre conati ſunt, ut nobiliſſimum carmen a reprenſione eriperent & vindicarent. Tamen quæ eſſe poterit in re tam clara & aperta interpretatio? Equidem, ſi veri quid ſimile eſſet dicendum, id unum foret, lignum ſiccum non tanquam exſuccum, ſed exigui humoris ad eas ſtirpes relatum, quæ multo ſucco refertæ ſunt, interpretantibus. Ita in temperaturis corpora ſicca vocantur, & luna dicitur ſicca quæ decreſcit; quod tunc ſtirpibus humorem ſubducere credebatur. Pari ratione de ſtirpibus locutum video Theophraſtum, ut in 1. φυτ. ἀιτ. ἀμπέλε μὲν γὰρ καὶ συκῆς καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιέτων ξηρὰ καὶ ξυλώδη τὰ μέσα. Verumtamen quis talia de Olea affirmaverit ex pinguedine ſemper ſuccoſa; qua de cauſa Oleagini trunci magis quam cæterarum arborum ad ſerendum idonei; quoniam diu ſervant humorem? Numquid hæc ignoraverit Virgilius? Numquid dum multa a Theophraſto accepta carminum legibus implicat, in eodem proxime ſignato loco non legerit: ἐλαίας δὲ τὰ μὲν τῶν ἀκρεμόνων ἔνικμα διὰ τὸ λιπαρότητα καὶ πυκνότητα, καὶ ἀμφοτέρως δύξήρανται. Sed cur te ad longinqua evoco? In eo quem a principio propoſui, loco αἱ γενέσεις, quemque vates præſtantiſſimus ut eleganter, ita fideliter imitatus eſt, ubi quid quod ligni ſiccitatem indicet, ſubeſt: τὸ ξύλε καπακοπέντος εἰς μικρά. Quid? Paulo poſt dum quæ in univerſum de ſtirpibus docuerat Philoſophus, in Olea repetit, & Oleæ ſerendæ propria aſſerit, ubi ſicci ligni mentio. καπὶ πλάσεως δὲ τρόπος, ὡς εἰπεῖν, ἡ ἐλαία βλαστάνει. καὶ γὰρ ἀπὸ τοῦ σελέχους, καὶ ἀπὸ τῦ πρέμνε καπακοπτομένε, καὶ ἀπὸ τῆς ῥίζης, καὶ ἀπὸ τῦ ξύλε, καὶ ἀπὸ ῥάβδε, καὶ ἀπὸ χάρακος, ὥσπερ εἴρηται. Quæ tamen ſi ἀπὸ ξύλε purgaveris, quod videtur τῦ πρέμνε καπακοπτομένε expoſitio, nihil niſi rationi convenientiſſimum feceris. Hoc vero ſi abnuis, quod,

quod, cum ille ferendi modus qui ἀπὸ παρασπάδου fit, non commemoretur, ex illo defluxiſſe exiſtimes; ſcito quod dicitur fieri ἀπὸ ῥάβδου eſſe ἀπὸ παρασπάδου; quandoquidem ex ſurculo qui de ramo vel trunco amputatur, Oleam non gigni ipſe auctor eſt Theophraſtus. Cæterum ut in tot pangendæ Oleæ generibus nullum eſt ariditatis indicium, nullumque ſiccæ materiæ veſtigium: ita in his δὲ καὶ τούτῳ (μυρρίνῳ) καὶ τῆς ἐλαίας τὰ ξύλα διαιρῶν μὴ ἐλάττω σπιδαμιαίων, καὶ τὸν φλοιὸν μὴ περιαιρῶν, quæ eſt iſta ſicci ligni cura? Cur in ſerendo ſicco ligno parcendum cortici? An quia cortex ſuccoſus, ſicca materia? An quia exſucca materia corticis indiget ad ſe defendendum? Hæc certe cum a Theophraſto, tum ab aliis qui de taleis ſerendis præcepta tradunt, propterea inculcantur, ne cortice denudata materia exſiccetur; quin etiam qua parte taleæ ſecantur, & delibratæ ac nudæ jacent, fimo, Muſco, libro, ceſpite vel quo item obteguntur, muniunturque, quo firmius adverſus aeris ſoliſque vim humorem tueantur. Quod itaque naturæ repugnat, adverſatur Oleæ, Theophraſtum improbat, uſum conſuetudinemque agricolarum damnat, ſummus Philoſophus, peritiſſimus agricola, optimus Theophraſti interpres docuiſſe dicetur? Quod ne in mediaſtinum quidem colonum cadere poteſt, aut in alium quemvis ineptiſſimum, dummodo non mentis impotem, Virgilio attribuemus? Quid ergo ſupereſt, niſi mendo carmen inquinatum fateri, idque (quando multa ſunt in hoc vate antiquitatis veſtigia) ex priſca ſcribendi forma emanaſſe? *Sicto* enim pro *ſecto* a *ſico* (cujuſmodi multa in Varrone ſunt, quem ſecutus eſt nobiliſſimus poeta) fuiſſe exiſtimo, a quo tam facile eſt in *ſicco* declinare. Etenim propemodum valde mirandum non tantum ex reciſo trunco radicem prodire, quantum ex eodem in fruſta membratim deformato. Ideo *mirabile dictu* tali modo emitti germen, & in [illegible]borem creſcere, quamvis verum: Pariter mirabile commemoratu dixit II. Geo[illegible]ſſiranis Equas a vento concipere, & parere pullos, & in IV. Ap[illegible]? Bovis viſceribus naſci; quod utrunque non a poetis, qu[illegible]t, & quo magis præter naturæ leges mentiuntur, majori laudi datur; ſed a graviſſimis viris atque hiſtoricis tanquam verum acceperat, atque ut verum divino metro exornavit.

Atqui de hoc tertio ſeminis genere, ac de Virgiliano carmine abunde dictum ſit: quod cum eſſet cognitione digniſſimum, curatuque difficillimum, verebar pauciora ſcribendo, ut parem diligentiam viderer attuliſſe. Jam hinc *quæ inſeruntur ex arboribus in arbores*, quod eſt quartum & extremum genus, perpendamus. Hoc a Theophraſto ſub illis propagandæ ſtirpis modis bifariam diviſum eſt: in id quod proprie inſi-

tionem vocant, & in id quod emplaſtrationem: αἱ γὰρ ἐμφυτεῖαι, καὶ οἱ ἐνοφθαλμισμοὶ καθάπερ μίξεις τινές εἰσιν, ἢ κατ' ἄλλον τρόπον γενέσεις. Utrunque etiam in ſuis *Georgicis* exſequitur Maro:

Nec modus inſerere atque oculos imponere ſimplex:
Nam qua ſe medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas, anguſtus in ipſo
Fit nodo ſinus, huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent inoleſcere libro.
Aut rurſum enodes trunci reſecantur, & alte
Finditur in ſolidum cuneis via, deinde feraces
Plantæ immittuntur, nec longum tempus, & ingens
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos,
Mirata eſtque novas frondes, & non ſua poma.

Hæc generatim de quatuor primis ſerendæ ſtirpis modis cum ſimus exſequuti, deinceps de ſingulis, ſiquid colligere liceat, videndum. Capite XL. de primo ſemine additum eſt: *reliqua invenit experientia coloni. Num prima quæ ſine colono priuſquam ſata, nata?* Quæ concluſio, ut in Veneto exemplari vidi, eſt enuncianda: *coloni; nam prima quæ ſine colono, priuſquam ſata, nata.* Non male etiam in antiquis impreſſis: *unde prima*. Verum illud quod ad codices Victorianos, & Cæſenatem propius venit, melius.

Deinde: *ea celeriter antequam ſucus exareſcat, in terram demittunt. Demum in oleagineis ſeminibus arbores videndum, ut ſit de tenero ramo ex utraque parte æquabiliter præciſum, quas alii clavolas, alii taleas appellant.* Non *demum*, ſed tantum *dum* in vetuſtis non impreſſis libris inveniſſe teſtatur Victorius; ideo cum proximum præcedat *demittunt*, ex utroque fuiſſe *demittundum* cum aliis audeam affirmare. Quod tam huic ſententiæ accommodatius, quam Varroni te inficiaturum non puto. Reliqua vero: *In oleagineis ſeminibus* uſque *appellant* erit fortaſſe qui decurtata & lacera ex Nonio tibi probaverit; cum hic ex Varrone plura ſumpſiſſe videatur, videlicet: *Taleas ſciſſiones lignorum vel præſegmina Varro dicit de R. R. lib.* 1.; *nam etiam nunc ruſtica voce intertaliare dicitur dividere vel exſcindere ramum ex utraque parte æquabiliter præciſum, quas alii clavolas, alii taleas appellant.* Sed num ita ineptus Varro aut Nonius qui *taleam* eſſe a Græco θαλέα non noverint: aut nos ingenio adeo obtuſo & pingui qui *intertaliare* ex hoc noſtro vernaculo ſermone atque a talea quæ ſecando fit, *taleare* primum, deinde *tagliare* ortum non agnoſcamus? Quare iſta: *nam etiam nunc ruſtica voce intertaliare dicitur dividere vel exſcindere ramum* ex margine, remotis

motis Varronianis, irrepſiſſe, ut mox alio in loco apud Nonium factum oſtendam, aſſerere nullus dubitabo. Ergo qui verbum *intertaleo* latinitate donarunt, quo jure, quo auctore, & quo exemplo fecerint, ipſi viderint. *Talea* itaque a θαλέα, θαλλία, θάλλω venit, hæc autem a θάλλω pullulo: *clavola* vero, pro quo in antiquis impreſſis libris, & non impreſſis etiam legitur corrupte *ſclavola*, a *clava* ob ſimilitudinem deducitur, nomenque trahit. Concludamus ſane nihil eſſe, quod in Varrone ut vitiatum damnemus; quippe illa etiam quibus nonnulli offenduntur: *ut ſit ſemen —— præciſum, quas alii clavolas, alii taleas appellant*, dilucida ſunt, ceu illud lib. II. *horum* (Aſinorum) *genera duo: unum ferum, quos vocant Onagros.*

Quartum genus ſeminis quod tranſit ex arbore in aliam. Videndum qua ex arbore in quam transferatur, & quemadmodum obligetur. Quæ divulſa priſtino more diſtinguenda ſunt: *Quartam —— in aliam, videndum qua.*

Necnon quæ ſequuntur, diligentius ordinanda; confunduntur enim vulgo: *non enim Pirum recipit Quercus; neque enim ſi Malus Pirum. Hoc ſequuntur multi, qui aruſpices audiunt multum, a quibus proditum in ſingulis arboribus quot genera inſita ſint, uno ictu tot fulmina fieri illud quod fulmen concepit.* Tradit Varro Quercum non inſeri Piro, & quamvis commode Malus Piro inſeratur, tamen multos qui Aruſpicum diſciplinæ addicti ſunt, id devitare; quoniam in ſingulis arboribus quot genera inſita ſunt, tot fulmina uno ictu futura arbitrantur. De qua ſuperſtitione etiam Plinium audire oportet: *neque omnia inſita miſceri fas eſt, ſicut nec ſpinas inſeri, quando fulgura expiari non queunt facile. Quotque genera inſita fuerunt, tot fulgura uno ictu pronunciantur.* Quapropter Varroniana hoc ordine digeramus: *Non enim Pirum recipit Quercus; neque etiam ſi Malus Pirum, hoc ſequuntur multi qui aruſpices audiunt multum, a quibus proditum.*

Proximum eſt ut inſitionis magis propria ingrediamur: quæ dum perſcribo, exactiſſimo judicio, ut ſoles, velim recognoſcas; vereor enim ne dum ſanare ſtudeo, deteriora faciam, magiſque exulcerem. Quatuor modis quoddam inſitionis genus impreſſum deprendi, totidemque varium ac confuſum. Primo modo a Victorio, ut in antiquis nactus eſt, non valde mala hæc prodita ſunt: *Ex arbore ex qua quis vult habere ſurculum, in eam quam inſerere vult, ramulum traducit, & in ejus ramo præciſo, ac diſſiſſo implicat. Eum locum qui contingit ex utraque parte, quod intro eſt, falce extenuatur, ita ut ex una parte, quod cœlum viſum eſt, corticem cum cortice exæquatum habeat. Ejus ramuli quem inſereret*

cacumen, ut directum ſit ad cœlum, curat. Poſtero anno cum comprendit, unde propagatum eſt, ab altera arbore præcidit. Secundo ab Jenſonio quæ detecta, & ad curandum magis parata dices, ita vetuſtatis vulnera non occultant : *Ex arbore ex qua quis vult habere ſurculum, in eam quam inſerere vult ramulum traducit, & in ejus ramo præciſo ac defiſſo implicat eum locum qui contigerit ex utraque parte, quod intro eſt falce extenuatum: ita ex ima parte quod cœlum viſurum eſt, corticem cum cortice exæquatum habeat ejus ramuli quem inſereret cacumen, ut detectum ſit ad cœlum curat.* Tertio eruta ſunt ex Creſcentii libris, in quibus Varronem tranſcribit, omnium vitioſiſſima, utpote quæ curatorem nunquam invenerint. *Ex arbore qua vult habere* (hæc etiam in Cæſenate exemplari exiſtunt) *ſurculum, in eam quam inſerere vult ramulum traducat, & in ejus ramo præciſo ac defiſſo implicare in locum, quod contingit ex utraque parte quod intus eſt, falce extenuatum, ita quod ex una parte quo cœlum viſurum eſt corticem cum cortice æquatum habeat ejus ramuli quem inſeret cacumen ut directum ſit ad cœlum poſtero curet anno, cum comprenderit unum propagatum ab altera arbore præcidit.* Quarto ex Aldi tonſtrina egrediuntur unguentis omnibus delibuta, & lenociniis meretricio more compta, in quibus dum nihil vitioſi apparet, nihil ſani habendum : *Ex arbore ex qua quis vult habere ſurculum, in eam quam inſerere vult, ramulum traducit, & in ejus ramo præciſo, ac diffiſſo implicat, tum ramuli locus qui contingit ex utraque parte, qua fiſſuram intrat falce extenuatur, ita ut ex una parte, qua cœlum viſurus eſt corticem cum cortice exæquatum habeat. Ejus autem ramuli quem inſeret, cacumen ut directum ſit ad cœlum, curat.* His omnibus ante oculos poſitis, videndum quæ ad curandum digniora & faciliora. Nec tamen diu nos ſuſpenſos habet inquiſitio, quin Jenſoniana in medicinam continuo recipiamus, non rejectis Victorianis & Creſcentianis, ut, ſiquid in illis minus proſpere reſpondet, in his tentemus. Aldina autem quando ita nitida, fucata, oblita, picta, ficta procedunt, quid amplius medicæ manus indigent, quæ totum ἰατρῶν redolent, ac præ ſe ferunt? Igitur in Jenſonianis quod nos non Apollo, ſed falciſer deus Saturnus docuit, experiamur, per membra medicinam digerentes : *ex arbore, ex qua quis vult habere ſurculum, in eam quam inſerere vult, ramulum traducit, & in ejus ramo præciſo ac defiſſo implicat eum locum qui contingit, ex utraque parte falce extenuatum.* Siquidem non ramulum, cujus genus eſſe volumus, in diffiſſum truncum vel ramum immittimus, ſed eum locum aptamus hoc eſt eam ramuli partem, quam prius tantum extenuamus quantum ſecti rami vel trunci fiſſura ad recipiendum patet.

Dein-

Deinde: *ita ut ex una parte quod cælum viſurum eſt, corticem cum cortice exæquatum habeat. Ejus ramuli quem inſeret, cacumen ut derectum ſit ad cælum, curat.* In his *derectum* ex *detectum*, quod antiqua ſcribendi regula confirmat; *derigo* enim non *dirigo* ſcribebatur. Reliqua ita ſunt, ut etiam Aldus intacta demiſerit.

Hac via ruſticum hoc opus captu difficile atque obſcurum, ſi ad priſtinam formam (neque enim ita mitto) reſtitutum non cenſebis; at planius & facilius ad imitandum agricolis futurum profecto non negabis. Quo ſimul cum capite xl. abſoluto, ad alias inſitiones quæ capite xli. continentur, tranſeamus. Et primum de ſolſtitiali inſitione videndum, quo tempore commodius, quam verno nonnulla inſeruntur: *ut Ficus quod denſa materia non eſt, & ideo ſequitur caldorem.* Cum vetuſta impreſſa, & Creſcentius oſtendant *calidiorem*, cumque Varro *caldum* & *caldorem* (a quo nos *caldo* ſumpſimus) uſurpet, mallem *caldiorem* menſem nimirum; nam a verno ad ſolſtitialem traducta fuerat Fici inſitio. Vel locum; ideo ſequitur: *in frigidis locis ficeta fieri non poſſe.*

Quod inſeritur Caniculæ ſigno, commodiſſime exiſtimatur inſeri. Hæc ab Aldo hoc modo primum in vulgum producta, & ad hanc ætatem retenta antiquane, ſincera, & Varroniana habebis? Cur non, inquies? Quid eſt quod in his damnes, aut mendacii arguas? Quid? Adeamus Jenſonium & Bruyſchium qui ediderunt: *quæ ſit Caniculæ ſigno, commodiſſime exiſtimantur ea inſeri.* Adeamus Victorium qui de priſcis monumentis (quod in Veneto ſimiliter inveni) protulit: *qui ſit Caniculæ ſigno, commodiſſime exiſtimatur inſeri.* Adeamus denique Cæſenas exemplar ex quo habeo: *quod ſit Caniculæ ſigno, commodiſſime exiſtimatur ex ea inſeri.* Quod malum, inquies, iſtud *inſeritur?* Ex quo deſumptum? Ex quo? Incertum eſt: ſed iſtius auctorem, fontem, principium Aldum video: ex quo ipſe hauſerit, necdum cognovi. Verum hoc mittamus; inquirendum enim quid melius, non quid deterius. Victoriana & optima a me probantur: abs te quoque ut probentur, confido fore, ut primum *qui* communis fuiſſe generis oſtendero. Neque Priſciani tantum auctoritati innitar, qui id refert, ſed & exempla proferam. Terentius *Eun.*

Hunc oculis ſuis
Noſtrarum nunquam quiſquam vidit, Phædria.

Plautus *Vidul.*

Dic mihi, ſi audes, quis ea eſt
Quam vis ducere uxorem?

Igi-

Igitur *qui* cum ſit promiſcuæ naturæ, neutrum erit, ex quo cum *d* inſititio ex priſca ſcriptura *quid* habemus. Similiter *cuius* in ſecundo caſu, & *cui* in tertio, atque in ſexto *qui* de omni re declaratur. Nec ſecus *queis* vel *quibus* in multitudinis numero, & *ques* quod non tantum *qui* & *quæ*, cum de pluribus dicitur, ſed etiam *quos* & *quas* ſignificat. Quapropter quid eſt cur apud nonnullos tantopere hic Plauti verſus exhorreſcat:

An ita tu es animata, ut qui expers matris imperii ſies.

Non prætereundum quoque eſt, nec contemnendum, quod ad inſerendam Vitem reſertur. *at in qua inſerunt, in ea paulo infra, quam inſitum eſt, incidunt;* nam in primis impreſſis, & in Cæſenate exemplari *at* eſt *aut*, nempe: *aut Vitem triduo ante, quam inſerant, deſicant ut qui in ea nimius eſt humor diffluat ante, quam inſeratur*: *aut* (qui illud non ſervant, ſed ſtatim inſerunt) *in qua inſerunt, in ea paulo infra, quam inſitum eſt, incidunt; unde humor adventitius effluere poſſit.*

In aliis translationibus videndum, ut quod transferat. Num *transferas*, ut ſupra: *quo tempore quæque transferas*. Item: *ut non denudes medullam*: Vel *transferatur* cum Jenſonio.

In creſcendo tarda. In hoc enim humidiora quam aridiora. Perobſcura ſententia; ideo reprenſa ac rejecta ab Urſino. Equidem hac ſpecie ego quoque improbarem. Opinor poſitum a Varrone in creſcendo minutiora magis tarda, quam aridiora. Id ex inſequentibus declaratur: *quare ex terra potius in ſeminariis ſurculos de ficeto quam grana de fico expedit obruere*, hoc eſt præſtat ex terra defringi de Fico ſurculos atque in ſeminariis pangere, quam fici grana ſerere. Quamvis enim Ficus humore abundet, tamen, quia minutum eſt ſemen, tardius creſcit, quam quæ aridam naturam gerunt. Tranſit deinde ad ea quæ ſiccæ naturæ ſunt, & oſtendit Oleam tardius creſcere ex ſemine, quia minutum, quam e taleis: *ſimili de cauſa*, ait, *Oleæ ſemen cum ſit nucleus, quod ex eo tardius enaſcebatur colis, quam e taleis; ideo potius in ſeminariis taleas, quas dixi, ſerimus*. Unde igitur rimabimur verba? Ex Theophraſto, a quo hæc omnia mutuatur Varro. Expoſitis enim quæ in Varrone præcedunt, tardiora eſſe affirmat, quæ imbecillia: ἔτι δὲ πρὸς ταύτοις ἐνια τῆς ἀσθενείας. Ideo ſcripſit Varro: *in hoc etiam imbecilliora* (ſive antiqua ſcribendi norma *imvecilliora*) *quam aridiora*.

Antequam ea quæ modo narrabam, ad ſerendum attinentia abſolvat Varro, pauca de primo ſemine in agricolarum uſum ſubiicit, ut *de Medica in primis obſervet, ne in terram nimium aridam, aut variam, ſed temperatam ſemen demittas. In jugerum unum, ſi eſt natura tempera-*

ta

ta terra, ſcribunt opus eſſe Medicæ ſeſquimodium. Quorum argumentum *de Medica* a Victorio & Scaligero improbatum, atque a Popma uſque ad illa: *in jugerum unum* exemptum, neque inſitum, ut ferunt, videtur, neque etiam, ut ſæpius indicatum eſt, Varroni inſolens, necnon ad illa intelligenda non neceſſarium. Verum, ſi id quod de ſoli conditione docetur, Oleæ ſerendæ, ut volunt, aſſervemus, Medicæ nomen, cui colendæ nihil relinquunt, merito exemptum fatebimur; hoc enim quod ſupereſt: *ſi eſt natura temperata terra*, non de Medicæ cultu, ſed de ſeminis modo eſt intelligendum. Quin etiam, ſi diligenter attendamus, per id convincitur, temperatam quidem terram aliis ad Medicæ ſationem prælatam, aliud tamen terreni genus ab illa mediocritate recedens ſimul commemoratum. Quare cum Oleam per nucleos eſſe pangendam capite XLI. improbatum ſit, per taleas vero utiliter fieri cap. XXIV. & XL. abunde præceptum; quid eſt cur Medicæ inter pabuli genera nobiliſſimæ tantulam ſegetem invideamus, & tanquam Lupinum in crudo & neglecto arvo imporcemus: præſertim Plinio, Columella, Palladio ipſius culturam diligentiſſime tractantibus? Nam Virgilius qui Varroni proximus ſcripſit, quamvis pauca de Medica præcepiſſe videatur, dum canit:

Tum te quoque, Medica, putres
Accipiunt ſulci,

omnia complexus eſt. Dum dixit *putres ſulcos*, terram nec variam, nec aridam dixit, ſed reſolutam & optimam, optimeque cultu ſubactam; quod extrema aratione in liras arvum redigatur.

Id feritur ita ut ſemen jactatur. Affert Fulvius Urſinus ex veteri libro pro *feritur differtur*, quod in *differitur* ſive Varroniano more *deſſeritur* opportunius mutatur. Tradit enim idem Urſinus, ubi cap. XL. legitur communiter *per ſurculos differitur in terram*, ibi quoque in eo exemplari reperiri *differtur*. At *ſemen* cur retinemus, & *jactatur*? Sane credo fuiſſe: *ita ut ſemel jaciatur*, nempe dum ſemen feritur ita eſſe diſtribuendum, ut interſerere non ſit opus. Quare etiam Plinius ſcribit omnia ſemine eſſe occupanda, ne herbis locus ſuperſit.

Jacitur autem *quemadmodum ſcilicet cum pabulum & frumentum feritur*. Siquis *ſcilicet* demeret, magis in Medicam proficeret; in optimis enim libris ipſius ſedem una litera *l* occupat, ut animadvertit Victorius. Quod vel *laudabile* vel *laudandum* interpretamur. Sed id inſititium ex ſtudioſi cujuſdam nota eſſe pariter fatemur.

Hæc de Medica habebam: de Cytiſo, quæ Medicæ finitima, in Varrone nihil: idcirco, ut totum hoc de ſerendo tractatum abſolvam, indican-

dicandum eſt de mirabili terrarum fertilitate, ut proditum eſt ab antiquis. *In Sybaritano dicunt etiam cum centeſimo redire ſolitum* (ſemen), *in Syria ad Gadara, & in Africa ad Byzacium item ex modio naſci centum*. Quæ quamvis portentoſa videri poſſint, tamen adaugenda ſunt, ut extrema ſint: *ex modio naſci CL.*. Eundem modum lib. XVII. retulit Plinius dicens in Byzacio Africæ centena quinquagena fruge eſſe fertilem campum, & lib. XVIII. in eodem agro ex modio centenos quinquagenos modios reddi.

In hoc dimidiato capite XLIV. te relinquam: quæ enim ad nutricatum ſpectant, cum reliquis in aliud tempus prolata videbimus. Vale.

D. Patavio IX. Cal. Maii CIↃ IↃCC XXXII.

EPISTOLA XIII.

Emendatur Varro a capite XLIV. ad extremum.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

QUo ſæpius ad ea quæ mihi peragenda ſunt, reſpicio, eo magis eſſe properandum video, cogitans portam revertenti eſſe longiſſimam. Ideoque, obſignatis literis, quas heri tabellariis tradidi, ſtatim has ſcribere inſtitui. Itaque de nutricatu quod tertium fuit, & de reliquis ex his cognoſces.

Illius principium eſt: *Dicetur, inquit Agrius, de tertio gradu de nutricationibus atque alimoniis eorum. Licinius, quæ nata ſunt inquit*. Quam vellem optaremque eſſet: *Dice igitur, inquit Agrius*, ut lib. III. *Dice igitur, ubi & cujuſmodi me facere oporteat alvearium*: Etenim illud *Licinius* quod nec Victorius in antiquis libris non impreſſis vidit, neque in impreſſis ante Aldum invenitur, huic, quando in eo ſibi complacuit; non inviderem, *ille* quod pro *Licinius* erat, contentus.

Neque etiam poſteriora impreſſa quæ non longe ſeparantur: *Itaque ſi florem acerbumque pirum aliudve quid decerpſeris, in eodem loco, eodem anno nihil renaſcitur, quod prægnationis idem bis habere non poteſt*, tanti eſſe facienda ſentio, quanti prima, *quod prægrationis diem idem bis habere non poteſt*. Tempus enim appoſitum quod per *diem* ſignificatur, maxime convenit: ideo ſequitur: *ut enim mulieres habent ad partus dies certos, ſic arbores ac fruges*. Sed quid argumenta quæro?

Theo-

Theophraſtus, a quo iſta expreſſit Varro, quid aliud in ι φυτ. αἰτ. indicaverat? διὰ τοῦτο γὰρ ὁ δὲ ἐάν τις ἀφέλῃ τὸν καρπὸν ἢ αὐθις, δύναται πάλιν ἕτερα γεννᾶν· διὰ τὸ μὲν λαμβάνειν τὸν τῆς κυήσεως χρόνον.

Ex eodem fonte hauſta hæc: *nam radices autumno aut hieme magis ſub terra quam ſupra adoleſcunt*; attamen ut Theophraſti ſententia habeatur integra, dicendum eſt: *quam quæ ſupra adoleſcunt*. Ὥσπερ τινές φασι, τὰς μὲν ῥίζας αὐξάνεσθαι μεσοπώρᾳ καὶ χειμῶνος· τὰ δὲ σελέχη καὶ τοὺς ἀκρέμονας ἔαρος καὶ θέρους καὶ μάλιστ' ὑπὸ τὸ ἄστρον. Id etiam ex ſuperioribus Varronianis infertur: *venenum enim gelum radicibus tenellis ſub terra, & ſupra virgultis. Quæ neque eodem tempore æque creſcunt; nam radices*. Id quoque ex ſequentibus: *nam prius radices quam ex quæ ex iis ſolent naſci, creſcunt*.

Deinde: *Quod tectæ terræ tepore propagantur, ſupra aere frigidiore tinguntur*. Puto magis conducibile eſſe, ſi ſcribamus *tectæ terra*; nam, ut ait Theophraſtus, τὰ δὲ κάτω στεγαζόμενα τῇ γῇ, calorem afferente Philoſopho extrinſecus ad terram accedere frigoris vi preſſum. Quid vero de illo *tinguntur* quod de optimis libris protulit Victorius, aut *ringuntur* quod ante Victorium excudebatur? Hoc profecto Theophraſti κωλύεται continetur; ſed vis ipſius in Varrone evanuit. Quid ſi legamus *ſtringuntur* quod tam ex *tinguntur* quam ex *ringuntur* facile conſtat? Circumpoſito enim frigido aere, ſtringuntur in ſtirpibus humores, & germinatio cohibetur. Ita Gellius ſcribit: *mare gelu ſtringi*, & Lucretius:

Morbus ut indicat, & gelidai ſtringor aquai.

In Veneto exemplari *cinguntur* vidi; tamen illud vim majorem addit.

Theophraſtum auctorem hæc item reſpiciunt: *neque radices longius procedunt, niſi quo tempore venit ſol. His duplex cauſa, quod & radicum materiam aliam atque aliam longius projicit natura*. Quorum *niſi quo tempore venit ſol* malebat Popma eſſe: *niſi quo tepore venit*: vel: *tepor venit ſolis*, quaſi cum ſol iterum ad nos accedit, ſine tepore accedat, & quo propius, non tepidus, ſed fervidus. Numquid Theophraſtus de *tepore* quid: ἂν ἀεὶ πλεῖον καταλαμβάνωσι βάθος, ἢ ὁ ἥλιος ἀφικνῆται? Cur igitur egregia nimio ſtudio infirmant? Quare, his miſſis, videto potius, cum Soſipater Chariſius in his R. R. libris a Varrone ſcriptum *radicium* non *radicum* nos moneat, hic & alibi idne inducendum ſit, an contra. Quod veri & antiquitatis cum ſis amantiſſimus, abs te iri probatum non puto.

Priuſquam a Theophraſto longius recedamus, refert perpendere quæ de mirabili foliorum converſione ab eodem prodita in ſua prata deriva-

vit Varro : *Propter ejuſmodi res admiranda diſcrimina ſunt naturalia quod ex quibuſdam foliis propter eorum verſuram quod ſit anni tempus dici poſſit , ut Olea , & Populus alba , & Salix . Horum enim folia cum converterunt ſe , ſolſtitium dicitur fuiſſe .* Quæ , ſi cum Theophraſto περὶ Φυτ. ἱστορ. 1. conferas , non *dici* & *dicitur* , ſed *diſci* ac *diſcitur* probabis : ἴδιον δὲ καὶ τὸ τῇ ἐλαίᾳ καὶ τὸ τῇ Φιλύρᾳ , καὶ τῇ πτελέᾳ καὶ τῇ λευκῇ συμβαῖνον· τρέφειν γὰρ δοκοῦσι τὰ ὕπτια μεταβολὰς δεινὰς , καὶ τούτῳ γνωρίζουσιν , ὅτι γεγένηνται τροπαί . Ita Plinius lib. XVI. *mirum in primis id quod Ulmo , Tiliæque & Oleæ , & Populo albæ & Salici evenit . Circumaguntur enim folia earum poſt ſolſtitium . Nec alio argumento certius intelligitur ſidus confectum .* Quod ſi certiora expectes , dabimus quoque ; vetus enim capitis titulus Varronianus manifeſtum priſcæ ſcripturæ ſpecimen facit : *ex quibus foliis cognoſci poſſint anni tempora .* Cæterum haud abſimile mendum in Feſto Avieno tibi poſſum detegere :

Sic & Crabronum rauca agmina ſi volitare
Fine ſub autumni conſpexeris æthere longo ,
Jam veſpertinus primo cum commovet ortus
Vergilias pelago , dices inſtare procellas .

dices eſſe pro *diſces* jam vides.

His quæ a Phyſicis multum habent , interpoſitis , redit Varro ad ruſtica præcepta . Igitur capiti XLVII. hoc faciunt initium : *in ſeminario quæ ſurculis conſita , & eorum molliora erunt natura cacumina , ut Olea & Ficus . Ea ſumma integenda binis tabellis dextra & ſiniſtra , herbæque elidendæ , & dum teneræ ſunt , vellendæ . Prius enim aridæ factæ rixantur , ac celerius rumpuntur quam ſequuntur .* Quorum hæc perperam divulſa ita conjungerem : *In ſeminario — ac Ficus , ea ſumma* , ut capite XLV. ordinantur ; deinde reliqua : *& dum teneræ ſunt , vellendæ prius ; enim aridæ factæ .* Hoc facile in his mihi aſſumerem , ſed non uſque adeo , ut *aridæ* in *adultæ* , vel potius in *vividæ* id eſt auctæ , vel *validæ* , niſi te auctore , verterem . Quocirca id diligenter cognoſcas , rogo ; tandiu enim agricolis eſſe cunctandum , ut herbæ inutiles & noxiæ aridæ fiant , ſummæ videtur negligentiæ , & inanis ac ſupervacaneæ curæ ; ſive quia aridæ ſatis vel nihil vel parum nocent ; ſive quia ſemen ad maturitatem jam venit , quod , ne in ſequentem annum majori proventu ſolum infeſtet , totis viribus a colono prohibendum eſt , ut veriſſime id Varro capite XXVII. inculcaverat .

De Cerealibus ſtirpibus hinc agere ſingillatim incipit Varro , parteſque in quas diſtinguuntur , ſuis nominibus explicat : *In ſegetibus frumentum* vocat *quod culmus extulit . Spica ea quæ mutilata non eſt .* Hæc

ab

ab Aldo, ſi *mutilata* excipias quod repoſuit Victorius. Quæ non ſine admiratione retenta, & probata ab omnibus videmus, cum longe meliora a primis editoribus habeamus: *Frumentum in quo culmus extulit ſpicam. Ea*, quibuſcum Cæſenas ac Venetum exemplaria conſentiunt, *in* ante *quo* excepto quo privantur. His certe declarat Varro eſſe inter fruges frumentum, de cujus ſummo culmo effertur ſpica, ut frumentum a legumine, quod e ſcapi lateribus ſiliquatur, diſtinguat. Quamvis enim in frumentis plerunque dicatur culmus, invenio tamen aliis ſtirpibus a Plinio attributum, ut Milio, Panico, Milio Indico quod *Sorgum* appellamus, Seſamoque. Quin etiam in Gramine dicitur culmus; quid enim aliud *Holcus* quem Plinius lib. XXVII. commemorat his verbis: *Holcus in ſaxis naſcitur ſiccis, ariſtas habet in cacumine tenues, culmo quale Ordeum reſtibile*. Inſuper, cum idem culmus ac culmen, Fabis etiam id eſt Leguminibus non id aſſignat Ovidius *Faſt.* IV.

Tertia res duræ culmen inane Fabæ?

Quod igitur in Milio, in Panico, in Seſamo, in *Sorgo*, in Gramine, in Faba culmus extulit, dicetur frumentum? Certe, ſi Aldum ſequimur: ſin Varronem, nequaquam.

Ab eodem Aldo ordine perturbantur, quæ de grano exponit Varro: *granum a gerendo. Id enim ſeritur ut ſpica gerat frumentum, non ut glumam aut ariſtam gerat*. Hæc alio modo ab Jenſonio & Cæſenate codice accepimus: *granum gerendo. Id enim ut gerat ſpica ſeritur frumentum, non ut*. Ideo *Granum a gerendo; id enim ut gerat ſpica, ſeritur frumentum, non ut glumam.*

Sed hæc leviora. Illud potius *Frit* quod de ſumma ſpica dicitur, ne minima quidem ſocietate cum Latinis nominibus conjunctum tam a doctis quam ab indoctis probari magnæ admirationi eſſe non negaveris. Quid de etymo? *Frit* a *frio quod facile friatur*. Nam primum nego ſtrigoſum illud facile friari: deinde, ſi concedam, cur etiam quod in infima ſpica, non *Frit* vocatur, ſed *urruncum*, cum utrunque minus ſit quam granum; ideoque ob exilitatem inanitatemque æque friabile? *Illud autem ſumma in ſpica jam matura, quod minus quam granum, vocatur Frit: quod in infima ſpica ad culmum ſtramenti ſummum, item minus quam granum eſt, appellatur urruncum*. Quare, his poſitis, quæ puerilem notationem exiſtimaveris, opinatus ſum utrunque eſſe a Græcis (niſi *Frit* barbarum additamentum ſit; neſcio enim quid ex Germania mihi ſonat) præſertim quando Varro de nominis ratione quicquam non addidit, quod non prætermiſiſſet, niſi eſſent externæ originis, ut de ſpica, grano, gluma, ariſta, vagina membratim collegit.

Et Φρίξ quidem primum quod horrorem indicat, quoniam ſumma pars in ſpica vel maxime horreat ariſtis, ut de ſegete cecinit Homerus: φρίσσων ταῖς ἀταχύεσσιν. Item Euripides:

ἔνθα πρῶτον φαίνεται
Φρίξας ὑπὲρ γῆς τῆς δὲ καρπιμῶ τάχυς.

Quos imitati ſunt noſtri, ut Virgilius:

Spicea jam campis cum meſſis inhorruit.

Et ipſe Varro de L. L. ſcripſit pilos in corpore, ut ariſtas in ſpica Ordei, horrere. Vel a πρίω ſtringo quod ea pars nunquam in granum creſcit, φ pro π poſito. Alterum *urruncum* ὄρρογκον tanquam ſeri tumorem; evenit namque cum ſuperiores folliculi lac quo grana turgent, hauſerint, ad infimos tantum ſerum, ex quo nihil denſari, & in granum grandeſcere poſſit, defluat; ideo tument quidem, ſed mox, conſumpto humore, effœti nihil coactum ſervant, velut ſiquis fiſcellis ſerum cogere tentaret. Quod vitium pro anni intemperie non eam ſolam afficit ſpicæ partem, verum nonnunquam totas ſpicas depravat exinanitque. *Id nebbia* a ruſticis vocatur, a Latinis, ut puto, *urruncum*, quod ut averteret, deus *Averruncus* colebatur, ut ad prohibendam rubiginem, quod eſt alterum vitium frugibus maxime inſeſtum, *Rubigo*. Hoc oſtendit Cato in agri luſtrationibus, dum deos ſic precatur: *uti tu morbos viſos inviſoſque, viduertatem vaſtitudinemque, calamitates, intemperiaſque prohibeſſis, defendas, averrunces: utique tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire beneque evenire ſiris*. Dum *grandire beneque evenire* dicit, utrunque malum deprecatur; urruncum enim non grandeſcit: rubigo quamvis tumeat, non bene grandeſcit; ideo ut bene eveniant grana, poſcit. Præterea, cum ſpicæ vaginis tectæ ſæpe rubigine corrumpantur, ut urrunco illinc emerſæ, in commentariis Pontificum, ut refert Plinius, adnotatur, ut *augurio canario agendo dies conſtituantur, priuſquam frumenta vaginis exeant, & antequam in vaginas perveniant*. Hæc ex communi ſcriptura; ſcire tamen convenit non *in infima ſpica* de codicibus eſſe exſcriptum a Politiano; ſed *in firma ſpica*, quod S. Reparatæ exemplar conjungit: *infirma ſpica*. Propter quod adjectum eſt a Varrone *ad culmum ſtramenti ſummum* quod eſt idem ac *infima ſpica*; nam ubi deſinit ſtramentum, incipit ſpica. Firmam autem appellat, in qua id diſtinguitur; quæ enim non firma, vel rubigine tota corrumpitur, vel ſtringitur urrunco.

His quæ de tertio gradu videlicet de nutricandis ſatis dicenda habuit Varro, peractis, quod erat de legendis fructibus quarto loco propoſitum, aggreditur in hæc verba: *Cum conticuiſſet, nec interrogaretur*

de

de nutricatu, credens nihil desiderari, dicam, inquit, de fructibus maturis capiendis. Quæ dum quis ita perlustrat, nec superiora intuetur, nihil de nutricatu jam dictum esse, quin etiam prætermissum facile suspicatur. Tollitur autem dubitatio, si legendo ita separemus: *cum conticuisset, nec interrogaretur, de nutricatu credens nihil desiderari, dicam, inquit, de fructibus maturis capiendis, & primum de pratis.* Porro *ille* quod inter *&* ac *primum* interponunt, neque necessarium videtur, neque legitimum; propterea omittitur a primis editoribus. Quare vitiosam abundantiam præsertim Aldinam esse retinendam non existimamus.

Quibus in transitu adnotatis, ad vindemiam propero. *In vindemiam diligentius uva non solum legitur ad bibendum, sed* (*etiam* interponit Nonius) *eligitur ad edendum. Itaque lectius defertur in forum vinarium, ut in dolium inane veniat; electa in secretam corbulam.* Uva pendens diligentius legitur, nequid prætermittatur: ex eadem subinde quæ ad edendum apta est, seponitur; ideo illud *lectius* quod nonnulli modo in *lecta jus*, modo in *lecta citius* immutant, in *lecta* ex Ursini codice verterem. Ut enim de *eligitur*, *electa*; ita de *legitur lecta*. Siquidem ad vinum cogendum (nisi si quid sibi dominus diligentius paret) lectior pars non defertur ad cellam, verum, sepositа cibali uva, sine discrimine quod supereſt, ubi premitur, coacervatur. Id tamen melius obtinebimus vulgatam vocem *lectius* sequentes, scribentesque *secius* pro *sequius*, ut multa ex Varrone hujus generis prima epistola tibi commemoravi, ceu *cocat*, *incunatum*, *cotidie*, *eculi*, *silica*, *oblicum*. Quare, secreta melioris notæ uva, quod reliquum est sequius & deterius ad vasa torcula defertur.

Ex electa ad cibum, *alia quæ in aram, ut in carnarium ascendat.* Olim *aram* - *aream* esse oportere crediderам; quoniam ea est frequens Itali vindemiatoris consuetudo, ut electam uvam in aream primum deferat ad insolandum, deinde de carnario suspendat. Præterea inter excusa id etiam videbam. Nunc alia mihi est opinio. Censeo enim de uvis passis hic locutum Varronem; quippe recens uva ut servaretur vel in ollis inter vinacea reconditis, vel in amphoris in piscinas demissis, abunde indicaverat. Id mihi in memoriam revocavit vetus Scriptura ab Ursino de optimo libro deprompta: *aera* pro *aram*, ex quo una litera mutata fit *aena* pro *ahena*; quia Varronem aspiratione non delectari jam notum fecimus. Itaque alia uva in *aena* immergitur, *ut in carnarium ascendat*. Quod docet Varro, ex Columella confirmabo: *deinde aheno vel in olla nova fictili ampla præparatam lixiviam cineris sarmenti*

menti calefieri convenit, quæ cum fervebit, exiguum olei quam optimi adjici & ita permiſceri; deinde uvas pro magnitudine binas vel ternas inter ſe colligatas, in ahenum fervens demitti, & exiguum pati dum decolorentur, nec rurſus committere, ut excoquantur.

A vindemia ad Oleam legendam veniamus, & ad eum quem ſum pollicitus, depravatum Nonii locum indicandum. Affirmat Varro oleam melius nudis digitis legi quam cum digitabulis; *durities enim eorum non ſolum ſtringit bacam, ſed etiam ramos glubit, ac relinquit ad gelicidia retectos.* Cum duo incommoda, quæ, dum baccæ cum digitabulis leguntur, contingunt, Varro collegiſſe videatur, unum quod ad ramulorum læſionem ſpectat, videmus, alterum ſub obſcura luce cernimus, & eſſe reor quod digitabulis inducti baccas multas ob ipſorum duritiem præteribant. Hoc igitur ut lumen capiat, addendum quid negandi vim habens, ſeu *non ſolum non ſtringit vacam.* Verum enimvero hic eſt locus quem Nonius in voce *ſtringere* expreſſit, omnium vitioſiſſimus: *Varro de R. R. lib. 1. quod non ſolum celeriter præterire ſtringere vocant, ſed etiam re tranſglubit.* Apparet *celeriter præterire* ex margine ubi quid ſignificaret *non ſtringere bacam*, adnotabatur, inter Varroniana eſſe collocatum. *Stringere* autem *vocant* cenſebat Victorius vitiatum de *ſtringit vacam* (ſic enim *baccam* in antiquis libris) ſimiliter nos *re trans* reliquias *ramos* putamus. Hinc deducitur quo tempore iſta ſcribebantur, particulam *non* de Varronis contextu nondum fuiſſe exemptam; quippe Varronianis utebatur Nonius, ut *ſtringere* eſſe *decerpere* oſtenderet; propter quod Virgilianum carmen *ex 1. Georg.* adducebat:

Sed tamen & quernas glandes nunc ſtringere tempus,
Et Lauri baccas.

In verbo item *glubere* eadem ex Varrone retulit Nonius: *Durities enim ea quod non ſolum ſtringit baccam, ſed etiam ramos glubit.* De quibus quid conjiciam, animadvertito. Perpendenti mihi in Varrone eſſe *eorum*, in Nonio *ea quod*, cumque iſtud *quod* minus neceſſarium habeam, neſcio quid portendere viſa eſt ſcripturæ diverſitas. Si ab *eorum* ſubducto *ea*, *rum* in *non* vertamus, perfecta ſententia erit, duriuſcula tamen, niſi *ſolum* inter utrunque *non*, ut antiquitus ſtabat, collocetur.

Ut hæc non minima cauſa eſt quod oliveta dicant alternis annis non ferre fructus, aut non æque magnos. Hoc modo ad Victorium noſtrum recepta & probata fuerunt, quibus & Varronis præceptum depravatur, & Oleæ natura invertitur; efficiunt enim, ut hæc præcipua ſit cauſa, quod

quod dicant alternis annis oliveta non ferre fructum, aut non æque multum. Quod aperte falsum; Oleæ siquidem, ut Mali, aliæque stirpes plurimæ alternis annis fructu exuberant, ut segetes quas restibiles faciunt. Hoc omnibus agricolis exploratum est, & traditum etiam ab antiquis, qui læsam a legulis Oleam fructus alternare opinabantur. Propter quod illa Catoniana lex: *Oleam ne stringito, neve verberato.* A Catone Varro sumpsit, & ab hoc Plinius. Aloysius etiam Alamannus tam Oleæ indolem quam Varronianum monitum libro cui titulum fecit; *La coltivazione*, IV. versibus quos subjiciam, vernaculæ consuetudini reddidit:

Muovansi adunque all' or la sposa e i figlii
A dispogliar l' Uliva, e pongan cura
Che si coglian con man senza altra offesa:
Pur quando forza sia, battendo in alto
Farle a terra cader, men sia dannosa
Del robusto baston la debil canna,
Ma dolcemente percotendo in guisa
Che 'l picciol ramuscel con lei non vegnia;
Perchè vedresti poi qualche anno appresso
Steril la pianta; & è credenza in molti
Che ciò sia la cagion, che il più del tempo
Il secondo anno sol ci apporte il frutto.

Victorius item noster eo volumine quod inscripsit *delle lodi e della coltivazione degli Ulivi*, non absimili modo Varronem imitatur: *ed erano d' opinione alcuni che la negligenza usata in questo fosse in non piccola parte cagione, che gli Ulivi non rendessero frutto, se non de' due anni l' uno, o molto poco.* Hic itaque primus alteram negandi particulam ex veteri libro eruit, Varronique præposuit: *Nec hæc non minima.* Quo factum est, ut, læsa Olea, fructum alternari intelligamus, ut censuerat Varro, & docuerat.

Postea quam olea ut de arbore descendit, vidimus, quo etiam lecta importetur, videamus: *Olea ut uva per idem bivium redit in villam, alia ad cibum eligitur, alia ut liquescat.* Horum duo ex vetustis libris damnantur *redit* & *eligitur*: illud *cedit* est, quod etiam Jensonius suscepit, nempe *it*, ut Lucilius apud Nonium:

Quandoque pudor de pectore cessit.

Varro *Parm. Cedit velocibus juvenis membris, levis, nitidus oleo.*
Plautus *Pseud.*

Non prorsus, verum ex transverso cedit quasi Cancer solet.

Hinc

Hinc *accedo*, *recedo*, *discedo*. Alterum *eligitur* ab Aldo electum (cui & primum *redit* est attribuendum) primis temporibus in excusis fuit *datur*, quod ad vetustiora non impressa propius venit, in Veneto enim exemplari *legatur*, in Cæsenate *ledatur*, in Victoriano vetustissimo & probatissimo *lædatur* habemus. Quod optimum judicaveris sciens oleas ad cibum contusas condiri, ut Varro ex Catone ostendit: *oleas esui optime condi scribit Cato orcites, & pauseas aridas vel virides in muria, vel in Lentisco contusas*. Et Columella: *acerbam pauseam mense septembri vel octobri, dum adhuc vindemia est, contundes*. Quare in villam cedit olea ad cibum, ut *lædatur*, sive mavis *cædatur*; quamvis illud præstare etiam eo nomine crediderim, quod alias olivæ condituras complectitur: sive enim contundas, sive acuta Arundine inseces, ut mos fuit veteribus, eodem Columella auctore; sive sale, & muria maceres, semper lædis, cum uva quæ ad cibum eligitur, integra condatur. Verumtamen sive *lædatur* sive *cædatur* sive a Morgagno nostro proditum *laudatur* (hoc etiam a te negligi nolo) sequeris, magis id quam tertium a Scaligero propositum præstabit. Quid tertium, inquies? Quod tertium? Dicam & quam brevissime, nihil. Ille, ut tales quæstiones de medio tolleret, atque ab inani hac cura posteros liberaret, illud verbum quacumque figura efformatum subduxit atque abiecit.

Atque hæc ad conditivam oleam referuntur, ad eam quæ liquescit, ista: *ac primus quisque acervus demittatur per serias ac vasa olearia ad trapeta, in quæ eam terent molæ olearie duro & aspero lapide*. Quæ inter excusa pessimæ notæ censenda sunt: neque mirum; ab Aldo enim. Reponerem antiqua, non omnia tamen, sed quousque videbitur: *ac primus quisque acervos demittatur per sena ad vasa olearia ac trapetas*. Sic deprompsit Victorius, sic in Florentino, & Cæsenate exemplaribus extat, sed in hoc etiam *acervos*. *Sena* autem vasis genus, ex qua voce deceptus Crescentius *in sex partes* exposuit, meque in errorem adduxit. Reliqua in antiquis sunt hac forma: *Quæres molæ olearie e duro & aspero lapide*; quæ aliena, & vana esse facile ostendam. Commentator quidam scripserat in margine: *Quæres*, scilicet, quid sit trapetum? Sunt *molæ olearie e duro & aspero lapide*. Insecutus librarius inter Varroniana recepit, optimumque scriptorem perturbavit. Varro enim quemadmodum uvam ad forum vinarium, & dolia usque persecutus est; ita oleas ad trapetum.

De amurca pauca subiicit Varro; quoniam nimis multa a Catone: *Cum is humor modicus cum ad multas res, tum ad agriculturam pertineat vehementer*. Quid *modicus?* Potius *medicus*; utebantur enim amurca in

pecu-

pecudum curatione; item ad ægras, & retorridas Oleas eandem, ut convaleſcerent, effundebant.

De legendo fructu copioſe ſcripſiſſe ſentio. Protinus de condendo, de quo quintum gradum fecit Varro, agam.

Condendis frugibus ac ſervandis cum aliæ regiones alia loca conſtituant, atque alia, ut ſpeluncas quædam, quas vocant σείρους, ut apud nos in agro Piſano fit, & in ipſa urbe ſunt permultæ hujuſmodi; ut puteos aliæ, *quorum ſolum paleis ſubſternunt*. His addit ex Varrone Creſcentius & *latera*. Verum, cum moneat nos Varro, qui puteos effodiunt, curare, ne humor, aut aer interiora tangere poſſit, ſatis cautum & proviſum videtur. Præterea granaria ſublimia in eundem uſum faciunt, in hac Ciſalpina Gallia ob ſoli uliginem frequentiſſima, & ſola. De quibus Varro hæc prodit: *ſupra terram granaria in agro quidam ſublimia faciunt, ut in Hiſpania citeriore, & in Apulia. Quidam quæ non ſolum a lateribus per feneſtras, ſed etiam ſubtus a ſolo ventus regelare poſſit*. In quibus duo culpanda videntur, importuna interpunctio, ſive rectius divulſio, & alterum *quidam*. Neque tamen laudandus Aldus, quod utrunque ſuſtulerit edendo: *in Apulia, ita ut non ſolum*; in unum enim fortuito, dum alterum nobis imponere ſtudet, offendit. Quid quæris? ſine veterum ope aliquantulum eſt negotii. Sed hoc auxilio non caremus; nam in Cæſenate libro non *quidam* invenitur, verum *quedam*. Quod ut accepimus, continuo locum correximus: & *in Apulia quædam, quæ non ſolum a lateribus*.

Condito fœno, & frumento, leguminum cuſtodia adjungitur: *Faba legumina in olearíis vaſis oblita cinere perdiu incolumia ſervantur*. Cum Faba legumen ſit, conjunctio & inſerenda eſt. Creſcentius paulo uberior: *Varro ſcribit quod Faba & cætera legumina*. Sed Plinius & tantum, quod propoſui, quodque etiam Jenſonius expreſſit, de Varrone refert. Idem Plinius meminit memoriæ proditum a Varrone Fabam a Pyrrhi regis ætate ad bellum Pompejanum piraticum in quodam Ambraciæ ſpecu reconditam per annos circiter CXX. duraſſe. Floruit Pyrrhus circa annum U. C. CCCLXX. ideoque ſcribendum in Plinio: *annis circiter CCXX.* uſque ad piraticum bellum.

Et hæc quidem jam antea ad vetera exempla non reſpicientes primo obtutu vitiata cognovimus: at de ſervandis pomis quæ habemus: *mala Cotonea, Strutea in penſilibus junctis ſervari*, niſi extremi *junctis* diſſimilem formam, nempe *vinctis* de vetuſtiſſimo libro eruiſſet Victorius, quis refelleret? Quis autem *vinctis* fuiſſe *vinctuis* oſtenderet, ſi nomina quæ in *us* per patrium caſum enunciamus, in *uis* a vetuſtiſſimis pro-

ducta ignoraverit? Igitur *vinctuis* a *vinctus*, & hoc a vinciendo; quod vimine intexitur.

Punica mala & in arena jam decerpta, ac matura, ut dixi, & etiam immatura cum hærent in ſua virga, ſi demiſeris in ollam ſine fundo, eamque ſi conjeceris in terram, & obteris circum ramum, ſi extrinſecus ſpiritus afflet, ea non modo integra eximi, ſed etiam majora, quam in arbore unquam pependerint. Non omnia ex antiquis uno tempore aſſequi poſſumus. Itaque fidentius nunc de ſervandis Punicis ſcribam, quam olim. Principio *obteris circum ramum* indicare puto circa ramum terram eſſe comprimendam ad includendum ſpiritum; nam, ut tradit Theophraſtus, quem imitatur Varro, poma creſcunt ex interno ſpiritu quem terra emittit (propterea ſine fundo jubet eſſe ollam Varro); & ex retento humore, quem aer, ac ſol, dum in arbore pendet pomum, detrahunt; ſed cortice tantum augentur. Deinde: *ſi extrinſecus ſpiritus afflet*, duplici via conſiderandum eſt; ſi ad Theophraſtum reſpicimus, quem ſequitur Varro, *intrinſecus* malumus; ſi ad Plinium qui a Varrone exiſtimatur ſumpſiſſe *ſpiritu excluſo*, *ſi* in *ni* mutare cum Creſcentio juvat. Quid tu mihi auctor eris, ſequar; ſiquidem ſine controverſia aliquid in hoc loco audendum eſt; quoniam vel *extrinſecus* fateberis vitiatum, vel *ſi*. Ego a Theophraſto (ſi, quid ſentiam, aves ſcire.) non recederem; præſertim cum excludat ſpiritum terra circum denſata, atque internum vaporem, effracto ollæ fundo cum Theophraſto admittat Varro. *Si* igitur *intrinſecus ſpiritus adflet* (ita *afflet* ex utroque Florentino codice habeo) creſcunt poma.

De Olivitate, oleas eſui optime condi ſcribit Cato Orcites & Puſeas aridas vel virides in muria, vel lentiſco contuſas. Hujuſmodi ſcribendi formulas quibus Varro tanquam argumentis exorditur, *de pomis: de oliveto: de olivitate* ſecus nunc habeo, ac ſolebam; eaſdemque ab inſequentibus ſejungo: *De pomis: conditiva. De oliveto: oleam quam. De olivitate: oleas eſui.* At quid de *aridas* ſcribam? *Albas* crediderim; oleæ enim vel albæ condiuntur, vel nigræ. Idcirco, ut inſequentia: *Orcites nigræ, ſale ſi ſint confricatæ*, nigras condiri indicant; ita illa *albas* opinor. Sed quid coniicio? Capite lxv. oleas albas de conditura non promit, quæ albæ non promerentur, niſi albæ conditæ? Cato tamen, a quo Varro, albas non nominat. Scilicet ex vitiato Catone non vitiatum Varronem dabis? Sane capite cxvii., & cxviii. albas Cato & vocat, & condit. Columella ſimiliter albam Pauſeam, Orchitem, Radiolum, ac Regiam olivas in conditura contundit. Porro albas olivas proportione dicimus, cum ex viridi colore quid remittunt perfectam magnitudinem nactæ.

Ulti-

Ultima condendarum frugum cura amurca eſt; quoniam ut ſcribit Varro, *recte amurcam periti agricolæ tam in doliis condunt, quam oleum & vinum*. Hæc a Victorio ſunt, qui, cum in antiquis legiſſet *in oleis*, caſtigavit *in doliis*. Ego (ſi licet a tanto viro recedere) mallem vetera *in oleis*, id eſt *in ollis*, vetuſtiſſimis nec *l* nec cæteras literas, quas liquidas appellant, geminantibus. Et *oleis* quidem, ut *noneis*, *ſecundeis*, *proxſumeis*, & ſimilia. At uſus condendæ amurcæ repugnat, & dolia amurcaria recenſet Cato? Alii alia ſequuntur, & probant. Certe Varro capite LXIV. amurcam in fictili vaſe, nempe in olla, conditam oſtendit, & Columella lib. I. expreſſæ amurcæ ſaniem in hortum ex ollis effundit.

Poſtremum quod in hoc librō exſequitur Varro, de promendis fructibus facit: de quo ut perpauca indicavero, & libro & epiſtolæ modum ſtatuam. *Promunt*, ait, *condita*, *aut propterea*. Vis mendum in *promunt* cognoſcere? Vetera quæ in cunctis manuſcriptis libris legit Victorius, quæque etiam Jenſonius exſcripſit, contemplator; *primum* eſt. Quid refert, inquies? Aiſne nihil referre? Non vides id ex *promundum* contrahi, quamque Varronianum ſit; *promundum condita?*

Ut amurca depuretur, videamus: *tum decoquunt in aheneis leni igni duas partes quoad regerunt*. Optimus liber non *leni igni* exhibet, ſed *leni lignis*; ex quo coniicio *cremi lignis* (quibus ad decoquendum muſtum utitur Columella, ac *gremia* appellat) ideſt tenuibus lignis.

Etſi hoſpes tuus hoc anno te ab hac moleſtia liberavit, tamen quo tempore promendum ſit vinum, tibi ex Varrone indicabo. *Si vetus bibere velis quod non fit ante quam acceſſerit annus, tum cum fuerit anniculum, prodit*. Quam diverſus ab his Victorii codex? *Quod non fit ante quam acceſſerunt, anniculum promito*. Indicare videtur auctor vinum non dici vetus, quod multos conſules numeret; ſed anniculum etiam eſſe vetus. Quibus ſui temporis mores objurgat. Verera tamen non ſine vitio ad nos pervenere; quod tollitur facile, ſi legamus: (*Quod non fit, anni quum acceſſerunt*) *anniculum promito*.

Oleas albas quas condideris, novas ſi celeriter promas, niſi condideris, propter amaritudinem illas reſpuit palatum. Male diſtracta, languida fiunt: rectius: *oleas albas quas condideris, novas ſi celeriter promas, niſi condideris propter amaritudinem, illas reſpuit palatum*. Si *novas* videlicet nondum maceratas cito deprompferis, niſi, ut amaras habeas, condideris, in os propter amaritudinem recipere non poteris.

Hæc ſunt præcipua quæ in primo Varroniano libro majorem interpretum editorumque diligentiam prudentiamque deſiderare viſa ſunt, at-

que utinam talia, quæ abs te ſine tædio legantur. Quod ſi contigerit, antequam graviora patiaris, tuum erit nos admonere, modumque ſtatuere. Jam ſubeſt tempus quo ad publica munera vocor. Hoc profectio noſtra ad Alpes continget. Itaque ad II. Varronianum volumen non prius deſcendam, quam hiems me in hibernacula coegerit. Interea tamen te videbo; nam proficiſcens prima caſtra tecum metari conſtitui. Vale.

D. Patavio VII. Cal. Maii. CIↃ IↃCC XXXII.

EPISTOLA XIV.

Ut Varro de temporum ratione agens emendetur, quid præſtandum ſit.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

BInas epiſtolas a te ſcriptas a. d. V. Cal. Decembr. accepi: unam quam Joannes Baptiſta a Valle, ut tui obſervantiſſimus, ita amantiſſimus mei, ſtudiorumque noſtrorum ratione utrique noſtrum cariſſimus tertio die poſtquam acceperat, reddidit: alteram quam heri ſcripſiſti, per tabellarios. Ad illam, utpote breviſſimam, quamvis humanitatis & amoris erga me plenam quid reſpondere poſſum, quando tua ſumma ac ſingularia in me ſtudia nulla verborum vi, nulloque ſcribendi officio aſſequi valeo? Venio itaque ad hanc, cui non ut reſpondeam, ſed ut ſatisfaciam, jubes. Egone tibi tam acri judicio ac tanta prudentia prædito in re adeo obſcura, adeo difficili, adeo ab iis ſtudiis quibus unice addictus ſum, remota, ſatisfacere poſſum? Quid quod ſubinde juſſis preces immiſces? *Noli*, inquis, *mi Juli, hoc tui ingenii ſpecimen mihi invidere; ex illis quæ ad me tam accurate diligenterque hactenus ſcripſiſti, quibus maximopere ſum delectatus, perſpectum habeo de veteri temporum diviſione quam diligentiſſime eſſe ſcripturum. Quare etiam atque etiam hoc abs te rogo; quin imo (quoniam tantum mi tribuis) jubeo.* Quibus omnem negandi mihi præcluſiſti locum. Egone tibi quicquam negare potero? Egone tibi,

O decus, o famæ merito pars maxima noſtræ?

Sed qui, ſi non inficior, mandata præſtabo? Quibus humeris tantarum rerum molem ſuſtinebo? Quibus præſidiis a tantis difficultatibus erro-

erroribusque me extricabo? Equidem quid consilii capiam, non video; & siquid video, tamen in id animus inclinat, ut tuæ voluntati succumbam. Gerendus itaque tibi mos est; verum ita gerendus, ut verear maxime, ne, quidquid sum scripturus, ut legeris, nullam causam ex qua tam solicite efflagitares, cognoscas. Profecto magnum quid ac prope maximum est, quod poscis. De Julii enim anni partibus quis agere poterit, nisi prius de ipso anno scribat? Hunc autem noscere, certa ratione definire, & a quo ducere, & quo, altioris quam putas, indaginis videtur. Nonne Julius Cæsar menses pleniores reddidit? Nonne dies LXVII., ut tempora in pristinam sedem revocarentur, intercalavit? Ergo menses superiori ætate qui fuerint, & tempora quo pertinerent, inquirendum. Quid de intercalatione? Cur VI. cal. Mart. interposuit, quæ perfecto mensi adiicienda erat, absolutoque anno? Quid vero de anni principio? A calendis Januariis annum incepisse omnes fatentur. Hoc si verum, intercalandi quidem tempus ad illud exordium non spectat. Cuinam igitur attribuemus, nisi veteri anno? De mensibus propterea, de temporibus, de intercalatione, de anni initio, quibus totius quæstionis ratio concluditur, ut superiori ævo mos obtinuit, cognoscere debemus. Porro quid de veteri anno quod a te probetur, commentari possum, de quo cum multi præstantes ingenio scriptores agere instituissent, vel parum vel nihil profeciisse videntur? Quod certe non illis vitio dandum existimo, sed materiæ, de qua certa nulla exstant monumenta, nullæ literæ, auctores quos sequaris, nulli: ut deplorandum sit, Romanam Remp. quæ diutissime floruit, atque in immensum imperium excrevit, doctissimis quoque civibus illustrata, ita penitus periisse, ut quo anno usa fuerit, a quo initio duxerit, quo fine clauserit, pro certo statuere non possimus. Nam scriptores quos habemus, etsi parum a reip. temporibus remoti fuerunt, multis præterea libris, historiis, monumentis quibus hac ætate caremus, edocti, tamen nec rationi consentanea neque inter se cohærentia tradiderunt. Quæ dum mecum ipse considero, diligenterque perpendo, quam vereor ne inani atque inutili labore ad id quod jubes, connitar; difficile enim est facultate consequi, quod cogitatione complecti non valeas. Age, age, scribam tamen, & ad tuum arbitrium ac voluntatem totum me fingam, & componam. A primis igitur temporibus primigeniam annorum formam repetam, & per Romulum, deinde per Numam, tum per reliquos reges, demum per universos Reipubl. consules vagabor. Omnia sedulo colligendo, & ad examen revocando totus in eo ero, ut alicubi siqua veritatis lux appareat, eo me conferam, ibique assideam, tota arcessita antiquitate.

Quid

Quid autem tanto rerum apparatu præſtiturus ſim, dum ſpes ipſa infringitur, & langueſcit induſtria, non video. Hoc tantum polliceor & recipio, quod mandaſti, pro mea diligentia & ſedulitate curaturum. Porro autem quando principia quæ Romani ſecuti ſunt, prius cognoſcere oportet, ſiquid ad tuum judicium elaborare geſtio, in Latio non conſiſtam, ſed ad externas gentes enavigabo. Quo vero ſim appulſurus, cum conſtituero, ſcribam ad te. Interea tua benevolentia, fauſtiſque ſtudiis

Timidæ dirige navis iter.

Et vale.

D. Patavio Prid. id. Decemb. CIↃ IↃCC XXXII.

EPISTOLA XV.

De Chaldaica dieteride, ejuſque principio in anno noſtro, qua Græci & Romani uſi ſunt.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

JUre ac merito primos prudentiæ honores Ulyſſi Græcus vates attribuit, qui graviſſimæ fortunæ telo exagitatus, longe a patria oberrans terras multas peragraverit, varioſque hominum mores & ingenia perſpexerit. Quorum uſu edoctus tot pericula tuto adiit, ſeque ab omnibus expedivit, neque in patriam reverſus cum domus procaci turba obſideretur, inſidiis ſuccubuit (ut Agamemnon imperio & gloria potens, verum minus prudens) ſed provido conſilio, & mentis calliditate inſidiantes evertit, & ante cepit, quam caperetur. Si licet ſumma cum infimis componere, mihi id fortunato evenit, poſtquam, relictis iis quæ de antiquis Latinis & Romanis tradebantur, externos mores Græcos barbaroſque cognoſcere inſtitui, atque ex Italia cedens tanquam ad longinquas gentes enavigavi. Chaldaica enim & Bœotia inſtituta atque Ægyptia ad Romanum annum & Julium, quos expetis ſcire, maxime pertinere deprendi. Quare, antequam ad id, de quo ut ſcriberem, tuæ poſtremæ literæ a me efflagitarunt, veniam, de Chaldaico ac Bœotio aliarumque gentium annis, ac cœleſti diſciplina pro noſtra diligentia eſt inquirendum. Neque tamen ad iſta propero, ut faciliora, ſed neceſſitate quadam rapior; ex obſcuriſſimis enim principiis, quæ ſæpe inquirentem in contrarium ferunt, & ancipiti conjectura huc & illuc traducunt, eruen-

eruenda ſunt omnia, atque adverſus communem hominum ſententiam in ordinem revocanda. Quapropter de Chaldaico anno primum, utpote antiquiori, deinde de Bœotio; uter enim difficiliorem habeat perquiſitionem, quamvis haud compertum habeam, Chaldaicum tamen vetuſtate præire conſtat. Non ignoro plures, quos majores noſtri ſummis laudibus proſecuti ſunt, extitiſſe, qui de Eudoxi anno (qui ſane Bœotius) ſcripſerunt, quam qui de Chaldæorum: tamen non minorem mihi afferunt difficultatem plura, quam pauca. Quin illa magis obſunt, quia plura. Nihilominus hoc me ſolatur ac reficit, quod iſti a vero quod unice ſpectamus, procul receſſiſſe videntur; idcirco ſupervacaneum duco eorum placita refellendo a recta declinare. Illud etiam plurimum me recreat, animumque ſubminiſtrat, quod tibi ſcribo, te auctore, & duce; tuæ quippe humanitati confido fore, ut me in iſto novo ſcribendi genere & labantem erigas, & aberrantem admoneas; quæque vel imprudens prætermiſero, vel minus appoſite fuero interpretatus, aucta remittas ac meliora.

Annum Chaldaicum, cujus dubia & incerta fama apud nos vagatur, non Babylone evocabo, aut ab iis qui infirmas hominum mentes numeris & lineamentis aucupantur, & inani pollicitatione animos perſtringunt. Sed a receptis & probatis hiſtoriis, quæ reliquias quaſdam, & velut lacinias cuſtodiunt, deducam. Ante omnia tamen inter neceſſaria eſſe arbitror, quid Plutarchus in libro qui argumentum præ ſe fert περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ Ψυχογονίας, de Chaldæis tradit, tibi exſcribere: χαλδαῖοι δὲ λέγουσι τὸ ἔαρ ἐν τῷ διὰ τεσσάρων γίνεσθαι πρὸς τὸ μεσόπωρον. ἐν δὲ τῷ διὰ πέντε πρὸς τὸν χειμῶνα· πρὸς δὲ τὸ θέρος ἐν τῷ διὰ πασῶν. Annus igitur ut in quatuor partes, quæ ea ratione quam commemorant, inter ſe referantur, dividatur, diebus cccl. neceſſario concluditur, ex quibus, ſi lx. Veri attribuantur, æſtati cxx., autumno lxxx., hiemi xc., verni dies lx. ad autumnales lxxx. ἐν τῷ διὰ τεσσάρων ſpectant: ad hibernos xc. ἐν τῷ διὰ πέντε: ad cxx. æſtivos ἐν τῷ διὰ πασῶν, nempe ratione ſeſquitertia, ſeſquialtera, dupla, quibus modis perfectam harmoniam abſolvi non te latet. Annus itaque hujuſmodi nulla ſolis lunæque ſocietate inſignis intercalationem alternis annis dierum xxx. requirit, & quarto quoque anno diem qui ex quadrantibus conſtat, inſuper poſcit, ut ſolis annuum intervallum aſſequatur. Quis feret hæc? Nemo profecto qui, quod a vulgari ſenſu receptaque conſuetudine abhorret, continuo damnat. Tamen apud Chaldæos, apud Lydos, apud Græcos, apud Romanos etiam uſitatus fuit & popularis. Non temere conjicio, verum quod propoſui, ordine exſequar, & confirmabo.

mabo. Verumtamen Solonem cum Crœso Lydorum rege apud Herodotum loquentem audiamus: ἐς γὰρ ἑβδομήκοντα ἔτεα ἔρον τῆς ζόης ἀνθρώπῳ προτίθημι· ἔνι ἐόντες ἐνίαυτῷ ἑβδομήκοντα παρέχονται ἡμέρας δισχοσίας, καὶ πεντακισχιλίας, καὶ δισμυρίας, ἐμβολίμου μηνὸς μὴ γενομένου· εἰ δὲ δὴ ἐθελήσει τὸτερον τῶν ἐτέων μηνὶ μακρότερον γίνεσθαι, ἵνα δὴ αἱ ὧραι συμβαίνωσι παραγινόμεναι ἐς τὸ δέον, μηνὲς μὲν παρὰ τὰ ἑβδομήκοντα ἔτεα οἱ ἐμβόλιμοι γίνονται τρίακοντα πέντε· ἡμέραι δὲ ἐκ τῶν μηνῶν τούτων πεντακόσιαι πεντήκοντα· ταύτων τῶν ἀπασέων ἡμέρων τῶν ἐς τὰ ἑβδομήκοντα ἔτεα ἐοσέων πεντήκοντα καὶ δισχοσίων καὶ ἑξακισχιλίων καὶ δισμυρίων, ἡ ἑτέρη ἀντέων τῇ ἑτέρῃ τὸ παράπαν οὐδὲν ὅμοιον προσάγει πρῆγμα. Hæc eſt illa anni forma quam Herodoto vitio vertunt, dum reprendunt quod non intelligunt. Quæ tamen integra ad nos non pervenit, non auctoris, ſed ævi librariorumque culpa. Id facile cognoveris, ſi dierum $\overline{\text{xx}}$. $\overline{\text{v}}$. ccl. ſummam quos per annos lxx. cum intercalariis menſibus colligit Solon, per eundem numerum lxx. ſecaveris; dies enim ccclxxv. ſingulis annis attributos invenies decem amplius (nam quadrantes negligi videntur) quam annuo curſu ſol peragit, atque adeo lxx. annorum ſpatio dies dcc. ſupereſſe notabis. Attamen diligenti & accurata ratione, receptis diebus etiam intercalariis hæc ſupputantur. Cum igitur vitiata noſcantur, qua via reſtitui & purgari poſſint, apponam. Etenim per annos lxx. cum menſes intercalares quinque ſupra triginta Solon recenſeat, ex quibus dies dl. colliguntur, his in menſes xxxv. digeſtis, menſes intercalares tricenorum dierum eſſe inveniemus. Tunc menſibus qui alternis annis intercalabantur, bifariam ſectis, ſingulis annis dies xv. deficere, & annum ab Herodoto deſignatum dierum eſſe cccl., quot Chaldaicus finitur, cognoſces. Quare dies, qui de annis lxx. aggregantur, remotis intercalariis, non $\overline{\text{xx}}$. $\overline{\text{v}}$. cc., verum $\overline{\text{xx}}$. $\overline{\text{iv}}$. d. recenſentur. Propterea non δισχοσίας καὶ πεντακισχιλίας καὶ δισμυρίας ſcribendum autumo, verum: πεντακοσίας, καὶ τετρακισχιλίας, καὶ δισμυρίας, ſive potius per ſimplices notas in quibus facilius peccant librarii, κ, δ, φ'. Similiter adjectis intercalariis, non πεντήκοντα καὶ δισχοσίων καὶ ἑξακισχιλίων καὶ δισμυρίων, ſed πεντήκοντα, καὶ πεντηκοσίων, καὶ πεντακισχιλίων καὶ δισμυρίων, vel κ, ε, φ' ν'. Jam liquet Lydos a Chaldæis edoctos anno dierum cccl. uſos (non enim Solon alienum & ignotum annum in exemplum Crœſo adduxiſſet) & alternis annis dies xxx. interponendo curaſſe, ut ſolis curſus cum anno conveniret. Hujuſmodi quoque anni naturam prodere in Heliacis videtur Pauſanias, dum refert Lunam ex Endymione Jovis & Protogeniæ Deucalionis filio L. filias ſuſcepiſſe; nam ſi numerum cccl. per ſeptenarium feces, L. hebdomadas habebis.

bis. In Plutarchi etiam libro qui de *Iſide*, & *Oſiride* titulum gerit, traditur apud Ægyptios in fabulis eſſe Mercurium Lunæ victorem ἀφελόντα τῶν φωτῶν ἐγκάτα τὸ ἑβδομηκοστὸν, ἐκ πάντων ἡμέρας πέντε συνελθεῖν, καὶ ταῖς ἑξήκοντα καὶ τριακοσίαις ἐπάγειν, αἱ νῦν ἐπαγομέναις Αἰγύπτιοι κάλλυσι. Si pars Lunaris anni ſeptuageſima prima (puto enim a Plutarcho ſcriptum τὸ ἑβδομηκοστὸν πρῶτον) eſt v., hoc exempto, dies cccl. anno ſuperſunt. Late igitur patuit Chaldaicus annus. Jam vero idem hiſtoriæ parens, & magiſter Herodotus, poſtquam Ægyptios commendaſſet, quod ſoli veram anni rationem non intercalando aſſecuti eſſent, non adjecit longe ab illis univerſos Græcos aberrare, qui tertio quoque anno ad æquandum ſolis motum intercalarem menſem inducunt? Quod Chaldaico anno fieri compertum, ſive dieteris ſive tetraeteris adhibeatur. Quid enim tetraeteris, niſi geminata dieteris intercalarium diem, qui ex quadrantibus conflatur, ſibi extremæ admittens? Namque ad octeateridem quis id retulerit, quæ III., V., VIII. anno intercalando redintegratur? Quis vero ad annum lunarem dieſque CCCLIV., niſi ſi alternis annis dies XXII., alternis XXIII. extrinſecus evocaverit, ut de anno Romano nonnulli ineonſulto tradiderunt? Cum itaque antiquiſſima eſſet hæc anni regula, qua vernum tempus breviſſimum, atque autumnale quo intercalatio agebatur, alternis annis dies CX., alternis XXC. ferens, inæquale, de eadem Ovidii Muſam Metamorph. lib. I. eeciniſſe opinor:

Jupiter antiqui contraxit tempora veris,
Perque hiemes, æſtuſque, & inæquales autumnos,
Et breve ver, ſpatiis exegit quattuor annum.

Sed jam opportunum eſt de ipſo anno ſingillatim ſcribere, parteſque nimirum menſes, & tempora, ac cardines inquirere, atque ex quo principio ducatur, diligentius ſtatuere. Anno itaque diebus CCCL. circumſcripto, X. menſibus dies undetriceni aſſignandi ſunt, duobus triceni; ideo primus annus a ſole ſubſedit per dies XV., alter, appoſito intercalario menſe, in ſolis rationem redit. Propterea ſacra nonnulla in Græcia, quæ poſt duos ſolis annos inſtaurabantur, ut Bacchi Myſteria, Nemea, atque Iſthmia hoc ſpatio inter ſe diſtabant. Bis ducta dieteris Olympiadum & Pythiorum ambitum dabat, ſive Romanum luſtrum. Quare Chaldaicus annus ſolari biennio perficitur, & dieteris dicendus.

His breviter conſtitutis, de anni exordio ſequitur, quo uſi ſunt Chaldæi; quo enim Græci & quo Latini, in ſuum locum producam. A matutino Canis ortu Chaldaicum annum exordiri, ea quæ a Ptole-

mæo continuo afferam, oſtendunt. Anno, ait, Chaldæorum lxvii., a Nabonaſſaro autem div. menſis Apellæi die v., & Thoth die xxvii. extrema noctis tempeſtate, ſtellis adhuc ſplendentibus, videlicet circa horam nocturnam æquinoctialem xii ſolem Nepæ partem xxiv. L'. ſubire viſum. Incidunt calendæ Apellæi xvii. cal. Decembr. ſole in Scorpionem vii. cal. Novembr. tranſeunte. Quare menſis iii. qui Dius erat (Macedonum enim menſes tunc Babylone in uſum recepti erant,) Apellæo proximus xvi. cal. Nov. inchoatur dies xxix. complexus. Secundus autem Hyperberetæus dierum item xxix. ex a. d. xiv. cal. Octob. exiſtit. Igitur primus Gorpiæus cui dies xxx. damus, xiv. cal. Sept. principium capit. Talis annus alter in dieteride habendus; quoniam a Nabonaſſaro div. par. Anno item Chaldæorum lxxv., Nabonaſſari dxii., Dii menſis die xiv., Thoth autem die ix. obſervatum eſt Babylone ſolem Scorpionis partem v. x' eadem hora obtinuiſſe. Gorpiæi & anni exordium idem invenitur. Duodecim quoque cœleſtis orbis ſigna ſol hoc modo ingreditur:

Cancrum ex a. d. vi. cal. Quint.	Capricornum ex a. d. ix. cal. Jan.
Leonem ex a. d. vi. cal. Sext.	Aquarium ex a. d. x. cal. Febr.
Virginem ex a. d. vi. cal. Sept.	Piſces ex a. d. viii. cal. Mart.
Libram ex a. d. vi. cal. Oct.	Arietem ex a. d. ix. cal. April.
Scorpionem ex a. d. vii. cal. Nov.	Taurum ex a. d. viii. cal. Maji.
Sagittarium ex a. d. viii. cal. Dec.	Geminos ex a. d. vii. cal. Jun.

Nam ex veteri aſtronomia in ſingulis ſignis Arietis, Geminorum, Cancri, Leonis ſol diebus xxxi. moratur, in Tauro xxxii., in Scorpione xxix., in reliquis xxx. Annis itaque Chaldæorum imparibus, & paribus a Nabonaſſaro annus ex a. d. xiv. cal. Sept. digreditur: paribus igitur, ſive a Nabonaſſaro imparibus ad prid. non. Sext. per dies xv. contrahitur, quod dieteridis principium notabis. Id vero ex eodem Ptolemæo perſpicuum reddam. Anno Chaldæorum lxxxii. Nabonaſſari dxix. die menſis Xanthici v., & Tubi die xiv. memoriæ proditum eſt extrema nocte ſolem ad vi. x' Piſcium partem acceſſiſſe. Xanthici menſis viii. principium ex a. d. iv. cal. Mart. habetur, adeunte Piſces ſole x. cal. eaſdem. Quod vitio Ptolemæum depravatum oſtendit; quippe cum ſol in Scorpionem introitum faciat ex a. d. vii. cal. Novembr. Piſces colluſtrari incipiunt ex a. d. viii. cal. Mart. Propter quod Xanthicus incipit ex a. d. vi. cal. ejuſdem. Ideo obſervatio habita eſt ex a. d. prid. cal. Mart. die Tubi qui eo anno introitum facit xiii. cal. Mart. ιβ' non ιδ'. Porro, quoniam menſes ſex dierum xxix. præcedunt, & unus qui primus, dierum xxx., ex quibus

bus dies CCIV. colliguntur, quot inter III. non. Sext. & VI. cal. Mart. intercedunt, annus Chaldæorum LXXXII. ex a. d. prid. non. sext. exordium sumpsit. Sed non sanus tibi videbor, qui annum a Canis exortu pridie non. sext. determinem, ascendente ad Cancrum sole (ut ex antiqua Ægyptia disciplina colligebat Ptolemæus) ex a. d. VI. cal. Quint. Verumtamen ad annorum primordia nos respicimus, cum bruma calend. Januariis ageretur. Nonne etiam nos a cal. Januar. annum exordimur, quia ibi brumalis cardo antiquitus collocabatur, etsi hac ætate brumam XII. cal. easdem servent? Intempestivum est profecto de anno Romano nunc quid differere, quod multa prius inquirere atque explicare interest, tamen hoc tanquam probatum ac certum tibi enuncio, non differre a Chaldaico Romanum annum (Romanum voco qui a Numa ad Julium Cæsarem Romæ viguit) & Februarium, cui dies XXVIII. assignant, die vigesimo tertio Terminalibus concluſum, cum

Tu quoque ſacrorum, Termine, finis eras.

Quapropter cal. Jan. constituta bruma quæ Bœotiis die Capricorni IV. contingit, sol ad Capricornum transit Decembri Romano ex a. d. IV. cal. Jan. Colligamus hinc dies ad mensium Romanorum modum, videlicet:

Decembris	III.
Januarii	XXIX.
Februarii	XXIII.
Martii	XXXI.
Aprilis	XXIX.
Maji	XXXI.
Junii	XXIX.
Quintilis	XXXI.
Sextilis	III.

Summa fit dierum CCIX. per quos sol a Capricorno exorsus ad diem XXVII. Cancri decurrit; siquidem tria signa Capricorni, Aquarii, Piscium diebus XC. perlustrat, Arietis vero, Tauri, ac Geminorum, ut Bœotii observant, XCIII, diesque Cancri XXVI. (die enim Cancri XXVII. Atticis ac Bœotiis Canis matutino oritur) addendo ad Canis emersum a Capricorni initio dies CCIX. numeramus, quot ex a. d. IV. cal. Jan. in a. d. prid. non. Sext. computantur. Quapropter prid. non. Sext. Canis attollitur mane, & anni auspicia Chaldæis præbet. Quod etiam Ægyptii antiquissimis temporibus secuti sunt, cum anno dies CCCL. complecterentur. Etenim solaris annus, quem post receperunt, etsi per singula lustra, posthabito intercalari die, qui ex qua-

drantibus fit, principium mutet, ad Canis tamen exortum ita respicit, ut annus qui magnus, & Canicularis vocatur, a Canis ortu ductus longo circuitu in eundem, a quo ceperat, regrediatur; exoriente enim Cane, Ægyptii, ut refert Solinus, mundi principium extitisse tradebant. Neque mirum est XIII. cal. Sext. ut affert Censorinus, diebus XV. citius Ægyptiis hoc astrum moveri; tot enim diebus annus Ægyptius Chaldaicum superat. Quod si minime annuis, & annum Romanum vel Bœotium nihil ad Chaldaicum aut Ægyptium pertinere contendis, ex nostro solari Julio rem tibi sub oculos ponam. Itaque cal. Januariis, sole Capricornum ingrediente, prid. cal. Febr. colluſtrabitur Aquarius, & deinceps VI. non. Mart. Pisces, cal. April. Aries, VI. non. Maji Taurus, III. non. Jun. Gemini, Cancer demum IV. non. Quint. Propterea prid. non. Sext. sol in Leonem introitum habet. In prima autem Leonis parte Canem prodire mane Cæsar, Manilius, Plinius, Quintilii, Euctemon, & Chaldaicæ sectæ Aetius non confirmant? Ex hac etiam regula prid. non. Sext. Chaldaicus annus procedit. Nonne etiam Columella a Calippo, ut existimo, deprompsit prid. non. Sext. Leonem medium exoriri, videlicet stellam regiam, quam Græci e loco Leonis cor, Latini tuber appellant? Hanc autem vetus Arati interpres non meminit a Chaldæis cœlestium principium haberi?

Sed forsitan requiris qua ratione Ægyptii anni recursus perveſtigem, & anno nostro recludam? Principio annorum qui a Nabonassaro derivantur, caput & sedem determino ex a. d. IV. cal. Mart. Cum enim anno Nabonassari DCCCCLXXXVI. scribat Censorinus Thoth initium & anni primordium incurrisse in a. d. VII. cal. Quint., lustra quantum possum, a numero DCCCCXXXVI. deduco, & colligo CCXLVI., quæ a VII. cal. Quint. putata IV. cal. Mart. finiuntur. Quapropter IV. cal. Mart. anni Nabonassari principium habetur, quo I. lustrum circumscriptum est, lustro CCXLVII. a. d. VII. cal. Quint. incipiente. Necnon ab eodem Censorino in literas cum relatum sit anno centesimo ante magnum annum absolutum, & Thoth cum Caniculæ exortu XIII. cal. Sext. convenisse, ab annis DCCCXXCVI. subductis lustris CCXXI., in a. d. IV. cal. Mart. recurritur, quo Nabonassari regnum cum anno cepit. Quæsiti igitur numeri lecta lustra a IV. cal. Mart. retrogradiendo computo, & quo pertinent, diem signo, qui quidem intra fines rationemque continetur, si, exemptis lustris, nihil de summa superfit: sin contra, anno quem inquirimus, proximus dies initium dabit. Rem Ptolemæi historiis explicabo. Nabonassari annus DIV. qui Chaldæorum

erat

erat LXVII., luſtra CXXVI. continet, nec quid ex eo ſuperat. Luſtra igitur ex a. d. IV. cal. Mart. in a. d. X. cal. Nov. producuntur; ideo annus DIV. pridie exorditur. Annus vero DXIX., cujus luſtra CXXIX., annis tribus luſtri centeſimi trigeſimi ſuperantibus, ex a. d. XIII. cal. Nov. inchoatur.

Reſtat ut Chaldaicæ dieteridis exemplum ex anno noſtro tibi ſubjiciam Macedonicis menſibus uſus, quos & Chaldæi uſurparunt, ut ſupra attigi, poſtquam in Græcorum ditionem venere.

Ann. I.

I. Gorpiæus prid. non. Sextil.
II. Hyperberetæus III. non. Septembr.
III. Dius VI. non. Octobr.
IV. Apellæus prid. cal. Novembr.
V. Audinæus III. cal. Decembr.
VI. Peritius V. cal. Januar.
VII. Dyſtrus VII. cal. Febr.
VIII. Xanthicus VI. cal. Mart.
IX. Artemiſius VIII. cal. April.
X. Dæſius IX. cal. Maji.
XI. Panemus XI. cal. Jun.
XII. Lous XII. cal. Quint.
XIII. Dioſcorus XIII. cal. Sext.

Ann. II.

I. Gorpiæus XIV. cal. Sept.
II. Hyperberetæus XIV. cal. Octobr.
III. Dius XVI. cal. Novembr.
IV. Apellæus XVII. cal. Decembr.
V. Audinæus XIX. cal. Jan.
VI. Peritius Prid. id. Jan.
VII. Dyſtrus IV. id. Febr.
VIII. Xanthicus V. id. Mart.
IX. Artemiſius v. id. April.
X. Dæſius VIII. id. Maji.
XI. Panemus VIII. id. Jun.
XII. Lous III. non. Quint.

Ann. I.

I. Gorpiæus prid. non. Sext.

Primo igitur & duodecimo menſi dies triceni aſſignati ſunt, reliquis undetriceni: triceni quoque Dioſcoro, qui intercalaris a Macedonibus age-

agebatur. Hujus ſane mentio affertur in Machabæorum libro extremis Lyſiæ (qui regis Antiochi procurator erat) literis, quas anno Chaldæorum CXCVIII. menſis Dioſcori die XXIV. miſerat Judæis. Quæ ad annum Chaldaicum etſi recte pertineant, anno tamen Macedonico lunari per octeateridem acto non repugnant. De veteri anno Chaldaico civili ſatis. De ſolari tunc ſtatues, cum de Chaldaica aſtronomia, quæ tibi me præſtiturum Terminalibus recipio, cognoveris. Vale.

D. Patavio Prid. id. Febr. CIↃ IↃCC XXXIII.

EPISTOLA XVI.

De Chaldaica aſtrorum ratione.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

VEreor ne mihi culpæ vertas, quod Terminalibus quæ de Chaldaica aſtronomia me ſcripturum ſignificaveram, re præſtare nequiverim; deponendis enim ſeminibus, quando tepidum cœlum,

Et Jupiter humidus auſtris

procraſtinare non ſinebat, hoc biduo adeo diſtrictus ſui & ferme preſſus, ut nullum ad dandas literas vacuum tempus ſurripere potuerim. Namque interdiu ſationi vacabam, noctu quæ ſata erant, in commentarios redigebam, ne quid imprudens prætermitterem, quod hoc anni tempore humum expoſcebat. Quare Regiſugio cum eſſem magna ex parte liberatus, ad intermiſſa ſtudia me contuli, a quibus ſubinde Britannicis literis magnum ſeminum pondus expoſcentibus ſum revocatus. Ita factum eſt, ut triduo poſt quam conſtitueram, ad te ſcriberem.

De cœleſti Chaldæorum doctrina nonnulla a Plinio in XVIII. volumen eſſe relata non te fallit. At quæ Aetius de ſtellis ſcripſit, ad Chaldæos pertinere fortaſſe ignoras: me quoque eatenus ignoraſſe quoad huic diſciplinæ diligentius vacare voluiſti, non pudet fateri. Ut primum itaque alterum cum altero contuli, & tempora temporibus, ſtellarumque motibus motus convenire deprendi, quod animo verſabam, non vana conſequendi ſpes mihi affulſit. Neque ab hoc principio ſecus ac ſperaveram, alius cecidit exitus. Præcipua ſum aſſecutus, & quam ſedem tempora quamque cardines in anno noſtro obtineant, probe

be novi. Nunc animum adverte; de tota enim re ordine referam, atque una similitudinem, quam ex scriptorum collatione expressi, ante oculos ponam. De hac tamen regula antequam scribam, perpendere licet, inferiore ætate citius astrorum motus (die enim præit Aetius & Plinius) quam antiquissimis temporibus fuerat constitutum, fieri a Chaldæis deprensos. De qua re alius fortasse dabitur inquirendi locus.

XVII. cal. Apr. Sol in Arietem transitum facit.

Μηνὶ Δύστρῳ ὃ ἐστι Μαρτίῳ ιϛ' ὁ λεγόμενος ἵππος ἀνατέλλει, qui Columellæ Ovidioque nonis Martiis. At Cæsari, qui nonnunquam cum Chaldæis convenit, sæpe per diem recedit, XII. cal. Apr. occultatur. A Cæsare id exscripsit Columella. Attamen in utroque notam XII. in XIII. verterem. Quod in Columella quondam fuisse hinc conjecturam capio. Libellum quem Nicolaus Leonicenus civis tuus latinitate donavit, nostine? Non arbitror, quia futilia & vana in tua bibliotheca habere non soles. Hic itaque liber qui Græce olim extabat (nam hac ætate nulla diligentia inveniri potuit) & falsum Ptolemæi de stellarum significationibus titulum præferebat, quamvis totus ferme de Columella exscriptus, & Græcanica veste personatus, quo melius emptorem deciperet, hic, inquam, Pseudoptolemæus Leonicenus (ita juvat nuncupari, ut nominis ambiguitatem evitem; alter enim Pseudoptolemæus a Petavio Græce propositus est) XIII. cal. Apr. Equum occidere exscripsit. Idcirco Chaldæos sive Aetium qui pridie, propius attingit. At cur ἀνατέλλει? Profecto ἀναδύνει aut quid simile quod occidere delabique notet.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ καὶ ἰσημερία ἐαρινὴ καί ἐστι μεγίστη, παραχὴ τῆ ἀερός. In octava itaque Arietis parte æquinoctium I., ut Latini constantissime servant.

Μηνὶ Ξανθικῷ τετάρτῃ Ἀπριλίῳ ά Πλειάδες ἀκρόνυχοι φαίνονται. Quæ gemina macula inficiuntur; nam Latinis perinde ac Græcis, Arietem collustrante sole, Vergiliæ vesperi occultantur. Quare κρύπτονται non φαίνονται, & ε pro ά. Ecce Plinium scribentem: Cæsari & Chaldæis nonis April. Vergilias vesperi occultari. A Chaldæis hausit Eudoxus, qui Vergiliarum vespertinum occasum die Arietis XIII. fieri tradit. Etenim in Chaldaica disciplina, quam amplexi sunt Romani, cœlestia signa per dies XII. sedem anticipant; idcirco æquinoctiali die ex a. d. x. cal. April. (a quo ad nonas April. dies decimus tertius pertinet) sol in Arietem transibit, ut cordatiores astronomi decernunt. Verum nos, ut prodit antiquitas, suas cuique sententias reddemus.

Itaque XVI. cal. Maii Sol in Taurum ingressum facit.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ (ἀπριλίῳ) ιϛ' Πλειάδες ἑσπέριοι κρύπτονται. Ex Plinio

ιάδες

ὑάδες esse reponendum puto, qui memorat XII. cal. Maii Suculas vesperi abscondi Assyriis. Vicissim ex Aetio numerus XII. in Plinio depravatus cognoscitur, qui XIII. fuerat, & esse debet.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ κά Πληϊάδες ἅμα ἡλίῳ ἀνατολῇ ἐπιτέλλουσι, καί ἐσι μεγίστη περὶ τὸν ἀέρα παραχή. Columellæ postridie cum sole Vergiliæ oriuntur.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ κζ' Ωρίων ἑσπέριος κρύπτεται. Congruit Plinius dicens V. cal. Maii Assyriæ Orionem totum occultari. Unde colligitur in Aetio ὅλος amissum. Quæ sequuntur Aetius posthabuit; propterea ex Plinio Chaldæis reponam:

III. cal. Maii Assyriæ Canem abscondi, quod Columellæ pridie cal. eadem contingit.

Μηνὶ Ἀρτεμισίῳ ὃ ἐσι Μαίῳ ἁ ὑάδες ἅμα ἡλίῳ ἀνατολῇ ἐπιτέλλουσι, Cæsari & Columellæ VI. non. ejusdem, id est postridie.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ δ' λύρα ἑσπέριος ἐπιτέλλει, καὶ ἀμοιβεται ὁ ἀὴρ ἱκανῶς. Ovidio, id est Cæsari postridie.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ ς' αἴξ ἑῴα ἐπιτέλλει, καὶ σφόδρα ἀμοιβεται ὁ ἀὴρ πρὸ ἡμέρας μίας ἢ δύο. Cæsari autem, ut retulit Plinius, VIII. id. Maii Capella pluvialis exoritur matutina.

Μηνὶ Μαίῳ ζ' Πληϊάδες ἑῶαι φαίνονται, καὶ ἀρχεται ὁ ἀὴρ καθίστασθαι: Depravata nota ζ' pro ἡ videtur; siquidem nonis & pridie per duos dies aer ob Capræ exortum alteratur. Adde Cæsari postridie nempe VII. id. Maii Vergiliarum, quibus exorientibus æstas incipit, emersum attribui. Adde die Tauri vigesimo tertio æstivum tempus inchoari, quod intervallum a primo Tauri die XVI. cal. Maii ductum VIII. id. Maii attingit, eoque finitur.

XV. cal. Jun. Sol in Geminos introitum facit.

Μηνὶ Μαίῳ ιδ' ὑάδες ἑῶαι φαίνονται, καὶ ἀμοιβεται πάνυ ὁ ἀὴρ πρὸ δύω ἡμερῶν.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ κδ' αἴξ ἑσπέριος κρύπτεται, καὶ κινεῖται ὁ ἀὴρ πρὸ δύο ἡμερῶν. Cæsari XII. cal. Jun. Capella vesperi immergitur. At Columellæ postridie quam Chaldæis, videlicet: VIII., VII., VI. cal. Jun. *Capra mane exoritur*. Quæ de vitiatis exemplaribus transcripta sunt; oritur enim Columellæ mane III. cal. Maii, vesperi autem VII. id. Sept. Occidit vero mane X. cal. Jan. Propter quod VIII., VII., VI. cal. Jun. *vesperi occidit*, vel *immergitur*.

Μηνὶ ἰουνίῳ β' ἀετὸς ἑσπέριος ἐπιτέλλει. Plinius autem memorat III. non. Junii Cæsari & Assyriæ Aquilam vesperi exoriri. Eadem Columellæ cal. & IV. non. Jun. contingunt; quare IV. *non.* in Plinio, non III. scribere oportet.

Μηνὶ

Μηνὶ τῷ αὐτῷ ς' Αρκτῦρος ἑῶος δύνει. Recte Plinius: VIII. *id. Jun. Assyriæ Arcturus matutino occidit*. Sed Columellæ, qui a Cæsare exscribit, postridie celatur.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ δ' Δελφὶς ἑσπέριος ἐπιτέλλει, Ovidio & Columellæ IV. idus.

XIV. cal. Quint. Sol in Cancrum transit.

Μηνὶ τῷ (ἰωνίῳ) κέ Ωρίων ἐπιτέλλων ἑῶος ἄρχεται· εἰσὶ δὲ τροπαὶ θεριναὶ, καὶ ἀμοιβεται σφόδρα ὁ ἀὴρ πρὸ τριῶν ἡμερῶν. Solstitiali quoque die exoritur Ovidio Orion, atque etiam, ut indicabo, Cæsari.

Μηνὶ ἰωλίῳ γ' Ωρίων ὅλος ἐπιτέλλει. In Plinio depravatur numerus: IV. *non. Julias Assyriæ Orionis zona exoritur*; V. enim *non.* fuerat. Pergit Plinius:

III. *non. Julias Chaldæis Corona occidit matutino, Atticæ Orion totus eo die exoritur*. In Bœotia astronomia IV. *non.* occidere Chaldæis Coronam retexam. Nunc in transitu hoc animadvertisse sufficiat.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ ιδ' προκύων ἑῶος ἐπιτέλλει. Die Cancri XXVII. Chaldæis & Latinis Procyon exoritur mane; ideo Columellæ postridie quam Chaldæis; quoniam in Julia tabula non XIV. cal. Quint. Sol Cancrum adit, ut Chaldæi constituunt, sed XIII. cal. eadem. Mendosissimus Plinius: *Pridie idus Julii & Ægyptiis Orion desinit exoriri*. XVI. *cal. Augusti Assyriæ Procyon exoritur*. Redintegrari locum, cum ad Plinium ventum erit, ostendam hoc modo: *exoriri*. XVII. *cal. Augusti Italiæ Procyon exoritur*.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ ιδ' κύων ἑῶος ἐπιτέλλει, καὶ γίνεται μεγίστη τῆ ἀέρος παραχὴ ἐνίοτε καὶ πρὸ δύο ἡμερῶν. In prima itaque Leonis parte Canis oritur, transeunte Chaldæis in hoc astrum sole eodem die.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ κέ ἀετὸς ἑῶος δύνει· κινεῖται δὲ ὁ ἀὴρ πρὸ τριῶν ἡμερῶν. Columellæ sive Cæsari postridie.

Μηνὶ αὐγούστῳ ιέ λύρα ἑῶος δύνει. Ut tempora per æqua intervalla procedant, legendum videtur *ι'*, die scilicet Leonis vigesimo tertio, quo autumnus inchoatur. Lyram Cæsari, Varroni, & Columellæ III. id. Sext. occidere mane postridie quam Chaldæis, adversus receptas sententias promitto fore, ut cognoscas.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ ιδ' Δελφὶν ἑῶος δύνει, καὶ ἐστι τροπὴ τῆ θέρους ἐπὶ τὸ ψυχρόν. Opinor scribendum: *ιβ'*; nam Cæsari & Columellæ idibus Sextil. Delphinus occultatur. Neque ab his valde abhorret Eudoxus, qui die Leonis XVIII. prodit Delphinum immergi, si, posthabitis diebus VII., ex a. d. VII. cal. Sext. diem primum Leonis habebis.

XIV. cal. Sept. Sol in Virginem transitum facit.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ καὶ προτρυγητὴρ ἐῷος ἐπιτέλλει, καὶ ὁ ἰσὸς δύνει· ἔστι τότε τέλος μετὰ τὴν ἐπιπολὴν τῶν κυνὸς ἡμερῶν μ'. Eadem meminit Plinius: XI. *cal. Sept. Cæsari & Assyriæ stella quæ Vindemiator appellatur, exoriri mane incipit, vindemiæ maturitatem promittens. Ejus argumento erunt acini colore mutati. Assyriæ* V. *cal. & Sagitta occidit, & Eteſiæ deſinunt.* Exoriente Chaldæis, ut docet Aetius, Cane XIV. cal. Sext., dies hinc XL. quibus Eteſiæ ſpirant, cum deſinant V. cal. Sept., non XI. cal. ejuſdem Cæſari & Aſſyriæ Vindemiator orietur, ſed V. cal. quod nonnulla cum interpoſuiſſet Plinius, de Sagitta repetit. Verumtamen eſſe reponendum Aetio ex Plinio ὁισὸς pro ὁ ἰσὸς quis non videt?

Μηνὶ Σεπτεμβρίῳ ζ' αἴξ ἑσπέριος ἐπιτέλλει. Eodem die Columellæ nempe Cæſari, in quo tamen malo poſtridie.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ ιζ' ἀρκτοῦρος ἐπιτέλλει, καὶ ἀλλοιοῦται τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ. Continuo oſtendam notam ιδ' quæ in editis quoque libris invenitur, quam ιζ' præſtare.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ ιδ' τάχυς ἑῷος ἐπιτέλλει. Ἀλλοιοῦται δὲ ὁ ἀὴρ πρὸ δύο ἡμερῶν. Si aer prius duobus diebus alteratur, & uno poſt Arcturum, tres dies inter Arcturi & Spicæ exortum intercedere oportet. Spica tamen ſuum locum ſervat, ſcribente Plinio XVI. *cal. Octobr. Ægypto Spica, quam tenet Virgo, exoritur matutino, Eteſiæque deſinunt. Hoc idem Cæſari*, XIV. *cal.* XIII. *Aſſyriæ ſignificant.* Quare Arcturus extra ſedem; quod inter XV. cal. & XIII. unus dies interponitur.

XIV. cal. Oct. Sol Libram ingreditur.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ κέ ἰσημερία φθινοπωρινὴ, καὶ γίνεται μεγίστη παραχὴ τοῦ ἀέρος πρὸ τριῶν ἡμερῶν· διὸ παραφυλάττεσθαι χρὴ μηδὲ φλεβοτομεῖν, μηδὲ καθάρειν, μηδὲ ἄλλως τὸ σῶμα κινεῖν σφόδρα κινήσει ἀπὸ ιέ τοῦ Σεπτεμβρίου μεχρὶ κδ'. Quibus indicat Aetius ab Arcturi exortu in æquinoctium autumni non eſſe in humano corpore quicquam movendum. Idcirco Arcturus exoritur non ιζ' menſis Septembris, ſed ιδ', ut paulo ante oſtendendum reſervabam. Eodem menſe ſcriptorum culpa hæc in Plinio contingunt:

Aſiæ & Cæſari V. *cal. Octobr. Heniochus occidit matutino.* Columellæ IV. non. Octobr. Auriga mane occidit. Ideo Plinius vitio corrumpitur: IV. *non. Octobr.* eſſe ſcribendum certo argumento, ut ſuo loco proferam, patet. Verum & *Aſiæ* fuiſſe in Plinio *Aſſyriæ* opinor; ſiquidem Plinius profeſſus eſt *Joniæ* nomine Aſiam, & Aſiæ inſulas complecti.

Μηνὶ ὀκτωβρίῳ ς' σέφαρος ἑῷος ἐπιτέλλει, καὶ ἐστι σφόδρα μεταβολὴ τοῦ ἀέρος.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ ζ' ἐριφοι ἑσπέριοι ἐπιτέλλουσι. Cæſari & Columellæ pridie.

Μηνὶ

Μηνὶ τῷ αὐτῷ ιζ' ὑάδες ἑσπέριοι ἐπιτέλλουσι, καὶ ἱκανὴ παραχὴ τοῦ ἀέρος γίνεται. Eudoxus id computat die Libræ XXII. qui a VII. cal. Octobr. pertinet ad XVI. cal. Novembr.

XV. cal. Novembr. Sol in Nepam tranſit.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ κγ' ἅμα ἡλίῳ ἀνατολὴ Πλειάδες δύνουσι καί ἐστι μεγίστη παραχὴ τοῦ ἀέρος πρὸ μιᾶς ἡμέρας.

Μηνὶ Νοεμβρίῳ ς' Πλειάδες ἑῶαι δύνουσι, καὶ ἄρχεται καθίστασθαι ὁ ἀήρ. Exiſtente hieme Chaldæis v. id. Novembr. & Cæſari poſtridie, cujus initium ab occidentibus mane Vergiliis deſumunt, eſt cur de nota ς' dubitemus. Vellem quidem θ' die Scorpionis vigeſimotertio, ut tempora juſto ſpatio conſtent.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ ιά λύρα ἑῴα ἐπιτέλλει. Affertur alia nota ιγ', quæ melior tibi videbitur animadvertenti Lyram Eudoxo die Scorpionis XXI. exoriri mane.

XVI. cal. Decembr. Sol Sagittarium adit.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ κά ὑάδες ἑῶαι δύνουσι, καὶ παραχὴ περὶ τὸν ἀέρα γίνεται τῇ ἑξῆς. XI. quoque cal. Decembr. Columellæ Suculæ mane deſcendunt; X. vero cal. Eudoxo die Scorpionis XXIX.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ κζ' Ὠρίων ἐπιτέλλει, καὶ στέφανος δύνει.

Μηνὶ Δεκεμβρίῳ ά νύων ἑῷος δύνει· Τετήρηται δὲ τοῖς πολλοῖς, ὡς ἄγε χειμάσει ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ, ἐπιμένει, ὡς ἐπιπᾶν, ἡ παραχὴ τοῦ ἀέρος μεχρὶ ἡμερῶν λζ'· εἰ δὲ ὠδίνασι, τὸ αὐτὸ σημαίνει.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ ί ἔριφοι ἑῷοι δύνουσι.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ ιά ὠὼξ ἑῶα δύνει· παραχὴ δὲ γίνεται κατὰ μίαν ἡμέραν. Hinc non ſincera Columellæ verba quæ exſcribam, exiſtimo: XV. *cal. Jan. ventorum commutationem ſignificat.* X. *cal. Jan. Capra occidit mane, tempeſtatem ſignificat.* Nimis enim Capræ exortus retardatur, quem Chaldæi III. id. Decembr., Attici, ut conjectura duco, XIX. cal. Jan., Bœotii demum poſtridie adnotant. Præterea primæ editiones ea non ſuſceperunt, quæ inter XV. *cal. Jan. & Capra occidit* interponuntur. Adde Politianum notam X. in XV. producere. Quapropter XV. cal. Jan. (nam reliqua *ventorum commutationem ſignificat* X. *cal. Jan.* non flocci pendo) Capram occidiſſe Columellæ videtur.

XVII. cal. Jan. Sol in Capricornum deſcendit.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ κγ' τροπαὶ χειμεριναί. Neque te moveat quod nonnullos in errorem adduxit, ſcribente Columella IX. *cal. Jan. Brumale ſolſtitium* (*ſicut Chaldæi obſervant*) *ſignificat.* Hæc enim brumæ ſedes a Cæſare conſtituta, quam accepit Columella; ſignificare autem a Chaldæis hauſerat.

Μηνὶ ἰανναρίῳ δ' Δελφὶς ἐπιτέλλει. Pridie etiam non. Jan. ut Plinius commentatur, Cæsari Delphinus exoritur matutino. Si cum Chaldæis Cæsar conveniret, id, ut in reliquis solet, non prætermisisset Plinius. Quare γ' censeo Chaldæis oriri delphinum, non δ' Januarii.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ ε' ὁ ἀετὸς ἑσπέριος δύνει.

VIII. id. Jan. quo finiuntur dies XXXVII. a Canis occasu, quos colligit Aetius, media hiems Chaldæis erit. Apud Atticos eodem die habetur, ut præcepit Euctemon.

XVIII. cal. Febr. Sol in Aquarium fertur.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ κέ ὁ λαμπρὸς ἀστὴρ ἐν τῷ λέοντι δύνει, κινεῖ πρὸ τριῶν ἡμερῶν τὸν ἀέρα. Postridie Columellæ.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ κή Δελφὶς ἑσπέριος δύνει.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ κϑ' λύρα ἑσπέριος δύνει.

Μηνὶ φεβρουαρίῳ ς' ζέφυρος πνεῖ, a quo vernum tempus inchoatur die Aquarii vigesimo tertio.

XVI. cal. Mart. Sol in Pisces introitum facit.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ κβ' ὁ ἰσὸς (scribatur, ut supra, οἰσὸς) δύνει ἑσπέριος, καί ἐστι παραχὴ τοῦ ἀέρος. VIII. cal. Mart. Columellæ *Sagitta incipit crepusculo oriri*. Cum huic oriatur Sagitta, illi occidat, uter antiquitatis labem evaserit, abs te intelligere malo, quam quid ego suspicer, proferre.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ κέ ἀρκτοῦρος ἐπιτέλλει.

Μηνὶ τῷ αὐτῷ κς' χελιδόνες πέτονται καὶ φαίνονται.

Hæc de Stellarum progressionibus significationibusque a Chaldæis tradita invenio. De solari anno restat; quod ante Quinquatria tibi reddam. Vale.

D. Patavio V. cal. Mart. CIↃ IↃCC XXXIII.

EPISTOLA XVII.

De Chaldæorum annis solaribus verno, ac caniculari.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

LIberalibus mane literarum fasciculum a te accepi, quibus ad omnia quæ idibus scripseram, diligentissime rescripsisti. Multa sane in his tuæ longo usu expertæ atque perspectæ in me benevolentiæ signa recognovi,

I.

Dieteris Chaldaica Canicularis per annum Romanum digesta.

Ann. I.

Sol Leonem adit: Canis oritur: Gorpiæus I. mensis Prid. non. Sext.
Autumni initium prid. cal. Sept.
Hyperberetæus II. mensis nonis Septembr.
Sol Virginem adit VIII. id. Septembr.
Dius III. mensis III. non. Octobr.
dies XXC. d VIII. Sol Libram adit nonis Oct.
Æquinoctium autumni prid. id. Octobr.
Apellæus IV. mensis III. non. Novembr.
Sol Scorpionem adit VIII. id. Novembr.
d. XXCIX. Hiemis initium XI. cal. Decembr.
Audinæus V. mensis III. non. Decembr.
Sol Sagittarium adit VIII. id. Decembr.
Peritius VI. mensis III. non. Januar.
d. VIII. Sol Capricornum adit VII. id. Januar.
d. XC. Bruma XVII. cal. Febr.
Dystrus VII. mensis III. non. Febr.
Sol Aquarium adit VI. id. Febr.
Xanthicus VIII. mensis IV. id. interc.
Sol Pisces adit. XVII. cal. Mart.
d. XCI. Veris initium prid. cal. Mart.
Artemisius IX. mensis VII. id. Mart.
Sol Arietem adit XVII. cal. Apr.
d. VIII. d. LX. Æquinoctium vernum X. cal. Apr.
Dæsius X. mensis VII. id. April.
Sol Taurum adit XV. cal. Maii.
Æstatis initium prid. cal. Majas.
d. XXII Panemus XI. mensis nonis Maiis.
Vergiliæ mane oriuntur VIII. id. Maias.
d. XCIII. Sol Geminos adit XV. cal. Jun.
Lous XII. mensis nonis Juniis.
Sol Cancrum adit XIII. cal. Quint.
d. VIII d. CXX. Solstitium VI. cal. Quint.
Dioscorus XIII. mensis intercal. III. non. Quint.

Ann. II.

d. XCII. Sol Leonem adit: Canis oritur XIII. cal. Sextil.
d. XXII Gorpiæus I. mensis prid. non. Sext.
Fidis occidit mane IV. id. Sextil.
Sol Virginem adit XI. cal. Sept.
Autumni initium prid. cal. Septembr.
Hyperberetæus II. mensis nonis Sept.
Sol Libram adit X. cal. Oct.
d. XXC. d. VIII Æquinoctium autumni III. cal. Octobr.
Dius III. mensis III. non. Octobr.
Sol Scorpionem adit XI. cal. Novembr.
d. XIX. Apellæus IV. mensis III. non. Novembr.
Vergiliæ mane occidunt V. Id. Novembr.
d. XXCIX Sol Sagittarium adit XI. cal. Decembr. Hiemis initium.
Audinæus V. mensis III. non. Decembr.
Sol Capricornum adit X. cal. Jan.
d. XC. d. VIII. Bruma III. cal. Jan.
Peritius VI. mensis III. non. Januar.
Sol Aquarium adit IX. cal. Febr.
d. XIV. Dystrus VII. mensis III. non. Februar.
Favonius incipit VIII. id. Februar.
d. XCI. Sol Pisces adit: Veris initium prid. cal. Mart.
Xanthicus VIII. mensis VI. id. Mart.
Sol Arietem adit prid. cal. April.
d. VIII. Æquinoctium vernum VII. id. Apr.
Artemisius IX. mensis VI. id. April.
Æstatis initium prid. cal. Maii.
Sol Taurum adit VI. non. Maji.
Dæsius X. mensis VIII. id. Maii.
d. XCIII. Vergiliæ mane oriuntur X. cal. Jun.
Sol Geminos adit IV. non. Jun.
Panemus XI. mensis VIII. id. Jun.
Sol Cancrum adit IV. non. Quint.
d. VIII Lous XII. mensis Prid. non. Quint.
Solstitium V. id. Quint.

Ann. I.

Sol Leonem adit: Gorpiæus I. mensis prid. non. Sextil.

gnovi, quibus valde moveor. Tua propterea consilia non minus sequenda existimo quam voluntatem, præsertim cum tantorum virorum consensum eadem approbantium, ut ad te significaveram, Morgagnus noster etiam intueatur. Profecto mearum rationum cura atque ætas jam ingravescens diuturnisque laboribus attrita, nec minus valetudo non valde firma ad otium & quietem cogunt. Id quando vobis, quos semper feci maximi, persuadere non possum, fas esse mihi non duco diu repugnare. Annectam itaque collum iterum ad aratrum, a quo post assiduam quatuordecim annorum contentionem me subducendi tempus esse videbatur. Tamen maxime vereor ne ante versuram sub onere in sulco corruam. Sed jam, ut ajunt, jacta est alea. Heri in tuam sententiam Venetias rescripsi. Nunc in nostrum ludum regrediamur.

Chaldaici solaris anni, quem tibi contexere sum pollicitus, duo discrimina novi; quod alterum a Canis exortu, alterum ab æquinoctio verno inchoatur, ut ex Aetio intellexisti. Hic enim tum anni initio, tum mensium sede ac collocatione a vetusto Chaldaico ritu plurimum differt; nam Dystrum mensem cum Martio, Xanthicum cum Aprili, Artemisium cum Majo conjungit. In qua re patrium morem secutus videtur, & eorum exemplum qui Syromacedones vocantur. Quoniam igitur apud Aetium XVII. cal. April. sol in Arietem introitum facit, Romanæ dieteridis anno II. tale principium Arieti postridie existit; siquidem anno I. ex a. d. VIII. cal. Jan. sol Capricornum ingreditur: II. ex a. d. V. id. Jan., & Aquarium, perlustrato Capricorno, adit ex a. d. IV. id. Febr., Pisces vero mense intercalario XV. cal. Mart. Quare ad Arietem redit XVI. cal. April. Anno autem I. calendis April. Arietem subit. Propterea Chaldæis, qui die præeunt, anno I. ad hoc signum sol transit prid. cal. April. anno II. ex a. d. XVII. cal. easdem. Itaque anno I. sol in Taurum fertur VI. non. Maji, in Geminos IV. non. Jun., in Cancrum IV. non. Quint., & denique in Leonem prid. non. Sext. unde Chaldæi, exorto matutino Cane, anni solaris & civilis exordium ducunt. Ab hoc signo dieteris qualem in tabula I. exscripsimus per annum Romanum procedit.

De hac nunc singillatim dicam. Pridie itaque non. Sext. Sol Leonem ingressus prima anni tempora per Gorpiæum Chaldæis antiquitus afferebat. Permeante Leonem sole plerique autumnum incipere statuunt. Romæ quidem cum Chaldaica regula annum moderabatur, & anni initio brumalique cardine insignes calendæ Januariæ erant, ex calendis Septembr. autumnale tempus propter Regifugium fuisse animadverti, die a Solstitio quinquagesimo. Prima itaque anni institutione pridie Tab. I.

in-

inchoabant, nempe IV. non. Septemb. Chaldæi igitur, quibus ſolſtitium ex a. d. V. id. Quint. peragitur, autumnum agebant prid. cal. Sept. VIII. id. Septembr. ſol in Virginem tranſitum facit, & nonis Octobr. in Libram, cujus octavam partem illuſtrans dies noctibus æquales reddit prid. id. Octobr. VIII. id. Novembr. ſol ad Nepam deſcendit. XI. cal. Decembr. autumnalis temporis dies XXC. quos Chaldæi autumno aſſignant, abſolvuntur, & incipiunt hiberni. VIII. id. Decembr. Sol ad Sagittarium ſpectat, & VII. id. Jan. in Capricornum ſecedit, in quo jam die octavo remotus breviſſimum orbem XVII. cal. Febr. abſolvit. VI. id. Febr. ad Aquarium vergit, Piſceſque petit XVII. cal. Mart. menſe intercalari. Prid. cal. Mart. veri locum reſervo; quod menſem intercalarem extra temporum rationem fuiſſe exiſtimo; nunquam enim aut veri dies LX., aut hiemi XC. aſſignaſſent Romani, vel Chaldæi æſtati CXX., autumnoque XXC., ſi dies intercalarios temporibus immiſcuiſſent. Neque inconſultus hoc effutio: rem ad juriſperitos detuli. Reſponſum quod accepi, apud Celſum juriſconſultum invenies. Videbis Catoni priſco intercalarium menſem fuiſſe addititium, omneſque ejus dies pro momento temporis habitos. Quos hac de cauſa Q. Mutius extremo Februarii dici apponendos cenſebat. Noli tamen exiſtimare adeo ſocordes fuiſſe veteres, ut menſem dierum XXX. pro nihilo ducerent, quamvis ne modica intervalla miſcerentur, extra temporum computationem, numerumque haberent. Etenim apud Romanos propterea ſecundo menſi intercalationem annexam, quæ perfecto anno melius conveniret, crediderim, quod inter hiemis veriſque fines conſtituta, ſive veri, ſive hiemi attribueretur, vel parum, vel nihil temporum terminos protrudebat. Siquidem appoſita hiemi dies hibernos CXX. dabat, quot brumali parti inter vetuſtiſſimos nonnulli, ut Hippocrates atque Euripides, attribuerunt: ſin veri, juſtum ſpatium dierum XC. efficiebat, quod ſecuta ætas ſummo conſenſu in vere probavit. Neque diſſimili ratione Athenienſes cum Chaldaica norma tempora diſcernerent, dimidiato anno intercalabant; quoniam ſummæ hiemi annexus menſis temporum vices non valde perturbabat. Quin etiam conjicere licet neque Chaldæos, neque Bœotios extrema æſtate, ideſt, abſoluto anno, intercalare conſueviſſe, ne æſtivum intervallum præter modum promitterent; etſi nos, peracto curriculo, intercalationem ſubnectamus, quandoquidem, ubi interponeretur, nulla hiſtoria demonſtrat. Inito igitur prid. cal. Mart. vere, ex a. d. XVII. cal. April. ſol in Arietem decurrit; & X. cal. ejuſdem æquinoctium vernum notatur die Arietis octavo. XV. cal. Maji ſol in Taurum aſcendit,

Prid.

Prid. cal. Majas æſtatis initium, unde ad ver pridie cal. Mart. dies LX. pertinent; ad autumnum prid. cal. Septembr. CXX., ut Chaldæorum placita ferebant. Et quando XVII. cal. April. ſolaris Aetii annus inchoatur, interſerere expedit, quam appoſite concurrunt quæ de Vergiliarum matutino exortu, & occaſu, Fidiſque item immerſu, ac primo Favonii afflatu, ex quibus ſequiori ætate tam Chaldæi quam Romani tempora determinant, prodidit Eudoxus. Die Tauri XXII. Vergilias ſe mane attollere indicat VIII. nempe id. Maji, ex quo æſtas habetur. Verumtamen, appoſito Tauri ſigno (nam Chaldaica dieteride ex hac regula Piſcibus, Arieti, Tauro, Geminis, Cancro, Leoni dies ſingulos & tricenos, Nepæ undetricenos, reliquis autem ſignis tricenos addiximus) eoque Aprili ad trigeſimum diem perducto, apud Aetium die Tauri XXIII. Vergiliæ exoriuntur. XV. cal. Jun. ſol Geminos ingreditur, & XIII. cal. Quint. in Cancrum; ideoque VI. cal. Quint. die Cancri octavo agitur ſolſtitium. De primo dieteridis anno hæc habeto.

Venio ad alterum, qui propter Mercedonii (tali nomine intercalarem menſem vocabant Romani) & Dioſcori interpoſitionem diebus XV. citius exorſus ſenſim in ſuam ſedem revocatur. XIII. igitur cal. Sext. tranſeunte in Leonem ſole, & prodeunte Cane, incipit, & die Leonis XXII., ut Eudoxi ratio determinat, Fidis immergitur matutino IV. id. Sext. At Aetio propter diem quem Cæſar Junio adjecit, XIV. cal. Sext. ſol in Leonem movetur; ideo die Leonis XXIII. Fidiculæ caſus contingit. XI. cal. Septembr. ſol in Virginem decurrit. Prid. cal. Sept. autumni initium. X. Cal. Octob. primas in ſignifero orbe ſibi vindicat Libra. III. cal. Octob. die Libræ VIII. autumni æquinoctium. XI. cal. Novembr. ſol Nepam adit, & die Nepæ XIX. Eudoxo Vergiliæ mane delabuntur V. id. Novembr. ut in Aetio ſuſpicabar. Id tamen Aetio fieri die Nepæ XXIII. nolito mirari; per quatuor enim dies Scorpionis tempus præcedit, quippe Cæſar unum Junio, duos Sextili, unum Septembri annexuit. XI. cal. Decembr. ſol in Sagittarium declinat, & hiemem affert. X. cal. Jan. in Capricornum abſcedit. III. cal. Jan. bruma. IX. cal. Febr. ſol in Aquarium permeat. Porro die Aquarii XIV. Favonium ſpirare animadverterat Eudoxus. Quadrat intervallum; nam VIII. id. Februar. id ab Aetio definitur. Hic tamen, priſtina venti ſervata ſede, diebus IX. ex anni amplificatione ſolem in Aquarium producit. Etenim poſt Scorpionem dies V. acceſſerant, Novembri unus, Decembri ac Januario bini; ideo Aquarius die XXIII. ad Favonium ſpectat. Prid. cal. Mart. colluſtrantur Piſces,

ſcees, & ver redit. Prid. cal. April. in Arietem ſol ſe recipit, ac VII. id. April. æquinoctium vernum adducit. Prid. cal. Maji æſtivum tempus. VI. non. Maj. ſol ad Taurum traducitur, & IV. non. Jun. in Geminos, iterumque in Cancrum IV. non. Quint. ſolſtitium peragens v. id. ejuſdem. Hoc ferme ordine nova dieteris ex a. d. prid. non. Sext. redintegratur, adeunte Leonem ſole.

Plura ſcribere, quibus hæc anni regula comprobetur, ſuperſedeo: ipſa enim tum per ſe, tum ex tabula ſatis perſpicua videtur. Illud utilius agam, ut ſolarem annum ad Julium traducam. XIII. cal. Sext. oriri matutino Canem Ægyptiis Cenſorinus memoriæ tradidit, diebus XV. celerius quam anno Romano fieri compertum habemus. Id anni ſolaris Chaldaici principium, ſi annum noſtrum in exemplum revocas, habebis. Quod mox Chaldæi diligentius cœleſtia contemplati, ut proximis literis te monui, immutarunt, uno die præeundo; quoniam die ſibi citius, quam Ægyptiis ſtellarum converſiones contingere adnotarunt. Ab hoc initio reliqua eo ordine conſequuntur, quo ex a. d. prid. non. Sext. annum duxi. Nunc Aetii annum proſequemur, altera tabula inſtitura, quo melius uno intuitu cuncta cognoſcas.

Tab. II. Quapropter X. cal. April. peracto æquinoctio verno, fit ad ſolſtitium VII. cal. Quint. dierum XCIV. intervallum: Hinc ad alterum æquinoctium VII. cal. Octobr. dies XCII. prætendantur: ab hoc ad brumam X. cal. Jan. dies XXCIX.: exinde ad æquinoctium I. dies XC. Temporum quoque ſpatia colligamus. Æſtas dies XCIV. fert: autumnus XCI.: hiems XXCIX.: Ver XCI. Neque ab hoc invenies in Varrone, quod mutes. In vetuſto item lapide, quem Fulvius Urſinus memoriæ mandavit, legitur:

Æſtas. ex. XI. K. Maii.

Dies. XCIV.

In. X. K. Auguſtas.

Hiemps. ex. X. Kal. Nov.

In. XIIII. K. Februarii.

Etenim ex XI. cal. Maji in X. cal. Sextil. dies æſtivi temporis XCIV. pertinent: ex x. cal. Novembr. in XIV. cal. Februar. hiberni XXCIX. Quare autumnalis a X. cal. Sextil. ad X. cal. Novembr. XCI., totidemque verni a XIV. cal. Februar. in XI. cal. Majas. Temporum tamen ſtationes ex diſſimili aſtronomia petuntur. Refert quoque animadver-

TABULA II.

Annus Chaldaicus ſolaris vernus per annum Julium digeſtus.



d. VIII. Sol Arietem adit XVII. cal. April.
Æquinoctium vernum X. cal. April.
d. XIV. Sol Taurum adit XVI. cal. Maii.
d. XCIV. Vergiliæ mane oriuntur. Æſtatis initium VIII. id. Maii.
Sol Geminos adit XV. cal. Jun.
d. XLVIII. Sol Cancrum adit XIV. cal. Quint.
d. XCIV. Solſtitium VII. cal. Quint.
Procyon exoritur Prid. Id. Quint.
d. XLVI. Sol Leonem adit. Canis mane oritur XIV. cal. Sext.
d. XCII. Fidis mane occidit. Autumni initium IV. id. Sextil.
d. XLVI. Sol Virginem adit XIV. cal. Sept.
Sol Libram adit XIV. cal. Octobr.
d. XCI. Æquinoctium autumni VII. cal. Octobr.
Sol Scorpionem adit XV. cal. Novembr.
d. XCIX. Vergiliæ mane occidunt. Hiemis initium V. id. Novembr.
Sol Sagittarium adit XVI. cal. Decembr.
d. XLIV. Canis occidit mane cal. Decembr.
d. XXVII. Sol Capricornum adit XVII. cal. Januar.
d. XCIX. Bruma X. cal. Januar.
d. XLV. Media hiems VII. id. Januar.
d. XC. Sol Aquarium adit XVIII. cal. Febr.
Favonius incipit flare: Veris initium VIII. id. Febr.
Sol Piſces adit XVI. cal. Mart.
d. XLV.
d. XCI. Sol Arietem adit XVII. cal. April.
Æquinoctium vernum X. cal. April.
Æſtatis initium VIII. id. Maii.

vertere ab æquinoctio verno in æſtatem dies XLVI. produci, XLVIII. ab æſtate ad Solſtitium : ab hoc ad Caniculæ quidem exortum XXIV., ad autumnum vero XLVI., quot exhinc ad æquinoctium autumnale : inde ad hibernum principium XLV. : ab hieme in brumam XLIV. : ultimo intervallo, quod a bruma æquinoctium vernum attingit, per ver in dies XLV. æqualiter diſcreto. Illud etiam ſubnectam cal. Decembr. Chaldæis Canem occultari matutino, quo remoto, per dies XXXVII. frigus intendi Aetius ſcribit. Propter quod VII. id. Januar. media hiems, ex qua hibernum tempus ſenſim in vernum declinat. Hoc demum de intervallis in univerſum tibi prædictum volo; quæ per puncta conjunguntur, altero extremo connecti : quæ per lineas, utroque.

Quæ diligentius cogitanti de Chaldaica Aſtronomia, annoque ſolari ſuccurrebant, in hanc ſummam congeſſi. Horum ut memor ſis, rogo; ſunt enim anni Romani & Julii tanquam indices & argumenta. Cras Bœotia revolvam ad annum Romanum maxime pertinentia. Si quid ex tanta temporum ac rerum obſcuritate expedire potero, ad te non morabitur. Vale.

D. Patavio XII. Cal. April. CIↃ IↃCC XXXIII.

EPISTOLA XVIII.

De Manilii aſtronomia, ejuſque anno cœleſti.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

MAgna in expectatione cum eſſem quanam ratione acciperes quæ de ſolari anno Chaldaico ad te proxime miſeram, ecce tabellarii mihi jam ex Horto egredienti obviam facti tuas literas, quas avide expectabam, tradiderunt. Quibus in ipſo Horti veſtibulo perluſtratis, non mediocriter ſum perturbatus illa clauſula : *te de commentariis meis nuperrime redditis tunc reſponſurum, cum de Manilio quæ ſubduxeram, accepiſſes*. Quid enim de Manilio tibi debeo; aut quid ſignificem, cujus ratio a paucis percipitur, negligitur ab omnibus? Sane non inficior ad hunc ſcriptorem ſæpe eo conſilio manum admoviſſe, ut quid ad Latinam cœleſtem ſcientiam illuſtrandam decerperem. Sed inutili cura : omnia ferme diſſimillima deprendi. Quis enim, ut ſumma-

tim attingam, ſtellarum ortus & occaſus ita digeſſit, ut Manilius? Quis ex illis qui ex aſtrorum motibus tempora deſcripſerunt, tanto intervallo a communi ſede deduxit, ut dimidiatis ſignis Piſcium, Geminorum, Virginis, Sagittarii eadem aſſignaret, hoc uno excepto ſcriptore? Hæc cum mihi ante oculos verſarentur, ſtudium, & operam in id quod ab omni ſtellarum diſciplina abhorrebat, conferre poſthabui, præſertim quod conquirere ac ſcire nihil attineret. Quid ergo? De ipſane arte ad te ſcribam, qua nihil magis inane, aut inconditum, aut claudicans fingi poteſt? Non puto hoc a te mihi imponi; id enim ſemper curavi, ut in poſtremis haberem. De anni natura partibuſque quid abs te expeti interpretor, quod ſuperioribus ad te ſcriptis hæc finitima ſunt. Id nunc agere inſtituam, non tamen ad extrema, verum uſque eo quo opus arbitrabor, perſequar, ut morem tuæ voluntati geram.

Sed quando in hoc vate multæ latebræ ſunt, & multi receſſus, quem ducem adhibebo Latinumne Græcumve, an barbarum? Nemo inventus eſt qui Manilii doctrinam ad Latinos aut Græcos referret. Omnes ſatentur barbaricam eſſe ab Ægyptiis vel Chaldæis informatam atque excultam. Neque de Ægyptiis nonnulli ambigunt; quoniam Manilius hinc annum ſuum adumbraverit, partibus CCCLX. contexens, ut hoc carmen oſtendit:

Nam cum ſint partes orbis per ſigna trecentæ
Et ter vicenæ, quas Phœbi circuit ardor,

e quibus

——ubi ſummam feceris unam,
Tricenas dabis ex illa per ſingula ſigna.

Hanc eſſe anni Ægyptii figuram opinantur, quo pro menſibus ſigna, pro diebus ſigniferi orbis partes comprenduntur; cum antiquitus in Ægypto annum in dies CCCLX. contractum argumento ſint dies v. quos abſoluto anno apponebant, atque ἐπαγόμενας vocabant. Qui iſta tanti habent, nihili ſunt habendi. Viguit quondam apud Ægyptios annus quem diximus, ſed aliis gentibus communis, ut Græcis. Talem nihilominus a Manilio repetere inſipientis eſt, qui ſigniferum orbem, cujus ambitu annus intelligitur, haud ſecus diſtribuit, ac cæteri cœleſtium rerum periti, ceu Ægyptii, Chaldæi, Græci, Romanique. Quid igitur cœleſtem annum, qui apud tot gentes in ſermone ac conſuetudine fere quotidiana verſatur, ab Ægypto depoſcunt? At Ægyptii primi id invenerunt? Hoc etiam ubique confeſſum non eſt, ac probatum. Utrum hi an Chaldæi aſtronomiam invenerint, ambigitur,

& pari

& pari momento diſceptatur. Sed nihil ad rem. Quod a multis peti poteſt, nemini attribues proprium. Quare dum Ægyptia in Manilio iſti rimantur, eos dimittamus.

Accedit altera de Chaldæis opinio quæ apud paucos nunc fovetur, antiquis temporibus apud omnes ferebatur, nemine hanc artem Babyloniis negante, qui, ut ait M. Tullius, de ſummis Caucaſi jugis ſigna cœli ſervantes numeris & motibus ſtellarum curſus perſequebantur. Ideoque, cum ea quæ divino carmine exſequitur Manilius, a Chaldæis inventa, culta, diuque retenta ſint, quid prohibet vatis annum ad Chaldæos referre? Profecto apud Manilium quædam nactus ſum, quæ ad Chaldæorum annum propria ſimilitudine ſpectant. Ver enim, ſi a Chaldaico principio in ſigna ſolem revoces, calendis Martiis proximum exiſtit; autumnus inter calendas Septembris ac nonas inchoatur. Neque æſtas a calendis Majis diſtaret, ſi in dimidiato Tauro, non inter Geminos collocaretur. Incipit IV. non. Jun., exoriente Chaldæis Aquila veſperi, Ovidioque Sucularum ſidere. Haud ſecus hiems ex calendis Decembribus notatur, quo die Canis occidit Chaldæis, atque aer per dies XXXVII. ad mediam hiemem exaſperatur. Jam vero Vergiliæ a. d. XI. cal. Maj. Chaldæis mane ſe attollere non incipiunt? Nonne ſexta Tauri pars, a qua idem aſtrum Manilius producit, ad Palilia pertinet, ſi cum Chaldæis XVI. cal. Maji Tauro initium in ſignifero orbe dabis?

At Procyon oriens quum jam viceſima Cancri
Septimaque ex undis pars ſe ſe emergit in aſtra,

ad quos auctores referri poteſt, niſi ad Chaldæos? Hi enim primi hoc prodiderunt, cum Ægyptiis de nona Cancri parte exoriatur. Jam cernimus non minima ſocietate Manilii, & Chaldæorum annum inter ſe conjungi; nulluſque dubito quin omnia in utroque ſimilia concurrerent, ſi naturalis anni modus ea quæ ad inanem diſciplinam exornandam perquirebant, diſcrimina ſubiret. Hoc enim ſolum intuentes, patrii anni ſimilitudine retenta, cætera in id quod formas quaſcunque vellent, ſuſciperet, immutarunt. Ab hoc fonte ars effluxit, quæ imbecilles hominum animos aucuparetur, ac cœleſtium rerum ſpecie mentis aciem obtunderet. Adhuc tamen antiquæ imaginis veſtigia, ut dicebam, ſuperſunt: neque difficile eſt diligentius intuenti Chaldæos agnoſcere utriuſque anni inventores.

Refert nunc ſtatuere a quo ſigno Manilii annus inchoetur. Non ab alio crediderim quam ab Ariete, cui primas ſemper vates attribuit;

Nobile lanigeri ſidus quod cuncta ſequuntur.

Quare hoc ſignum a Chaldæorum ſede ex a. d. XVII. cal. Apr. promovemus. At æquinoctium vernum a qua? Ternas affert de cardinibus ſententias; quoniam

Has quidam vires octava in parte reponunt;
Sunt quibus eſſe placet decimas, nec defuit auctor
Qui primæ momenta daret, frænoſque dierum.

Primam quam item Latini amplexi ſunt, a Chaldæis emanaſſe ex ſuperioribus literis haud ignoras: tertiam ab Ægyptiis, cui Græcorum ſolertiſſimus quique adhæſit, originem ducere, notum tibi exploratumque opinor. At ſecundam cui attribuemus? Nullus auctor ſuperat, ad quem referatur. Quin, ut mea eſt opinio, nullus extitit, ut mox aperiam. Interea quamnam ſecutus fuerit Manilius, videndum. Ab octavis non receſſiſſe argumentum præbent, quæ de bruma canit:

Hic (ſol) *cum per gelidas hiemis ſummotus in aſtra*
Fulget in octava Capricorni parte biformis,
Tunc anguſta dies vernalis vertit in horas
Dimidiam atque novem, ſed nox oblita diei
Bis ſeptem, appoſita, numerus ne claudicet, hora
Dimidia.

Si recto ac definito ordine gubernat ac moderatur omnia, quod in uno cardine conſtituit, in reliquis, ut temporum ſpatia conſtent, non videtur mutaſſe. Peragetur itaque Manilio cum Chaldæis æquinoctium
Tab. III. vernale X. cal. April. quod Atticis IX., Ovidioque VIII. cal. eaſdem; illis quidem in octava Arietis parte; huic, retento eodem ſigni principio, in decima. Hinc in Manilii laudibus non fero, quod decimæ ſignorum parti cardines attributos eſſe canebat. Chaldæorum conſuetudo, & peculiare anni exordium, tanquam commune Romanis, aliiſque populis, ipſum fefellit. Etenim ſi ſummo vitio dabant illis qui anni momenta octavis ſignorum partibus ea tempeſtate attribuebant, quid de iis factum exiſtimes, qui in tanta aſtronomiæ ſolertia ad decimas traduxiſſent? Hac de re quod mihi rationi conſentaneum videretur, inveniebam. Sequitur ut de reliquis ſcribam. Cum ad Cancrum ex Chaldæorum placito aſcendat ſol XIV. cal. Quint. ſolſtitium conficiet VII. cal. ejuſdem, quod Atticis V., decimo nimirum ſigni die peragetur: alterum autem æquinoctium VII. cal. Oct., quod Libram ſol adit XIV. cal. Octob., habetur. Id Atticis tertio hinc die ſervatur. Pari intervallo bruma Chaldæis & Manilio procedit in octava Capricorni parte X. Cal. Jan. Plinio vero, Ovidioque a Chaldaico initio in decima, qui brumalem cardinem VIII. cal. Jan. adnotant.

Nunc

Pag. 196. **TABULA III.**

Annus Manilii cœleſtis.



Sol Arietem adit XVII. cal. April.
Æquinoctium vernum X. cal. April.
Sol Taurum adit XVI. cal. Maii.
Vergiliæ oriuntur XI. cal. Maii.
Sol Geminos adit XV. cal. Jun.
Æſtatis initium IV. non. Jun.
Sol Cancrum adit XIV. cal. Quint.
Solſtitium VII. cal. Quint.
Procyon oritur mane prid. Id. Quint.
Sol Leonem adit: Canicula oritur XIV. cal. Sextil.
Sol Virginem adit XIV. cal. Septembr.
Autumni initium III. non. Septembr.
Sol Libram adit XIV. cal. Octobr.
Æquinoctium autumni VII. cal. Octobr.
Sol Nepam adit XV. cal. Novembr.
Sol Sagittarium adit XVI. cal. Decembr.
Hiemis initium cal. Decembr.
Sol Capricornum adit XVII. cal. Jan.
Bruma X. cal. Januar.
Sol Aquarium adit XVIII. cal. Februar.
Sol Piſces adit XVI. cal. Mart.
Veris initium cal. Mart.

Ann. II.

Æquinoctium vernum X. cal. April.
Æſtatis initium IV. non. Jun.

Nunc de temporibus eſt inquirendum. Æſtatem inter Geminos collocari diximus, quod

Ex Geminis alter florentia tempora veris
Sufficit, æſtatem ſitientem provehit alter.
Nudus uterque tamen, ſentit quia uterque calorem:
Ille ſeneſcentis veris, ſubeuntis at ille
Æſtatis pars eſt, primæ ſors ultima parti.

Sol in Geminos introitum facit XV. cal. Jun. afficitque ſignum per dies XXXI.; quare Geminorum alteri dies XV. horæ XII. competunt, totidemque alteri. Æſtas igitur incipit IV. non. Jun. diebus ab æquinoctio verno LXXI., & XXIII. ante ſolſtitium, Aquila Chaldæis veſperi oriente.

Quin etiam Erigone binis numeratur in aſtris,
Nec facie ratio duplex; nam deſinit æſtas,
Incipit autumnus media ſub Virgine utrinque.

Ad Virginem tranſit Sol XIV. cal. Septembr., Virginique immoratur diebus XXX.; ex quibus ſi XV. priori ſigni parti dabis ad æſtatem attinentes, reliquos XV. ſecunda ſibi aſſumit, quæ autumnum præbet ex a. d. III. non. Sept. diebus LXX. horiſque XII. a ſolſtitio remotum. Sunt propterea æſtivi temporis dies XCII. horæ XII.

Necnon Arcitenens, qui te, Capricorne, ſub ipſo
Præmittit, duplici formatus imagine fertur.
Mitior autumnus molles ſibi vindicat artus,
Materiamque oris: fera tergo membra rigentem
Excipiunt, hiememque.

Adeunte Sagittarium ſole XVI. cal. Decembr. hiems ſub dimidiato Sagittario initium habet ex cal. Decembr., dum Chaldæis Canis delabitur mane, intenditurque frigus. Autumnalis igitur temporis colliguntur dies XXCIX. Quorum termino annexa hiems in alterum e Piſcibus dies XC. producit.

Quoſque Aries præ ſe mittit duo, tempora Piſces
Bina ferunt, hiemem claudit, ver inchoat alter.

Permeat Piſces ſol, ut Chaldæi determinant, ex a. d. XVI. cal. Mart. in a. d. XVII. cal. Apr., quo ſpatio bifariam diviſo, cal. Martiis vernum tempus inchoatur, & ceſſat hibernum. Longiſſimum itaque omnium vernum quod diebus XCIII. horis XII. æſtatem attingit. De Manilii anno ejuſque partibus primis, non puto fore ut quid amplius deſideres. Quare de aſtrorum diſciplina nonnulla ſufficiam.

Nunc Cancro vicina canam, cui parte ſiniſtra

Con-

Conſurgunt Jugulæ.

Quo Latini ſcriptoris præſidio Julius Firmicus Jugulas Aſellos interpretabatur, intelligere nequeo; apud Latinos certe Jugulam vel Jugulas fuiſſe Orionem nemo ignorat. Certe Orionem, quem egregium venatorem inter fabulas extulit Græcia, venandi animos, prædæque cupiditatem aſpirare naſcentibus magis valebit, ut Manilius pollicetur, quam tardus imbelliſque Aſellus. Adde Orionem tam Chaldæis quam Romanis ſolſtitiali die exoriri, quod tempus a cordatioribus aſtronomis, ut jam notum feci, in prima Cancri portione collocatur.

Quum vero in vaſtos ſurgit Nemeæus hiatus,
Exoriturque Canis, latratque Canicula flammas.

XIV. cal. Sextil. tam Chaldæis quam Manilio prodire Caniculam, ſole primam partem Leonis ingreſſo, notabis.

Jam ſubit Erigone quæ cum ter quinque feretur
Partibus ereptis ponto, tolletur ab undis
Clara Ariadnææ quondam monumenta Coronæ.

Corona Firmico, quintam Virginis partem colluſtrante ſole, prodit, & Spica quæ poſt Coronam emergit, Manilio decimam; quapropter carmen vitii reprenditur jure. Nota tibi Joſephi Scaligeri emendatio:

Quæ quando quinque feretur.

Quod iſte fortaſſe perfecit, ego conatus ſum ad hanc ſententiam componere:

Quæ quum de quinque feretur
Partibus.

Attollitur igitur Manilio Corona X. cal. Sept. & Spica V. cal. ejuſdem.

At quum ſecretis improvidus Hœdus in aſtris.
Erranti ſimilis, fratrum veſtigia quærit.

Plures invenies qui iſta reprendunt, quam vitio liberent. Scaliger totus in hunc locum exarſit: ultima emendandi cura ſubſedit. Cum Firmico oriatur Hœdus in XV. Libræ parte, nec vates tempus, ut ſolet, definiat, id ipſum a Firmico repetam; quamvis veram carminis ſpeciem ex fucatis non pollicear:

At quum ter quinis in partibus Hœdus in aſtris.

Si res conjectura penditur, naſcetur Hœdus VI. non. Octobr. cujus grex nonis procedit Chaldæis, ac Cæſari poſtridie.

Nunc ſurgente Lyra, teſtudinis enatat undis
Forma per hæredem tantum prælata ſonantis.

Deinde multis interpoſitis:

Hinc

Hinc diſtante Lyra, cum pars vigeſima ſexta
Chelarum ſurget, quæ cornua ducit ad aſtra
Quid regione pari vix partes octo trahentis
Ara ferens thuris, ſtellis imitantibus ignem.

Nihil hoc carmine in Manilio fœdius plane contenderim, verum Scaligeri editione nihil magis lacerum magiſque divulſum ſine ulla dubitatione affirmabo. Primum carmen XI. verſibus a ſecundo ſeparatum cum ſecundo miſcet, eodemque reparat ac ſarcit.

Nunc ſurgente Lyra teſtudinis enatat undis
Forma per hæredem tantum præfata ſonantis,
Chelarum ſurget cum pars trigeſima ſexta.

Quid hominis tibi videtur dilaniare membra, ex detruncatis unum corpus conglutinare, & longe a ſua ſede traducere, tum diſcerptas partes ita compoſitas Literis tradere memoriæque mandare tanquam germana, & de optimis exemplaribus deprompta? En iterum:

Hinc diſtante Lyra, quæ cornua ducit ad aſtra.

Hiccine eſt interpres? Hiccine afflictæ vetuſtatis reparator? Cuinam pædagogo in vernas tantum licuit, quantum in nobiliſſimum vatem ſibi licere Scaliger opinabatur? Non tamen Scaligero eripiam multa in melius reſtituta, ceu iſtud ex *pari nepæ;* cui nihilominus præcinerat Firmicus. Verumtamen de Scaligero videant alii. Nos omnia membra inter articulos ſuos retinebimus, verſa primi carminis vocula *quum* in *cui*. Siquidem vates cum primo carmine Lyram in Libra exoriri propoſuiſſet, nec definiſſet diem, locumve, tandem id adiecit:

Hinc diſtante Lyra, cui pars viceſima ſexta
Chelarum, ſurget quæ cornua ducit in aſtra
Quid regione Nepæ vix partes octo trahentis
Ara ferens thuris, ſtellis imitantibus ignem.

Ita a Fidicula III. id. Octobr. prodeunte ad Aram tranſit Manilius in octava Scorpionis parte exorientem VIII. cal. Novembr. ferentemque quid thuris. Neque anguli in ara a Latinis improprie cornua dicuntur, qui in tribunali a T. Livio, a Valerio Maximo, a Tacito ſimili nomine vocantur, ſacrarum literarum interpretibus aræ etiam attribuentibus, utrunque cum ſit angulatum corpus.

Jam nihil ſupereſt quod noſtra induſtria melius tibi reddam; ideo epiſtolam complicabo, appoſita eorum quæ præcipua ex Manilio collegi, tabula; quo facilius totam iſtam anni rationem tuo minimo incommodo perpendas. Vale.

D. Patavio VI. cal. April. CIↃ IↃCC XXXIII.

EPI-

EPISTOLA XIX.

De Bœotiorum aſtronomia, & anno ſolari.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

ANtiquorum aſtronomia cum ſit omnis diviſa in tres ſectas, Chaldaicam, Ægyptiam, & Græcam, ex quibus ut Græcam ab illis emanaſſe pro comperto habemus, ita Chaldaica an Ægyptia prior extiterit, & utra utri exemplum prætulerit, certo coniicere non valemus. Quod hominis erat, noſtræque facultatis, de Chaldaica quæ comperimus, ad te proxime ſcripſimus. Nunc Græcam aggredimur, quæ in duas partes abit; nam Bœotia ab Attica plurimum differt, illa Chaldaicæ proxima, hæc Ægyptiæ. Quapropter hac epiſtola Bœotiam tanquam Chaldaicæ rivum conſectabor.

Hujus cultores vetuſtate & doctrina inſignes referuntur multi, ut Heſiodus, Thales, Anaximander, Hippocrates, Democritus, Eudoxus, Callippus, Plutarchus, ex quibus Callippus a recepta ratione nonnihil aberravit; ideoque ejus inſtitutio ſeorſum ab aliis pertractatur. Verum Bœotii a quo principio annum duxerint, ante omnia determinandum eſt. A Canis matutino exortu ſuſpicor, ut Chaldæi. Verum id nunc oſtendere præproperæ eſt curæ. In ſuum itaque locum reſervabo. Modo tanquam certo & probato exordio innitar.

Tab. IV. VIII. cal. Quint. tranſeunte in Cancrum ſole, ſolſtitium fit in prima Cancri parte. Ex quo tabulæ principium figebam.

VI. non. Quint. Eudoxo, ut tradit Geminus, τῇ δ' τῦ καρκίνυ νότ@ πνῶ.

IV. non. Quint. Eudoxo τῇ ιδ τῦ καρκίνυ Ωρίων ἐῶ@ ἐπιτέλλα. Ad hæc reſpicit Plinius, ut ex vitiato loco conjecturam capio: III. *non. Jul. Chaldæis Corona occidit matutino: Atticæ Orion totus eo die exoritur.* Quæ binis maculis inficiuntur; Atticæ enim totus Orion exoritur die Cancri XIII. qui ab Attico initio in a. d. VII. id. Quint. producitur. Quapropter *Bœotiæ* non *Atticæ*, & IV. *non.* non III., ut in Chaldaica ratione indicavi. Illud etiam ἑῶος apud Geminum ὅλος ex Plinio fuiſſe apparet, quoniam in Geminis incipit Bœotiis attolli Orion, Eudoxo quidem die Geminorum XXIV., Democrito autem XXIX.

XIII. cal. Sextil. Eudoxo τῇ κζ' τῦ καρκίνυ κύων ἐῶ@ ἐπιτέλλα, καὶ

σκὸς

TABULA IV.

De Bœotio Anno Solari.



τὰς ἐπομένας ἡμέρας νέ ἠτέσιαι πνέυσιν· αἱ δὲ πέντε πρόδρομοι καλοῦνται. Poſtridie itaque nempe XII. cal. Sext. incipiunt Prodromi, eteſiæ autem VII. cal. eaſdem, & ceſſant, exoriente mane Arcturo, idibus Septembribus.

IX. cal. Sextil. Eudoxo τῇ λά τᾶ καρκίνᾳ νότῳ πνεῖ.

VIII. cal. Sext. Sol in Leonem tranſitum facit.

IV. cal. Sextil. τῇ έ τᾶ λέοντῳ ἀετὸς ἐῶῳ δύνει. Eudoxo.

III. non. Sextil. Eudoxo τῇ ί τᾶ λέοντῳ στέφανῳ δύνει.

V. id. Sextil. Eudoxo τῇ ις' τᾶ λέοντῳ ἐπισημαίνει.

III. id. Sextil. Eudoxo Δελφὶς τῇ ιή τᾶ λέοντῳ ἐῶῳ δύνει.

Poſt Delphini exortum attendendi ſunt dies L., quos poſt ſolſtitium Heſiodus navigaturis fauſtos pollicetur hoc carmine:

Εἴμαπα πεντήκοντα μετὰ τροπὰς ἠελίοιο
Ἐς τέλῳ ἐλθόντος θέρεος καματώδεος ὥρης
Ὡραῖος πέλεται θνητοῖς πλόος.

Incidunt enim in id. Sextil. appropinquante Fidiculæ occaſu, unde autumnale tempus plerique ſumunt, ut ſæpius dicam.

XVIII. cal. Septembr. Eudoxo τῇ κβ' τᾶ λέοντος λύρα ἑῶος δύνει, καὶ ἐπισημαίνει.

XI. cal. Septembr. Eudoxo τῇ κθ' τᾶ λέοντος ἐπισημαίνει.

VII. cal. Septembr. Sol in Virginem declinat.

III. cal. Septembr. Eudoxo τῇ έ τῆς παρθένᾳ ἄνεμος μέγας πνεῖ, καὶ ἐπιβροντᾷ.

Prid. non. Septembr. Eudoxo τῇ ί τῆς παρθένᾳ ὑετὸς, βρονταὶ, ἄνεμος μέγας πνεῖ.

Idibus Septembr. Eudoxo τῇ ιθ' τῆς παρθένᾳ ἀρκτῦρος ἑῶος ἐπιτέλλει, καὶ τὰς ἐπομένας ἡμέρας ζ' ἄνεμοι πνέουσιν· αἴθρια ὡς τὰ πολλά· λέγοντος δὲ τᾶ χρόνᾳ, ἀπ' ἠόῳ πνεῦμα γίνεται. Ab hoc ſigno vindemiam auſpicatur Heſiodus.

Εὖτ' ἂν δ' Ὠρίων καὶ Σείριος ἐς μέσον ἔλθῃ
Οὐρανὸν, ἀρκτῦρον δ' ἐσίδῃ ῥοδοδάκτυλος ἠώς,
Ὦ Πέρση, τότε πάντας ἀποδρέπε οἶκαδε βότρυς.

VII. cal. Octobr. Sol in Libram introitum facit, dieſque noctibus æquales præbet. Hucuſque ab Arcturi exortu dies XII. numerabis, quot Galenus Hippocratis explanator deſignat. Finiuntur quoque a ſolſtitio dies XCIII. quos Hippocrates inter autumni æquinoctium & ſolſtitium meminit oportere intereſſe.

IV. cal. Octobr. Eudoxo τῇ δ' τᾶ ζύγᾳ αἴξ ἀκρόνυχῳ ἐπιτέλλει. Confirmat Plinius hoc modo: *Deinde conſentiunt* (*quod eſt rarum*) *Philippus*, *Callippus*, *Doſitheus*, *Parmeniſcus*, *Conon*, *Democritus*, *Eudoxus*,

Jon IV. cal. Octobr. Capellam matutino exoriri, & III. cal. Hædos. Inter quos Democritum atque Eudoxum Bœotiæ disciplinæ agnosco : Atticæ vero nullum; abest enim Euctemon, quo se usum I. volumine Plinius fatetur. Reliquorum libri ad nos non pervenerunt. Sed, inquies, cur mihi vitiata scribis ? Cur istud *Jon* damnatum ab aliis, & subductum atque extinctum ab Harduino, adhuc in Plinio revirescere finis ? Ædepol alia mihi est mens. Etiam vitia quæ tollere nequeo, in veteribus monumentis placent. Quid tandem hominis, dices, videtur tibi *Jon?* nullus. Ergo ex eo, qui nullus est, quid commodi speras? At spero, & tibi etiam, diis bene juvantibus, præstabo. Extrema illa sunt (nisi maxime fallor) cum *Euctemon* scriberetur ; hic enim cum reliquis consentit III. cal. Octobr. Hœdos (nam Capræ exortum die Virginis XX. Atticis reddidit Geminus) vesperi emergere die Libræ III., quod signum Atticis incipit a sole colluστrari V. cal. ejusdem. Verum qui tam facile quæ non sunt tollenda, tollunt, cur corrigenda non corrigunt ? nam *vespertino* pro *matutino* esse debere in Plinio uterque auctor nempe Eudoxus atque Euctemon demonstrat.

VI. non. Octobr. Eudoxo τῇ ἡ τῆ ζύγε πλειάδες ἐπιτέλλεσι vesperi nimirum.

IV. non. Octobr. Eudoxo τῇ ί τῆ ζύγε ἑῶϙ ἐπιτέλλει. Quid hoc tempore Bœotiæ oriebatur, vetustas tenebris immersit, atque extinxit? σίφαϙ, ut arbitror, erat, quæ Chaldæis, Atticis, & Latinis inter calendas & nonas Octobris prodit mane.

Prid. non. Octobr. Eudoxo τῇ ιβ΄ τῆ ζύγε σκορπίϙ ἀκρόνυχϙ ἄρχεται δύνειν, καὶ χειμὼν ἐπιγίνεται, καὶ ἀνεμϙ μέγας πνεῖ.

V. id. Octobr. Eudoxo τῇ ιζ΄ τῆ ζύγε σκορπίϙ ὅλϙ ἀκρόνυχϙ, αὖξ ὅλϙ δύνει. Quid αὖξ ὅλϙ ? Oritur Capra IV. cal. Octob. ideo non fit verisimile totam V. id. ejusdem immergi. In vitiata exemplaria nos incidisse opinamur, in quibus δύνει ab ἀκρόνυχϙ removetur, atque a Capra abest ἐπιτέλλει. Animadvertas etiam, scribendumne sit ἡνίοχϙ pro αὖξ ὅλϙ; quod Auriga IV. non. Oct. Chaldæis, Cæsari, ac Columellæ definitore descendit. Id si probas, utrique astro convenit δύνει.

III. id. Octobr. Eudoxo τῇ ιδ΄ τῆ ζύγε βορέαι καὶ νότοι πνέουσιν.

XVII. cal. Novembr. Eudoxo τῇ κβ΄ τῆ ζύγε ὑάδες ἀκρόνυχοι ἐπιτέλλουσιν. Quæ postridie Chaldæis.

XIV. cal. Novembr. Thaleti asserit Plinius Vergilias mane occidere die ab æquinoctio autumnali XXV. Quem occasum solis exortu fieri intelligimus, de quo Columella : *XIII. & XII. cal. Novembr. solis exortu Vergiliæ incipiunt occidere.* Die recessit ; quod XIV. cal. Solem in

Scor-

Scorpionem transire adnotabat. Occidunt etiam, exoriente sole, Vergiliæ Chaldæis X. cal. Novembr., quo tempore, eodem Plinio auctore, Anaximandro delabuntur die post solstitium XXIX. Hoc eodem die Eudoxo τῇ κδ' τῦ ζύγυ βορέας καὶ νότ☉ πνέυσιν.

VIII. cal. Novembr. Sol in Scorpionem fertur.

V. cal. Novembr. Democrito τῇ δ' τοῦ σκορπίυ πλειάδες δύνυσιν ἅμα ἠοῖ· ἀνεμοι χειμέριοι ὡς τὰ πολλὰ, καὶ ψύχη, ἤδη καὶ πήχνη. ἐπιπνεῖν φιλεῖ. φυλλορρεῖν ἀρχεται τὰ δένδρα μάλιστα. Quod imitatus est Columella: *V. cal. Novemb. Vergiliæ occidunt. Hiemat cum frigore & gelicidiis.*

Calendis Novembribus Eudoxo τῇ ἡ τοῦ σκορπίυ ἀρκτοῦρ☉ ἀκρόνυχος πρωΐας δύνει, καὶ ἐπισημαίνει, καὶ ἄνεμος πνεῖ.

Nonis Novembr. Eudoxo τῇ ιβ' τοῦ σκορπίυ Ὠρίων ἀκρόνυχος ἄρχεται ἐπιτέλλειν.

VIII. id. Novembr. Democrito τῇ ιγ' τοῦ σκορπίυ λύρα ἐπιβάλλει ἅμα ἡλίῳ ἀνίσχοντί· καὶ ὁ ἀὴρ χειμέριος γίνεται ὡς ἐπὶ τὰ πολλά. Hoc die & Columellæ Fidis tota exoritur.

VII. id. Novembr. Eudoxo τῇ ιδ' τοῦ σκορπίυ ὑετία.

III. id. Novembr. Eudoxo τῇ ιή τοῦ σκορπίυ σκορπίος ἄρχεται ἐπιτέλλειν ἑῶς.

Prid. id. Novembr. Eudoxo τῇ ιθ' τοῦ σκορπίυ, πλειάδες ἑῶαι δύνυσι, καὶ Ὠρίων ἄρχεται δύνειν, καὶ χειμάζει. Diebus itaque XLVIII. ab autumni æquinoctio occidunt Vergiliæ mane, quot Hippocrates de victus ratione differens interponit. Nunc mihi majoris diligentiæ causa ex Plinio suboritur. Scribit se mirari cur auctores qui in eadem cœli conversione de stellarum motibus commentati sunt, diversa prodant, ut Hesiodus qui in libro de *Astrologia* inscripto Vergilias mane occidere tradit, cum autumni æquinoctium conficitur: Thales diebus ab eo æquinoctio XXV.: Anaximander XXIX.: Euctemon XLVIII. In quo *Euctemon* pro *Eudoxus* temere scribitur; nam Euctemoni die Scorpionis XV. occidunt matutino Vergiliæ IV. id. Novemb. diebus ab Attico æquinoctio XLIV. Præterea Athenienſis, non Milesius, aut Bœotius. Sed quid illa Hesiodi *Astrologia* tibi videtur? Profecto non inficior extitisse tempus quo Vergiliæ mane delaberentur, cum autumnale æquinoctium conficiebatur. Attamen talem occasum convenire libris, quos ab Hesiodo habemus, convenire Hesiodi doctrinæ, id sane nego. De Tritici satione scriptum est ab eodem:

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἀρχεσθ' ἀμητοῦ, ἀρότοιο δὲ δυσσομενάων.

Quod monitum veterum scriptorum consensu, agricolarum omnium

conſuetudine ac longo uſu compertum & confirmatum Latinus etiam vates nobis inculcat hoc metro:

At ſi triticeam in meſſem, robuſtaque farra
Exercebis humum, ſoliſque inſtabis ariſtis,
Ante tibi eoæ Atlantides aſcondantur,
Gnoſiaque ardenti decedat ſtella Coronæ,
Debita quam ſulcis committas ſemina.

Si igitur ſerendi ſignum quod ab occidente Vergiliarum ſidere capiunt agricolæ, videlicet ab ineunte hieme, ad autumni æquinoctium transferatur, autumnali cardine ſerendum erit, antequam calor tenellis ſatis infeſtus ſe infringat. Non te ad calidiora loca revoco. Ciſalpina hæc Gallia quamvis frigidulæ plagæ ſubiecta, cum montibus nivoſis circumſepiatur, quamvis pruinis & gelicidiis præproperis tentata, tamen ſub hiemem campeſtris Tritico ſeritur, ne ſeges luxuriet, vermibuſque affligatur. Attamen Gallis ſerendi diſciplinam non tradebat Heſiodus, ſed illis

Οὗτος σι πεδίων πέλεται νόμος· οἵτε θαλάσσης
Ἐγγύθι ναιετάουσι οἵτ' ἄγκεα βησσήεντα
Πόντῳ κυμαίνοντος ἀπόπροθι πίονα χῶρον
Ναιῶσιν.

Dabo alium ab Heſiodo ſationis indicem:

Φράζεσθαι δ' ὅτ' ἂν φωνὴν γεράνου ἐπακούσης
Τῆθεν ἐκ νεφέων ἐνιαύσια κεκληγυίης,
Ἥτ' ἀροτοῖό τε σῆμα φέρει, καὶ χείματος ὥρην
Δεικνῦ ὀμβρηρῆ.

Occidentibus igitur æquinoctiali tempore Vergiliis, a quibus ſationis opportunitas petitur, ſequitur circa æquinoctium exiſtere hiemem, & tunc in calidiora Grues advolare. Verumenimvero hiemem, & autumni æquinoctium nemo, in quo certa ratio conſiliumque conſtet, conjungere poterit: neque Grues igitur remeabunt, niſi frigus præcedat, & ſubeat hiems, quibus ad alias ſedes quærendas impelluntur. Propterea, ſi lirandum arvum, cum Vergiliæ mane deſcendunt, cum Grues redeunt, cum hiems inſtat, longe ab æquinoctio Vergiliæ immergentur. At etiam Thaleti, & Anaximandro Vergiliarum occaſus ad autumni æquinoctium propius accedit, quam Hippocrati & Eudoxo? Sane & Democrito, & Chaldæis, & Columellæ: verum ἅμα ἡλίῳ occidunt; neque id ad hibernum tempus determinandum intuentur. Jam vero de navigandi opportunitate non præcipit vates, diebus L a ſolſtitio maturam eſſe navigationem; nam

Εὖτ'

Εὖτ' ἂν Πληϊάδες, Διὸς ὄμβριμον Ὠρίωνος
Φεύγουσαι, πίπτωσιν ἐς ἠερόεντα Πόντον,
Δὴ τότε παντοίων ἀνέμων βύσσειν ἀῆται.
Καὶ τότε μηκέτι νῆας ἔχειν ἐνὶ οἴνοπι Πόντῳ.
Γλῶ δ' ἐργάζεσθαι μεμνήμενον, ὥς σε κελεύω.

Non cernis, occidentibus Vergiliis, claudi maria, & hibernos ventos dominari; tunc vero, ſubductis navibus, opportunam eſſe ſationem? Quapropter circa æquinoctium vernum delabi Pleiades Heſiodi ævo quis ſcribere impune poterit, ſed ad Heſiodum referre, & tale tempus ſationi accommodare, nequaquam. Quid ergo? Falſa ſcripſit Plinius? Non puto falſa ſcripſiſſe, qui, quod legerat, ſcripſit: ſed vereor maxime, ne in librum qui falſum Heſiodi nomen præferret, inciderit. Verum de Vergiliarum matutino immerſu ſatis.

XVIII. cal. Decembr. Eudoxo τῇ κά τοῦ σκορπίου λύρα ἑῴα ἐπιτέλλει. Eadem Chaldæis pridie. Apud Columellam notæ vitiatæ videntur: *XVI. cal. Decembr. fidis exoritur mane*; ideo Pſeudoptolemæus Leonicenus refert: *XVII. cal.* & quæ in Columella *XV. cal.* narrantur, *XVI.* reddit.

X. cal. Decembr. Eudoxo τῇ κϑ' τοῦ σκορπίου ὑάδες δύνουσι, καὶ χειμαίνει σφόδρα. Quod Chaldæis pridie.

IX. cal. Decembr. ſol ad ſagittarium vergit.

Prid. non. Decembr. Eudoxo τῇ ιβ' τοῦ τοξότου κύων ἑῷος δύνει· χειμαίνει.

VIII. id. Decembr. Eudoxo τῇ ιδ' τοῦ τοξότου ὑετός.

VI. id. Decembr. Democrito τῇ ις' τοῦ τοξότου ἀετὸς ἐπιτέλλει ἅμα ἡλίῳ, καὶ ἐπισημαίνειν φίλει βροντὴν καὶ ἀστροπὴν, καὶ ὕδατι ἢ ἀνέμῳ ἢ ἀμφοτέρα, ὡς ἐπὶ τὰ πολλά. Eudoxo autem κύων ἀκρόνυχος ἐπιτέλλει.

Idibus Decembris Eudoxo τῇ κά τοῦ τοξότου σκορπίος ἑῷος ἐπιτέλλει. Columella concurrit: *Idibus Decembr. Scorpius totus mane exoritur*, unde ὅλος non ἑῷος in Eudoxo fuiſſe intelligitur; quandoquidem III. id. Novemb. prodeuntem mane Nepam Eudoxo paulo ante deſignavi.

XVIII. cal. Jan. Eudoxo τῇ κγ' τοῦ τοξότου αὖξ ἑῷα δύνει.

XV. cal. Jan. Eudoxo τῇ κς' τοῦ τοξότου ἀετὸς ἑῷος ἐπιτέλλει.

X. cal. Jan. ſol in Capricornum recedit.

VII. cal. Jan. Eudoxo τῇ δ' τοῦ αἰγοκέρωτος τροπαὶ χειμεριναί· χειμαίνει. A Vergiliarum itaque matutino occaſu prid. id. Novembr. in brumam dies XLIV. complentur, ut colligit Hippocrates; ab æquinoctio vero autumnali dies XCII.

Prid. cal. Jan. Eudoxo τῇ δ' τοῦ αἰγοκέρωτος τέφανος ἀκρόνυχος δύνει.

III. non. Jan. Democrito τῇ ιβ' τοῦ αἰγοκέρωτος νότος πνεῖ —— ὡς ἐπιτέλλει. Hoc ipſo die Delphinus mane Chaldæis exoritur, Cæſari poſtridie. Quare Δελφὶς ἑῶος vetuſtate in Democrito deperditum arbitrabar.

Ex. a. d. prid. non. Decembr. quo Canis mane Eudoxo deprimitur, in a. d. IV. id. Jan. hoc eſt in ſummam hiemem dies XXXVII. de quibus in Chaldaica aſtronomia ad te ſcripſi, intercedunt. Quare in Ovidio IV. id. Jan. media hiems quæ notatur, ab Eudoxo a quo multa ſuis faſtibus complexus eſt vates, deſumpta videtur.

XI. cal. Febr. Sol Aquarium ingreditur.

X. cal. Febr. τῇ β' τοῦ ὑδροχόου ἄλοχος χειμών. Neſcio quid deſiderari credo; neque id ex Ovidio quid ſit, cognoſcere multæ eſt induſtriæ.

VIII. cal. Febr. Eudoxo τῇ δ' τοῦ ὑδροχόου Δελφὶς ἀκρόνυχος δύνει.

Calendis Februarii Eudoxo τῇ ιά τοῦ ὑδροχόου λύρα ἀκρόνυχος δύνει· ὑετός. Calendis quoque Febr. Columellæ Fidis incipit occidere.

Prid. non. Febr. Eudoxo τῇ ιδ' τοῦ ὑδροχόου ᾠδία, ἐνίοτε καὶ ζέφυρος πνεῖ.

VIII. id. Febr. Democrito τῇ ις' τοῦ ὑδροχόου ζέφυρος πνεῖν ἄρχεται, καὶ παραμένει ἡμέρας γ' καὶ μ' ἀπὸ τροπῶν. A bruma huc pertinent dies LII.; quare, ut ſpatium concurrat, ſcribendum ιζ'. Et VII. id. Febr. Cæſari, Varroni, ac Columellæ Favonius incipit ſpirare. Sed Eudoxo quodnam veris principium attribuam? Non aliud profecto quam quod Ovidius in *Faſtorum* II. volumen tranſtulit, ſtatuitque V. idib. Febr. Ad hoc enim a bruma dies XLIV. colliguntur, quibus Chaldæi, Attici, ac Latini vernum tempus ab eo cardine diſtinguunt. Non me latet futuros nonnullos, qui Hippocratem repugnare affirment, quod tot dies numerat a Vergiliis occidentibus ad brumam, quot hinc ad Favonium; ideo VI. id. Febr. vernam eſſe ſedem. Afferam Hippocratis verba, quo commodius hanc ſententiam infirmare valeam: ἀπὸ πλειάδων δύσιος μεχρὶς ἠλίου τροπῶν ἡμέρας τεσσαράκοντα τέσσαρας· περὶ δὲ τοῦ προπίνειν ἐν φυλακῇ ὅτι μάλιστα εἶναι, καὶ ἀπὸ τροπῆς ἡλίου ἄλλας τοσαύτας ἡμέρας, τῇ αὐτῇ διαίτῃ χρέεσθαι. Quid eſt cur per brumam maxima cuſtodia uti oporteat, ſi bruma breviſſimo ſpatio peragitur? Totum quidem diem quo cardo brumalis vertitur, definit Hippocrates. Hoc excepto, in Favonium eandem victus rationem, idemque dierum XLIV. intervallum, quæ a Vergiliis in brumam præſcripſerat, ſervanda jubet. Quare data a nobis Veri ſedes non adverſatur Hippocrati. Adverſatur autem? Quin ſecus fieri nullo modo poteſt, ut deinceps in Arcturo oſtendam.

IX. cal. Mart. ſol remeat in Piſces.

VI.

VI. cal. Mart. Democrito τῇ δ' τῶν ἰχθύων ποικίλαι ἡμέραι γίνονται ἀλκυονίδες καλέμεναι. Eudoxo vero ἀρκτοῦρος ἀκρόνυχος· ἐπιτέλλει, καὶ ὑετὸς γίνεται, καὶ χελιδὼν φαίνεται, καὶ τὰς ἑπομένας ἡμέρας λ' βορέαι πνέουσι, καὶ μάλιστα οἱ προορνίθιαι καλούμενοι. Ecce nunc Hippocrates conſtitutum veris terminum ut confirmat: poſt Favonium ait eſſe ἡμέρας πεντεκαίδεκα ὅτε ἡ ἀρκτούρε ἐπιπολῆ, καὶ χελιδὼν ἥδε φέρεται. Numquid a V. id. Febr. ad VI. cal. Mart. dies XV. non numerantur? Exoritur itaque veſperi Arcturus poſt dies LX. a bruma, quot Plinius in Apum cultura memorat, & quot Heſiodi hoc carmen nos docet:

Εὖτ' ἂν δ' ἑξήκοντα μετὰ τροπὰς ἠελίοιο
Χειμέρι' ἐκτελέσῃ ζωὸς ἤματα, δή ῥα τότ' ἀστὴρ
Ἀρκτοῦρος προλιπὼν ἱερὸν ῥόον Ὠκεανοῖο,
Πρῶτον παμφαίνων ἐπιτέλλεται ἀκρονεφαιος.

Prid. non. Mart. Democrito τῇ ιδ' τῶν ἰχθύων ἄνεμοι πνέουσι ψυχροὶ οἱ ὀρνίθιαι καλέμενοι ἡμέρας μάλιστα δ'. Per totidem dies Plinio Ornithiæ ſive Chelidoniæ durant.

III. id. Mart. Eudoxo τῇ κά τῶν ἰχθύων στέφανος ἀκρόνυχος ἐπιτέλλει· ἄρχονται ὀρνίθιαι πνέοντες. Columellæ etiam III. id. Mart. ſeptemtrionales venti oriuntur.

X. cal. April. ſol in Arietem tranſitum facit.

V. cal. April. τῇ ς' τοῦ κριὸς ἰσημερία· ὑετὸς γίνεται. Quadrat igitur Hippocratis dierum XXXII. ſpatium ab Arcturo ad vernum æquinoctium; ideo a bruma dies XCII. habentur. Sed in æquinoctium produci ab Eudoxo etiam Ornithias credo, imminuta nota λ' pro λβ', in hunc enim terminum Euctemoni item ſpirant.

Prid. non. April. Eudoxo τῇ ιγ' τοῦ κριὸς πλειάδες ἀκρόνυχοι δύνουσι, καὶ Ὠρίων ἄρχεται δύνειν ἀπὸ ἀκρονύχου· ὑετὸς γίνεται. Democrito ſimiliter πλειάδες κρύπτονται ἅμα ἡλίῳ ἀνίσχοντι, καὶ ἀφάνειες γίνονται νύκτας μ'. Plinius aſſentitur ſcribens III. non. April. in Attica Vergilias veſperi occultari, & poſtridie in Bœotia.

Prid. id. April. Eudoxo τῇ κά τοῦ κριὸς ὑάδες ἀκρόνυχοι δύνουσι. Eodem die Columellæ Suculæ celantur.

XIV. cal. Majas Eudoxo τῇ κζ' τοῦ κριὸς λύρα ἀκρόνυχος ἐπιτέλλει.

IX. cal. Maj. tranſeunte in Taurum ſole, Eudoxo τῇ ά τοῦ Ταύρου Ὠρίων ἀκρόνυχος δύνει.

Poſtridie Euctemoni & Eudoxo celari veſperi Canem refert Geminus, cujus verba exſcribam: ἐν δὲ τῇ β' τοῦ Ταύρου Εὐκτήμονι κύων κρύπτεται, καὶ γαλάνα γίνεται· τῇ δ' αὐτῇ λύρα ἐπιτέλλει, Εὐδόξῳ κύων ἀκρόνυχος δύνος, καὶ ὑετὸς γίνεται. Necnon in Plinio habemus VI. cal. Maji

Bœo-

Bœotiæ & Atticæ Canem veſperi delabi, Fidiculam autem oriri matutino. Recte Plinius ad tempus convenit, ſi vitium Gemino eximamus; nam in Attica diſciplina, in qua ad Taurum ſol venit VII. cal. Maji, poſtridie contingunt, quæ die Tauri II. Euctemoni viſa ſunt: at in Bœotia qua ratione? Facile autem perturbata & confuſa illuſtrantur: τῇ δ' αὐτοῦ λύρα ἐπιτέλλει. Sic dies Tauri IV. a Bœotio principio IX. cal. Maj. & dies Tauri II. ab Attico VII. cal. ejuſdem in a. d. VI. cal. Majas concurrunt.

III. cal. Maj. Eudoxo τῇ ζ' τοῦ ταύρου ὑετὸς γίνεται.

Cal. Majis Eudoxo τῇ δ' τοῦ ταύρου αἴξ ἑῶα ἐπιτέλλει. Eodem tempore Ovidio naſcitur Capella.

V. non. Maj. Eudoxo τῇ ιά τοῦ ταύρου σκορπίῳ ἑῴῳ δύνειν ἀρχεται, καὶ ὑετὸς γίνεται.

III. id. Maji Eudoxo τῇ μιᾷ καὶ εἰκάδι τοῦ ταύρου σκορπίῳ ἑῴῳ ὅλῳ δύνει.

Pridie id. Maji Eudoxo τῇ κβ' τοῦ ταύρου πλειάδες ἐπιτέλλουσι, καὶ ἐπισημαίνουσι. Id confirmat *Faſtorum* auctor lib. V.

Pleiades aſpicies omnes totumque ſororum
Agmen, ubi ante idus nox erit una ſuper.
Tunc mihi, non dubiis auctoribus, incipit æſtas,
Et tepidi finem tempora veris habent.

Latent igitur Vergiliæ diebus XL. quot pertinent a prid. non. April. in prid. Id. Maji, ut Democritus determinat. Cui tamen Heſiodi muſa facem prætulerat.

Αἱ δεί τοι νύκτάς τε καὶ ἤματα τεσσαράκοντα
Κεκρύφαται.

Hinc æſtivum tempus principium ducit, ut etiam Hippocrates prodit, & dies verni XCIV. finiuntur. Quapropter æſtas ab æquinoctio verno ſeparatur per dies XLVII., a ſolſtitio autem per dies XLI.

IX. cal. Jun. ſol abit e Tauro, & Geminos ſubit.

V. cal. Jun. Eudoxo τῇ ε τῶν διδύμων ὑάδες ἑῶαι ἐπιτέλλουσιν. Neque diſſimilis Ovidius.

III. cal. Jun. Eudoxo τῇ ζ' τῶν διδύμων ἀετὸς ἀκρόνυχος ἐπιτέλλει.

IV. non. Jun. Democrito τῇ ι τῶν διδύμων ὕδωρ γίνεται.

Nonis Juniis Eudoxo τῇ ιγ' τῶν διδύμων ἀρκτῶρος ἑῴος δύνει.

IV. id. Jun. Eudoxo τῇ ιή τῶν διδύμων δελφὶς ἀκρόνυχος ἐπιτέλλει. Hoc item hauſerunt Ovidius & Columella.

XVI. cal. Quint. Eudoxo τῇ κδ' τῶν διδύμων Ὠρίων ἄρχεται ἐπιτέλλειν. Non diſcrepat Ovidius.

XI. cal.

XI. cal. Quint. Democrito τῇ κδ' τῶν διδύμων ἄρχεται Ὠρίων ἐπιτέλλειν, καὶ φιλεῖ ἐπισημαίνειν ἀπ' αὐτῆ.

Hæc ferme ſunt quæ de ſtellarum trajectionibus indicationibuſque ex Bœotia ſecta collegi. De temporibus nonnulla addenda reſtant. A Fidiculæ occaſu ad Vergiliarum occaſum ſi autumnus producitur, dies XXCIX. putantur, quot ab occiduis Vergiliis inita hieme ad ver IV. id. Febr. Ab hoc ad æſtatem Vergiliarumque exortum XCIV.; exinde ad autumnum & delabentem Fidiculam XCIII. Vetuſtiores tamen paulo diſſimilius annum ſecabant. Nam Hippocrates autumnum ab Arcturi exortu idibuſque Septembr. incipit, & per dies LX. producit ad Pleiadum occaſum. Hinc hiemem quidem deſumit, verum in æquinoctium vernum prorogat, & hiberni temporis dies CXXVI. ducit. Ab eo æquinoctio ad exortas Vergilias ver habet dierum XLVII. Exin dies CXXII. ad matutinum arcturi exortum æſtati tradit. Ex quo credere licet antiquiſſimis temporibus annum in hiemem & æſtatem ſeparatum, ut Thucydides partitur; ver enim appendix videtur hiemis; autumnus æſtatis. Ex illa ſumma conſtant dies CLXXXIII.; ex hac CLXXXII. Ita annus per æqua fere diſtinguitur & ſecatur. Euripides quoque, referente Plutarcho, cum in quatuor partes annum dividi placuiſſet, quaternos menſes æſtati, & hiemi attribuebat; binos veri & autumno, ut διὰ πασῶν hiems ad Ver, atque æſtas ad autumnum decurreret. At Heſiodus ab Hippocrate vere differt, qui, exorto Arcturo, canit:

Τόνδε μέτ' ὀρθρογόη Πανδιονὶς ὤρτο χελιδὼν
Ε'ς φάος ἀνθρώποις ἔαρος νέον ἱσαμένοιο.

Ab Arcturo ad brumam dies LX. pertinere diximus; totidem ab ea in a. d. VII. cal. Maj. ubi Ovidius medium ver collocabat, numerabis, totidemque a medio vere ad ſolſtitium. Porro autumnum Heſiodo incipi, exoriente matutino Arcturo, indicatum eſt; ideoque autumnalis temporis dies LX. De autumno habeo quid etiam ab Heſychio quod partim ad Bœotios vel Chaldæos, partim ad librarios vel Aſtronomiæ veteris depravatores pertinere videbis. Autumnum eſſe ſcribit ἀπὸ τῆς πεντεκαιδεκάτης αὐγέστου μηνὸς ἕως τῆς πεντεκαιδεκάτης δεκεμβρίου. οἱ δὲ ἀπὸ τῆς εἰκοστῆς δευτέρας αὐγέστου ἕως πάλιν εἰκοστῆς δευτέρας Δεκεμβρίου. Quis dies CXXIX. autumno eſt unquam largitus? Hoc cui vertemus culpæ? Heſychione homini Mileſio, & Bœotiorum ſcientia imbuto (nam Thales, Anaximander, Democritus Mileſii) an audaciſſimorum hominum generi, quorum opera veteres ſcriptores tot vitiis inquinantur? Sane a Fidiculæ occaſu XVIII. cal. Sept. autumnus exiſtit ἕως ιβ' τοῦ Νοεμβρίου. De altera autumni ſede quid dicam? Ab

Auguſti tabula vel a Plinio deſumptam puto. Quod ſi vera conjicimus, profecto ſcribendum ἀπὸ ιβ' αὐγέστου ἕως ιά Νοεμβρίου. Prid. id. Auguſti occidit Fidicula, autumnumque inchoat, qui permanet in a. d. III. id. Novembr., delabentibus mane Vergiliis.

De Bœotiorum cœleſti anno hæc ad te ſummatim ſcribebam; quod tu in tota Græcorum antiquitate aſſidue verſatus plura mihi ſuppeditare potes, quam ego ad te mittere. Vale.

Dabam Patavio XIII. Cal. Maji CIↃ IↃCC XXXIII.

EPISTOLA XX.

De Dieteride ac Tetraeteride Bœotia, deque Eudoxi Octeateride.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

INter ea quæ longa antiquitate penitus obducta jacent, Bœotius annus civilis, & Eudoxi Octeateris reperitur, quorum fama ad nos ſola demittitur: cætera alta oblivio ſuppreſſit. De his aſſidua, & nunquam intermiſſa contentione, poſtquam Patavium ex maritimis oris me recepi, tentavi ſæpius ſuſpicionibus & conjecturis ex profunda temporis altitudine quid proferre, quod ad te mitterem. Itaque modo veterum, modo poſteriorum, quibus noſtra ætas ad ſummam ſolertiam perducta eſt, monumenta pervolvi, & omnia quæ in rem præſentem cadere poterant, magna diligentia mecum perpendi, accuratiuſque ſum meditatus. Verum aut nihil commodi illis ineſſe deprendi, aut, ſi inerat, non ſum aſſecutus. Vetera enim longa varietate confuſa, & ſurſum deorſumque tot fortunæ caſibus, & tanta temporum viciſſitudine verſata videbam: recentia vero verborum cavillationibus immiſta, ac captioſis diſputationibus illigata mirabar. Quibus certe multum provideri debet, non ſolum ne res, verum etiam ne auctoritas nos decipiant. Etenim veri ſpecie blandiuntur, & inconſultos animos impetu quodam rapiunt; præterea nomine & ſapientiæ titulo non invitant ſolum, ſed etiam impellunt. Quare circumſpecto judicio uſus, cum plus incommodi illic cognoſcerem quam utilitatis, cumque eorum qui illos ſecuti erant, exemplo abſterrerer, ad vetera rurſus totum me contuli,

li, posthabitis omnibus, qui a veteribus dissidebant. In quibus tamen nihil fortasse profeciissem, absumptis scriptoribus & libris, quibus Bœotii fasti, & Eudoxi inventa tradebantur, nisi in Plinio spes aliqua affulsisset. Hic libro II. refert opinari Eudoxum non ventorum modo, sed etiam reliquarum tempestatum, exacto quadriennio, easdem vices redire, & addit esse principium lustri ejus semper intercalari anno Caniculæ exortu. Hinc subobscura luce apparet quod quærebamus; nam lustrum quod intercalari anno ex Caniculæ emersu dicitur, alterum in Octeateride est, quia Octeateris III. anno, V., & VIII., ut prodit Geminus, mensem intercalarem admittit. Inchoatur itaque lustrum XIII. cal. Sext. quo Caniculam Eudoxo mane exoriri ad te scripseram. Nunc primi lustri sive Octeateridis initium restat, ut coner tibi reddere. Non te latet Octeateride dies MMDCCCC XXII. concludi, quot octies sol signiferum orbem perlustrat. Ex quibus primum lustrum, quoniam unum tantum intercalarem mensem excipit, MCCCCXLVI. sibi assumere, ac deficere a quatuor solis annis, quorum summa dies MCCCCLXI., diebus XV.: alterum vero, in quo duo menses intercalantur, in dies MCCCCLXXVI. diffundi, quatuor solidos annos superans diebus XV., quot primum superabatur. Quapropter alterum lustrum recedit ab Octeateridis initio diebus XV., per quos primum a solis cursu subsedit. Pridie igitur non. Sextil. quod anni Chaldaici principium offendimus, Eudoxi ambitus exordium sumit. Jam Salmasii, qui portentosa de hoc Plinii loco induxit somnia, manifesta fallacia patet.

A Caniculæ itaque exortu Bœotii prima ætate annum auspicati sunt, quod Cadmus qui a Phœnicia (hunc tamen Ægyptium ac Thebanum vocat Diodorus Siculus) colonos in Bœotiam invexit, literasque docuit, patrium fortasse & Ægyptium morem illic reliquit, cum Ægyptii ab eodem astro, ut de Chaldæis significaveram, annum magnum quem Canicularem dicunt, exordiantur. Ex quo hoc amplius credere par est, cum ex Chaldaico anno tale principium nascatur, Chaldaicam dieteridem, in qua utriusque lustri Bœotii initia contingunt, in usu Bœotiis fuisse; primus enim annus dies CCCL. complexus in XIII. cal. Sext. finitur, unde alter egreditur, ac dierum CCCLXXX. circuitu ad prid. non. Sext. atque ad Caniculæ ortum excurrit. Quare Chaldaica regula ex detecto initio Bœotiæ dieteridis imaginem exprimere conatus, hoc exemplum infra adnotabam.

Ann. I.

I. Menſis prid. non. Sextil. Canicula mane oritur.
II. Menſis III. non. Septembr.
III. Menſis VI. non. Octobr.
IV. Menſis prid. cal. Novembr.
V. Menſis III. cal. Decembr.
VI. Menſis V. cal. Januar.
VII. Menſis VII. cal. Februar.
VIII. Menſis VI. cal. Mart.
IX. Menſis VIII. cal. April.
X. Menſis IX. cal. Maj.
XI. Menſis XI. cal. Jun.
XII. Menſis XII. cal. Quint.

Ann. II.

I. Menſis XIII. cal. Sext.
II. Menſis XIV. cal. Sept.
III. Menſis XV. cal. Octobr.
IV. Menſis XVII. cal. Novembr.
V. Menſis XVIII. cal. Decembr.
VI. Menſis idib. Decembr.
VII. Menſis III. id. Januar.
VIII. Menſis IV. id. Febr.
IX. Menſis V. id. Mart.
X. Menſis V. id. April.
XI. Menſis VIII. id. Maji.
XII. Menſis VIII. id. Jun.
XIII. Menſis intercal. III. non. Quint.

Ann. I.

I. Menſis prid. non. Sext. Canicula mane oritur.

Quem ambitum ſi bis duxeris, ac quarto quoque anno extremo diem qui ex quadrantibus fit, inter III. & prid. non. Sextil. inſerueris, tetraeteridem habebis, qua propter Olympiades Bœotios diu uſos cenſeo, quouſque ſolertiori cura annus ad ſolis Lunæque rationem inſtrui ceptus eſt. Tunc inter Bœotios aſtronomica ſcientia clarus Eudoxus novam anni formam inſtituit, qua ſolis lunæque motus octo annorum cir-

tus demerſa ac ſuppreſſa? Laborat ſcriptorum fides, ut quæ de ipſis tradunt, vera credamus, dum præſentem ſocordiam, ſordes, calamitates, vaſtitatemque intuemur. Salve tamen mihi, terra, antiqua nobilitate

Octeateris Bœotia ab Eudoxo edita

Ann. I.

I. menſis prid. non. Sextil.
II. menſis IV. non. Sept.
III. menſis VI. non. Octobr.
IV. menſis prid. cal. Novembr.
V. menſis prid. cal. Decembr.
VI. menſis IV. cal. Januar.
VII. menſis V. cal. Febr.
VIII. menſis IV. cal. Mart.
IX. menſis V. cal. April.
X. menſis VI. cal. Maii.
XI. menſis VII. cal. Jun.
XII. menſis VIII. cal. Quint.

Ann. II.

I. menſis IX. cal. Sextil.
II. menſis XI. cal. Septembr.
III. menſis XI. cal. Octobr.
IV. menſis XIII. cal. Nov.
V. menſis XIII. cal. Decembr.
VI. menſis XV. cal. Januar.
VII. menſis XVI. cal. Febr.
VIII. menſis XV. cal. Mart.
IX. menſis XVI. cal. April.
X. menſis XVII. cal. Maji.
XI. menſis idibus Maiis.
XII. menſis idibus Juniis.

Ann. III.

I. menſis III. id. Quint.
II. menſis III. id. Sextil.
III. menſis IV. id. Septembr.
IV. menſis VII. id. Octobr.
V. menſis VI. id. Novembr.
VI. menſis VII. id. Decembr.
VII. menſis VIII. id. Januar.
VIII. menſis prid. non. Febr.
IX. menſis prid. non. Mart.
X. menſis prid. non. Apr.
XI. menſis IV. non. Maii.
XII. menſis IV. non. Jun.
XIII. menſis interc. VI. non. Quint.

Ann. IV.

I. menſis cal. Sextil.
II. menſis III. cal. Septembr.
III. menſis III. cal. Octobr.
IV. menſis V. cal. Novembr.
V. menſis V. cal. Decembr.
VI. menſis VII. cal. Januar.
VII. menſis VIII. cal. Febr.
O. I. VIII. menſis VIII. cal. Mart.
IX. menſis IX. cal. April.
X. menſis X. cal. Maii.
XI. menſis XI. cal. Jun.
XII. menſis XII. cal. Quintil.

Ann. V.

I. menſis XIII. cal. Sextil.
II. menſis XV. cal. Sept.
III. menſis XV. cal. Octobr.
IV. menſis XVII. cal. Nov.
V. menſis XVII. cal. Decembr.
VI. menſis XIX. cal. Januar.
VII. menſis idib. Januar.
VIII. menſis III. id. Febr.
IX. menſis III. id. Mart.
X. menſis III. id. April.
XI. menſis V. id. Maii.
XII. menſis V. id. Jun.
XIII. menſis interc. VII. id. Quint.

Ann. VI.

I. menſis VI. id. Sextil.
II. menſis VIII. id. Sept.
III. menſis prid. non. Octobr.
IV. menſis prid. non. Nov.
V. menſis prid. non. Decembr.
VI. menſis IV. non. Januar.
VII. menſis cal. Febr.
VIII. menſis VI. non. Mart.
IX. menſis cal. April.
X. menſis prid. cal. Maii.
XI. menſis III. cal. Jun.
XII. menſis IV. cal. Quint.

Ann. VII.

I. menſis V. cal. Sextil.
II. menſis VII. cal. Septembr.
III. menſis VII. cal. Octobr.
IV. menſis IX. cal. Nov.
V. menſis IX. cal. Decembr.
VI. menſis XI. cal. Januar.
VII. menſis XII. cal. Februar.
VIII. menſis XI. cal. Mart.
IX. menſis XII. cal. April.
X. menſis XIII. cal. Maii.
XI. menſis XIV. cal. Jun.
XII. menſis XV. cal. Quint.

Ann. VIII.

I. menſis XVI. cal. Sextil.
II. menſis XVIII. cal. Sept.
III. menſis XVIII. cal. Octobr.
IV. menſis III. id. Octobr.
V. menſis prid. id. Novembr.
VI. menſis III. id. Decembr.
VII. menſis IV. id. Januar.
O. I. VIII. menſis VI. id. Febr.
IX. menſis VII. id. Mart.
X. menſis VII. id. Apr.
XI. menſis Nonis Maiis.
XII. menſis Nonis Juniis.
XIII. menſis interc. III. non. Quint.

Ann. I.

I. menſis prid. non. Sext.

circuitu aſſequeretur. Hæc Octeateris appellata, & bifariam in duo luſtra ſive Olympiades ſecta, ex antiquo Bœotio more prid. non. Sext. inchoatur. De qua quid exiſtimem, ex ipſius tabula intelliges. Tab. V.

Octeteridi porro menſes alternos cavos, alternos plenos dedimus, annis demptis intercalaribus; tunc enim XII. & XIII. menſes pleni ſervantur. Singulis quoque peractis luſtris, diei intercalationem, quam annus noſter idemque ſolaris requirit, interpoſuimus, in margine ſignatam O. J. id eſt *Olympia Julia*. Qua in re M. Tullium ſequutus, qui eandem intercalationem *Olympia* & *myſteria* appellat, addidtque *Romana*, ut a Græca ſejungat: *Julia* autem appoſui, quoniam *Romana* voco, quæ anno Romano Chaldaico adhibebatur. Qua vero ratione annus Bœotius, aut Eudoxi periodus ad annos Olympicum vel Atticum ſe habeat, item quem ordinem menſes, quorum nomina ſuperſunt, apud Bœotios obtinuerint, habita diligentiori diſquiſitione, noſtras de iis conjecturas mittemus. Interea da operam, ut valeas.

D. Patavio cal. Maiis CIↃ IↃCC XXXIII.

EPISTOLA XXI.

De Attica aſtronomia, atque anno Attico ſolari.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

Φεῦ ὦ μῆτερ, ἥτις ἐκ τυραννικῶν δομῶν
Δάλιον ἦμαρ εἶδες· ὡς πράσσεις κακῶς
Ὅσονπερ οὔ ποτ' ἂν τισηκώσας δέ σε,
Φθείρει θεῶν τις τῆς πάροιθ' ὄπραξίας.

Quorſum, inquies, iſta lugubris allocutio? An non debeo tantas Athenarum opes, celebratamque famam deplorare, antequam de ipſis quidquam commemorem, quæ terra florentes potenteſque, mari autem longe & late dominatæ, diſciplinarum omnium optimarumque artium non cultrices ſolum, ſed etiam inventrices auctoreſque ita nunc jacent, ut nulla civitas, nulla gens, nullum regnum aut imperium ex majori luce in majorem obſcuritatem & ſitum ſint devoluta, tenebriſque penitus demerſa ac ſuppreſſa? Laborat ſcriptorum fides, ut quæ de ipſis tradunt, vera credamus, dum præſentem ſocordiam, ſordes, calamitates, vaſtitatemque intuemur. Salve tamen mihi, terra, antiqua nobilitate

tate felix; salvete, Athenæ, de quibus nulla unquam conticescet vetustas. Quin etiam omnium gentium consensu in id contenditur, ut minima quæque ex vobis quæ superant, omni diligentia doctrinaque expoliant, & pristina dignitate exornent. Et quoniam de vestro sinu tanquam ab uberi & perenni fonte optima quæque in universum terrarum orbem emanarunt, ita ex universo terrarum orbe in unum confluunt rivi, ut velut parentis sordes eluant, & detergant. Quamque gratiam ignava & degener soboles altrici suæ referre negligit, eandem alienigenæ, ac quondam barbari appellati quam uberrimam rependunt. Ad hoc officium, amicorum Optime, tuæ nuperrimæ literæ me impulerunt, quod nunquam per me professus essem; sive quia parem ingenii magnitudinem ad id afferre non poteram; sive quia omnia scriptorum magna frequentia pertractata, ac summorum hominum splendore decorata videbam. Quare, te auctore, idipsum aggrediar, & privata palæstra vires experiar: quæ si constabunt, in hominum cœtus aliquando prodibo, ausurus facere, quod in tuo ludo latens nunc tentabo.

De anno Attico ut scribam, mones; quin pro tuo in me jure imperas. Ad grande facinus revocas eo difficilius suscipienti, quod multi doctrinæ copia, & cogitationis acumine pertractarunt; rudia enim, intentata, atque impolita facile aggredi conamur, cum meliora etiam a tirone reddi possint. At ea quæ in artificum officinis versantur, doctamque manum diu sustinuerunt, non tirones modo, verum etiam ludi magistros absterrent. Adde non unam esse de anno Athenienſi sententiam: variant auctores, atque inter se magna dissensione dissident, & contendunt. Quorum disceptationibus si te adiicias, nunquam veritatem, cujus una est vis atque una facies, consectaberis: sin te abstineas, ad veri confessionem nullo modo diffidentes adduces. Qua itaque via (nam omnino tibi parendum est) insistam? Non alia quam qua in cæteris ivi, credo, nempe veteri, & quondam pertrita; obsoleta nunc atque invia. Ita agam, & in hac epistola quæ ad annum Atticum solarem pertinere inveniam, mittam: in proxima quæ ad civilem. Uterque vero a qua anni nostri parte incipiendus, ante omnia sedulo inquiram. Et cœlestem quidem cum Gemino a solstitio deducam; solstitium autem ex a. d. V. cal. Quint. Metone & Euctemone Atticis, ut memoriæ mandavit Ptolemæus, non aliam solstitii sedem constituentibus. Id contigit anno Olympico CCCXV. quo Meto novum annorum ambitum in publicum emisit, Absecunda Athenis prætore, mensis Phamenoth die XXI., hora noctis ultima, sive primo diluculo.

Tab. VI. V. igitur cal. Quint. anni Attici cœlestis nobis principium erit solstitiali

TABULA VI.

Annus Atticus Solaris.



Sol Cancrum adit: ſolſtitium hora noctis XII. V. cal. Quint.
Canis mane occidit Metoni XII. cal. Sext.
Canis mane oritur Euctemoni X. cal. Sext.
Sol Leonem adit: Canis apparet V. cal. Sext.
Fidis mane occidit idibus Sextil.
Sol Virginem adit V. cal. Septembr.
Arcturus apparet XVI. cal. Octobr. autumni initium.
Sol Libram adit: æquinoctium autumni hor. noct. I. V. cal. Octobr.
Sol Nepam adit VI. cal. Novembr.
Vergiliæ mane occidunt IV. id. Novembr.
Sol Sagittarium adit VII. cal. Decembr.
Sol Capricornum adit. Bruma IX. cal. Januar. hor. noct. III.
Media hiems VIII. id. Januar.
Sol Aquarium adit X. cal. Febr.
Favonius incipit ſpirare VI. id. Febr.
Sol Piſces adit VIII. cal. Mart.
Arcturus veſperi oritur III. non. Mart.
Sol Arietem adit. æquinoctium vernum IX. cal. April. hor. noct. VI.
Vergiliæ occultantur III. non. April.
Suculæ celantur XVI. cal. Maii.
Sol Taurum adit VII. cal. Maii.
Canis occidit VI. cal. Maii.
Vergiliæ mane oriuntur: æſtatis initium nonis Maiis.
Sol Geminos adit VI. cal. Jun.
Solſtitium V. cal. Quint. hora diurna VII.
Fidis mane occidit idib. Sext.
Arcturus apparet XVI. cal. Octobr.

ſtitiali die, quo hora noctis extrema Sol Cancrum adit. Hinc Atticam tabulam ex Gemino ac Plinio conſtituam, ut tibi cum epiſtola deferatur.

VII. id. Quint. Euctemoni τῇ ιγ' ἡμέρᾳ τῆ καρκίνῳ Ὡρίων ὅλῳ ἐπιτέλει. Quare vitiatum Plinium illis quæ de Bœotiæ anno retuli, aperte ac clare intelligis; quod in Plinio III. non. Quint. totum Orionem Atticis oriri cuncta exemplaria ſervant.

XII. cal. Sext. Metoni τῇ κέ τῆ καρκίνῳ κύων ἐπιτέλει.

X. cal. Sextil. Euctemoni τῇ κζ' τῆ καρκίνῳ κύων ἐπιτέλει.

IX. cal. Sextil. Euctemoni τῇ κή τῆ καρκίνῳ ἀετὸς ἑῷος δύνει, χειμὼν κατὰ θάλασσαν ἐπιγίνεται. Plinium vitio carere non opinor, dum de Aquilæ occaſu ex Atticorum ſententia ſcribit: *Eteſiarumque prodromi flatus incipiunt, quod Cæſar* X. (Sext.) *ſentire Italiam exiſtimavit. Aquila Atticæ matutino occidit.*

V. cal. Sextil. hora diei circiter IV., ſi horæ XII. (inter ſolſtitium & autumnale æquinoctium dies XCII. horaſque XII. interponunt Attici) in tres partes diſtributæ æquo diſcrimine ternis ſignis dentur. Eodem tempore Euctemoni τῇ ά τῆ λέοντος κύων μὲν ἐκφανὴς, πνίγος δὲ ἐπιγίνεται· ἐπισημαίνει.

IV. id. Sextil. Euctemoni τῇ ιδ' τῆ λέοντος πνίγη μάλιστα γίνεται.

Idibus Sextil. Euctemoni τῇ ιζ' τῆ λέοντος λύρα δύεται, καὶ ἔτι ὗει, καὶ ἐτήσιαι πάυονται, καὶ ἵππος ἐπιτέλει. Macula hinc eximenda eſt Plinio ſcribenti: *in his intervallis ſignificatur: pridie Idus Aug. Atticæ Equus oriens*; ſcribendum enim *idibus*.

V. cal. Septembr. hora diurna VIII. Sol in Virginem tranſitum facit.

VIII. id. Septembr. Euctemoni τῇ ί τῆς παρθένου προτρυγητὴρ φαίνεται· ἐπιτέλει δὲ καὶ ἀρκτοῦρος, καὶ οἶτος δύεται ὀρθρος· χειμὼν κατὰ θάλασσαν. Tempus Plinio eripuit antiquitas: *Vindemiator Ægypto nonis* (Sept.) *exoritur. Atticæ Arcturus matutino, & Sagitta occidit mane*. Reponendum itaque: VIII. *id. Atticæ*.

XVI. cal. Octobr. Euctemoni τῇ κ' τῆς παρθένου ἀρκτοῦρος ἐκφανὴς, μεσοπώρου ἀρχὴ, καὶ αἶξ ἐπιτέλει ἀστὴρ μέγας ἐπὶ τῆ ἡνιόχῳ· κἄπειτα ἐπισημαίνει· χειμὼν κατὰ θάλασσαν. Abundare iſta opinor, & adventitia eſſe ἀστὴρ μέγας ἐπὶ ἡνιόχῳ. puerile enim interpretari quid ſit Capra in re aſtronomica, & Euctemoni inuſitatum.

V. cal. Octobr. hora diei XII. Sol in Libram introitum facit, atque Euctemoni τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῆ ζύγου ἰσημερία μεσοπωρινὴ, καὶ ἐπισημαίνει. Æquinoctium itaque autumni ſit diebus XCII. cum horis XII.

a ſol-

a ſolſtitio, & diebus XLV. a Fidiculæ occaſu. Columella quoque ſcripſerat, ut retulit Jenſonius, æquinoctium autumnale *plerunque* ſignificare. Sed Aldus *plerunque* ſublato, *pluviam* ſubſtituit. Idque nunc tanquam Columellianum viget.

III. cal. Octobr. Euctemoni τῇ γ' τῦ ζύγυ ἐριφοι ἐπιτέλλυσι ἑσπέριοι· χαμαίνα. Quod pleriſque aſtronomis conſentire miratus eſt Plinius, coſque nominatim dum retulit, atque Euctemonem extremo loco ſubiecit, hunc neſcio quo fato in *Jon* detruncatum fuiſſe inter Bœotia tibi perſcripſi.

Cal. Octobr. Euctemoni τῇ ἑ τῦ ζύγυ πλειάδες ἑσπέριοι φαίνονται ἐκ τῦ πρὸς ἕω.

V. non. Octob. Euctemoni τῇ ζ' τῦ ζύγυ στέφανῳ ἀνατέλλει· χαμαίνει. In Plinio diverſi numeri reperiuntur: *VI. non. Octobr. Atticæ Corona exoritur*. Et deinde: *Aſiæ & Cæſari V. calend. Heniochus occidit matutino*. Nam *VI. cal.* fuerat V., hoc autem IV., quod tum Aetii tum Columellæ auctoritate in confeſſo habemus.

VII. cal. Novembr. Euctemoni τῇ λ' τῦ ζύγυ χαμῶν κατὰ θάλασσαν.

VI. cal. Novembr. Sol in Scorpionem permeat.

Prid. cal. Novembr. Euctemoni τῇ ἑ τῦ σκορπίυ ἀρκτῦρῳ ἑσπέριῳ δύεται, καὶ ἄνεμοι μεγάλοι πνέυσιν. Cæſari etiam ſimul occidere Arcturum Plinius exſcripſit.

Nonis Novembr. Euctemoni τῇ ί τῦ σκορπίυ λύρα ἑῴῳ ἐπιτέλλει, καὶ ἐπιχαμάζεται ὑετῷ.

IV. id. Novembr. Euctemoni τῇ ιέ τῦ σκορπίυ πλειάδες δύνυσι, καὶ ἐπισημαίνει, καὶ Ὠρίων ἀρχεται καὶ μεσῦντι καὶ λήγοντι ἐπιχαμάζειν. Occidunt igitur Vergiliæ diebus ab æquinoctio auctumni XLIV. Quis igitur in Plinio ſpatium dierum XLVIII. Euctemoni tribuit, Eudoxum in Euctemonem vertens? Qui in ejuſdem libro XXXI. *Eudoxum* in *Eudicum* mutavit, librariorum ſcilicet indiligentia.

X. cal. Decembr. Euctemoni τῇ κζ' τῦ σκορπίυ ὑάδες δύνονται, καὶ ἔτι ὗει.

VII. cal. Decembr. Sol Sagittarium petit.

Calendis Decembr. Euctemoni τῇ ζ' τῦ τοξότυ κύων δύεται καὶ ἐπιχαμάζει. Quod a Chaldæis exſcriptum reor.

Prid. non. Decembr. Euctemoni τῇ ί τῦ τοξότυ τῦ σκορπίυ τὸ κέντρον ἐπιτέλλει.

V. id. Decembr. Euctemoni τῇ ιέ τῦ τοξότυ ἀετὸς ἐπιτέλλει.

Idibus Decembr. τῇ ιδ' τῦ τοξότυ Ευκτήμονι ᾨδόξῳ δύνει. Quid occidit? Mendum utinam; nam mendum ᾨδόξῳ inhæſit, & a caprili Capram abe-

abegit. ἀξ ξῶα δύναν videtur quæ Bœotiis XVIII. cal. Jan. Chaldæis autem III. id. Decembr. ac Columellæ XV. cal. Januar. celatur.

IX. cal. Januar. hora noctis III. adeunte Capricornum Sole Euctemoni, τῇ ά ἡμέρᾳ τᾶ αἰγοκέρωτ☉ τροπαὶ χαμεριναὶ ἐπισημαίνοσι. Bruma itaque acta Athenis diebus XXCVIII. horisque III. ab autumnali æquinoctio; ab occidentibus Vergiliis diebus XLIV.

VIII. cal. Januar. Euctemoni τῇ β' τᾶ αἰγοκέρωτ☉ Δελφὶς ἐπιτέλλει. χαμαίνει. Columellæ, sive, ut verius loquar, Columellæ depravatores, in a. d. VI. cal. ejusdem descendit: *VI. cal. Jan. Delphinus incipit oriri mane, tempestatem significat.* Ab Euctemone enim videntur sumpta.

III. cal. Januar. Euctemoni τῇ ζ' τᾶ αἰγοκέρωτ☉ ἀετὸς ἑσπέρι☉ δύεται, καὶ χαμαίνει. Quæ a Plinio confirmantur scribente: *III. cal.* (Jan.) *significat Cæsari matutino Canis occidens, quo die Atticæ & finitimis regionibus Aquila vesperi occidere traditur.*

VIII. id. Januar. Euctemoni τῇ ιδ' τᾶ αἰγοκέρωτ☉ μέσ☉ χαμῶν, νότ☉ πολὺς ἐπιπνεῖ χαμερινὸς καπὶ θάλασσαν.

VII. id. Januar. Gemino τῇ ιέ τᾶ αἰγοκέρωτ☉ ἀκρόνυχ☉ ἐπιδύνει ὁ Περσεὺς, καὶ νότ☉ πνεῖ.

VI. id. Januar. Euctemoni τῇ ις' τᾶ αἰγοκέρωτ☉ νότ☉ χαμέρι☉ καπὶ θάλασσαν.

XIV. cal. Febr. Euctemoni τῇ κζ' τᾶ αἰγοκέρωτ☉ δελφὶς ἑσπέρι☉ δύνει.

X. cal. Febr. Sol, posthabito Capricorno, in Aquarium scandit.

VI. id. Febr. Euctemoni τῇ ιζ' τᾶ ὑδροχόᾳ ζέφυρ☉ πνεῖ, & primum veris tempus Atticis adducit diebus XLVI. post brumam; propter quod hibernum intervallum dies XC. complectitur.

XIV. cal. Mart. Euctemoni τῇ κέ τᾶ ὑδροχόᾳ ἑσπέρι☉ δύνει, καὶ σφόδρα ἐπιχαμάζει. Quam mihi stellam Atticis hoc die delabentem indicaveris? Nullam puto de Athenarum finitore exeuntem Sunio adnotasti. At ego de Tarpejo saxo Sagittarium sum contemplatus multa cum luce Minervæ sedem relinquentem, seque in mari vesperi condentem. Nec me falli sinit Columella Euctemonem in Latinam consuetudinem sic vertendo: *Idibus Febr. Sagittarius vespere occidit, vehementer hiemat.* Tempus etiam Columellæ rationibus maxime conducere videtur, in quo Aquarii principium extitisse quoque XIII. cal. Febr. videre sum visus.

VIII. cal. Martias Sol ad Pisces graditur.

VII. cal. Mart. Gemino τῇ β' τῶν ἰχθύων χελιδόνα ὥρα φαίνεσθαι, καὶ ὀρνίθια πνέουσιν. Eodem die Columellæ Hirundo apparet.

III. non. Mart. Euctemoni τῇ ιβ' τῶν ἰχθύων ἀρκτῶρ☉ ἑσπέρι☉ ἐπι-

τέλει, καὶ προτρυγητὴρ ἐκφανής· ἐπιπνεῖ βορέας ψυχρός. Assentitur Plinius: *III. non. Mart. Cæsar Cancri exortu id fieri observavit* (nempe Ornithias incipere) *major pars auctorum Vindemiatoris emersu.*

Nonis Martiis Euctemoni τῇ ιδ' τῶν ἰχθύων ἵππῳ ἑῷος δύνει· ἐπιπνεῖ βορέας ψυχρός. Quas me in ambages conjecisti, o bone, dum tibi obtempero, & tua mandata exsequor? En quibus nonis Equus Atticis mane occidit, iisdem Ovidio & Columellæ exoritur. Nunc tua prudentia me expedi, & ubi vitii culpa resideat, investiga & cognosce. Cum difficilius sit tres auctores vitiari quam unum, si mihi quicquam ex voluntate esset statuendum, pro δύνει inducere ἐπιτέλει non pœniteret. Sane Columella non solum astri, sed etiam ventorum motus ab Euctemone accepit: *nonis Martiis Equus mane oritur, flatus Aquilonis.*

Idibus Martiis Euctemoni τῇ κβ' τῶν ἰχθύων ἰκτῖνος φαίνεται· Ὀρνίθιαι πνέουσι μέχρις ἰσημερίας. Quæ si cum Plinio ponderemus, pro certo ponere pigebit. VIII. id. Mart. ait Aquilonium Piscem Cæsari exoriri, & postero die Orionem. Quibus annectitur: *In Attica Milvum apparere observatur.* Ergo VII. idus? Minime; appone enim proxima: *Cæsar & idus Martias ferales sibi annotavit Scorpionis occasu.* Idibus itaque Atticæ apparet Milvus, & Idibus Cæsari immergitur Nepa. Quænam igitur decet scriptura? Hanc facilem, expeditam, & quam minimo discrimine a vulgata recedentem haud improbarem: *Id. Atticæ Milvius apparere observatur.* Ab idibus in Atticum æquinoctium vernum IX. cal. April., quo spatio ornithiæ spirant, dies pertinent novem, ut a Bœotiis item & Plinio docemur.

XI. cal. April. Euctemoni τῇ κδ' τῶν ἰχθύων τὸ σκορπίου οἱ πρῶτοι ἀστέρες δύνουσι, ἐπιπνεῖ βορέας ψυχρός.

IX. cal. April. ad Arietem transit Sol, vernumque æquinoctium constituit hora noctis VI. diebus a bruma XXCIX. cum horis III. a vere autem diebus XLIV.

III. non. April. Euctemoni τῇ ἰ τὸ κρίου πλειάδες ἑσπέριοι κρύπτονται. Arietem diebus XXXI. horisque IV. a Sole collustrari cum vetus Astronomia doceat, die Arietis X. horam quæ ex IX. cal. April. superat, absumptam dabisne? Dies igitur Arietis X. ad III. non. April. intervallum deducit. Et *III. non. April.*, ut hausit Plinius, *in Attica Vergiliæ vesperi occultantur.*

XVI. cal. Maii Euctemoni τῇ κγ' τὸ κρίου ὑάδες κρύπτονται, καὶ χαλάζα ἐπιγίνεται, καὶ ζέφυρος πνεῖ. Haud aliter Plinius: XVII. (ita potius, quam XIV.) *cal. Maii Ægypto Suculæ occidunt vesperi, sidus vehemens terra marique turbidum: XVI. Atticæ.*

VII.

VII. cal. Maii in Taurum Sol fertur.

VI. cal. Maii Euctemoni τῇ β' τῦ ταύρυ κύων κρύπτεται, καὶ χαλάζα γίνεται. VI. quoque cal. Maii ſcribit Plinius Atticæ Canem veſperi occultari.

VI. non. Maii Euctemoni τῇ ἡ τῦ ταύρυ αἰξ ἑῶα ἐπιτέλλει. Ὠδία, ὗει νότῳ ὕδατι. Opinor Ὠδία, ἢ ὗα νότῳ ὕδατι, nam ſi ſerenitas, non pluit.

Nonis Maiis Euctemoni τῇ ιγ' τῦ ταύρυ πλειὰς ἐπιτέλλει· Ἔαρος ἀρχὴ, καὶ ἐπισημαίνει. Pariter Columellæ nonis Maiis Vergiliæ exoriuntur. Quare verni temporis dies XXCVIII. fiunt, & æſtas poſt æquinoctium vernum diebus XLIV. inchoatur.

XIV. cal. Jun. Euctemoni τῇ κε' τῦ ταύρυ ἀετὸς ἑσπέριος δύνει.

XII. cal. Jun. in Attica Canem occidere teſtatur Plinius die Tauri XXVII. Quod *Faſtorum* V. cecinit Ovidius.

IX. cal. Junias Euctemoni τῇ λ' τῦ ταύρυ ἑσπέριος ἐπιτέλλει. Nihil quod in Atticum cœlum aſcendat, indicare poſſum. Tu ſuſpice, & contemplator, ſi forte Delphinus de Piræei portu emergat. Certe poſtridie

Grata Jovis fulvæ roſtra videbis avis;

nam Euctemoni τῇ λά τῦ ταύρυ ἀετὸς ἑσπέριος ἐπιτέλλει.

VII. cal. Jun. Euctemoni τῇ λβ' τῦ ταύρυ ἀρκτῦρος ἑσπέριος δύνει, ἐπισημαίνει· ὑάδες ἑσπέριαι ἐπιτέλλουσιν, ἐπισημαίνουσι.

VI. cal. Jun. Sol a Tauro in Geminos tranſitum facit.

XIII. cal. Quint. Euctemoni τῇ κδ' τῶν διδύμων Ὡρίωνος ὦμος ἐπιτέλλει.

De Attica ſtellarum ratione, atque anno ſolari quæ mihi animo obverſabantur, hæc habeto. Reliqua ſiqua ſunt, a te potius petenda exiſtimo, quam a me inveſtiganda. Cras Venetias proficiſcar. Siquid me volueris, ad Cornoltios divertam. ibi ad X. cal. Octobr. manebo. Sed de reditu te certiorem faciam. Vale.

D. Patavio Prid. id. Septembr. CIↃ IↃCC XXXIII.

EPISTOLA XXII.

De Menſium Atticorum ordine.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

HEri domum reverſus cum ὀδονταλγίᾳ laborarem, præſto fuerunt mihi tuæ literæ, quæ mihi omnem ferme dolorem exemerunt; quoniam his nihil aut jucundius, aut officioſius, aut optabilius afferri poterat. Ad hanc ſummam, cum maxima eſſet, accedebat animi tui candor, ac longo uſu probatus amor quæ de tota epiſtola elucebant. Quid dicam? Jam egomet mihi minus diſplicere cepi, quando lucubratiunculas noſtras tanta humanitate, & benevolentia complecteris, tuoque judicio (quod maximi facio) cohoneſtas. Qua re potui, me tibi gratum tuorumque officiorum memorem ſcribendi aſſiduitate præſtare volui, etſi non omnino firma valetudine.

Statueram proximis diebus de anno Attico civili ad te ſcribere. Nunc aliud mihi fert animus; de menſium enim ordine prius quærere debemus, ut recta procedamus. Siquidem, cum multæ ſint & valde obſcuræ de re Attica quæſtiones, illa profecto quæ de menſibus, quibus tempora, res geſtæ, magiſtratus, ſacra & profana omnia innituntur, plurimum difficultatis habere invenitur. Propter quod multos, quorum opera Græcorum monumenta in Latinam conſuetudinem vertuntur, turpiter lapſos licet videre, dum neque priſtinam menſium ſeriem & connexionem non ignorant, neque appoſite per annum noſtrum digerere callent. Sunt qui Mæmacterionem Poſideoni annectunt, & Boedromioni Pyanepſionem: ſunt qui inter Gamelionem & Munychionem Elaphebolionem collocant, & inter Pyanepſionem ac Poſideonem Antheſterionem. Jam vero quot modis Latine reddunt? Hecatombæonem Auguſtum, Julium, Majum, Aprilem vocant: Metagitnionem Julium, Majum, Septembrem: Boedromionem Auguſtum, Junium, Novembrem: Mæmacterionem Septembrem, Januarium: Pyanepſionem Octobrem, Julium: Poſideonem Decembrem, Januarium: Gamelionem Januarium, Februarium: Antheſterionem Januarium, Aprilem, Novembrem: Elaphebolionem Februarium: Munychionem Januarium, Martium: Thargelionem Martium, Majum, & Scirophorionem item. Ex his tam diſcrepantibus ſententiis quaſnam hiſtorias ſuis temporibus convenire inveniemus?

mus? Toto genere a vero aberrant. Propterea interpretes nonnulli, quibus Atticos menſes Latinis menſibus temere ſubiicere valde diſplicebat, Græca nomina ſervare maluerunt, quam ad id quod non deceret, ancipiti judicio referre, & fortuito aptare. Quorum ſententia & exemplum mihi non probatur; hæret enim dum in ea incurrit, lector, nec prius juſtus rerum æſtimator fit, quam converſa & interpretata iterum ad interpretem referat, iterumque explicationem repoſcat. Sed jam fero, ut ajunt, emendantur præterita. Ne falſi ſint poſteri, providendum. Itaque nos in noſtram ſcholam redeuntes eo quem infra poſui, ordine menſes recenſebimus, videlicet:

I. Hecatombæon	VII. Gamelion
II. Metagitnion	VIII. Antheſterion
III. Boedromion	IX. Elaphebolion
IV. Mæmacterion	X. Munychion
V. Pyanepſion	XI. Thargelion
VI. Poſideon	XII. Scirophorion.

Porro a quo principio Hecatombæonem deducam? A ſolſtitio. Haud aliter exiſtimo: Sed de ſolſtitii ſede non plane, ut in ſolari anno, manifeſtum. Nam qui ex a. d. V. cal. Quint., a quo ſolaris annus inchoatur, civilem derivant, longe a vera ſede aberrare crediderim. Iſta novitia ſolſtitii ſtatio videtur, qualis in anno Bœotio quæ exorienti Cani datur, XIII. cal. Sextil. Nam vetus, & quæ annum Bœotium auſpicabatur, diebus XV. recurrit in a. d. prid. non. Sext. Quare & anni Attici civilis initium diebus XVI. poſt opinor, ſcilicet III. id. Quint. Age, experiamur, ſi conjectura collimet. Verumtamen anno Romano uti oportet. Apud Atticos anni cardines in primis ſignorum partibus conſtitutos ex Metone atque Euctemone oſtendimus; propterea cal. Januar. bruma conficitur, tranſeunte in Capricornum Sole. Quot diebus Capricorni, Aquarii, Piſcium ſigna Sol perluſtrat? Nonne XC. cum horis III.? Quot item Arietis, Tauri, Geminorum? Profecto XCIV. horiſque XII. Collige dies a cal. Januar. in a. d. III. id. Quint. ut Romani prima anni inſtitutione computabant, ſummam dierum CXXCIV. habebis, quot a cal. Jan. & a bruma ad Cancri principium ſolſtitiumque. Quapropter III. id. Quint. Atticis ſolſtitium peragebatur. Hæc de anni Attici exordio propoſuiſſe ſufficiat; reliqua diligentius, cum opportunum videbitur, exſequemur. Interea de menſium progreſſione & connexu inquiramus.

Hecatombæonem anni principem eſſe menſem quamvis in confeſſo ſit, tamen ex veteribus libris multa abunde ſuppetunt, quibus id probatur.

Iis modo non utar, verum ad alios menſes, quibus magis inſerviunt, ita reſervabo, ut ea ſimul cum primo conjungam. Demoſthenis tamen ex oratione cui ὀλυνθιακὸς τρίτος titulus eſt quæ deprompſi, non ſunt prætermittenda: καὶ μετὰ ταῦτα διελθόντας τὸ ἐνιαυτὸν τοῦτον, ἑκατομβαιῶν, μεταγειτνιῶν, βοηδρομιῶν, τούτου τοῦ μηνὸς μόλις μετὰ τὰ μυστήρια, δέκα ναῦς ἀπεστείλατε ἔχουσα χαρίδημον κενὰς καὶ πάλαντα ἀργυρίου. His non ſolum primi menſis, ſed & ſecundi, & tertii ordo & connexio declaratur. Ariſtoteles quoque de Locuſtis verba faciens Scirophorionem, Hecatombæonem, Metagitnionem conjungit hoc modo: ἴσχυσι τὰ ὠὰ περὶ τρεῖς μῆνας σκιροφοριῶνα, καὶ ἑκατομβαιῶνα, καὶ μεταγειτνιῶνα. Suidas demum ab antiquis edoctus Metagitnionem ſecundum recenſet, quo Athenis ſacra Apollini Metagitnio fieri ſolita narrat.

Proximus itaque Hecatombæoni Metagitnion prid. id. Sext. in dieteride incipiens, quo Fidis occidit mane, unde plerique autumnum ſignant. Quare Metagitnion autumnalis habendus, & Hecatombæon æſtivus, æſtatiſque extremus menſis, & anni primus.

Tertius ordine Boedromion, ut Demoſthenes oſtendit, IV. id. Septemb. exiſtit. Hujus ſedem ſic definit Ariſtoteles, dum de Cervorum fœtura agit: ἡ δὲ ὀχεία γίνεται μετ' ἀρκτοῦρον περὶ τὸν βοηδρομιῶνα καὶ μαιμακτηριῶνα. Ex quibus Plinius: *conceptio eorum poſt Arcturi ſidus*. Prodit Arcturus Atticis VIII. id. Septembr. Et hæc quidem parvi duces cum iis collata quæ de navigatione per Oceanum ab Alexandro Magno inſtituta memoriæ reliquit Arrhianus. Tradit, ceſſantibus eteſiis, quibus æſtate mare agitabatur, ſolviſſe claſſem die Boedromionis vigeſimo. Quod tempus Nearchus claſſis præfectus, ut auctor eſt Strabo, ex ſtellarum curſu determinat: μεσοπώρᾳ κατὰ Πλειάδων ἐπιτολὴν ἑσπέριον. Orientibus veſperi Vergiliis, ut ex Euctemone eſt oſtenſum, Calendis Octobr. diebuſque Boedromionis XX. ad III. cal. eaſdem pertinentibus: Quid propius vero excogitari poteſt, cum unus tantum dies interponatur?

Mæmacterioni quartum locum dedimus Ariſtotelis freti auctoritate quam de Cervis attulimus. Ab eodem item de Muſtella ſtellari traditum eſt: ἄρχεται δὲ ὀχεύεσθαι μηνὸς μαιμακτηριῶνος. deinde: καὶ κύει ὑπὲρ πλείους μῆνας ἓξ· tum: τίκτουσι δὲ πάντα τοῦ ἔαρος. Sex menſes dierum XXX. ſinguli, ut computat Philoſophus, dies CXXC. conficiunt, qui, ſi extra numerum Mæmacterion habetur, a Pyanepſionis principio VII. id. Novembr. notato III. non. Maj. finiuntur, adhuc verno, nonis Majis ineunte æſtate ex matutino Plejadum exortu. Sin autem dimidiatum Mæmacterionem, ut par videtur, concludimus, evenit circa

Pali-

Palilia Muſtellarum partus. Quamobrem mirari ſuccurrit quoſdam, qui, poſthabito Mæmacterione, Pyanepſionem antetulerunt, vernos fines tranſcurrens intervallum complexi. Quomodo τίκτουσι πάντα τὸ ἔαρ, ſi Mæmacterion Pyanepſionis exordium occupans ex a. d. VIII. id. Decembris in a. d. prid. non. Jun. ſex menſes promittit? Quid illa quæ de Animalium migratione protulit Ariſtoteles, tot altercationibus, quæ inter Petavium & Scaligerum Salmaſiumque exarſerunt, nota? Ποιεῖται δὲ ἀεὶ τὰ πρῶτα τὴν μετάβασιν τὰ ἀσθενέστερα καθ' ἑκατέρων ὑπερβολήν, οἷον οἱ μὲν σκόμβροι τῶν δύνων, οἱ δὲ ὄρτυγες τῶν γεράνων. τὰ μὲν γὰρ μεταβάλλει τὸν βοηδρομιῶνα, τὰ δὲ μεμακτηριῶνα. Sane Coturnices menſe Septembri ſive Boedromione a nobis recedere, Grueſque ex frigidis regionibus in calidas menſe Octobri, ſive Mæmacterione advolare, appropinquante Vergiliarum occaſu, quis non noverit, niſi ſi omnium ſenſuum munere capiatur? Secus fieret, ſi, exacto Pyanepſione, Mæmacterioni ſedes daretur. Non omittenda etiam ſunt quæ de ſummo Chriſto docet Epiphanius anno quidem Attico jam ſolari, atque ab autumnali ſidere incepto, ut Macedones ſervabant, non immutata tamen menſium Atticorum ſerie & affinitate. Affert natum Chriſtum VIII. id. Januar. Mæmacterionis die VI.; ideo Calendæ Januariæ Memacterionis principium dabant. Adjicit ab Joanne aqua luſtratum VI. id. Novembr. Metagitnionis die ſeptimo. Intereſt nunc indicare quot dies inter IV. non. Novembr. a quo Metagitnion ducitur, & calendas Mæmacterionis eaſdemque Januarii intercedant. Nonne LX. quos Metagitnion ſibi aſſumit cum Boedromione? Quid ſupereſt Pyanepſioni, ſi prior erat, quam Mæmacterion? Verumtamen, quoniam homines nonnunquam ſub clara luce aberrant, falſam rerum ſpeciem ſequentes; videamus quæ contra producunt, ne veri imagine decipiamur. Ab Harpocratione grammatico exſcribunt Mæmacterionem eſſe quintum menſem, appellatum a quodam numine Mæmacte, qui, ut ajebat Lyſimachides, furorem inducit. Hoc autem menſe aerem exaſperari, & initium eſſe hiemi. Sed quid ad Ariſtotelem Harpocratio? Præterea nonne iſte aliena referre videtur, dum Lyſimachidem laudat? Hic autem qui de menſibus Atticis commentabatur, de qua re laborabat, niſi de obſcura & ambigua, quod nemo de certis, & de iis quæ in quotidiana hominum conſuetudine verſantur, quærit? Quid? Quam facilis eſt ſcripturæ depravatio ex δ' in ε'. Demum Harpocrationi alius auctor opponitur ejuſdem ponderis & momenti Phocius, qui quartum eſſe Athenienſibus menſem Mæmacterionem ſtatuit, atque ἀπὸ τῆς μαιμάξεως nuncupari affirmat. Uter utro potior ſit: num qui cum Ariſto-

tele

tele aliisque antiquis ac probatis convenit, an qui discrepat, tu censebis. Alterum argumentum a Diodoro Siculo sumunt. Hic ἀπὸ γὰρ, inquit, μηνὸς, ὃν καλέσι Ἀθηναῖοι μαιμακτηριῶνα, τῶν ἑπτὰ τῶν κατὰ τὼ ἄρκτον ἀστέρων ὀδένα φασὶν ὁρᾶσθαι μέχρι τῆς πρώτης φυλακῆς. τῷ δὲ ποσειδεῶνι, μέχρι δευτέρας. Quibus inter Mæmacterionem & Posideonem Pyanepsionem excludi atque eliminari contendunt. Quod Mæmacterione mense apparet prima vigilia, & Posideone transit ad secundam, etiam Pyanepsione prima vigilia apparere non constat? Numquid, si tibi significavero, Augusto mense prima vigilia me cœnare solere, Octobri secunda, Septembri incœnatum me jacere opinaberis? Ad hasce angustias nos redigerent sophistæ. Haud secus alio Plutarchi loco abutuntur, quo Demosthenis extremum fatum narratur. καὶ μὲν ἐπὶ πολὺν χρόνον ἀπέλαυσε τῆς πατρίδος κατελθών. Ἀλλὰ ταχὺ τῶν ἑλληνικῶν πραγμάτων συντριβέντων, μακεδονιῶν μὲν ἡ περὶ Κρανῶνα μάχη συνέπεσε, βοηδρομιῶνος δὲ παρῆλθεν εἰς Μουνυχίαν ἡ φρουρά. Πυανεψιῶνος δὲ Δημοσθένης ἀπέθανε. Quæ nomine quæque suo non commemorantur, pro nihilo ducunt. Posthabito a Plutarcho Mæmacterione, de quo nihil historia dignum invenerat, statim ab impositio Munychiæ præsidio, Ægyna obtorto collo Demosthenem ad carnificem adducunt, non invidia aut morbo boni antiquitatis interpretes incitati, sed propter nimiam altercandi libidinem. His finitimum est quod ex eodem auctore nobis obtrudunt, & ad propriam sententiam componunt. De Theseo scriptum est. Athenienses θυσίαν αὐτῷ τῷ μεγίστῳ ὀγδόῃ Πυανεψιῶνος celebrare, ὅτι συγκομιζομένης ὀπώρας ἐπανῆλθον. Tamen quod hinc afferant, quod nos moretur, & detineat, non assequor plane. Pyarepsia (unde mensis nomen) appellata quod fabas in iis elixabant; vel Panopsia quod tunc omnia frugum genera fructusque matura cernuntur, dum Pyanepsione ob Thesei memoriam aguntur, mensem autumnalem non hibernum indicari credunt. Verumtamen in hoc falluntur quod multa serotina sunt, ut Sorba, Mespila, Arbuta, glandes Castaneæ, & præcipue Olivæ, quæ post Vergiliarum occultationem fructuum postremæ arboratorem morantur. Ideoque potiori jure mensi, qui autumnum atque hiemem attingit, qui Plejadum occasum adducit, qui omnia matura exhibere potest, hujusmodi festum convenire inferemus, quam illi qui anteibat. Quis enim ignorat in unoquoque populo, peracto totius anni labore, & collectis frugibus, ab agricolis pastoribusque dies festos agitari? Nonne Patavii Pyanepsiorum quandam imaginem III. id. Novembr. nimirum V. Pyanepsionis die, occidentibus mane Vergiliis, & ineunte hieme, ut antiqui observabant, celebrant, dum plebs turmatim civium ædes

adit,

adit, poma, nuces, glandes Caſtaneas, aut quid item recens collectum petit, totaque urbe feſtiva bacchatur? Necnon coloni in pagis vino & epulis affatim indulgentes, diem veluti annuæ culturæ terminum honorant? Quem morem eſſe pervetuſtum Virgilianum carmen declarat:

Venit hiems, teritur Sicyonia bacca trapetis,
Glande ſues læti redeunt, dant Arbuta ſilvæ,
Et varios ponit fœtus autumnus, & alte
Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.
Interea dulces pendent circum oſcula nati,
Caſta pudicitiam ſervat domus, ubera vaccæ
Lactea demittunt, pingueſque in gramine læto
Inter ſe adverſi luctantur cornibus hœdi.
Ipſe dies agitat feſtos, fuſuſque per herbam,
Ignis ubi in medio, & ſocii cratera coronant,
Te libans, Lenæe, vocat.

Quæ hoc carmine proſequitur vates, quis ſanus ad Octobrem transtulerit? Attamen Panopſia quædam referunt, & certa ſimilitudine imitantur. Ob Panopſia igitur, quæ niſi Novembri menſe haberi & celebrari nequeunt, Pyanepſionem a Novembri revocabimus ad Octobrem? Cur itaque Plutarcho intemperantius utuntur, optimumque ſcriptorem prave interpretando corrumpunt? Sed dimittamus Plutarchum, quem longe ab iſtorum inconſtantia abfuiſſe invenimus. Nunc pro aris & focis, ut dicitur, eſt a nobis pugnandum, quod Theophraſtum aggrediuntur de Coccymelea Ægyptia ita ſcribentem: ἄρχεται δ' ἀνθὲν μηνὸς Πυανεψιῶνος, τὸν δὲ καρπὸν πεπαίνει περὶ ἡλίου τροπάς χειμερινάς. Moleſte itaque ferunt Coccymeleæ fructum a flore tam cito ad maturitatem decurrere; propterea inter Pyanepſionem & Poſideonem alium menſem intercalant. Spatium itaque amplius dierum LXX. expoſcunt, ut fructus ſub Ægyptia plaga, in qua hiems valde tepeſcit, percoquatur. In qua tandem ſtirpium diſciplina hoc acceperunt? Crediſne, ſi talis fuiſſet Coccymeleæ natura, de ea a Theophraſto mentionem factam? Refert quæ non communem indolem gerunt; nam hiberno tempore arborem florere, & fructus per brumam percoquere diebus circiter XL. mirum videtur. Si menſem addas, & florem per autumnum evoces, quid eſt quod homines admiratione rapiat, cum apud nos per hiemem nonnulla floreant, & celerius fructus maturent? Habes, ut breviſſime potui, quæ de optimis libris ad invertendum menſium ordinem proferuntur. Reſtat Ulpianus quidam Demoſthenis interpres, quo id quod tanta auctoritate confirmatum neque moveri neque mutari poteſt, fru-

ſtra convellere nituntur ac labefactare. Is, inquam, Ulpianus illa Oratoris Olynthiaca πότε σὶ νῦν μὴν μὲν ἦν μαιμακτηριὼν explanans χειμέριον ipſum menſem appellat. Quid dicam niſi Ulpianum ab eo principio computare, a quo Plutarchus, Appianus, Diodorus Siculus, quod planius tibi in aliud tempus reddam? Hoc modo fit hibernus Mæmacterion cum Novembri compoſitus. Nam ſi Athenis eam ſedem obtinuiſſet, cum a Vergiliarum occaſu maria claudantur, haud prudenter decreviſſent Athenienſes minime opportuno, quin naufrago tempore navigandum eſſe.

Ab his tandem difficultatibus emerſi reliquorum menſium ſeriem & connexionem commodius percurremus. Poſideon ſextus Pyanepſioni proximus locatur, qui VIII. id. Decembr. initium capiens die decimo nono brumam attingit. Quadrant igitur hæc Ariſtotelis de Thynnide: ἔστι δὲ ὁ μὲν πρῶτος γόνος περὶ τὸν Ποσειδεῶνα πρὸ τροπῶν· ὁ δὲ ὕστερος τὸ ἔαρος. Plutarchus, quippe Bœotius, eundem menſem cum Januario, ut dicemus, comparat, Suidas cum Decembri. Hoc menſe, quoniam ſol ad extrema ſecedens per breviſſimum orbem circumfertur, frigus maxime intenditur; ideoque Theophraſtus περὶ κακολογίας cum hominis improbitatem ſignificare vellet, qui uxorem ſoleret τῷ ψυχρῷ λέβητι ἀναγκάζειν τὸ ποσιδεῶνος ἡμέρᾳ, Poſideonem ut ſummam hiemem in exemplum adduxit.

Gamelion Poſideoni annexus VII. ordine ſequitur Prid. non. Januar. diebuſque XI. a bruma diſtat. Anno tamen Octeateridis II. ad brumam propius recurrit tertio die a brumali cardine exorſus. Ad quem referrem cometem, qui, ut animadvertit Ariſtoteles, ἐπὶ δὲ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐκλέους τοῦ Μόλωνος ἐγένετο πρὸς ἄρκτον μηνὸς γαμηλιῶνος περὶ τροπὰς ὄντος τοῦ ἡλίου χειμερινάς. Poſt brumam tamen frequentius ſedem ſibi ſumit, ut de hortenſium ſtirpium ſementi Theophraſtus accommodate loquitur: τοῦ χειμερινοῦ μὲν γὰρ ἀρχὴ μετὰ τροπὰς δεκεμβριανὰς τοῦ μεταγειτνιῶνος· τοῦ δὲ δευτέρου πάλιν μετὰ ἡλίου τροπὰς χειμερινὰς τοῦ γαμηλιῶνος μηνός.

Gamelioni Antheſterion conjungitur veris hiemiſque fines dirimens; nam III. non. Febr. interpoſitus die V. hiemem claudit. Equidem cum multa ſunt apud veteres quorum præſidio Antheſterion definitur, & in antiquum ordinem digeritur, propriaque in ſede collocatur, tum illud in primis quod ex Plutarchi Συμποσιακοῖς depromitur, ſummam perſpicuitatem, maximumque pondus habere exiſtimo, ut non ſuſpendere & ſiſtere, ſed impellere ſecumque rapere contraria opinantes videatur. Prodiit Athenis cum eſſet, die Antheſterionis XI., jam nato vere, Πο-

Θοίγια celebrata, quibus novum vinum guſtant, diiſque libant, ut Romani Vinalibus prioribus. Dies ſacer erat XVI. cal. Mai. vel idibus Febr., ſi veteri anno expenditur hiſtoria: ſin vero ſolari, III. id. Febr. Utut acceperis, vernum menſem eſſe Antheſterionem omni aſſeveratione confirmabis. Idipſum intelliges ex Amphictyonum decreto, quod apud Demoſthenem videbis. Quæ enim ἐπὶ ἱερέως Κλεαναγόρα ἐκ Δελφῶν τῶν παλαίων Amphictyones decreverunt, acta ſunt ἄρχοντος Μνησιδίδου μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δεκάτῃ. Cave tamen Macrobio aſſentiaris; nam vernum eſſe Antheſterionem, ac Februario apud Atticos, apud Bœotios Martio reſpondere, κεκλῆσθαι διὰ τὸ πλεῖστα τῶν ἐκ γῆς ἀνθεῖν τότε; non dubium tibi renuncio, ſed Aprilem cum Antheſterione & ſedem & nomen commune obtinuiſſe, ut ille aſſerebat, tibi neque polliceri valeo, neque præſtare.

Octo digeſtis menſibus, quatuor ſuperſunt, Elaphebolion, Munychion, Thargelion, Scirophorion. Elaphebolion pone Antheſterionem ſubit ex a. d. IV. non. Mart. ut Athenæus lib. VIII. conjungit dicens: κατὰ δὲ τὸν ἀνθεστηριῶνα καὶ ἐλαφηβολιῶνα λέγειν τὰς ἐπιχωρίους. Thucydides qui annum biſariam diſtinguit, in hiemem atque æſtatem, in hoc menſe hiemem deſinere, verque inchoari declarat; nam de fœdere inter Athenienſes & Lacedæmonios icto ſic agit: αὗται αἱ σπονδαὶ ἐγένοντο τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος ἅμα ἦρι ἐκ Διονυσίων εὐθὺς τῶν ἀστικῶν. Quod mox diligentius determinat: ἀρχὴ δὲ τῶν σπονδῶν ἔφορος Πλειστόλας, ἀρτεμισίου μηνὸς τετάρτῃ φθίνοντος· ἐν δὲ Ἀθήναις ἄρχων Ἀλκαῖος ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς ἕκτῃ φθίνοντος. Ver ergo ſecundum Thucydidem circa calendas Martias incidebat, ut Romani & Chaldæi obſervabant. Eodem inſtituto cum Euripides quaternos menſes æſtati atque hiemi attribuat, binos veri atque autumno, efficitur ut hiems ſibi ſervet Pyanepſionem, Poſideonem, Gamelionem, Antheſterionem, ver Elaphebolionem & Munychionem, æſtas Thargelionem, Scirophorionem, Hecatombæonem, Metagitnionem, autumnus Boedromionem ac Mæmacterionem. Porro antequam a Thucydide digrediamur, qui ſtatim ab urbanis Dionyſiis fœdus eſſe ictum deſcribit, Dionyſia menſe Elaphebolione acta non puto te negaturum. At Liberalia quæ Romæ incidebant in a. d. XVI. cal. April. die Elaphebolionis XVI. comprenſa, quid aliud oſtendunt, quam Elaphebolionem Martio adamuſſim æquiparari, temporibus utriuſque gentis ſacriſque diebus concurrentibus? Sed jam Philoſophos audiamus, Theophraſtum ſcilicet, atque Ariſtotelem. Hic de Urſis hæc edidit: τῷ δ' ὀχείαν ποιεῖται τὸ μηνὸς τῷ ἐλαφηβολιῶνος. Quæ librariorum vitio corrupta tum iſta: ὅταν δ' ἐκδρέψῃ τρίτῳ μηνί, ἐκφαίνεσι ἤδη

τὸ ἔαρ ; tum illa : αὐτὼ ποιᾷ τὸ ἔαρ περὶ τρίτον μῆνας ἀπὸ τροπῶν præclare denotant. Etenim cum diebus XXX. uterum ferat Urſa, pulloſque tribus a bruma menſibus educet, demum cum prole jam verno egrediatur, qui fit, ut menſe Elaphebolione, quo ver inchoant, marem admittat? Fœturæ itaque tempus Pyanepſione (pro quo male inducitur Elaphebolion) parit circa brumam Ποσειδεῶνος φθίνοντος ; a bruma IX. cal. Jan. per dies XC. in IX. cal. April. partum fovet ; exin, confecto æquinoctio verno, deſinente Elaphebolione, & vere adulto, de latibulis catulos educit. Perite igitur Plinius Philoſophi ſententiam paucis perſtrinxit : *Urſorum* (ſic enim ſcribendum, non *eorum*) *coitus hiemis initio*. deinde : *latent fœminæ quaternis menſibus* : demum : *procedunt vere*. Quid perite, inquies ; numquid neſcis quantis conviciis ob iſta Plinius laceretur? Teneo omnia, tamen illiberaliter, crudeliterque malo afficitur. Urſorum ait coitus hiemis initio, nempe Pyanepſione, qui delabentibus matutino Vergiliis agitur, hiememque affert. Latent fœminæ a coitu quaternis menſibus, quippe primo uterum ferunt, tribus reliquis partus nutriunt, demum vere proſiliunt. Quid ad Ariſtotelis locum accommodatius? Non fugit temporis labem diſcipulus, qua præceptor ejus affectus fuerat ; de Quercus enim & Pini germinatione quæ Theophraſtus lib. περὶ φυτ. ἱστορ. III. ſcripſerat, tali pacto depravata exſcribam : πρῶτον μὲν ἄκρα ἔαρος ὠδὺς ἰσαμένα τὸ θαργηλιῶνος. Non quadrat tam ſera germinatio quæ prima traditur : Gaza qui *ineunte Februario* vertit, ἰσαμένα ἐλαφηβολιῶνος videtur legiſſe. Haud aliter Plinius latinitate donavit : *eſt autem prima earum incipiente vere*. Si Thargelionem inveniſſet, vel incipiente æſtate, vel Majo menſe, vel tranſeunte in Taurum ſole, ut mox alio exemplo declarabo, interpretatus eſſet. Refert etiam perpendere quæ de prima navigandi opportunitate quam vernam vocat Heſiodus, & ab eo tempore determinat, quo Ficus folia explicare incipit, memorat περὶ ἀδολεσχίας idem Theophraſtus, nempe τὸν θάλατταν ἐκ Διονυσίων πρώϊμον εἶναι. In Fico enim primam germinationem Martio menſe hoc eſt Elaphebolione quo Dionyſia aguntur, inchoari præſertim in Græcia plane conſtat.

Poſt Elaphebolionem Munychion interponitur IV. non. April. quod Æſchines de falſa legatione ſignificat. Id tibi totum ſub oculos ponam, quoniam, quidquid agimus, veterum ſcriptis præſtandum eſt : Ἀκούετε ὅτι Μουνυχιῶνος ἐλαφίσδη τρίτη ἰσαμένα, ὁ δὲ Κερσοβλέπτης πόσας προτέρων ἡμέρας ἀπώλεσε τὸν ἀρχὸν, πρὶν ἐμὲ ἀπιέναι, ὡς φησὶ χάρης ὁ στρατηγὸς καὶ ἐπιστολή, τὸ πρότερα μηνὸς, ἅπερ ἐλαφηβολιῶνος ἐστὶ Μουνυχιῶνος

πρό-

πρότερ⊙. Leges etiam in Demoſthene Athenienſium decretum, ex quo inter Elaphebolionem & Thargelionem menſem alium intelligimus intereſſe oportere. Nam Elaphebolione extremo legati ad Philippum regem decernuntur inducias in menſem Thargelionem petituri. Niſi Munychion interfuiſſet, quid erat legationem decerni? quod enim petitum mittebant, antequam peteretur, elabebatur. Verum ſi iſta quæ ad conjecturam quodammodo pertinent, tanti eſſe non putas, ut certo ſocietatis vinculo menſes conjungant ac revinciant: ecce tibi Ariſtoteles περὶ ζώων γενέσεων V. ut dubitantem confirmat: τίκτουσι δ' οἱ πλεῖστοι τῶν ἰχθύων ἐν τρισὶ μησὶ μουνυχιῶν⊙, θαργηλιῶν⊙, σκιροφοριῶν⊙. Ecce ſubinde Plinius ut noſtris menſibus reddit: *plurimi Piſcium tribus menſibus* (pariunt) *Aprili*, *Majo*, *Junio*; Munychion enim IV. non. April. ut dicebam, inchoatur, Thargelion Calendis Maiis, Scirophorion III. cal. Jun. De Munychione ſatis.

Reliquorum connexionem progreſſionemque etiam declarant quæ de Boum fœtura Ariſtoteles memoriæ tradidit: ἄρχεται δὲ τῆς ὀχείας περὶ τὸν θαργηλιῶνα καὶ σκιροφοριῶνα. Id docet Demoſthenis oratio contra Midiam. Id Theophraſti περὶ φυτ. ἱστορ. lib. IV. περὶ δὲ τῷ βλάπτειν ἐλάττης, καὶ πλείστης ὅτε καὶ λιπῶσι τὸ θαργηλιῶν⊙ ἢ σκιροφοριῶν⊙, ἄντις περιέλῃ παραχρῆμα ἀπόλλυται· τὸ χειμῶν⊙ πλείω χρόνον ἀντέχει. Quorum interpretationem ex Plinio dabo: *Refert & anni tempus; Abieti enim & Pino ſiquis* (corticem) *detraxerit*, *ſole Taurum vel Geminos tranſeunte*, *cum germinant*, *ſtatim moriuntur*. *Eandem injuriam hieme paſſæ diutius tolerant*. Diſſimili modo ac ſupra, tempus latina conſuetudine definit immutato menſium recurſu. Tranſit Atticis in Taurum ſol VII. cal. Majas, in Geminos VI. cal. Jun., ideo quod in Tauro moratur Thargelionis dies XXVI., in Geminis dies XXIX., ex majori ſpatio tempus conſtituit, atque adeo ex cœleſti ratione non Latinis modo, ſed etiam cunctis gentibus commune. Secundam quoque Pini & Quercus germinationem a Theophraſto propoſitam περὶ τὸν σκιροφοριῶνα λήγοντα, eadem conſtante ſententia, Latine concluſit: *iterum germinant*, *tranſeunte Geminos ſole*.

Quoniam itaque Thargelionis Scirophorioniſque connexionem, & cum Latinis conſenſum vidimus, reſtat, ut hujus & Hecatombæonis, a quo initium cepimus, affinitatem, & cohærentiam paucis perſtringamus. Huc tamen non revocabo, quæ de Locuſtis ab Ariſtotele paulo ante exſcribebam; hærent enim non in animis modo, ſed etiam ante oculos. Duo attigiſſe præſtiterit; alterum Theophraſti de Calamis: τέμνουσι γὰρ δὴ νῦν τῷ σκιροφοριῶν⊙, καὶ ἑκατομβαιῶν⊙ ὡς περὶ πρὸ τροπῶν μικρόν· ἢ ὑπὸ τροπάς.

τάς. Qui enim menſes ſolſtitium attingunt præter hos duos? Alterum Plutarchi in Ageſilao de Leuctrico prælio ſcribentis: καὶ γὰρ τετράδι ἐπὶ δέκα τῶ σκιροφοριῶνος μηνὸς ἐποιήσαντο τὰς σπονδὰς ἐν λακεδαίμονι· τῇ δὲ πέμπτῃ τῶ ἑκατομβαιῶνος ἤττήθησαν ἐν λύκτροις ἡμέρων εἴκοσι διαγενομένων.

Habes præcipua quorum fide & præſidio nixus quis fuiſſet inter Atticos menſes ordo, quæ progreſſio, quæ cum noſtris ſimilitudo, affinitas, conjunctio, ſtatuebam. Quibus ſi intemperanter ſim uſus vel perperam, tuum erit non ſolum me admonere, ſed etiam coarguere atque ab incepto revocare. Nam, cum duo mihi præſtanda propoſuerim, alterum ut mandatis tuis obtemperarem, alterum ut quæ veri ſpeciem gerere videbantur, conſectarer, utrunque me eſſe aſſecutum non prius aſſerere audebo, quam ex tuis literis cognovero. Vale.

Dabam Patavio VIII. Cal. Octobr. CIↃ IↃCC XXXIII.

EPISTOLA XXIII.

De Atticorum annorum diſcriminibus.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

TUas literas quotidie expectabam, quibus de menſibus Atticis ficrem certior. Hodie cum hora qua epiſtolæ afferri ſolent, jam præteriiſſet, Tabula civis tuus recentiſſimus a vobis ad me venit. Quem ut vidi, continuo interrogavi: ecquid ab Andrea? Reſpondit cum maxime ante ſuum diſceſſum te convenire cuperet, domi non inveniſſe. Statim intellexi te occupationibus diſtineri; tuam enim in ſcribendo diligentiam probe novi. Statui itaque hanc de anno Attico civili epiſtolam ad te mittere, ut unam binis noſtris a te elicerem, quo minorem moleſtiam occupato imponerem, atque una eſſet Atticarum rerum comprenſio, quæ volvi & cognoſci eodem tempore poſſet.

Sex annorum diſcrimina apud Athenienſes conſtituo. Primum dieteris eſt Chaldaica pluribus gentibus communis, qua tertio quoque anno, ut tradit Herodotus, intercalatur. Dieteridis exemplum infra expreſſi.

Ann. I.

I. Hecatombæon III. id. Quint.
II. Metagitnion Prid. id. Sext.

III.

III. Boedromion IV. id. Septembr.
IV. Mæmacterion VII. id. Octobr.
V. Pyanepſion VII. id. Novembr.
VI. Poſideon VIII. id. Decembr.
VII. Gamelion Prid. Non. Januar.
VIII. Antheſterion III. non. Febr.
IX. Elaphebolion IV. non. Mart.
X. Munychion IV. non. April.
XI. Thargelion Cal. Maiis
XII. Scirophorion III. cal. Jun.

Ann. II.

I. Hecatombæon IV. cal. Quint.
II. Metagitnion V. cal. Sextil.
III. Boedromion VII. cal. Septembr.
IV. Mæmacterion VIII. cal. Octobr.
V. Pyanepſion X. cal. Novembr.
VI. Poſideon primus XI. cal. Decembr.
VII. Poſideon ſecundus XIII. cal. Januar.
VIII. Gamelion XIV. cal. Februar.
IX. Antheſterion XII. cal. Mart.
X. Elaphebolion XIV. cal. April.
XI. Munychion XV. cal. Maii.
XII. Thargelion XVII. cal. Jun.
XIII. Scirophorion XVIII. cal. Quint.

Ann. I.

I. Hecatombæon III. id. Quint.

Primo igitur & ſeptimo menſi dies XXX. aſſignamus, reliquis per ἀφαίρεσιν XXIX. Intercalarium autem menſem, quem Poſideonem ſecundum fuiſſe indicat Ptolemæus, altero anno interponimus, & in dies XXX. producimus. De cujus ſede tradunt primis temporibus circa brumam per Gamelionem annum eſſe inchoatum, propterea medio anno intercalari Poſideonem, quia anni erat extremus. Quod non perinde firmum ac credunt. Etenim Numa Romanum annum a brumali ſidere exorſus, altero menſe exacto, intercalandum ſtatuit, non extremo. Quid igitur mirum Athenis poſt ſextum fuiſſe intercalatum? Nonne hac ratione cautum eſt, ne Olympias in ominoſum menſem, qualis intercalarius

larius habitus est apud antiquos, incideret? Quod fieret, si absoluto anno, intercalatio subnecteretur. Insuper propter temporum spatia, ut proximis literis significaveram, id constitutum sum arbitratus.

Sed ecce tibi majores concertationes & turbæ; in multos enim incides, qui annum lunarem dierum CCCLIV. fuisse ab Athenienſibus primo ævo susceptum tibi confirment, atque ex Laertio Solonis legem afferant, qua sancitum erat, ut Athenienses ad lunæ rationem annum agerent; propter quod Solon mensium τριακάδα primus ἕνλω καὶ νέαν appellaverit. Ideo alternis annis intercalatum modo dierum XXII. mensem, modo XXIII. Quibus haud equidem repugno; antiquissimam enim apud mortales fuisse anni lunaris regulam puto; quod hoc astrum notiorem perspicuitatem habeat quam Sol, unde menses sibi instituerunt; quos ex solari cursu rude hominum genus haud facile desumet. Quare longe ante Solonem lunæ naturam Græcis innotuisse ultro damus largimurque. Supereſt illud a Laertio petitum, quod tale jactant, ut ne hiscere quidem contra audeamus. Mihi infirmius videtur, & pene dixerim, puerile. Ita enim argumentantur. Solon legem promulgavit, ut Athenis annus lunaris esset; igitur ante Solonem ad lunam non ordinabatur annus. Ut argumenti vim plenius perspicias, libet alia quæ legibus a Solone comprensa facile permittes (quippe naturæ & communi gentium jure sancita ad optimum civitatis statum componendum pertinent) commemorare, ceu deos colito, parentes in calamitate alito, liberum hominem injuriæ causa ne tangito, ab alienis te abstineto. Itaque inferamus ante Solonem nullum fuisse Athenis deorum cultum, parentes miseros sine infamia & pœna a filiis desertos esse, licuisse civem injuria afficere, & rapere aliena. Tam ista vera sunt quam quæ de anno lunari comparant & contexunt. Quam multa legislatores in leges colligunt, quibus majorum consuetudine eorum populares tenebantur: quam multa sanciunt, quæ natura, moribus, ac priscis legibus jam sancita erant, usuque confirmata? Multa hujusmodi sunt in Solonis legibus. Nonne etiam M. Tullius dum legislatoris munus agit, ex duodecim tabulis, plebiscitis, & patriis institutis ferme omnia eruta promulgat? Idcirco si Cicero Romanorum legislator habitus esset, cum intercalandi rationem diligenter esse servandam perscribat, intercalationem ante M. Tullium non fuisse Romæ continuo inferrent? Præterea cur Solon annum lunarem Athenienſibus commendat, qui non ad civitatis mores componendos, sed ad religionem pertinebat? Etenim ex oraculo indictum fuerat, ut κατὰ γ' πὶ πάτρια μῆνας, ἡμέρας, ἐνιαυτὸν sacra fierent. Quoniam itaque religionibus annus lunaris inserviebat, nisi si Solon

lon novas invexerit, quod non fit verisimile, profecto sacra patria talem anni formam ante Solonem exposcebant. Quid ergo de anno aliud sancivit, nisi priscum, nisi receptum, nisi patrium, nisi religiosum, nisi aliis legibus cautum? At princeps Solon diem mensis trigesimum novum & veterem appellavit? Quid igitur? Eundem diem antiquior Solone Homerus non absimili modo nuncupat.

Τῇ μὲν φθίνοντος μηνὸς, τῇ δ' ἱσαμένοιο;

Hesiodus item antiquitate Homero proximus de Lunari mense canit:

Ὀγδοάτῃ τ' ἐνάτῃ τε δύω γε μὲν ἤματα μηνὸς
Ἔξοχ' ἀεξομένοιο.

Quod certo argumento indicat Homeri quoque atque Hesiodi ævo annum in Græcia ad lunæ motum solitum referri. Quapropter anni lunaris institutionem, quam a Solone repetunt, nos antiquissimæ ætati ultro concedimus. Sed hunc annum ad popularem usum tum Athenis, tum in Græcia traductum tunc credam, cum veterum auctoritate docebor. Novitii enim Censorinus & Macrobius videntur, dum, quæ Græcis attribuunt, Romanis etiam assignant. Cur istis de Græcia scribentibus fidem adjungam, qui patria & propria ignorabant, minus vera de anno Romano tradentes? Lunari, ut mea est opinio, regula religionis causa utebatur Græcia, quod Solon Athenienſibus servandum suis legibus inculcat, etsi dissimilem annum quotidiana consuetudine usurparent. Numquid ab Ægyptiis, qui annum ad solis motum agebant, lunares circuitiones non animadversas, & per annum menseſque non digestas credemus? Sed quid tam remota commemoro? Nos lunæ periodo ad multa non utimur, qui tempora, qui res gestas, qui publicas & privatas rationes solari computatione resignamus? Præterea si sacra ac profana ad annum lunarem lege traduxerat Solon, cur ipse a suis legibus desciviť? Apud Herodotum enim dum loquitur cum Crœso, Chaldaicum & solarem annum, non lunarem, ad calculum revocat, eoque hominis vitam metitur. Quare ego pro certo contenderim ante octeateridem lunæ annum in vulgum non patuisse, quod nulla fuisset causa, qua octeateris reciperetur; dieteris enim lunaris quater sumpta, aut tetraeteris bis, appositis binis mensibus intercalariis dierum XXII., & binis dierum XXIII., ut usurpatum esse defendunt, octeateridis munus ac spatium explent.

Neque solum de lunari anno hæc quæ dixi, colligunt, & sursum deorsumque miscent, sed etiam de solari multa, quibus ne decipiamur, providendum. Solis vero annum apud Atticos dies CCCLX. complexum fuisse tradunt. Quæ opinio Aristotelis verbis roboratur de anima-

libus ſcribentis : ἐνιαι δὲ κύεσι τῶν κυνῶν πέμπτον μέρος ἐνιαυτοῦ· τοῦτ' ἐστὶν ἡμέραι ἑβδομήκοντα καὶ δύο. Si pars anni quinta dies LXXII., totus annus dies CCCLX. habebit. At brevior in laconicis fœtura : κύει δὲ ἡ μὲν λακωνικὴ ἕκτον μέρος τοῦ ἐνιαυτοῦ· τοῦτο δέ ἐστιν ἡμέραι ἑξήκοντα. Pars quoque anni ſexta cum ſit dierum LX., univerſus erit CCCLX. Noſti ſimiliter Cleobuli ænigma:

Εἷς ὁ πατήρ· παῖδες δὲ δυώδεκα· τῶν δὲ ἑκάστῳ
Παῖδες τριάκοντα διάνδιχα εἶδος ἔχουσι·
Αἱ μὲν λευκαὶ ἔασιν ἰδεῖν· αἱ δὲ αὖτε μέλαιναι,
Ἀθάνατοι δέ τε ἔασι· ἀποφθινύθουσιν ἅπασαι.

Plinius quoque poſteris tranſmiſit Demetrio Phalereo ſtatuas CCCLX. dicatas; quod annus hunc numerum dierum ea tempeſtate non excederet. Addit Varro & ſtatuarum titulum : *Hic Demetrius naſtus eſt quot luces habet annus abſolutus*. Quæ vitii Cornelii Nepotis libros coarguunt, qui in Miltiade CCC. tantum ſtatuas Demetrio decretas exhibent.

Hic tamen anni modus in Attica regione ſola non commemoratur : ab Hippocrate pariter refertur libro περὶ σαρκῶν. Ait enim ſeptimeſtrem puerum tres hebdomadum decades gerere, ſingulas autem decades dierum eſſe LXX., treſque dies CCX. explere. Quare menſes tricenarii habentur, quorum XII. annum dieſque CCCLX. efficiunt. Porro de anno ex eodem libro expedit hæc exſcribere καὶ ἐν ἑπτὰ ἔτεσιν ἔστι δὲ λόγῳ καὶ ἀριθμῷ ἀτρεκέως δεκάδες ἑβδομάδων ἑξήκοντα καὶ τριακόσιαι. Quæ, ut in pleriſque evenit, vitiavit antiquitas; nam hebdomades CCCLX. annos ſeptem ſive MMDXX. dies complent. At CCCLX. hebdomadum decades quo procedunt ? Abundare itaque decades reor, præſertim ubi de ſeptenario numero agitur ejuſque vis & progreſſio ponderatur. Quoniam igitur de anni quantitate conſtat, qua Perſæ, ſed maxime Ægyptii, ut tibi jam notum fecimus, uſi fuere, eandem penes Philoſophos uſurpatam non negamus; ſive quia ſingulis ſignis dies tricenos attribuunt, ne quid impar emineat; ſive quia dies perinde accipiunt, ac partes in quas cœleſtis orbis diſtinguitur; ſive demum quia numerus CCCLX. multas & varias ſubit diviſiones ad ea quæ tradunt, accommodatas. Hac de cauſa non aliam anni formam Genethliaci probant, quod is numerus ſuis obſervationibus ſive potius ineptiis & deliriis valde conſonans inveniatur. Verumtamen hoc dierum numero annuum ſolis ambitum circumſcribi proditum vel ab Ariſtotele, vel ab Hippocrate, vel ab alio cœleſtis diſciplinæ perito perfacile negamus. Plinio quidem imprudenter excidit, annum Atticum CCCLX. numerum Demetrii Phalerei ævo non

exceſ-

). VII.

Ephori ætate, & anno noſtro ex Metonis atque Euctemonis obſerva-
tionibus V. cal. Quint. ſervabatur, dies XVIII. numerantur. Propterea

Octeteris Attica

Ann. I.

I. Hecatombæon III. id. Quint.
II. Metagitnion III. id. Sextil.
III. Boedromion IV. id. Sept.
IV. Mæmacterion VII. id. Octob.
V. Pyanepsion VI. id. Novemb.
VI. Posideon VII. id. Decembr.
VII. Gamelion VIII. id. Jan.
VIII. Anthesterion prid. non. Febr.
IX. Elaphebolion prid. non. Mart.
X. Munychion prid. non. April.
XI. Thargelion IV. non. Maii.
XII. Scirophorion IV. non. Jun.

Ann. II.

I. Hecatombæon VI. non. Quint.
II. Metagitnion prid. cal. Sext.
III. Boedromion III. cal. Sept.
IV. Mæmacterion IV. cal. Octob.
V. Pyanepsion V. cal. Novemb.
VI. Posideon VI. cal. Decembr.
VII. Gamelion VII. cal. Jan.
VIII. Anthesterion IX. cal. Febr.
IX. Elaphebolion VII. cal. Mart.
X. Munychion IX. cal. April.
XI. Thargelion IX. cal. Maii.
XII. Scirophorion XI. cal. Jun.

Ann. III.

I. Hecatombæon XI. cal. Quint.
II. Metagitnion XIII. cal. Sextil.
III. Boedromion XIV. cal. Sept.
IV. Mæmacterion XV. cal. Octob.
V. Pyanepsion XVI. cal. Nov.
VI. Posideon I. XVII. cal. Dec.
VII. Posideon II. XIIX. cal. Jan.
VIII. Gamelion idib. Januar.
IX. Anthesterion prid. id. Febr.
X. Elaphebolion III. id. Mart.
XI. Munychion prid. id. April.
XII. Thargelion V. id. Maii.
XIII. Scirophorion IV. id. Jun.

Ann. IV.

I. Hecatombæon VI. id. Quint.
II. Metagitnion VI. id. Sext.
III. Boedromion VII. id. Sept.
IV. Mæmacterion prid. non. Oct.
V. Pyanepsion nonis Novemb.
VI. Posideon prid. non. Decemb.
VII. Gamelion III. non. Jan.
O. I. VIII. Anthesterion cal. Febr.
IX. Elaphebolion VI. non. Mart.
X. Munychion prid. cal. April.
XI. Thargelion prid. cal. Maii.
XII. Scirophorion IV. cal. Jun.

Ann. V.

I. Hecatombæon IV. cal. Quint.
II. Metagitnion VI. cal. Sextil.
III. Boedromion VII. cal. Sept.
IV. Mæmacterion VIII. cal. Oct.
V. Pyanepsion IX. cal. Nov.
VI. Posideon I. X. cal. Dec.
VII. Posideon II. XI. cal. Januar.
VIII. Gamelion XIII. cal. Febr.
IX. Anthesterion XI. cal. Mar.
X. Elaphebolion XIII. cal. Apr.
XI. Munychion XIII. cal. Maii.
XII. Thargelion XV. cal. Jun.
XIII. Scirophorion XV. cal. Quint.

Ann. VI.

I. Hecatombæon XVI. cal. Sext.
II. Metagitnion XVIII. cal. Sept.
III. Boedromion XVIII. cal. Oct.
IV. Mæmacterion III. id. Oct.
V. Pyanepsion prid. id. Nov.
VI. Posideon III. id. Dec.
VII. Gamelion IV. id. Jan.
VIII. Anthesterion VI. id. Feb.
IX. Elaphebolion VI. id. Mart.
X. Munychion VI. id. April.
XI. Thargelion VIII. id. Maii.
XII. Scirophorion VIII. id. Jun.

Ann. VII.

I. Hecatombæon prid. non. Quint.
II. Metagitnion prid. non. Sext.
III. Boedromion III. non. Sept.
IV. Mæmacterion VI. non. Octob.
V. Pyanepsion cal. Novembr.
VI. Posideon prid. cal. Decemb.
VII. Gamelion III. cal. Januar.
VIII. Anthesterion V. cal. Febr.
IX. Elaphebolion III. cal. Mart.
X. Munychion V. cal. April.
XI. Thargelion V. cal. Maii.
XII. Scirophorion VII. cal. Jun.

Ann. VIII.

I. Hecatombæon VII. cal. Quint.
II. Metagitnion IX. cal. Sextil.
III. Boedromion X. cal. Septem.
IV. Mæmacterion XI. cal. Oct.
V. Pyanepsion XII. cal. Nov.
VI. Posideon I. XIII. cal. Dec.
VII. Posideon II. XIV. cal. Jan.
VIII. Gamelion XVI. cal. Febr.
O. I. IX. Anthesterion XV. cal. Mart.
X. Elaphebolion XVII. cal. Apr.
XI. Munychion XVII. cal. Maii.
XII. Thargelion prid. id. Maii.
XIII. Scirophorion id. Jun.

Ann. I.

I. Hecatombæon III. id. Quint.

excessisse, cum solis ratio Athenis tunc vel in primis excelleret. Illud vero quod hinc ostendendum arripiunt, quin etiam tanquam probatum nobis obtrudunt, diebus scilicet CCCLX. vel Athenis vel alibi in Græcia fuisse definitum, procul ab omni ratione apparet. Nunquam enim eos annorum ambitus, quibus solis & lunæ motus ut assequeretur, curabat, amplexa fuisset Græcia, si a sole diebus V. ac diei quadrante citius suum orbem peragi credidisset. Multa de hoc genere scribi possunt: sed ad id quod agimus, hæc satis. Quandoquidem quæ solida & firma esse præ se ferebant, experti sumus quam sint inania, & imbecillia, in viam, a qua fortasse tam longe diverti non oportuit, redeamus.

Sequitur alterum discrimen tetraeteris, quam vix in proprium genus recipio, quod ex iterata dieteride in orbem glomeratur. Ideo ad tertium descendam quod octeateridem vocamus. Hanc Athenienses cum finitimis populis amplexi sunt, quia dieteris aut tetraeteris solis modo, non lunæ progressui conveniret. Quo sane ambitu dies CIↃCIↃDCCCCXX. continentur, & III. menses intercalantur, tertio scilicet, quinto, & octavo anno, ut de Bœotiis scripsi. De hac tabulam constituimus in hunc modum. Primus annus III. id. Quint. inchoatur: secundus VI. non. ejusdem: tertius XI. cal. ejusdem. Hic summus anni recursus; nam quartus ad VI. id. Quint. retrahitur: quintus IV. cal. Quint. subsidet: sextus in a. d. XVI. cal. Sextil. promittitur, quæ summa anni anticipatio. Ab hoc termino septimus contrahitur in prid. non. Quint. Octavus denique in XII. cal. ejusdem. Quapropter Atticus annus pro varia intercalandi regula inter XI. cal. Quint. & XVI. cal. Sextil. vagatur. Atqui menses alternos cavos, alternos plenos interposui, & anno quoque quarto nostro diem intercalarem adnotavi. Sed quid pergo? Ad tabulam quam includo, te remitto. Illud potius agam, ut insigni aliquo monumento octeateridem illustrem. Nobilis est in Dionysio Halicarnasseo de Trojæ excidio Ephori historia, quam mecum ut perpendas, rogo: ἴλιον μὲν γὰρ ἁλκω τελωτῶντος ἤδη τῶ θέρους, ἑπτακαίδεκα πρότερον ἡμέραις τῆς θερινῆς τροπῆς, ὀγδόῃ φθίνοντος μηνὸς θαργηλιῶνος, ὡς ἀθηναῖοι τὰς χρόνους ἄγεσι. Περιτταὶ δὲ ἦσαν αἱ τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον ἐσπληρῶσαι μετὰ τὼ τροπὼ εἴκοσι ἡμέραι. Quo anno capta fuerit Troja, & quo die ex octeateride haud obscure percipies; anno enim V. intercalario Thargelion ex a. d. XIV. cal. Jun. ducitur, & dies Thargelionis XXIII. quo urbem Græci occuparunt, V. id. Jun. attingit. Hinc ad solstitium quod Ephori ætate, & anno nostro ex Metonis atque Euctemonis observationibus V. cal. Quint. servabatur, dies XVIII. numerantur. Propterea

Tab. VII.

in Dionyſium irrepſiſſe vitium opinatus ſum, quod manifeſtius ex Plutarcho cognoſces. Hic enim dum Trojæ incendium repetit, eveniſſe narrat ἑβδόμῃ Θαργηλιῶνος φθίνοντος. Ideo contigit IV. id. Jun. dies XVII. ante ſolſtitium, quot Ephorus ex Attica conſuetudine recenſebat. Scirophorion autem ultimus anni menſis inceptus ex a. d. XV. cal. Quint. XVI. cal. Sextil. terminatur; ideo a ſolſtitio ex anno dies XX. ſuperſunt.

Antequam ad alias annorum differentias tranſitum faciam, opportunum eſſe video Atticas periodos cum Bœotiis conferre, ac menſium nomina qui ſoli ex Bœotiis ab interitu vindicati ſunt, prodere, ut tibi fueram pollicitus, cum de Bœotiis ſcribebam. Quod ut ordine exſequar, dieterides inter ſe componendæ ſunt, octava appoſita tabula, ut menſium affinitatem facile cognoſcas. Tranſeamus hinc ad hiſtorias. Tab. VIII. Prælium ad Platæas, quo Perſæ, duce Mardonio, cæſi ſunt, fugatique a Græcis, ad olympiadis LXXV. annum I. retulit Pauſanias, quod ex depravatis libris originem duxit; ſiquidem eo anno pugnatum fuiſſe circa Salaminam ex Herodoto liquet. Quare anno inſequente in Platæis campis armis concurſum eſt. Ideo dieteridis Atticæ anno II.; nam Olympiades quæ a ſolſtitio procedunt, cum Attico anno convenire facile concedes. Chaldaicum vero annum in Græcia tunc viguiſſe quoties tibi ex Herodoto enarravi? Propterea Græcorum victoria evenit (ut in Ariſtide computat Plutarchus) τετράδι τῷ βοηδρομιῶνος ἱσαμένου· κατὰ δὲ Βοιωτὸς τετράδι τῷ Πανέμου φθίνοντος. Ineunte igitur Hecatombæone IV. cal. Quint. & Metagitnione V. cal. Sext. Boedromion egreditur ex a. d. VII. cal. Septembr. Itaque dies quartus fit IV. cal. Septembr. Bœotii vero menſis I. cui dies XXIX. damus, quemque Panemum appellatum cenſemus, ſextus & vigeſimus. Exorditur itaque Panemus prid. non. Sext. ex quo Bœotius annus, ut ſuperioribus literis indicatum eſt, initium capit. Quapropter Dieteris Bœotia a II. anno Attico incipit, & Attica a II. Bœotio. Menſes autem diſſimili exordio naſcuntur; nam Bœotii die Attico octavo principium ſumunt. Itaque ſi primus annus Atticus a novilunio ductus eſt; & Bœotius ab octavo lunæ die curſum orditur.

Dieteris Bœotia ad hunc modum cum Attica comparatur. At octea- Tab. IX. teris, ut in nona tabula digeſtum eſt. Itaque Eudoxus, cui novæ anni inſtitutionis laus inter Bœotios reſervatur, cum a II. dieteridis anno auſpicaretur, a XIII. cal. Sextil. ubi eo anno plenilunium erat, in prid. non. Sextil. antiquum Bœotii anni principium, ambitum diſtulit per dies XV. cunctatus, quos anteacto anno, qui dies CCCL. ferebat, appoſuit, ut ſolis annus fieret, eoque ſuperiora tempora perficerentur.

TABULA VIII.

Dieteris Attica

Ann. I.

I. Hecatombæon III. id. Quint.
II. Metagitnion prid. id. Sextil.
III. Boedromion IV. id. Septemb.
IV. Mæmacterion VII. id. Octobr.
V. Pyanepsion VII. id. Novembr.
VI. Posideon VIII. id. Decembr.
VII. Gamelion prid. non. Januar.
VIII. Anthesterion III. non. Febr.
IX. Elaphebolion IV. non. Mart.
X. Munychion IV. non. April.
XI. Thargelion cal. Maiis.
XII. Scirophorion III. cal. Jun.

Ann. II.

I. Hecatombæon IV. cal. Quint.
II. Metagitnion V. cal. Sextil.
III. Boedromion VII. cal. Septemb.
IV. Mæmacterion VIII. cal. Octobr.
V. Pyanepsion X. cal. Novembr.
VI. Posideon primus XI. cal. Decemb.
VII. Posideon secundus XIII. cal. Jan.
VIII. Gamelion XIV. cal. Februar.
IX. Anthesterion XII. cal. Mart.
X. Elaphebolion XIV. cal. April.
XI. Munychion XV. cal. Maii.
XII. Thargelion XVII. cal. Jun.
XIII. Scirophorion XVIII. cal. Quint.

Ann. I.

I. Hecatombæon III. id. Quint.

Dieteris Bœotia

Ann. II.

I. mensis XIII. cal. Sextil.
II. mensis XV. cal. Septembr.
III. mensis XV. cal. Octob.
IV. mensis id. Octobr.
V. mensis id. Novembr.
VI. mensis prid. id. Decembr.
VII. mensis III. id. Januar.
VIII. mensis IV. id. Februar.
IX. mensis V. id. Mart.
X. mensis V. id. April.
XI. mensis VIII. id. Maii.
XII. mensis VIII. id. Jun.
XIII. mensis intercal. prid. non. Quint.

Ann. I.

I. mensis prid. non. Sextil.
II. mensis IV. non. Septemb.
III. mensis cal. Octobr.
IV. mensis III. cal. Nov.
V. mensis IV. cal. Dec.
VI. mensis VI. cal. Jan.
VII. mensis VII. cal. Febr.
VIII. mensis VI. cal. Mart.
IX. mensis VIII. cal. April.
X. mensis IX. cal. Maii.
XI. mensis XI. cal. Jun.
XII. mensis XII. cal. Quintil.

Ann. II.

I. mensis XIII. cal. Sextil.

Octeateris Attica

Ann. I.

I. Hecatombæon III. id. Quintil.
II. Metagitnion III. id. Sextil.
III. Boedromion IV. id. Septemb.
IV. Mæmacterion VII. id. Octobr.
V. Pyanepsion VI. id. Novembr.
VI. Posideon VII. id. Decembr.
VII. Gamelion VIII. id. Januar.
VIII. Anthesterion prid. non. Febr.
IX. Elaphebolion prid. non. Mart.
X. Munychion prid. non. April.
XI. Thargelion IV. non. Maii.
XII. Scirophorion IV. non. Jun.

Ann. II.

Octeateris

A

I. Panemus I
II. I.
III. Alalcomeni
IV. Damatrius
V. Bucatius V
VI. Hermæus
VII. Prostaterius
VIII.
IX.
X.
XI.
XII. Hippodrom

Octeateris Attica
Ann. I.

I. Hecatombæon III. id. Quintil.
II. Metagitnion III. id. Sextil.
III. Boedromion IV. id. Septemb.
IV. Mæmacterion VII. id. Octobr.
V. Pyanepsion VI. id. Novembr.
VI. Posideon VII. id. Decembr.
VII. Gamelion VIII. id. Januar.
VIII. Anthesterion prid. non. Febr.
IX. Elaphebolion prid. non. Mart.
X. Munychion prid. non. April.
XI. Thargelion IV. non. Maii.
XII. Scirophorion IV. non. Jun.

Ann. II.

I. Hecatombæon VI. non. Quint.

II. Metagitnion prid. cal. Sextil.
III. Boedromion III. cal. Septemb.
IV. Mæmacterion IV. cal. Octobr.
V. Pyanepsion V. cal. Novembr.
VI. Posideon VI. cal. Decembr.
VII. Gamelion VII. cal. Januar.
VIII. Anthesterion IX. cal. Februar.
IX. Elaphebolion VII. cal. Mart.
X. Munychion IX. cal. April.
XI. Thargelion IX. cal. Maii.
XII. Scirophorion XI. cal. Jun.

Ann. III.

I. Hecatombæon XI. cal. Quintil.

II. Metagitnion XIII. cal. Sextil.
III. Boedromion XIV. cal. Septemb.
IV. Mæmacterion XV. cal. Octobr.
V. Pyanepsion XVI. cal. Nov.
VI. Posideon primus XVII. cal. Dec.
VII. Posideon secundus XIIX. cal. Jan.
VIII. Gamelion idibus Januar.
IX. Anthesterion prid. id. Febr.
X. Elaphebolion III. id. Mart.
XI. *Munychion prid. id. April.*
XII. *Thargelion V. id. Maii.*
XIII. Scirophorion IV. id. Jun.

Ann. IV.

I. Hecatombæon VI. id. Quint.

II. Metagitnion VI. id. Sextil.
III. Boedromion VII. id. Septembr.
IV. Mæmacterion prid. non. Octob.
V. Pyanepsion nonis Novembr.
VI. Posideon prid. non. Decembr.
VII. Gamelion III. non. Januar.
VIII. Anthesterion cal. Februar.
IX. Elaphebolion VI. non. Mart.
X. Munychion prid. cal. April.
XI. Thargelion prid. cal. Maii.
XII. Scirophorion IV. cal. Jun.

O. I.

Octeateris Bœotia Eudoxi
Ann. III.

I. Panemus III. id. Quint.
II. III. id. Sextil.
III. Alalcomenius IV. id. Septembr.
IV. Damatrius VII. id. Octobr.
V. Bucatius VI. id. Novembr.
VI. Hermæus VII. id. Decembr.
VII. Prostaterius VIII. id. Januar.
VIII. prid. Non. Febr.
IX. prid. non. Mart.
X. prid. non. April.
XI. IV. non. Maii.
XII. Hippodromius IV. non. Jun.

XIII. Intercalaris VI. non. Quint.

Ann. IV.

I. Panemus cal. Sextil.
II. III. cal. Septembr.
III. Alalcomenius III. cal. Octobr.
IV. Damatrius V. cal. Novembr.
V. Bucatius V. cal. Decembr.
VI. Hermæus VII. cal. Januar.
VII. Prostaterius VIII. cal. Febr.
VIII. VIII. cal. Mart.
IX. IX. cal. April.
X. X. cal. Maii.
XI. XI. cal. Junias.

XII. Hippodromius XII. cal. Quint.

Ann. V.

I. Panemus XIII. cal. Sextil.
II. XV. cal. Septembr.
III. Alalcomenius XV. cal. Octobr.
IV. Damatrius XVII. cal. Novembr.
V. Bucatius XVII. cal. Decembr.
VI. Hermæus XIX. cal. Jan.
VII. Prostaterius idib. Januar.
VIII. III. id. Febr.
IX. III. id. Mart.
X. III. id. April.
XI. V. id. Maii.
XII. Hippodromius V. id. Jun.

XIII. Intercalaris VII. id. Quint.

Ann. VI.

I. Panemus VI. id. Sextil.
II. VIII. id. Septembr.
III. Alalcomenius prid. non. Octobr.
IV. Damatrius prid. non. Novembr.
V. Bucatius prid. non. Decembr.
VI. Hermæus IV. non. Januar.
VII. Prostaterius Cal. Februar.
VIII. VI. non. Mart.
IX. cal. April.
X. prid. cal. Maii.
XI. III. cal. Jun.

O. I.

Octeateris Attica
Ann. V.

I. Hecatombæon IV. cal. Quint.

II. Metagitnion VI. cal. Sextil.
III. Boedromion VII. cal. Septembr.
IV. Mæmacterion VIII. cal. Octobr.
V. Pyanepsion IX. cal. Novembr.
VI. Posideon primus X. cal. Decemb.
VII. Posideon secundus XI. cal. Jan.
VIII. Gamelion XIII. cal. Febr.
IX. Anthesterion XI. cal. Mart.
X. Elaphebolion XIII. cal. April.
XI. Munychion XIII. cal. Maii.
XII. Thargelion XV. cal. Jun.
XIII. Scirophorion XV. cal. Quint.

Ann. VI.

I. Hecatombæon XVI. cal. Sextil.
II. Metagitnion XVIII. cal. Septemb.
III. Boedromion XVIII. cal. Octobr.
IV. Mæmacterion III. id. Octobr.
V. Pyanepsion prid. id. Novembr.
VI. Posideon III. id. Decembr.
VII. Gamelion IV. id. Januar.
VIII. Anthesterion VI. id. Febr.
IX. Elaphebolion VI. id. Mart.
X. Munychion VI. id. April.
XI. Thargelion VIII. id. Maii.
XII. Scirophorion VIII. id. Jun.

Ann. VII.

I. Hecatombæon prid. non. Quint.

II. Metagitnion prid. non. Sext.
III. Boedromion III. non. Septemb.
IV. Mæmacterion VI. non. Octobr.
V. Pyanepsion cal. Novembr.
VI. Posideon prid. cal. Decembr.
VII. Gamelion III. cal. Januar.
VIII. Anthesterion V. cal. Februar.
IX. Elaphebolion III. cal. Mart.
X. Munychion V. cal. April.
XI. Thargelion V. cal. Maii.
XII. Scirophorion VII. cal. Jun.

Ann. VIII.

I. Hecatombæon VII. cal. Quint.

II. Metagitnion IX. cal. Sextil.
III. Boedromion X. cal. Septemb.
IV. Mæmacterion XI. cal. Octobr.
V. Pyanepsion XII. cal. Novemb.
VI. Posideon primus XIII. cal. Dec.
VII. Posideon secundus XIV. cal. Jan.
VIII. Gamelion XVI. cal. Februar.
IX. Anthesterion XV. cal. Mart.
X. Elaphebolion XVII. cal. April.
XI. Munychion XVII. cal. Maii.
XII. Thargelion prid. id. Maii.
XIII. Scirophorion idib. Jun.

Ann. I.

I. Hecatombæon III. id. Quint.

O. I.

Octeateris Bœotia Eudoxi

XII. Hippodromius IV. cal. Quint.

Ann. VII.

I. Panemus V. cal. Sextil.
II. VII. cal. Septembr.
III. Alalcomenius VII. cal. Octobr.
IV. Damatrius IX. cal. Novembr.
V. Bucatius IX. cal. Decembr.
VI. Hermæus XI. cal. Januar.
VII. Prostaterius XII. cal. Febr.
VIII. XI. cal. Mart.
IX. XII. cal. April.
X. XIII. cal. Maii.
XI. XIV. cal. Jun.
XII. Hippodromius XV. cal. Quint.

Ann. VIII.

I. Panemus XVI. cal. Sextil.
II. XVIII. cal. Septembr.
III. Alalcomenius XVIII. cal. Octobr.
IV. Damatrius III. id. Octobr.
V. Bucatius prid. id. Novembr.
VI. Hermæus III. id. Decembr.
VII. Prostaterius IV. id. Jan.
VIII. VI. id. Febr.
IX. VII. id. Mart.
X. VII. id. April.
XI. nonis Maiis.
XII. Hippodromius nonis Juniis.

XIII. Intercalaris III. non. Quint.

Ann. I.

I. Panemus prid. non. Sextil.
II. IV. non. Septembr.
III. Alalcomenius VI. non. Octobr.
IV. Damatrius prid. cal. Novembr.
V. Bucatius prid. cal. Decembr.
VI. Hermæus IV. cal. Januar.
VII. Prostaterius V. cal. Febr.
VIII. IV. cal. Mart.
IX. V. cal. April.
X. VI. cal. Maii.
XI. VII. cal. Jun.

XII. Hippodromius VIII. cal. Quint.

Ann. II.

I. Panemus IX. cal. Sext.
II. XI. cal. Septembr.
III. Alalcomenius XI. cal. Octobr.
IV. Damatrius XIII. cal. Novemb.
V. Bucatius XIII. cal. Decembr.
VI. Hermæus XV. cal. Januar.
VII. Prostaterius XVI. cal. Febr.
VIII. XV. cal. Mart.
IX. XVI. cal. April.
X. XVII. cal. Maii.
XI. idibus Maiis.
XII. Hippodromius idibus Juniis.

Ann. III.

I. Panemus III. id. Quint.

tur. Quare Panemi die XVI. initium fixit per novilunium. Talis ambitus a VII. Atticæ periodi anno exiſtit, & Panemus cum Metagitnione concurrit. Secundus vero menſis quo nomine penes Bœotios eſſet, Scriptores ſilent. Sequitur tertius Alalcomenius, quem Plutarchus in Ariſtide cum Mæmacterione parem facit. Idem auctor quartum Damatrium in libro quem de Iſide & Oſiride compoſuit, nominat, & Pyanepſionem eſſe Atticis affirmat. Bucatium hieme Bœotiis contingere Heſychius meminit, & veterem Lenæonem viſum Plutarcho tradit. Qui (ſi quintum recipimus) prid. cal. Decembr. ſedem habet, & cum Decembri ac Poſideone ex æquo ferme decurrit. Lenæonem certe anni triſtiſſimum menſem, qualis nobis December, Heſiodus putat. Sextus Hermæus erit, quem Heſychius Bucatio ſubiecit, Januario ac Gamelioni par. IV. cal. Januar. exorditur. V. cal. Febr. Hermæo Proſtaterium annectam, quem Plutarchus Antheſterioni ſimilem facit, quo πιθοίγια ſive Vinalia aguntur. Ex reliquis unum Hippodromium novi, annique extremum reſervo. Hoc in Leuctricis campis res Spartana afflicta jacuit, auctore Plutarcho, die Hecatombæonis VI. Septem menſibus, quorum nomina non extinxit oblivio, cum Attica dieteride collatis, intercalarius reſtat, quem inhonorum atque innominatum relinquam, quouſque ex tua ſententia meliora nanciſcar.

Digrediamur ad annum Atticum ſolarem quo ad Metonicum principium ſtatuendum uti oportet. Anno Olympico DCCXLVI. ſolarem Græcum annum incepiſſe arbitror, quo, profligato Actiaca pugna Antonio, Auguſti auſpicia Græcia ſecuta eſt, ſolaremque annum amplexa. Quod ut auctoritate pateat, ſcire expedit ex Cenſorino annum Olympicum MXIV. Auguſtanum eſſe CCLXV., & biennio ante quam Auguſti annus inchoaretur, Ægyptum in poteſtatem ditionemque P. R. veniſſe. Propterea prælium Actiacum, & Auguſti victoria incidit in annum Olympicum DCCXLVI.; a quo ſubducta Octeateride Attica quantum poteris, duos annos ſupereſſe notabis. Anno itaque Octeateridis II. quo Hecatombæon VI. non. Quint. initium ſumit, ſolaris periodus Atticis cepit. Quare menſes Attici cum noſtris hoc modo componuntur.

I.	Hecatombæon VI. non. Quint.	VII.	Gamelion cal. Jan.
II.	Metagitnion cal. Sextil.	VIII.	Antheſterion cal. Febr.
III.	Boedromion cal. Septembr.	IX.	Elaphebolion cal. Mart.
IV.	Mæmacterion cal. Octobr.	X.	Munychion cal. April.
V.	Pyanepſion cal. Novembr.	XI.	Thargelion cal. Majis.
VI.	Poſideon cal. Decembr.	XII.	Scirophorion cal. Juniis.

Bœotii

Bœotii vero qui ab Attico ſecundo menſe incipiunt, ex cal. Sextil. ducere annum inſtituere. Ex quo Attici menſes & Bœotii in Plutarcho ita ordinantur, & cum ſolari anno noſtro progrediuntur:

I.	Hecatombæon.	XII.	Hippodromius.
II.	Metagitnion.	I.	Panemus.
III.	Boedromion.	II.	
IV.	Mæmacterion.	III.	Alalcomenius.
V.	Pyanepſion.	IV.	Damatrius.
VI.	Poſideon.	V.	Bucatius.
VII.	Gamelion.	VI.	Hermæus.
VIII.	Antheſterion.	VII.	Proſtaterius.
IX.	Elaphebolion.	VIII.	
X.	Munychion.	IX.	
XI.	Thargelion.	X.	
XII.	Scirophorion.	XI.	

Quin etiam Atticos menſes ad patrium inſtitutum traducunt Bœotii; ideo

Hecatombæon cal. Sext.	Gamelion cal. Febr.
Metagitnion cal. Sept.	Antheſterion cal. Mart.
Boedromion cal. Oct.	Elaphebolion cal. April.
Mæmacterion cal. Nov.	Munychion cal. Maji.
Pyanepſion cal. Dec.	Thargelion cal. Jun.
Poſideon cal. Jan.	Scirophorion cal. Quint.

Propter quod Plutarchus in Poblicola idus Septembres ad dimidiatum ferme Metagitnionem refert; & in Pompejo Januarium cum Poſideone comparat; in Sylla autem Martium cum Antheſterione. Appianus quoque Alexandrinus interfectum C. Julium Cæſarem ait ἐν ἡμέραις ἃς καλοῦσι εἰδοῖς Μαρτίαις Ἀνθεστηριῶνος μάλιστα μέσου. Necnon Ulpianus, de quo ex Demoſthene ſcribendi cauſam habui, dum Mæmacterionem hibernum menſem appellat, ex Bœotia regula cum Novembri conjungit. Diodori etiam Siculi illa ad te miſſa, ἀπὸ γὰρ μηνὸς ὃν καλοῦσι Ἀθηναῖοι μαιμακτηριῶνα, τῶν ἑπτὰ τῶν κατὰ τὸν ἀρκτον ἀστέρων οὐδένα φασὶν ὁρᾶσθαι μέχρι τῆς πρώτης φυλακῆς· τῷ δὲ Ποσειδεῶνι μέχρι δευτέρας, anno Bœotio ſolari accipienda videntur. Equidem Plinium ad hunc locum reſpexiſſe credo, qui lib. II. tradit: In Arabia Novembri menſe prima vigilia Septentrionem eſſe occultum: ſecunda apparere. Metonicum quoque ambitum, qui ἐννεαδεκαέτηρις vocatur, idem auctor Diodorus

Ἐννεακαιδεκαετηρὶς Metonica I.
Ann. I.
Hecatombæon III. id. Quint.
Ann. II.
Hecatombæon V. non. Quint.
Ann. III. intercalaris.
Hecatombæon X. cal. Quint.
Ann. IV.
O. I. Hecatombæon V. id. Quint.
Ann. V. intercalaris
Hecatombæon prid. cal. Quint.
Ann. VI.
Hecatombæon XV. cal. Sextil.
Ann. VII.
Hecatombæon VIII. id. Quint.
Ann. VIII. intercalaris
O. I. Hecatombæon V. cal. Quintil.
Ann. IX.
Hecatombæon idibus Quintil.
Ann. X.
Hecatombæon IV. non. Quintil.
Ann. XI. intercalaris
Hecatombæon VIII. cal. Quintil.
Ann. XII.
O. I. Hecatombæon III. id. Quint.
Ann. XIII. intercalaris
Hecatombæon cal. Quint.
Ann. XIV.
Hecatombæon XIII. cal. Sextil.
Ann. XV.
Hecatombæon VII. id. Quint.
Ann. XVI. intercalaris
O. I. Hecatombæon III. cal. Quint.
Ann. XVII.
Hecatombæon XVI. cal. Sextil.
Ann. XVIII.
Hecatombæon prid. non. Quint.
Ann. XIX. intercalaris
Hecatombæon VII cal. Quint.
Ἐννεακαιδεκαετηρὶς Metonica II.
Ann. I.
O. I. Hecatombæon prid. id. Quint.
Ann. II.
Hecatombæon V. non. Quint.
Ann. III. intercalaris
Hecatombæon X. cal. Quint.
Ann. IV.
Hecatombæon VI. id. Quint.
Ann. V.
O. I. Hecatombæon prid. cal. Quint.
Ann. VI.
Hecatombæon XV. cal. Sextil.
Ann. VII.
Hecatombæon VIII. id. Quint.
Ann. VIII. intercalaris
Hecatombæon V. cal. Quint.
Ann. IX.
O. I. Hecatombæon XVII. cal. Sextil.
Ann. X.
Hecatombæon IV. non. Quint.
Ann. XI. intercalaris
Hecatombæon VIII. cal. Quint.
Ann. XII.
Hecatombæon III. id. Quint.
Ann. XIII. intercalaris
O. I. Hecatombæon VI. non. Quint.
Ann. XIV.
Hecatombæon XIII. cal. Sextil.
Ann. XV.
Hecatombæon VII. id. Quint.
Ann. XVI. intercalaris
Hecatombæon III. cal. Quint.
Ann. XVII.
O. I. Hecatombæon XVI. cal. Sextil.
Ann. XVIII.
Hecatombæon prid. non. Quintil.
Ann. XIX. intercalaris
Hecatombæon VII. cal. Quintil.

Ἐννεακαιδεκαετηρὶς Metonica III.
Ann. I.
Hecatombæon prid. id. Quint.
Ann. II.
O. I. Hecatombæon IV. non. Quint.
Ann. III. intercalaris
Hecatombæon X. cal. Quiot.
Ann. IV.
Hecatombæon V. id. Quint.
Ann. V. intercalaris
Hecatombæon prid. cal. Quint.
Ann. VI.
O. I. Hecatombæon XIV. cal. Sextil.
Ann. VII.
Hecatombæon nonis Quintil.
Ann. VIII. intercalaris
Hecatombæon V. cal. Quint.
Ann. IX.
Hecatombæon XVII. cal. Sextil.
Ann. X.
O. I. Hecatombæon III. non. Quint.
Ann. XI. intercalaris
Hecatombæon VIIII. cal. Quint.
Ann. XII.
Hecatombæon IV. id. Quint.
Ann. XIII. intercalaris
Hecatombæon cal. Quint.
Ann. XIV.
O I. Hecatombæon XIII. cal. Sext.
Ann. XV.
Hecatombæon VI. id. Quint.
Ann. XVI. intercal.
Hecatombæon IV. cal. Quintil.
Ann. XVII.
Hecatombæon XVI. cal. Sextil.
Ann. XVIII.
O. I. Hecatombæon non. Quintil.
Ann. XIX. intercalaris
Hecatombæon VII. cal. Quint.
Ἐννεακαιδεκαετηρὶς Metonica IV.
Aon. I.
Hecatombæon prid. id. Quint.
Ann. II.
Hecatombæon V. non. Quint.
Ann. III. intercalaris
O. I. Hecatombæon IX. cal. Quint.
Ann. IV.
Hecatombæon V. id. Quint.
Ann. V. intercalaris
Hecatombæon prid. cal. Quint.
Ann. VI.
Hecatombæon XIV. cal. Quiot.
Ann. VII.
O. I. Hecatombæon VIII. id. Quint.
Ann. VIII. intercalaris
Hecatombæon V. cal. Quint.
Ann. IX.
Hecatombæon XVII. cal. Sextil.
Ann. X.
Hecatombæon III. non. Quint.
Ann. XI. intercalaris
O. I. Hecatombæon VIII. cal. Quint.
Ann. XII.
Hecatombæon IV. id. Quint.
Ann. XIII. intercalaris
Hecatombæon VI. non. Quiot.
Ann. XIV.
Hecatombæon XII. cal. Sext.
Ann. XV.
O. I. Hecatombæon VI. id. Quint.
Ann. XVI. intercalaris
Hecatombæon IV. cal. Quint.
Ann. XVII.
Hecatombæon XVI. cal. Sextil.
Ann. XVIII.
Hecatombæon non. Quint.
Ann. XIX. intercalaris
O. I. Hecatombæon VI. cal. Quint.
Ἐννεακαιδεκαετηρὶς Metonica V.
Ann. I.
Hecatombæon Prid. id. Quint.

Ἐννεαδεκαετηρὶς Metonica I.
Ann. I.
Hecatombæon III. id. Quint.
Ann. II.
Hecatombæon V. non. Quint.
Ann. III. intercalaris.
Hecatombæon X. cal. Quint.
Ann. IV.
O. I. Hecatombæon V. id. Quint.
Ann. V. intercalaris
Hecatombæon prid. cal. Quint.
Ann. VI.
Hecatombæon XV. cal. Sextil.
Ann. VII.
Hecatombæon VIII. id. Quint.
Ann. VIII. intercalaris
O. I. Hecatombæon V. cal. Quintil.
Ann. IX.
[illegible] intercalaris
Hecatombæon VIII. cal. Quint.
Ann. XII.
Hecatombæon III. id. Quint.
O. I. Ann. XIII. intercalaris
Hecatombæon VI. non. Quint.
Ann. XIV.
Hecatombæon XIII. cal. Sextil.
Ann. XV.
Hecatombæon VII. id. Quint.
Ann. XVI. intercalaris
Hecatombæon III. cal. Quint.
Ann. XVII.
O. I. Hecatombæon XVI. cal. Sextil.
Ann. XVIII.
Hecatombæon prid. non. Quintil.
Ann. XIX. intercalaris
Hecatombæon VII. cal. Quintil.

Ἐννεαδεκαετηρὶς Metonica III.
Ann. I.
Hecatombæon prid. id. Quint.
Ann. II.
O. I. Hecatombæon IV. non. Quint.
Ann. III. intercalaris
Hecatombæon X. cal. Quint.
Ann. IV.
Hecatombæon V. id. Quint.
Ann. V. intercalaris
Hecatombæon prid. cal. Quint.
Ann. VI.
O. I. Hecatombæon XIV. cal. Sextil.
Ann. VII.
Hecatombæon nonis Quintil.
Ann. VIII. intercalaris
Hecatombæon V. cal. Quint.
Ann. IX.
Hecatombæon XVII. cal. Sextil.
Ann. XI. intercalaris
O. I. Hecatombæon VIII. cal. Quint.
Ann. XII.
Hecatombæon IV. id. Quint.
Ann. XIII. intercalaris
Hecatombæon VI. non. Quint.
Ann. XIV.
Hecatombæon XII. cal. Sext.
Ann. XV.
O. I. Hecatombæon VI. id. Quint.
Ann. XVI. intercalaris
Hecatombæon IV. cal. Quint.
Ann. XVII.
Hecatombæon XVI. cal. Sextil.
Ann. XVIII.
Hecatombæon non. Quint.
Ann. XIX. intercalaris
O. I. Hecatombæon VI. cal. Quint.
Ἐννεαδεκαετηρὶς Metonica V.
Ann. I.
Hecatombæon Prid. id. Quint.

dorus ſcribit die Scirophorionis XIII. hoc eſt III. id. Quint. fuiſſe inchoatum. Ais ne III. id. Quint.? Sane: tantus ergo ſtupor ac veternus ſolertiſſimæ civitatis non oculos modo, ſed etiam animum mentemque perſtrinxerat, & tenebris penitus obduxerat, ut novilunium agerent, luna pleno ferme orbe ipſis objecta, & quarto ab interlunio die plenilunium haberent? Jam vero quid cauſæ erat qua Meto dies XVIII. anno eximeret, & ſuperiora annorum ſpatia imperfecta relinqueret? Quid aliud dicendum, ſi de anno lunari locutum Diodorum interpretemur? Quare longe ſecus de hac hiſtoria ſentio, ac communis hominum opinio fert. Ad annum profecto ſolarem, qui tunc primum apud Græcos vigere ceperat, & ad popularem ſuæ gentis ac Bœotiorum conſuetudinem vetera Diodorus adjungit, & cum Quintili noſtro Scirophorionem ex æquo componit. Itaque III. id. Quint. antiquo Athenienſium principio Metonica periodus initium ducit. Verum quoniam magni momenti eſt hic locus, & diligentiorem indaginem requirit, ipſum non prius dimittam quam ex hiſtoria confirmem. Meto igitur Athenienſis, ut Octeteridis inconſtantiam tolleret, qua utentes Græci unum vel alterum diem addere aut demere ſolebant (quod in IV. *Verrina* M. Tullius nos docet) quo propius Lunæ ratio ad ſolis motum accederet, annorum XIX. circuitum edixit, qui poſt dies LXIII. diem unum de menſe eximit, ſeptieſque intercalando annis nempe III., V., VIII., XI., XIII., XVI., XIX. redintegratur. Qua regula menſibus plenis CXXV. inſtruitur, cavis CX. Hunc anno Nabonaſſari CCCXVII., ſive Olympico CCCXLV. incepiſſe Ptolemæus oſtendit, ut in appoſita Metonici ambitus tabula deinceps tecum perpendam.

Anno Nabonaſſari CCCLXVI. ſive Olympico CCCXCIV., ut penes Ptolemæum extat, Phenoſtrato Athenarum prætore, menſe Poſideone, Thoth die XXVI. hora noctis XI. $\frac{1}{11}$ cum ſol Sagittarii partes XXVIII. $\frac{11}{12}$ obtineret, defecit luna. Initium duxit eo anno Thoth V. cal. Decembr. qui die XXVI. XI. cal. Jan. attingebat, quo tempore luna, interpoſita terra, obſcurata eſt. Nullus dubito quin tibi conſtet, anno Metonico, qui tunc maxime inſignis apud Græcos vigebat, habitam eſſe obſervationem; annis enim utitur Ptolemæus, quorum modus certus & definitus erat, qualis Chaldaicus, Ægyptius, Metonicus, Callippicus, poſthabita lunari octeteride, in qua menſes modo contrahi, modo produci ſolebant. Si igitur annus magnus Metonicus originem trahit anno Olympico CCCLXV., ut conſtituimus, annus deliquii lunaris CCCXCIV., periodi Metonicæ tertiæ duodecimus Tab. X.

mus habetur ; quo Hecatombæon , ut in tabula patet , IV. id. Quint. exorditur . Hujus autem anni menſes ita decurrunt :

I.	Hecatombæon IV. id. Quint.	VII.	Gamelion VIII. id. Jan.
II.	Metagitnion III. id. Sext.	VIII.	Antheſterion prid. non. Febr.
III.	Boedromion V. id. Sept.	IX.	Elaphebolion III. non. Mart.
IV.	Mæmacterion VII. id. Oct.	X.	Munychion III. non. Apr.
V.	Pyanepſion VI. id. Nov.	XI.	Thargelion V. non. Maji .
VI.	Poſideon VII. id. Decembr.	XII.	Scirophorion cal. Jun.

Poſideon igitur exorſus VII. id. Decembr. die XVI. ad XI. cal. Januar. pertinet , quo per plenilunium luna terræ umbram ſubivit . Eodem anno , menſe Scirophorione , Phamenoth apud Ægyptios menſis ſeptimi die XXIV. hora noctis XII. , ſole Geminorum partes XXI. $\frac{XLV}{LX}$ obtinente , alterum lunæ deliquium narratur . Phamenoth incidit in a. d. IX. cal. Jun. & die XXIV. cum XVI. cal. Quint. convenit , & cum Scirophorionis die XVI., lunæque defectum deſignat.

Anno quoque inſequente , Evandro Athenis prætore , menſe Poſideone primo , Thoth die XVI. dum ſol Sagittarii partes XVII $\frac{1}{11}$ perluſtraret , tertio luna defecit , hora noctis tertia exacta . Defectus contigit IV. id. Decembr. die Poſideonis XV. Hic annus menſes digerit hoc modo :

I. Hecatombæon cal. Quintil.
II. Metagitnion prid. cal. Sextil.
III. Boedromion IV. cal. Septembr.
IV. Mæmacterion V. cal. Octob.
V. Pyanepſion VI. cal. Novembr.
VI. Poſideon primus VI. cal. Decembr.

Quod igitur Metonicæ periodo principium dedimus , hiſtoria confirmat . De eodem tamen Feſtum Avienum canentem audire juvabit :

Sed primæva Meton exordia ſumpſit ab anno ,
Torreret rutilo cum Phœbus ſidere Cancrum ,
Cingula cum veheret pelagus procul Orionis ,
Et cum cæruleus flagraret Sirius ardor .

Quibus Zonæ Orionis occaſum , & Canis exortum , extra quos fines Metonicus circuitus non vagatur , complectitur vates ; nam annus III. qui omnes longiſſime antecedit , X. cal. Quint. exiſtit , poſtridie Ovidio

Zona latet tua nunc , & cras fortaſſe latebit .

At

At XII. cal. Sextil. Metoni Canis exoritur ; quem annus non tranſilit ; quippe XIV. qui ceteros extra ſe relinquit , vel pridie vel eodem die finitur . Hæc itaque extrema ; prima Cancer.

Diu Athenis hic annus floruit , quouſque Callippus vitii coarguit , deprendens quotannis ſolis curſum per eundem tranſcurri diei $\frac{1}{LXXVI.}$; ideoque , ut in tabula deſignatur , II. Metonicus ambitus in a. d. prid. id. Quintil. evagatur . Itaque Callippus , ut diei particulam eximeret , quatuor ἐννεακαιεικοσιτεσσάρας in unum compoſuit , dieſque ſubducendos non peractis ſingulis LXIII. ſed poſt dies LXII. $\frac{CCCCXVII}{CCCCXLI}$ ſtatuit. Ita exiſtit annus magnus qui ab inventore Callippicus appellatur, annos LXXVI., & intercalares menſes XXVIII. complexus. In quo ſane nihil a Metonico alienum invenies , niſi diem qui per IV. Metonicos circuitus ſolis menſuram excedebat , exemptum . Nunc animadvertendum eſt , quale mihi de hoc anno judicium ſederit . Sed prius quo anno Metonico ceperit enucleemus . Nabonaſſari annum CCCCLIV. prodiit Ptolemæus fuiſſe primæ Callipicæ periodi annum XXXVI. ; ideo exordium duxit anno CCCCXIX., ſive Olympiadis CXII. anno III. Quare a Metonico principio intercedunt anni CII. qui periodos V. conficiunt cum annis VII. Propter quod anno Metonici ambitus ſexti octavo Callipicus annus exorditur IV. cal. Julias . Periodus enim ſecunda die recedit a prima ; ideo ſexta a quinta per alium diem . Ineunte igitur ſexto Metonico ambitu ex a. d. id. Quintil. octavus menſis IV. cal. Quint. inchoatur . Satiſne hæc probas ? Non arbitror te in diverſum rapi ; nam hiſtorias afferam , quibus in eandem ſententiam negantem cogam . Non ſum tamen neſcius quantum negotii ſuſcipiam , qui anni initium (id enim ſi ex voto nobis cederet , maximum commodum , ſummamque utilitatem necnon eximium uſum in rem noſtram afferret) longe ſecus ac ab aliis præſtitum eſt , coner in anno noſtro definire . Verumtamen veritas ipſa manum mihi injiciet , atque errantem in rectam viam adducet . Veteres itaque memorias pervolvamus , quarum auctoritate confirmanda ſunt omnia , aut evertenda . Anno , ut ſcribit Ptolemæus , Nabonaſſari CCCCLIV., & XXXVI. primæ Callippicæ periodi anno , exacto Poſideonis die XXIII. , Paophi menſis die XVI. , hora noctis X. incipiente , ſole autem Sagittarii partes XXVI. perluſtrante , lunam boreali cornu ſtellæ quæ in Nepæ fronte magis ad Septemtrionem vergit , proximam Timocharis vidit , & ipſam tanquam tangentem . Cum Ægyptius annus initium capiat ex nonis Novembris , Paophi ſecundus menſis cum nonis Decemb. principio convenit , & dies Paophi XVI. finitur XII. cal. Januar. XIII. igitur cal. eaſdem dies Poſideonis XXIV. (XXIII. jam abſoluto hora diurna

XII. ex Græco inſtituto) attingit . Quare Poſideonis novilunium V. cal. Decemb. Porro menſes in noſtra tabula ad Callippi normam inſor-
Tab. XI. mata ita procedunt ex anno XXXVI.:

I. Hecatombæon cal. Quint.
II. Metagitnion prid. cal. Sext.
III. Boedromion IV. cal. Sept.
IV. Mæmacterion IV. cal. Octob.
V. Pyanepſion V. cal. Novembr.
VI. Poſideon VI. cal. Decembr.
VII. Gamelion VII. cal. Januar.
VIII. Antheſterion IX. cal. Febr.
IX. Elaphebolion VII. cal. Mart.

Unius diei diſcrimen interponitur . Si vitiatas Ptolemæi notas dabis (ut animadverſum etiam a Petavio , &, pro ×γ΄, ×δ΄ leges, regula quadrat.

Eodem anno Tubi atque Elaphebolionis menſium die XV., hora noctis II., dum ſol Piſcium partem XV. obtinebat, memoriæ a Ptolemæo proditum eſt de Timocharis ſcripto lunam ea extremitate qua ad vernum ortum ſpectabat, perveniſſe ad Spicam. Ducitur Tubi ex a. d. VII. cal. Mart. ubi Elaphebolionis novilunium.

Anno item Nabonaſſari CCCCLXV., primi Callippici ambitus XLVII., die Antheſterionis IIX. , atque Athir XXIX. , hora noctis III. , ſole Aquarii partem ſeptimam tranſeunte , poſteritati tranſmiſit Timocharis , referente Ptolemæo , auſtralem lunæ partem ad medias Vergilias fuiſſe tradu&tam. Habita eſt obſervatio IV. cal. Febr. quo dies Athir XXIX. ſpectant . Age, menſes anni XLVII. in tabula explicemus:

I. Hecatombæon prid. cal. Quint.
II. Metagitnion IV. cal. Sextil.
III. Boedromion V. cal. Septemb.
IV. Mæmacterion VI. cal. Octobr.
V. Pyanepſion VII. cal. Nov.
VI. Poſideon IIX. cal. Decemb.
VII. Gamelion IX. cal. Jan.
IIX. Antheſterion XI. cal. Febr.

Anno proximo XLVIII. Thoth die VII., & Pyanepſionis deſinentis VI., hora noctis VIII., quando ſol Scorpionis medium illuſtrabat, lunam ſuper finitorem aſcendentem ad Spicam boreali parte acceſſiſſe idem Timocharis , ut memorat Ptolemæus , obſervavit . Hoc anno menſes Callippici hunc ordinem ſervant :

I. Hecatombæon XIII. cal. Quint.
II. Metagitnion XIV. cal. Sextil.
III. Boedromion XVI. cal. Septembr.
IV. Mæmacterion XVI. cal. Octobr.
V. Pyanepſion Idibus Octobr.

Pro-

TABULA XI.

Annus Magnus Callippicus Atticus.

Ann. I. interc.
Hecatombæon IV. cal. Quint.
Ann. II.
O. I. Hecatombæon XVI. cal. Sext.
Ann. III.
Hecatombæon Prid. non. Quint.
Ann. IV. interc.
Hecatombæon VII. cal. Quint.
Ann. V.
Hecatombæon Prid. id. Quint.
Ann. VI.
O. I. Hecatombæon V. non. Quint.
Ann. VII. interc.
Hecatombæon X. cal. Jun.
Ann. XXIX. interc.
Hecatombæon XIII. cal. Quint.
Ann. XXX.
O. I. Hecatombæon VIII. id. Quint.
Ann. XXXI. interc.
Hecatombæon V. cal. Quint.
Ann. XXXII.
Hecatombæon id. Quint.
Ann. XXXIII.
Hecatombæon III. non. Quint.
Ann. XXXIV. interc.
O. I. Hecatombæon VIII. cal. Quint.
Ann. XXXV.
Hecatombæon IV. id. Quint.
Ann. XXXVI.
Hecatombæon cal. Quint.
Ann. XXXVII. interc.
Hecatombæon XI. cal. Quint.
Ann. XXXVIII.
O. I. Hecatombæon VI. id. Quint.

Ann. XXXIX. interc.
Hecatombæon IV. cal. Quint.
Ann. XL.
Hecatombæon XVI. cal. Sext.
Ann. XLI.
Hecatombæon Prid. non. Quint.
Ann. XLII. interc.
O. I. Hecatombæon VI. cal. Quint.
Ann. XLIII.
Hecatombæon Prid. id. Quint.
Ann. XLIV.
Hecatombæon V. non. Quint.
Ann. XLV. interc.
Hecatombæon X. cal. Quint.
Ann. LXVII. interc.
Hecatombæon XIII. cal. Quint.
Ann. LXVIII.
Hecatombæon VIII. id. Quint.
Ann. LXIX. interc.
Hecatombæon V. cal. Quint.
Ann. LXX.
O. I. Hecatombæon XVII. cal. Sext.
Ann. LXXI.
Hecatombæon III. non. Quint.
Ann. LXXII. interc.
Hecatombæon VIII. cal. Quint.
Ann. LXXIII.
Hecatombæon III. id. Quint.
Ann. LXXIV.
O. I. Hecatombæon VI. non. Quint.
Ann. LXXV. interc.
Hecatombæon XI. cal. Quint.
Ann. LXXVI.
Hecatombæon VI. id. Quint.

Annus Magnus Callippicus Atticus.

Ann. I. interc.
Hecatombæon IV. cal. Quint.
Ann. II.
O. I. Hecatombæon XVI. cal. Sext.
Ann. III.
Hecatombæon Prid. non. Quint.
Ann. IV. interc.
Hecatombæon VII. cal. Quint.
Ann. V.
Hecatombæon Prid. id. Quint.
Ann. VI.
O. I. Hecatombæon V. non. Quint.
Ann. VII. interc.
Hecatombæon X. cal. Jun.
Ann. VIII.
Hecatombæon V. id. Quint.
Ann. IX. interc.
Hecatombæon Prid. cal. Quint.
Ann. X.
O. I. Hecatombæon XIV. cal. Sext.
Ann. XI.
Hecatombæon non. Quint.
Ann. XII. interc.
Hecatombæon V. cal. Quint.
Ann. XIII.
Hecatombæon XVII. cal. Sext.
Ann. XIV.
O. I. Hecatombæon III. non. Quint.
Ann. XV. interc.
Hecatombæon IX. cal. Quint.
Ann. XVI.
Hecatombæon IV. id. Quint.
Ann. XVII.
Hecatombæon VI. non. Quint.
Ann. XVIII. interc.
O. I. Hecatombæon XI. cal. Quint.
Ann. XIX.
Hecatombæon VII. id. Quint.
Ann. XX. interc.
Hecatombæon IV. cal. Quint.
Ann. XXI.
Hecatombæon XVI. cal. Sext.
Ann. XXII.
O. I. Hecatombæon nonis Quint.
Ann. XXIII. interc.
Hecatombæon VII. cal. Quint.
Ann. XXIV.
Hecatombæon Prid. id. Quint.
Ann. XXV.
Hecatombæon V. non. Quint.
Ano. XXVI. interc.
O. I. Hecatombæon IX. cal. Quint.
Ann. XXVII.
Hecatombæon VI. id. Quint.
Ann. XXVIII.
Hecatombæon Prid. cal. Quint.
Ann. XXIX. interc.
Hecatombæon XIII. cal. Quint.
Ann. XXX.
O. I. Hecatombæon VIII. id. Quint.
Ann. XXXI. interc.
Hecatombæon V. cal. Quint.
Ann. XXXII.
Hecatombæon id. Quint.
Ann. XXXIII.
Hecatombæon III. non. Quint.
Ann. XXXIV. interc.
O. I. Hecatombæon VIII. cal. Quint.
Ann. XXXV.
Hecatombæon IV. id. Quint.
Ann. XXXVI.
Hecatombæon cal. Quint.
Ann. XXXVII. interc.
Hecatombæon XI. cal. Quint.
Ann. XXXVIII.
O. I. Hecatombæon VI. id. Quint.
Ann. XXXIX. interc.
Hecatombæon IV. cal. Quint.
Ann. XL.
Hecatombæon XVI. cal. Sext.
Ann. XLI.
Hecatombæon Prid. non. Quint.
Ann. XLII. interc.
O. I. Hecatombæon VI. cal. Quint.
Ann. XLIII.
Hecatombæon Prid. id. Quint.
Ann. XLIV.
Hecatombæon V. non. Quint.
Ann. XLV. interc.
Hecatombæon X. cal. Quint.
Ann. XLVI.
O. I. Hecatombæon V. id. Quint.
Ann. XLVII.
Hecatombæon Prid. cal. Quint.
Ann. XLVIII. interc.
Hecatombæon XIII. cal. Quint.
Ann. XLIX.
Hecatombæon VIII. id. Quint.
Ann. L. interc.
O. I. Hecatombæon V. cal. Quint.
Ann. LI.
Hecatombæon Idib. Quint.
Ann. LII.
Hecatombæon III. non. Quint.
Ann. LIII. interc.
Hecatombæon VIII. cal. Quint.
Ann. LIV.
O. I. Hecatombæon III. id. Quint.
Ann. LV.
Hecatombæon cal. Quint.
Ann. LVI. interc.
Hecatombæon XI. cal. Quint.
Ann. LVII.
Hecatombæon VI. id. Quint.
Ann. LVIII. interc.
O. I. Hecatombæon III. cal. Quint.
Ann. LIX.
Hecatombæon Prid. id. Quint.
Ann. LX.
Hecatombæon Prid. non. Quint.
Ann. LXI. interc.
Hecatombæon VI. cal. Quint.
Ann. LXII.
O. I. Hecatombæon Prid. id. Quint.
Ann. LXIII.
Hecatombæon V. non. Quint.
Ann. LXIV. interc.
Hecatombæon X. cal. Quint.
Ano. LXV.
Hecatombæon V. id. Quint.
Ann. LXVI.
O. I. Hecatombæon cal. Quint.
Ann. LXVII. interc.
Hecatombæon XIII. cal. Quint.
Ann. LXVIII.
Hecatombæon VIII. id. Quint.
Ann. LXIX. interc.
Hecatombæon V. cal. Quint.
Ann. LXX.
O. I. Hecatombæon XVII. cal. Sext.
Ann. LXXI.
Hecatombæon III. non. Quint.
Ann. LXXII. interc.
Hecatombæon VIII. cal. Quint.
Ann. LXXIII.
Hecatombæon III. id. Quint.
Ann. LXXIV.
O. I. Hecatombæon VI. non. Quint.
Ann. LXXV. interc.
Hecatombæon XI. cal. Quint.
Ann. LXXVI.
Hecatombæon VI. id. Quint.

Propterea, Thoth initium ſumente IV. non. Novembr. VI. id. ejuſdem dies VII. fiunt, a quo ad id. Octobr. dies Pyanepſionis XXV. (tricenos enim dies gerit eo anno Pyanepſion) colliguntur. His annus quem ex Callippo adumbravimus, non adverſatur.

Utrum tamen Callippi inventum ad Metonis inſtitutum patrioſque menſes traduxerint Attici, quod anni intercalarii initium Metonis atque Euctemonis ſolſtitio proximum, præterea in dieteride, tetraeteride, & octeateride uſurpatum indicium facit: an Atticis temporibus quæ jam Athenis ceperant morari, ſubveniens Callippus emendationis auctor Athenienſibus extiterit, injudicatum relinquo. Quiſquis profecto novum annorum contextum intercalario anno IV. cal. Quint. Atticis indixit, Metonico anno ſuppetias eundem tuliſſe fateberis. Etenim quid cauſæ fuerat, ex qua per dies XV. a Metonis exordio, & a veteri anni ſtatione recederet, inſuper menſe intercalario adjecto? An Callippicus ambitus quem appoſui, quemque hiſtoria approbat, Metonico non ita annectitur, ut Athenienſium gratia conſtitutus non videatur? Sed qua de re lectus annus, qui octeateridis Bœotiæ principium dabat? Annus enim periodi Metonicæ ſextæ octavus Atticæ Octeateridis ſeptimus invenitur; ideo Bœotiæ primus. Inſuper ex qua gente traditur Callippus? Cyzicena. Igitur Mileſius. At Thales, Anaximander, Democritus, qui Bœotiam aſtrorum diſciplinam illuſtrarunt, nonne Mileſii? Quid erat cur Callippus magis de Attico anno, quam de ſuo laboraret? Bœotiis ſuccurrendum erat, ſi octeateris improbabatur. Quapropter annorum circuitum, qui Callippicus inſcribitur, Atticiſque menſibus exornatur, etſi ad Callippum referam, a Callippo tamen Athenienſibus traditum non probo. Hæc & ſimilia coniectanti ſuccurrunt, quæ veri ſpecie nos detinent, & a receptis opinionibus revocant. Atque utinam tam facile eſſet vera ſtatuere, quam infirmare dubia. Quod mihi de Callippi inſtituto propter Bœotium annum obverſatur animo, tanti eſſe non judico, ut ad te tam informe mittam. Cæterum utriuſque periodi uſum ad populum non revoco: ſed paucis, ideſt ſapientibus reſervo. Nunquam enim in animum induxi ut crederem, in vigeſimum, aut ſeptuageſimum ſeptimum annum temporum rationem, & ſolis lunæque vices dilatas fuiſſe ab Athenienſibus, quibus ex oraculo dies & menſes cum luna componere, annum autem ad ſolem referre ſancitum erat. Neque temere conjectans hæc ad te inſtituo. M. Tullii auctoritate ducor ſcribentis in IV. *Verrina* (quem locum modo tibi perſtrinxi) conſueviſſe Siculos cæteroſque Græcos propter lunæ ſoliſque curſum diem unum addere vel demere menſibus, aut ad

ſummum biduum. Quod ambitus Metonicus, vel Callippicus reſpuunt.

De Athenienſium annis quæ minus dubia & obſcura inveniebam, hæc conjectabam, ut certiora, & clariora a te haberem. Quos quidem ſummatim percucurri; quod hoc nomine ingentia volumina circumferuntur, ex quibus ſiquid plenius ac perfectius tibi geſtit animus, omnia inveſtigare, cognoſcere, & perſpicere poteris. Nos ab aliis non tentata inquirenda, atque ordinanda exiſtimavimus. Tu ad omnia pro tua diligentia reſcribas, velim. Sed in primis da mihi operam ut valeas.

D. Patavio Prid. id. Novembr. CIↃ IↃCC XXXIII.

EPISTOLA XXIV.

De antiquiſſimo anno ſolari quo Græci Latinique uſi ſunt, & adhuc utimur.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

AB hora ſecunda in ſextam heri tuas literas per tabellarios expectabam, quibus de noſtris nugis quid ſentires, certior fierem. Cum jam, confecto meridie, ſpes langueſceret, nunciatum eſt Caſparum ſervum tuum adveniſſe. Eodem tempore ipſe Caſparus ad me ingreditur, & interroganti mihi, qui itineris cauſam ignorabam, animique pendebam, num quid novi? an omnia recte, tuos codicillos, & libros quos tabellariis committere nolueras, tradidit, teque optime valere reſpondit. Quo accepto, & compoſito animo, ipſum ad ſe curandum dimiſi. Totum deinde me ad tuas literas dedi. Pro Jupiter, quantum me ab infimis uſque unguiculis exhilaraſti, gaudioque perfudiſti, omnia quæ ad te ſcripſeram, ex ſententia tibi cecidiſſe ſignificans! Nam illud etiam, de quo querebaris, me ſcilicet tecum nimis preſſe & conciſe agere, quaſi Amphictyoni cuidam ſcriberem, aut Jonii conſilii moderatori, ita intelligebam, qui plura expetit, illum faſtidio non affici; eoque mihi magis ſubblandiebar. Sed tamen bono animo eſto: nondum ovum quod in ludis Circenſibus finem noviſſimis quadrigis imponit, ſublatum eſt. Plura reſtant, quod tu minime ignoras, cum tot libros mittis; ex quibus ſiquid uſuvenerit, non prætermittam. Nunc intelliges me de te ſemper cogitare, tuaque mandata in oculis gerere, cum novi argumenti epiſto-

piſtolam mittam. Nam vetera monumenta XVII. cal. Decembr. quo Ludi Plebeii quondam committi ſolebant, pervolventi cum tabula Fulvii Urſini, quam tibi cum de anno Chaldaico ſolari ſcribebam, miſeram, iterum ſub oculos caderet, tentavi quandam anni formam ex eadem ſtatuere, qua ad Græcos Chaldæoſque annos illuſtrandos uti poſſem. Quare cum a vere quod ex XIII. cal. Febr. in illa inchoatur, initium caperem, ne ad ſuperiora contra aliorum conſuetudinem longius Aquarii ſignum promitteretur, id ipſum a verno principio derivavi. Deinceps, reliquis ſignis hoc ordine digeſtis, videbam æſtatem in prima Tauri parte oriri XI. cal. Majas: autumnum in prima Leonis IX. cal. Auguſt. hiemem denique in prima Scorpionis X. cal. Novembr. A quibus quoniam monumentum non diſſentiebat, cardines item in primis ſignorum partibus collocabam, ut æquinoctium vernum in Ariete exiſteret ex a. d. XII. cal. April. ſolſtitium in Cancro ex a. d. IX. cal. Quint. alterumque æquinoctium in Libra ex a. d. IX. cal. Octobr. bruma demum in Capricorno ex a. d. XII. cal. Januar. Tum cepi mecum ipſe cogitare, ſiquid ex veteribus ſcriptoribus memoriæ ſuccurreret, quod cum tabella collatum meditationes noſtras comprobaret. Forte ſortuna Quintiliorum, qui miſeris temporibus nati in Commodum Cæſarem inciderunt, a quo interfecti ſunt, ſubiit recordatio. Liber Caſſiani Baſſi ex pluribus auctoribus nullo delectu congeſtus ac conſarcinatus ſtabat ante oculos, quo Caſſianus ut multa ad rem ruſticam, ita nonnulla ad hanc quæſtionem attinentia a Quintiliis aliiſque Græce exſcripta concluſerat. Quid plura? Libro continuo manum admoveo: perlego quæ viſa ſunt. Confero. Appoſita multa invenio, eaque præcipua. Nunc quod exercitationis nomine ſum meditatus, tecum communicabo; nam (niſi maxime fallor) veram anni Chaldaici ſolaris tabulam, quo Græci ac Latini uſi ſunt, quique nobis in quotidianum uſum adhuc viget, nacti ſumus. Primum de iis ſcribam quæ integra videntur; a certioribus enim eſt incipiendum, quorum ope de dubiis & vitiatis certum conſilium capere poſſimus. Canem, ſole primam Leonis partem ingrediente, oriri quis non dixit præſertim Latinus? Ergo Quintiliis naſcetur hoc aſtrum IX. cal. Auguſt. ubi Urſini Tabula autumni initium denotat. Euge: conveniunt: τῇ κδ' τῶ ἰουλίου κύων ἐῶῳ ἐπιτέλλει. Poſt biduum exortus eteſiæ VII. cal. Aug. incipere debent. En, incipiunt: τῇ κϛ' τῶ ἰουλίου ἐτήσιαι ἄρχονται πνεῖν. Prodit Latinis & Chaldæis ſolſtitiali die Orion: prodit & Quintiliis IX. cal. Jul. ubi ſolſtitium in tabula fiximus: τῇ κγ' τῶ ἰουνίου Ὠρίων ἄρχεται ἐπιτέλλειν. Quid? Etiam ſolſtitium in eandem diem concurrere oſtendam, ſi recta intelligentia quæ de trituratione Quin-

tilii

tilii ſcribunt, interpretemur : ἀπὸ τῆς πρὸ δ' καλανδῶν ἰουλίων ἀλοήσεως. Etenim confecto ſolſtitio, triturandum Triticum Columella & Plinius tradunt. Ex his, de quibus non dubium judicium nobis procedit, de reliquis vel a Caſſiano omiſſis, vel partim interpretum, partim ſcriptorum indiligentia diſſimilibus, conjecturam facere poſſumus, cum anno ſi principia, & membra prima reſpondeant, cætera in unum corpus facili negotio redigantur. Ideoque a ſolſtitio per dies XCIV. ad æquinoctium vernum recurrimus in a. d. XII. cal. April. ſole primam partem Arietis adeunte. Quare non incorrupta opinor quæ de hoc æquinoctio ex Quintiliis afferuntur: σπείρεται δὲ ἀπὸ ἀρκτοῦρου ἐπιτολῆς ἥτις ἐστὶ πρὸ τεσσάρων καλανδῶν Μαρτίων, ἕως ἐαρινῆς ἰσημερίας ἥτις ἐστὶ πρὸ δ' καλανδῶν ἀπριλίων. Facile quippe erratum præſertim oſcitanter ſcribentibus ex ιβ' in δ'. Quæ quo libentius mihi des & concedas, accipe de eodem arcturi exortu quam diſſimilia eodem loco repetantur: σπείρεται (τὸ λίνον) ἀπὸ ἰσημερίας μεσοπωρινῆς ἕως ἀρκτούρου ἐπιτολῆς, ἥτις ἐστὶ πρὸ μιᾶς νωνῶν ἰανουαρίου. Pridie non. Januarii Cæſari Ovidioque Delphinus exoritur: at Quintiliis, ut, de horum ſententia alio loco refert Caſſianus, τῇ νουμενίᾳ τοῦ ἰανουαρίου Δελφὶς ἐπιτέλλει. Quid tibi de librariis? Nonne facilius de ιβ' in δ' delabuntur, quam ex Δελφῖνος in ἀρκτούρου, aut in μιᾶς νωνῶν ex νουμενίᾳ? Neque te Arcturi exortus moretur, quem liber I. ſua in ſede oſtendit: τῇ κς' τοῦ φεβρουαρίου ἀρκτούρου ἑσπέριος ἐπιτέλλει. Venio ad alterum æquinoctium quod dies XCII. a ſolſtitio in prima Libræ parte peragitur IX. cal. octobr. Quod ἀπὸ τῆς πρὸ πέντε καλανδῶν ὀκτωβρίων θέρμον σπείρειν indicare videtur; quippe Lupinum ſerere matura ſatione poſt autumni æquinoctium Columella & Florentinus docent. Igitur vitium πέντε ſive ε pro ι; quia IX. cal. Octobr. æquinoctium, & VIII. cal. eaſdem Lupini ſatio. De bruma nihil traditur: hanc tamen tibi indicabit dierum XXCIX. intervallum ab autumnali æquinoctio, vel a verno dierum XC. in a. d. XII. cal. Jan. quo ſpatia conjunguntur, brumali ſidere Solem accipiente.

Nunc ex aliis ſcriptoribus alia quæ Caſſianus memorat, interſerere oportet, quo inſtituta anni ratio tibi clarius innoteſcat, & probetur. Florentinus de bruma ex Quintiliorum ſententia hæc refert: χρὴ ἐκ ἅμα τῷ ὄμβρους γίνεσθαι ὠδὺς μετὰ τὼ δύσιν τῶν πλειάδων φυτεῖαν, ἀχρι τῆς χειμερινῆς τροπῆς, τετέσιν ἀπὸ ζ' ἢ ιά τοῦ νοεμβρίου μηνὸς ἕως κ' τοῦ Δεκεμβρίου μηνός. Et de oleis deponendis: φυτεύειν τὰς ἐλαίας ἀπὸ ὑάδων δύσεως μέχρι τροπῶν χειμερινῶν, τετέσιν ἀπὸ ιέ (ιά opinor) τοῦ νοεμβρίου μηνὸς ἕως κ' τοῦ Δεκεμβρίου μηνός. Quare bruma poſtridie XII. cal. Januar. De autumnali autem æquinoctio hæc: Δεῖ δὲ ὑποτιθέναι τὰ ὠὰ μάλιστα

τὰ

TABULA XII. Pag. 247.

Antiquiſſimus annus Solaris quo Græci ac Latini uſi ſunt.



Sol Leonem adit : Canis oritur : Autumni initium IX. cal. Sext.
Eteſiæ incipiunt ſpirare VII. cal. Sext.
Sol Virginem adit IX. cal. Septembr.
Arcturus mane oritur XVII. cal. Octobr.
Sol Libram adit: Æquinoctium autumni IX. cal. Oct.
Corona oritur mane IV. non. Octobr.
Sol Scorpionem adit. Hiemis initium X. cal. Novembr.
Vergiliæ mane occidunt IV. id. Novembr.
Sol Sagittarium adit XI. cal. Decembr.
Canis mane occidit IV. non. Decembr.
Sol Capricornum adit. Bruma XII. cal. Januar.
Delphinus mane oritur cal. Januar.
Sol Aquarium adit: Veris initium XIII. cal. Febr.
Sol Piſces adit XI. cal. Mart.
Arcturus Veſperi oritur IV. cal. Mart.
Sol Arietem adit : Æquinoctium vernum XII. cal. Apr.
Sol Taurum adit: Æſtatis initium XI. cal. Maii.
Vergiliæ mane oriuntur nonis Maiis.
Suculæ mane oriuntur XIV. cal. Jun.
Sol Geminos adit X. cal. Jun.
Arcturus mane occidit VII. id. Jun.
Sol Cancrum adit : Solſtitium : Orion oritur IX. cal. Quint.
Procyon oritur XII. cal. Sextil.

Ann. II.

Autumni initium IX. cal. Sextil.
Æquinoctium autumnale IX. cal. Octobr.

τὰ ἀπὸ ζέφυρω πνοῆς τικτόμενα μέχρι μεσοπωρινῆς ἰσημερίας, τυτέσιν ἀπὸ ζ' φλυαρίω ἕως κβ' τῦ Σεπτεμβρίω. Itaque æquinoctium poſtridie, ut indicatum eſt. Quapropter dum Florentinus bruma autumnique æquinoctio a Quintiliis non differt, neceſſe eſt ut altero æquinoctio conveniat, ſolſtitioque. Neque de iis loquor quæ a Varrone accepta in Julia tabula adnotabimus: ea ſincera expoſcimus, quæ a Quintiliis deſumpta opinamur, videlicet de æquinoctio verno: ὥρα δὲ ἀρίστη πρὸς τὸ ὑποτιθέναι τὰ ὠὰ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας, τυτέστι ἀπὸ κδ' τῦ Μαρτίω μηνός. Facilis enim error ex κβ' in κδ' Id efformabis ex δ' in ιβ' in his quæ ſequuntur: σπείρεται ἀπὸ ἰσημερίας, ἥτις ἐστὶ ἀπὸ δ' καλανδῶν Ἀπριλίων. Sed majorem diligentiam quæ de emplaſtratione memorat, exigunt: καιρὸς δὲ τύτω τῦ ἐγκεντρισμῦ ἀπὸ τῆς πρὸ δ' καλανδῶν ἰωνίων, τυτέστιν ἀπὸ κβ' τῦ μαΐω μηνὸς ἕως νεομηνίας τῦ ἰωνίω μηνός. Reponendum videtur pro δ' καλανδῶν ἰωνίω, ιά καλανδῶν ἀπριλίων, & pro μαΐω μηνὸς μαρτίω μηνὸς, quod in antiquis libris legi animadverti. Sic die Martii XXII. ſive XI. cal. April. ſtatim ab æquinoctio verno tempus inſerendi ſubeſt. Sed quid de reliquis ἕως νεομηνίας τῦ ἰωνίω? Qui Caſſianum in Latinam vel Italicam conſuetudinem interpretati ſunt, & νεομηνίας verterunt *prid. id.*, εἰδῶν μιᾶς ſe inveniſſe oſtendunt. Mihi coniicere liceat νονῶν μιᾶς τῦ ἰωλίω μηνὸς. Palladium nunc audiamus qua ratione Florentini monitum interpretetur, dum ſcribit præcipi a Græcis Oleas eſſe inſerendas ab VIII. cal. Apr. uſque in III. nonarum Julii. Notæ tamen, ut ſæpe fit, mendoſæ ſunt. In veteribus libris pro VIII. IX. invenitur, immutatis literis ex XI., ita ex *prid.* III. Et de Florentino ſatis. Sequitur Pamphilus, qui æquinoctium vernum hoc modo definit: ἄρχεσθαι δὲ τῆς κλαδείας ἀπὸ μηνὸς φλυαρίω ἢ Μαρτίω. ἀπὸ ιέ φλυαρίω ἕως μαρτίω κ'. Pamphilo ſubnectam Abſyrtum de eodem æquinoctio, & de ſolſtitio ita loquentem: καιρὸς δὲ τῦ βιβάζειν ἀπὸ ἰσημερίας ἐαρινῆς, τυτέστιν ἀπὸ κβ' Μαρτίω ἕως κβ' ἰωνίω.

Quatuor rei ruſticæ ſcriptoribus in unum convenientibus, tabulam inſtituere oportet, qua novam anni ſolaris & Callippici fortaſſe normam ab obſcuriſſimis tenebris erutam ad te mittam. Sed a quo principio? A Canis exortu matutino, ut Chaldaicum inſtitutum repoſcit. A prid. igitur nonas Sextil. Nequaquam: verum ex a. d. IX. cal. ejuſdem quo Canem Quintiliis mane prodire obſervavimus. Cur diebus XI. citius? Quod anno Romano cum calendis Januariis conficeretur bruma die Capricorni octavo, prid. non. ſextil. ſolis ad Leonem ingreſſus ſervabatur. Amplificato autem anno per dies XI., quot inter brumam & Canis exortum interpoſiti fuerunt (nam Januario & Decembri bini acceſſe- Tab. XII.

runt,

runt, Februario quinque, Aprili, & Junio ſinguli) bruma in a. d. XII. cal. Januar. receſſit. Quo intervallo Canis exortus præire cepit ex a. d. IX. cal. Sextil. ineunte autumno. Poſt biduum, ut ſervat etiam Plinius, Eteſiæ ſpirare incipiunt.

III. cal. Sextil. Quintiliis τῇ λ' τῶ ἰουλίου ὁ λαμπρὸς ἀστὴρ ἐν τῷ στήθει τοῦ λέοντος ἐπιτέλλει, quod eodem tempore Cæſar adnotat.

IX. cal. Sept. Sol in Virginem fertur.

Τῇ κέ τῶ αὐγούστου ὅισ δύνει Quintiliis.

Τῇ ιέ τῶ Σεπτεμβρίου ἀρκτοῦρος ἐπιτέλλει Quintiliis, quem pridie Aetio contingere recte coniicimus; ſiquidem hic auctor die Quintilios præcedere ſolet. At Columella quo protendit? In XV. cal. Octobr. Malo quidem XVII. *cal. Octob.* vel XVI., ſi ab Atticis deſcripſit.

IX. cal. Octobr. tranſeunte in Libram Sole, æquinoctium autumni ſignabis.

Hoc ſigno Quintiliis τῇ τεσσάρτῃ τῶ ὀκτωβρίου στέφανος ὡς ἐπιτέλλει. Dies Libræ X. a Bœotio principio, quo ſpatio Coronam Eudoxo exoriri opinati ſumus, huc finitur.

X. cal. Novembr. Sol in Scorpionem tranſitum facit, & hiemem adducit.

Poſtridie Quintiliis nempe τῇ κδ' τῶ Ὀκτωβρίου πλειάδες ἅμα ἡλίῳ ἀνατολῇ δύνουσι.

Τῇ πρώτῃ τῶ νοεμβρίου Quintiliis πλειάδες ἑῶαι δύνουσι, καὶ Ὠρίων ἄρχεται δύνειν, quæ Eudoxus iiſdem verbis die Scorpionis XIX. fieri commemorat. Quare τῇ ί non τῇ ά vel πρώτῃ in Quintiliis ſcribendum; ſiquidem ex a. d. X. cal. Novembr. in a. d. IV. id. ejuſdem dies XIX. complentur. Idcirco immergentur Virgiliæ eodem tempore quo Cæſar conſtituit. At ex Quintiliis etiam referunt Pleiades delabi ἀπὸ ζ' τῶ νοεμβρίου μηνός? Sane id a Callippo, cui occultantur Virgiliæ die Scorpionis XVI., acceptum credo.

Opportunum jam eſt ex Columella quid interponere quod ad hanc rem pertinere animadverto: XIV. *cal. Dec. Suculæ mane oriuntur*. Certe Euctemoni τῇ κζ' τῶ σκορπίου ὑάδες δύνουσι. Concurrit intervallum. Verum qua confidentia librarii *occidunt* vel *immerguntur* aut *delabuntur* in *oriuntur* mutant? Iterum Columellæ XI. *cal. Decembr. Suculæ mane occidit*. Quod ab Eudoxo, cui τῇ κδ' τῶ σκορπίου ὑάδες δύνουσι, videtur. Succurrendum itaque Columellæ, & legendum XII. *cal. Dec. Suculæ mane occidit*, qui totas pridie cal. eaſdem occidere tradit.

XI. cal. Decembr. Sol in Sagittarium introitum facit.

Poſtridie Quintiliis τῇ κβ' τῶ Νοεμβρίου κύων ἑῶος δύνει. Ex quibus certa

certa oritur de tempore controverſia: nam Canis Aetio cal. Decembr. occidit, & ab Aetio die plerunque, ut ſupra innui, diſcrepant Quintilii. Propter quod Aetio Virgiliæ cum ſole occidunt X. cal. Novembr. IX. Quintiliis: illi mane VIII. id. Novembr. his VII., & alia, ut mox recenſebo, minimis intervallis inter hos auctores recedunt. Quare dum Eudoxo Canis matutino delabitur die Sagittarii XII., quo ſpatio in a. d. IV. non. Decembr. pervenimus, apparet veram ſcripturam fuiſſe τῇ β' τὸ Δεκεμβρίᾳ, poſtridie nempe quam Aetius narrat. Id etiam in Attica diſciplina comprobatur, quod Atticis Sol Sagittarium adit VII. cal. Decembr. circa horam nocturnam III., & dies Sagittarii VIII. quo Euctemoni Canis occultatur, ad cal. Decembr. ſpectat; mane autem ejus diei contingit IV. non. ejuſdem. Porro Columellæ VII. *cal. Decembr. Canicula occidit ſolis ortu*, quod V. *cal.* mallem, ut Pſeudoptelemæus Leonicenus invenerat; ab XI. enim cal. Decembr. in V. cal. ejuſdem Euctemonis intervallum pertingit.

VII. id. Decembr. Columellæ Aquila mane oritur. Id Democrito evenit die Sagittarii XVI.; propterea Columellæ VIII. *id.* potius; quippe ab hoc fonte hauſiſſe videtur.

XII. cal. Januar. ineunte Capricornum Sole, bruma conficitur.

IV. cal. Januar. Aquila veſperi Columellæ occidit. Quod VI. *cal.* fuiſſe ex Euctemone, cui hic occaſus fit die Capricorni VII., aſſequimur. Τῇ νεμηνίᾳ τὸ ἰανουαρίου Δελφὶς ἐπιτέλλει Quintiliis. Quod ad Democritum refero. Intervallum convenit; ſed locus apud Geminum mutilatus jacet: τῇ ιβ' τὸ ὠγοκέρωτος Δημοκρίτῳ νότου πνεῖ ——— ὡς ἐπιτέλλει. Deperdita nullo negotio reparantur: Δελφὶς ἑῴου ἐπιτέλλει. Hinc vides quam nugax ſycophanta fuerit Pſeudoptolemæus Græce proditus, qui vitiata vitioſiora reddidit: δ' τῷ τυβὶ Δημοκρίτῳ νότου ὡς τὰ πολλά.

XIII. cal. Febr. Aquarii ſignum Sol ingreditur: tunc & veris principium exiſtit.

III. cal. Febr. Columellæ Fidicula occidit: Eudoxo die Aquarii XI.; Ideo convenit ſpatium. Chaldæis pridie.

III. non. Febr. Columellæ nonnunquam Favonius ſpirat. Eudoxo die Aquarii XIV. ἐνίοτε καὶ ζέφυρος. Quare IV. *non.* quo die etiam Pſeudoptolemæus Leonicenus incipere Favonium exſcripſit. Id manifeſtius ex Ovidio declaratur.

VII. id. Febr. Columellæ Favonii incipiunt ſpirare. Die Aquarii XIX. primum veris tempus eſſe Eudoxo ex Ovidio ad te ſcripſimus. Quos quidem dies ex a. d. XIII. cal. Febr. in a. d. VII. idus ejuſdem promittimus, ſpatiumque explemus.

Idibus Februar. Columellæ *Sagittarius veſpere occidit, vehementer hiemat*. Euctemoni τῇ κέ τῆ ὑδροχόῳ ἑσπέρι& δύνει. In quibus πρότης deperditum in Atticis putabam. Nunc e Columella comprobatur; nam omnia conſentiunt.

XI. cal. Mart. Sol ad Piſces permeat.

Ab hoc termino tria Columella deducit, & in triduum digerit, quæ Bœotiis die Piſcium IV. fieri viſa ſunt: Halcyonios dies a Democrito commemoratos VIII. cal. Mart. refert: pridie Arcturi exortum veſpertinum ab Eudoxo deſcribit: VII. autem cal. ab eodem Hirundinis adventum conſtituit.

IV. cal. Mart. Quintiliis oriri veſperi Arcturum, qui Aetio pridie, tibi ſupra ſignificabam.

VI. non. Mart. Columella ſtellam, quæ Vindemiator appellatur, exorientem determinat, quæ Euctemoni apparet die Piſcium XII. juſto intervallo ex a. d. XI. cal. Mart.

XII. cal. Apr. tranſeunte ad Arietem Sole, æquinoctium vernum ſervatur.

Hinc in prid. id. April. dies Arietis XXIII. quibus Euctemoni occultantur Suculæ, colliguntur, & prid. id. April. Columellæ Suculæ ſe veſperi celant.

XI. cal. Mart. Sol in Taurum introitum habet, & æſtas inchoatur, ut vetus Urſini monumentum oſtendit.

τῇ κγ' τῆ ἀπριλίυ πλειάδες ἅμα ἡλίυ ἀναπολῇ ἐπιτέλλυσι Quintiliis. In quibus notam κβ' reponerem; quod Aetio, ideſt Chaldæis fit pridie. Neque deeſſet inter Latinos auctor qui id confirmaret, ſcribente Columella X. cal. Maii Vergilias cum Sole oriri.

IX. cal. Maii Columellæ prima nocte Fidicula apparet. Quod ab Eudoxo cenſeo, cui die Tauri IV. Fidis oritur; ideo depravatus numerus pro VIII. *cal.*

IV. cal. Majas Columellæ Auſter cum pluvia ſignificatur, Eudoxo autem die Tauri VII. quare nota IV. in V. mutanda eſt.

III. cal. Majas Columellæ Capra mane exoritur die Tauri nono, ut Eudoxo contingit.

Τῇ λ' τῆ ἀπριλίυ ὑάδες ἅμα ἡλίυ ἀναπολῇ ἐπιτέλλυσι Quintiliis. Aetio poſtridie, quo die Columella ſcribit unam (*Tauri* ſcilicet quod ævum exemit) partem a Sole per biduum teneri.

Τῇ ζ' τῆ Μαΐυ Πλειάδες ἐωθιναὶ φαίνονται Quintiliis, quibus aſſentitur Columella.

XIV. cal. Jun. Quintiliis atque Aetio τῇ ιϑ' τῆ Μαΐυ ὑάδες ἑῶαι φαίνονται.

τω. Columellæ XII. cal. Jun. Suculæ mane oriuntur, & XI. ac X. cal. eaſdem Arcturus veſperi occidit. Quæ Euctemoni fiunt die Tauri XXXII. idcirco cuncta in a. d. XI. cal. Jun. inciderent, niſi in triduum a Columella digeſta eſſent.

X. cal. Jun. Sol Geminos petit.

Quintiliis, Cæſari, ac Columellæ, necnon Ovidio τῇ ἑβδόμῃ τῶ ἰουνίου ἀρκτῶρος ἑῶος δύνει, Aetio pridie.

IX. cal. Quint. Sol in Cancrum aſcendit, ſolſtitiumque peragit.

Eodem die Quintiliis Orion prodit matutino. De quo aſtro iterum Quintilii: τῇ δεκάτῃ τῶ ἰουλίου Ὠρίων ἑῶος ἐπιτέλλει. Sed quid ἑῶος? ὅλος credo, ut Aetius item deſcribit. Verum cur majus erratum prætereo? Non oſtendi Orionis occaſum eſſe ab Eudoxo deſumptum? Quid igitur prohibet etiam exortum ab eodem auctore repetere, ſcribente Gemino τῇ ιά τῶ καρκίνου ἡμέρᾳ Εὐδόξῳ Ὠρίων ὅλος ἐπιτέλλει? Quod intervallum ex a. d. IX. cal. Quint. in a. d. V. non. ejuſdem ſpectat; quo Chaldæis totus Orion emergit. Verumtamen quando Quintilii a Chaldaica diſciplina die in ſtellarum motibus diſcrepant, τῇ δ' (ex quo δεκάτῃ effluxit) τῶ ἰουλίου certior Orionis totius exortus de Quintiliorum ſententia videtur.

Cal. Quintil. Columella Favonium vel Auſtrum ſpirare meminit, ab Eudoxo, ut cenſeo, edoctus; Eudoxo enim die Cancri IX. νότος πνεῖ. τῇ ιγ' τῶ ἰουλίου προκύων ἑῶος Quintiliis ἐπιτέλλει. Cum Latinis & Chaldæis Procyon oriatur die Cancri XXVII., ſi a ſolſtitiali cardine numerabis, invenies τῇ ιδ' τῶ ἰουλίου Procynem Quintiliis emergere matutinum.

De Quintiliis hæc inveniebam, quibus propoſitam tabulam exornarem. Hinc cognoſces quanto in errore verſentur qui omnia quæ de cœleſti ratione tradiderunt Latini, ad Cæſarem referunt. Nam, ut præteream quæ Ovidius, quæ Plinius, quæ Columella a Græcis in Latium tranſtulerunt, numquid iſta anni ratio, quam ex vetuſtis memoriis in lucem revocare connitimur, quæque non Romæ modo, ſed etiam apud alias gentes floruit, & longe ac late viguit, parum a Cæſarea videtur aberrare, inter quas differentia quanta maxima eſſe poteſt, intercedit? Qui itaque Romæ Chaldaicam regulam comprobarunt, cum Cæſaris nomen ob everſam rempublicam apud nonnullos ſumma invidia laboraret, aſſecuti ſunt, ut tempora ſine Cæſaris ope ſolis progreſſionibus opportunius metirentur. Quare ipſam cognoſcere, & imitari plurimum præſtat. Mitto ordinem parteſque in quas annus conſumitur, quibus temporum ſpatia, uſus, & proprietas magis quam in Julio anno, conſtare

videntur. Non commemorabo Chaldaicam aſtronomiam naturali, non fucato modo in hac niteſcere, quæ in anno ſolari Juliano ab Aetio deducto informia quædam, nonnulla interpolata, aliena multa ſuſcepit. Id quod ad propoſitum noſtrum ſpectat, perſequar, annum videlicet veterem Chaldaicum, quem conjecturis ac ſuſpicionibus contexuimus, hoc non illuſtrari ſolum, verum etiam confirmari, tanquam ab eodem archetypo exſcriptum atque efformatum. Sed quid veterem repeto? Popularis noſter, quem conſuetudine quotidiana in civilibus & ſacris uſurpamus, quo temporum vices, ſtellarum recurſus, ruſticas & urbanas actiones metimur & moderamur, ad hoc exemplum plurimum non accedit? Ubi enim æquinoctium primum, de quo toties ob Paſchæ celebritatem diſceptatum eſt, peragitur? Nonne XII. cal. April. ut in noſtra tabula? Jam vero ſacer ille Nicæenſis ſenatus, cujus conſilium Pontifices maximi comprobarunt, nonne eundem cardinem in eadem ſede retinuit; ſive quod Chaldaicam diſciplinam cæteris anteferendam cenſuit, ſive potius quod annus Chaldaicus antiquior & notior quam Julius, vigebat? Quaqua enim dominati ſunt Macedones ob Alexandri victorias, ut Græca inſtituta, mores, & lingua in domitas gentes propagata ſunt, ita Chaldaicus annus, quem ſuſceperant Macedones, ubique uſurpari & vigere cepit. Cum igitur ea eſſet anni Chaldaici antiquitas, uſus, ac præſtantia, quo ducum laudes, quo gentium triumphi, quo urbium ortus & occaſus, quo prælia & clades poſteris in exemplum commiſſa, quo Chriſtiana item religio nata & adulta ac ſacris literis decorata, quo Martyrum ſanguis ac cruciatus immortalitati tradita fuerunt, quid erat potius quod Antiſtites Nicæenſes amplecterentur? Merito igitur eandem rationem, qua nihil erat præſtantius, notius, antiquius, ſecuti ſunt: merito nobis reſtituta eſt. In hac itaque exultabo non inanis arrogantiæ cauſa (a qua quam longiſſime abſum) quicquam mihi aſſumens, ſed veritatis ſtudio, quæ induſtriæ noſtræ pura, atque ab omni labe integra ſe obtulit, gaudens. Tibi quoque, mi Andrea, mirum in modum gratias habeo, &, quoad vivam, immortales habebo: quin etiam ad tua præclara in me officia & merita, quod tantum bonum, te impulſore & duce, mihi contigerit, ut maximum cumulum non deſinam referre. Valebis.

Dabam Patavio XIV. Cal. Decemb. CIↃ IↃ CCXXXIII.

EPI-

EPISTOLA XXV.

De anno Callippico ſolari.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

SIccine agitur? Mihi imprudenti eſſe non licet? Quod in ſcribendo inconſulto exciderat, excipis: mox ex reſignatis ceris nomina, ut exſolvam, jubes. Ecquando de anno Callippico ſolari me tibi ſcripturum ſum pollicitus? Ecquando eam *mihi perſpectam eſſe, & cognitam ſignificavi? Equidem cum de Quintiliorum anno proxime ſcribebam, quid informe atque inane quod Callippi aſtronomiam referebat, quaſi ſomnians videre viſus ſum. Quod improvidus adnotavi. Id mihi ſubinde evanuit, cum ad alia quæ bene multa tibi præſtanda reſtant, properarem. Nunc tanquam in loculis depoſitum ut depromam ac mittam, flagitas. Quid mittam? Callippicum annum? Si ubi latet, indicaveris, eruam continuo, atque effodiam. Quanquam id non neceſſarium videtur, quod vel a Scaligero, vel potius a Petavio veram imaginem habere potes. Quid igitur a me? Ut illam tibi expoliam atque exornem? Egone ad alienam meſſem falcem admovebo? At ſpicilegium ſemper ſupereſt? De malis quidem coloniş, verum de optimis inutiles herbæ, & amputatæ ſtipulæ. Quare, ſi quicquam ad tuum judicium elaborandum eſt, ad alias ſegetes migrare oportet, ad antiquas ſcilicet & publicas, ubi ſpicilegium cuique habere nemo vetat. Quod ſane hoc biduo poſtquam tuas literas accepi, ſedulo curavi, & in Columellæ fundo (quis crederet?) dum manipulos evolvo, quædam nactus ſum quæ a Callippo eſſe aperte conſtant, quædam vero, etſi Callippica opiner, vera tamen probare nequeo. His tamen ſi utemur, promitto fore ut intelligas, vel a Callippico anno (quem in multis ſectatur) longe aberrare Columellam, vel qui a Columella aberrant, a Callippico anno. Quod ex iis quæ prima mentis intentione ſe mihi obtulerunt, cum prænoſcerem, ne adverſus receptas & probatas ſententias ſemper conniterer, amplius inveſtigare & ſcire ſuperſedi, præſertim quod illa ratio quæ tota in Quintiliorum anno latebat, dubia atque anceps in Columella videretur. Nunc ad id tua mandata me impellunt. Morem itaque geram, & quidquid ſentiam, non ex mea, ſed ex tua ſtatuam voluntate.

* rationem

Adea-

Adeamus primum Quintiliorum tabulam, in qua IX. cal. Sextil. ſolem in Leone tranſire notavimus. Hinc in a. d. prid. non. Sextil. dies Tab. XIII. eſt Leonis XII., & τῇ ιβ' τὸ λέοντ⊙, ut exſcribit Geminus, Callippo λέων μέσ⊙ ἀνατέλλων πνίγην μάλιστα ποιεῖ. Nunc perpende, an in Columella decipiamur: *Pridie*, inquit, *non. Auguſti Leo medius exoritur, tempeſtatem ſignificat*. Quo profecto tempore medio Leone, ſtellam, quæ de corde Leonis lucet a Græcis βασίλισκ⊙, a noſtris *Tuber Leonis* appellata, oriri ſignificant. Propterea cum ſcribat Columella VIII. cal. Auguſtas Aquarium incipere occidere clare, puto Callippo fuiſſe τῇ β' τὸ λέοντ⊙ ὑδροχό⊙ ἄρχεται δύνειν φανερῶς. Etenim quæ de duodecim ſignorum motibus a Columella traduntur, ad Callippum referre non dubito; ſiquidem quæ Geminus a Callippo deprompſit, hujuſmodi inveniuntur.

VII. id. Sextil. Columellæ Aquarius occidit medius die Leonis XV.

XII. cal. Septemb. τῇ κδ' τὸ λέοντος παρθέν⊙ ἐπιτέλλει. ἐπισημαίνει Callippo. Quæ in Columella non ſuperſunt. Pſeudoptolemæus Leonicenus XI. cal. Septembr. Virginem oriri appoſuit.

IX. cal. Septembr. ſol Virginem ſubit.

V. cal. Septembr. τῇ ἑ τῆς παρθένε οἱ ὦμοι τῆς παρθένε ἐπιτέλλουσιν, καὶ ἐτήσιαι λήγουσι Callippo. Vitiatus itaque Columella, qui interpretatur III. cal. Septembr. humeros Virginis exoriri, atque eteſias deſinere flare. Pſeudoptolemæus tamen Leonicenus V. cal. Virginem apparere refert ex Columella excerpens.

IV. non. Septembr. Piſcis Auſtrinus deſinit occidere.

VII. id. Septembr. Piſcis Aquilonius deſinit occidere. Utrunque a Callippo Columellam accepiſſe ipſa deſcriptionis norma demonſtrat; quare primum fit die Virginis X., alterum XV.

V. id. Septembr. Callippo τῇ ιζ' τῆς παρθένε παρθέν⊙ μέση ἐπιτέλλουσα ἐπισημαίνει, καὶ ἀρκτῦρ⊙ ἀνατέλλων φανερῶς. Non caret igitur vitio Columella interpretans *III. id. Septembr. Favonius aut Africus. Virgo media exoritur*.

XVI. cal. Octobr. Callippo τῇ κδ' τῆς παρθένε σάκχος ἐπιτέλλει τῆς παρθένε. Diſſimilis Columella qui fortaſſe a Cæſare accepit.

XI. cal. Octobr. Cæſari commiſſura Piſcium occidit, quod erat Callippo Σύνδεσμ⊙ τῶν ἰχθύων.

IX. cal. Octobr. ſol in Libram tranſitum facit, & Callippo τῇ ἁ τὸ ζυγὸ ὁ κριὸς ἄρχεται δύνειν ἰσημερία μεσοπωρινή. Ex hoc loco multa in Columella prava deprenduntur. Qui enim in a. d. VIII. cal. æquinoctium revocare ſuſceperunt, quoniam VII. cal. Centaurum oriri, &

VIII.

Pag. 254.

TABULA XIII.

Annus Callippicus Solaris.



Canicula apparet XI. cal. Sextil.
Sol Leonem adit IX. cal. Sext.
Tuber Leonis oritur prid. non. Sextil.
Sol Virginem adit IX. cal. Septembr.
Eteſiæ ceſſant V. cal. Sept.
Arcturus apparet V. id. Septembr.
Sol Libram adit: Æquinoctium autumni IX. cal. Oct.
Sol Scorpionem adit X. cal. Novembr.
Vergiliæ mane occidunt VII. id. Novembr.
Sol Sagittarium adit XI. cal. Decembr.
Sol Capricornum adit. Bruma XII. cal. Januar.
Sol Aquarium adit XIII. cal. Febr.
Favonius incipit ſpirare nonis Febr.
Sol Piſces adit XI. cal. Mart.
Sol Arietem adit: Æquinoctium vernum XII. cal. Apr.
Sol Taurum adit XI. cal. Maii.
Caput Tauri oritur V. non. Maii.
Sol Geminos adit X. cal. Jun.
Sol Cancrum adit: Solſtitium IX. cal. Quint.
Canicula apparet XI. cal. Sextil.
Sol Leonem adit.
Æquinoct. Autumni

VIII. Navem occidere notaverat Columella, ut vacuam ſedem haberent, quod erat VII., IX. fecerunt, & quod VIII., X.; ideo quod fuerat nonum, evaſit undecimum. Itaque *XI. cal. Oct. Piſces occidunt mane*, *item Aries incipit occidere*. Pſeudoptolemæus ante vitium accepit IX. cal. Piſces occidere.

V. cal. Octobr. Callippo τῇ ἑ τὸ ζυγὸ παρθένῳ λήγει ἀνατέλλουσα. Ut malo exemplo quæ in Columella æquinoctium præcedunt, ad ſuperiora contracta ſunt, ita deteriori quæ ſequuntur, præpoſtera facta & perverſa: *V. cal. Octob. Hædi exoriuntur*: *Favonius*, *nonnunquam Auſter cum pluvia*. *IV. cal. Octob. Virgo deſinit exoriri*. Hœdos enim III. cal. Octob. uno aſtronomorum conſenſu, & IV. cal. Capram prodire ſtatuit Plinius, quo numero & Callippum eſt complexus. Ideo V. cal. Virgo deſinit oriri tam Columellæ, quam Callippo: IV. cal. Callippo Capra emergit: III. demum cal. utrique Hœdi exoriuntur.

IV. non. Octobr. Columellæ *Auriga occidit mane*: *Virgo deſinit occidere* die Libræ XII., quæ Callippica videntur.

Prid. non. Octobr. Columellæ *Aries medius occidit*, quæ a Callippo notata arbitror die Libræ XIV.

VII. id. Octobr. Callippo τῇ ιζ τὸ ζυγὸ αἱ χηλαὶ ἄρχονται ἀνατέλλειν, ἐπισημαίνουσιν.

XIII. cal. Novembr. Callippo τῇ κἡ τὸ ζυγὸ τὸ ταύρε κέρκῳ δύνει, ἐπισημαίνει. Columella quia eo biduo Vergiliarum occaſum deſcripſit, poſthabuit: *XI. cal. Novembr. Tauri cauda occidit*.

X. cal. Novembr. ſol in Nepam tranſitum facit.

VII. cal. Novembr. Callippo τῇ δ' τὸ σκορπίε τὸ σκορπίου τὸ μέτωπον ἐπιτέλλει. Haud ſecus Columella: *VII. cal. Novembr. Nepæ frons exoritur*: *tempeſtatem ſignificat*.

Prid. cal. Novembr. Callippo τῇ δ' τὸ σκορπίου τὸ ταύρου δύνει κεφαλὴ. ὑετός. Columella, qui ex aliis faſtis Caſſiopes occaſum extremo Octobri memorat, Callippica in Novembrem defert: *Cal. Novembr. & poſtridie caput Tauri occidit*: *pluviam ſignificat*.

VII. id. Novembr. Callippo τῇ ις τὸ σκορπίου ὁ ἐν τῷ σκορπίῳ λαμπρὸς ἀστὴρ ἀνατέλλει. ἐπισημαίνει. καὶ πλειάδες δύνουσι φανερῶς. Quæ Columella in biduum digeſſit: *VII. id. Novembr. ſtella Scorpionis exoritur*: *hiemat*, *vel Vulturnus*; *interdum rorat*. *VI. id. Novembr. Vergiliæ mane occidunt*; *ſignificat tempeſtatem*: *hiemat*.

XIII. cal. Decembr. Callippo τῇ κἡ τὸ σκορπίου τὸ ταύρου τὰ κέρατα δύεται· ὑετία. Hæc in Columella vitium oſtendunt: *XII. cal. Decembr. Tauri cornua veſperi occidunt*: *Aquilo frigidus*, *& pluvia*. Pſeudopto-

doptolemæus Leonicenus veram notam retinet indicans XIII. cal. Decembr. Tauri cornua occidere. Id etiam ex proximis literis comprobatum habes.

XI. cal. Decembr. ſol Sagittarium ingreditur.

V. cal. Decembr. Callippo τῇ ζ' τῦ τοξότου ὁ τοξότης ἀρχεται ἀνατέλλειν, καὶ Ὠρίων δύνειν φανερῶς· χειμαίνει.

VIII. *id. Decembr. Sagittarius medius occidit: tempeſtatem ſignificat* Columellæ. Hoc die Callippo τῇ ιϛ' τῦ τοξότου οἱ δίδυμοι μεσοῦσι δυόμενοι· ὑετία. Quid dicam? Utraque eodem tempore animadverſa & digeſta non dabis; nam utraque commemoraret Geminus, cum tamen ab eodem Callippo utraque cenſeam. At prid. non. Decembr. Pſeudoptolemæus Leonicenus Sagittarium occidere non oſtendit? Accedit ante nonas nihil afferri a Columella præter inſtitutum. Jam vero non oſtenſum eſt VIII. id. Decembr. Columellæ Aquilam exoriri? Verum quis tam vecors ex *prid. non. VIII. idus* induxerit? Quaſi multa hujuſmodi & deteriora quotidie non animadvertantur. Sed heus tu, ſi id non probas (nolo enim ſine te auctore quicquam ſtatuere) probabis tam cito occidere Sagittarium, qui oriri incipit V. cal. Decembr. & deſinit oriri, hoc eſt tota nocte lucet XII. cal. Januar.? Ego ſane fidentius affirmarem maximum illud eſſe librariorum erratum, & *prodit*, vel *oritur*, vel quid item quod exortum ſignificet, fuiſſe a Columella traditum.

XII. cal. Januar. ſubeunte Capricornum ſole, Callippo τῇ α τῦ αἰγοκέρωτος τοξότης λήγει ἀνατέλλων· τροπαὶ χειμεριναί· χειμαίνει.

III. non. Januar. Columellæ *Cancer occidit: tempeſtas varia*: Quæ Callippo attribuere non dubitarem.

Prid. non. Januar. Callippo τῇ ιέ τῦ αἰγοκέρωτος αἰγόκερως ἄρχεται ἀνατέλλειν· νότος. Quo tempore Auſter multus Columellæ ſignificatur.

XVII. cal. Febr. Callippo τῇ κζ' τῦ αἰγοκέρωτος καρκίνος λήγει δύνων· χειμαίνει. Hic vel Columellæ, vel eorum quorum faſtos ſequutus eſt, diligentiam deſiderari video; nam XVI. cal. Febr. ſcriptum eſt Cancrum deſinere occidere, atque hiemare: pridie vero, adeunte Columellæ Aquarium ſole, Leonem incipere occidere cum pluvia, quæ Callippus obſervat XII. cal. Febr. die Aquarii II.

XV. Cal. Febr. Columellæ *Aquarius incipit oriri: ventus Africus tempeſtatem ſignificat*. Notabantur a Callippo die XXIX. Capricorni.

XIII. cal. Febr. ſol in Aquarium ſcandit.

XII. cal. Febr. Callippo τῇ β' τῦ ὑδροχόου λέων ἄρχεται δύνειν, ὑετία. De quibus in Columella quid exiſtimem, tenes.

III.

III. non. Febr. Columellæ *Fidis tota , & Leo medius occidit .* Extrema a Callippo apparent die Aquarii XIV. ſignata , ut die Leonis XII. Leo medius emerſerat . Notam tamen eſſe oportere *IV. non.* ſcripſimus . Ovidius id quoque confirmat , qui cal. Febr. canit :

Proximus Heſperias Titan abiturus in undas
Gemmea purpureis cum juga demet equis ,
Illa nocte aliquis tollens ad ſidera vultum
Dicet , ubi eſt hodie quæ Lyra fulſit heri ?
Dumque Lyram quærit , medii quoque terga Leonis
In liquidas ſubito merſa notabit aquas .

Nonis Februariis Callippo τῇ ιζ τῶ ὑδροχόυ ὑδροχόῳ μέσῳ ἀνατέλλων . ζέφυρος πνεῖ . Nonis etiam Ovidii Muſa nobis eadem memorat :

Jam puer Idæus media tenus eminet alvo ,
Et liquidas mixto nectare fundit aquas .
En etiam ſiquis boream horrere ſolebat ,
Gaudeat , a Zephyris mitior aura venit .

Columellæ quoque *nonis Februariis mediæ partes Aquarii oriuntur .*

XI. cal. Mart. Sol Piſces petit .

X. cal. Mart. Callippo τῇ β' τῶν ἰχθύων λέων δύνων λήγει , καὶ χελιδὼν φαίνεται · ἐπισημαίνει · Confirmat Columella : X. *cal. Mart. Leo deſinit occidere : venti ſeptentrionales qui vocantur ornithiæ per dies triginta eſſe ſolent , tum & hirundo advenit .*

VI. non. Martii Columellæ Vindemiator apparet , quod ab Atticis auctor ſumpſit ; Euctemoni enim die Piſcium XII. hoc aſtrum manifeſtatur .

Nonis Martiis Callippo τῇ ιζ' τῶν ἰχθύων τῶν ἰχθύων ὁ νότιος ἐπιτέλλει · λήγει βορέας .

VIII. id. Mart. Aquilonium Piſcem exoriri Cæſar a Callippo accepit .

XIII. cal. April. Callippo τῇ λ' τῶν ἰχθύων τῶν ἰχθύων ὁ βορᾶς ἐπι τέλλων λήγει · ἰκτῖνος φαίνεται · βορέας πνεῖ · Columella die Piſcium XXIII. reddit : *III. id. Mart. Piſcis Aquilonius deſinit oriri . Septentrionales venti .* Ideo vel in corrupta Callippi exemplaria incidit Geminus , vel Columella , vel qui Geminum tranſcripſerunt , errarunt . Quod vero propius videtur ; ſerius enim quam cæteris aſtronomis Callippo Milvius apparet . Quare præpoſterus erit ordo , & Callippica ad antiquam ſedem inter notas κβ' & κδ' reſtituenda eſſe , emendato numero κγ' pro λ', non negabo . .

XII. cal. April. ſol ad Arietem progreditur .

Eodem die Callippo τῇ α τῶ κριῶ σύνδεσμος τῶν ἰχθύων ἀνατέλλει ·

ἰσημερία ἐαρινὴ, καὶ ψεκὰς λεπτή. χειμαίνει σφόδρα· ἐπισημαίνει·

X. cal. April. Callippo τῇ γ' τῦ κριῦ κριὸς ἄρχεται ἐπιτέλλειν ὑετὸς, ἢ νιφετός· Non discrepat Columella: *X. cal. April. Aries incipit exoriri. Pluvius dies, interdum ningit.*

XVI. cal. Maji Callippo τῇ κζ' τῦ κριῦ ζυγὸς ἄρχεται δύνειν· πολλαχῇ δὲ καὶ χάλαζα. Hæc etiam inversa apud Geminum, & confusa habebis, scribente Columella, *IV. id. April. sole oriente, Libra occidere incipit: interdum tempestatem significat.*

XI. cal. Maii Callippo sol ad Taurum penetrat.

Eodem tempore Callippo τῇ ά τῦ ταύρυ τῦ ταύρυ ἡ κέρκῳ ἐπιτέλλει· νοτία·

V. non. Maji Callippo τῇ ιγ' τῦ ταύρυ ἡ τῦ ταύρυ κεφαλὴ ἐπιτέλλει· ἐπισημαίνει.

Prid. non. Maji Columella *Nepa medius occidit: tempestatem significat* die Tauri XVI. Assentitur Ovidius:

Scorpius in cœlo cum cras lucescere nonas
Dicimus, a media parte videndus erit.

XI. cal. Jun. Callippo τῇ λβ' τῦ ταύρυ ὁ ταύρῳ λήγει ἀνατέλλων.

X. cal. Jun. sol in Geminos transitum facit.

IX. cal. Jun. Callippo τῇ β' τῶν διδύμων οἱ διδύμοι ἄρχονται ἐπιτέλλειν· νοτία.

IX. cal. Quint. sol in Cancrum subsidet.

Et τῇ ά τῦ καρκίνυ Callippo καρκίνῳ ἄρχεται ἀνατέλλειν· τροπαὶ θερινὰι, καὶ ἐπισημαίνει.

Prid. non. Quint. Columellæ *Cancer medius occidit*. Cum IX. cal. Quint. oriri incipiat Cancer, & XIV. cal. Sextil. desinat oriri, idemque III. non. Januar. Columellæ occidat, quis prid. non. Quint. occidere dixerit? Profecto *prodit*, vel *oritur*. Quod a Columella esse positum ostendit Pseudoptolemæus Leonicenus, qui transcripsit: *III. non. Quint. Cancri medium oriri.*

VIII. id. Jul. Columellæ *Capricornus medius occidit*. Callippo die Cancri XVI. fuisse credo.

XIV. cal. Sextil. Callippo τῇ κζ' τῦ καρκίνυ καρκίνῳ δύνει ἀνατέλλων πνεύματώδης. Vitium est δύνει pro λήγει.

XI. cal. Sextil. Callippo τῇ λ' τῦ καρκίνυ λέων ἄρχεται ἀνατέλλειν, νότῳ πνεῖ, καὶ κύων ἀνατέλλων φανερὸς γίνεται.

Hactenus quæ Callippica visa sunt recensuimus. Jam propius cernimus quantum ab Atticis signorum principiis differat Callippus. Proximus itaque Bœotiis, quibus solstitium fit VIII. cal. Quint. & pridie huic;

huic; ideo diei tantum differentia inter Bœotium & Callippicum annos cœleſtes intereſt. Vale.

D. Patavio Prid. non. Decembr. CIↃ IↃCC XXXIII.

EPISTOLA XXVI.

De Anno Olympico, de Olympiadibus, Pythiis, Iſthmiis, ac Nemeis.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

O Vates amicorum optime, quando ad Olympicum certamen ardentiſſimo anni tempore me tuis nuperrimis literis invitaſti, te comitem mihi adjicere ne recuſa,

ἀλλὰ δωρίαν ἀ-
πὸ φόρμιγγα παυσάλκα
λάμβαν', εἴ τι σοι Πίσατε
καὶ φερενίκα χάρις
νόον ὑπὸ γλυκυπά-
τοις ἔθηκε φροντίσιν.

Hac ratione itineris atque æſtus moleſtiam levabis, meque alacriorem ad omnia reddes. Verum ut juſtis itineribus procedamus, & ad conſtitutum diem præſto ſimus, noſcere ante omnia oportet tempus quo ex antiquo inſtituto Olympias celebratur. Id mihi inveſtigandum & prænoſcendum mandas. Sed ex qua ephemeride? Per ſolſtitium agitur: teneo, & Statium memini canentem:

Domus improba frangit
Frigora, Piſæumque domus non æſtuat annum.

Verumtamen ubi conſtitutum ſolſtitium Elæi ducunt? Sane niſi cum Atticis conveniant, nihil ſuccurrit quod inveſtigem. Ab Atticis igitur quod quærimus, explorabimus. Equidem annum, quo Ilium everſum Attici tradunt, nonne ad V. octeteridis Atticæ annum vidimus pertinere? Hic autem ab antiquo anni principio nonne per dies XVI. ad ſuperiora contrahitur? Annus itaque Octeteridis quintus alter in dieteride habetur. Quare primus dieteridis annus cum primo Olympico convenit & copulatur. Olympicus propterea, ut Atticus, initium

capit III. id. Quint. ſolſtitiali die. Dieteridis exemplum in tetraeteridis tabula adnotavi. Prima itaque Olympias acta IV. cal. Quint. die Parthenii XVI. per plenilunium, inſequente anno inito III. id. Quint. ex Apollonio menſe, & a nova luna. Ab hoc ſigno Olympicos annos deduco. Quapropter quatuor ſolis annis primo luſtro abſolutis, redit alterum luſtrum ab eodem exordio; binæ enim dieterides Chaldaicæ (quibus in tetraeteride Græciam uſam arbitramur) dies MCCCC LX. complectuntur. Quibus intercalarium diem, qui ex quatuor quadrantibus conflatur, ſi addamus, ſumma fit dierum MCCCCLXI., quot ſol ſigniferum orbem quater decurrit. Verum ab Olympiade prima dies MCCCCLXXVI. colliguntur, anni nimirum lunares quatuor, menſeſque duo; propterea ſecundum luſtrum ex plenilunio initium ſumit, quo Olympias ſecunda peragitur die primo Apollonii. Porro hinc quatuor annorum ſpatio decurſo, diebuſque MCCCCXLVI. peractis, tertia Olympias ſubſiſtit ex a. d. IV. cal. Quint., nam dies MCCCC XLVI. anni ſunt lunares quatuor, menſis unus cum dimidio. Ideoque tertium luſtrum iterum a nova luna incipit, quippe ſecundum a plena inchoabatur. Die itaque Parthenii XVI. tertia Olympias per Plenilunium habetur, a qua ad primam VIII. ſolares anni numerantur, quot a primo luſtro ad tertium. At a prima Olympiade ad ſecundam lunares menſes L. pertinent: a ſecunda ad tertiam XLIX., quoties ſuum curſum luna abſolvit, dum ſol octies ſuum. Apud Græcos igitur Chaldaicum annum ante inſtitutam octeateridem viguiſſe hujuſmodi ratio evincit; quoniam ſingula luſtra quatuor ſolidos annos dimenſa Olympiadum ſpatium abſolvit. Etenim in octeateride primum luſtrum diebus XV. a ſole deficit, quot alterum abundat. Ab hoc tamen inſtituto receſſere Græci animadvertentes neque annos neque menſes in lunæ rationem reverti, cum ſtata ſacra, ſacrificia, & luſtrationes definito lunæ tempore peragenda in eam menſis ſedem, quæ ſingulis patria religione conſtituta erat, perraro redirent. Quapropter antiquam dieteridem bifariam ſecantes, primum annum in quatuor lunares explicant ea ratione, ut hi a quatuor ſolis annis diebus XV. deficerent, quot primus dieteridis annus ab uno ſolari ſubſidebat. Hoc maxime modo aſſecuti ſunt, ut luſtrum utrunque & a nova luna duceretur, & ab eodem anni tempore, a quo dieteris annos inchoabat. Tum alterum annum in ſecundum luſtrum promittunt, quatuor lunares annos complexi, menſeſque duos, ac ſupra ſolis modum dies XV. quibus primum luſtrum redintegrant. Sic religionibus ac ſacris proviſum. Convenere itaque in eoſdem annos, menſes, plenilunia, annique tempora

Tab. XIV.

Tab. XV.

Olym-

TABULA XIV.

Tetraeteris Olympica I.
Olympias acta IV. cal. Quint. die Parthenii XVI. Plenilunium.

Ann. I.

I. menſis Apollonius: Novilunium III. id. Quint.
II. menſis prid. id. Sextil.
III. menſis IV. id. Septemb.
IV. menſis VII. id. Octobr.
V. menſis VII. id. Novembr.
VI. menſis VIII. id. Decembr.
VII. menſis prid. non. Januar.
VIII. menſis III. non. Febr.
IX. menſis Elaphius IV. non. Mart.
X. menſis IV. non. April.
XI. menſis cal. Maiis.
XII. menſis Parthenius III. cal. Jun.

Ann. II.

I. menſis Apollonius IV. cal. Quint.
II. menſis V. cal. Sextil.
III. menſis VII. cal. Septemb.
IV. menſis VIII. cal. Octobr.
V. menſis X. cal. Novembr.
VI. menſis XI. cal. Decembr.
VII. menſis intercal. XIII. cal. Januar.
VIII. menſis XIV. cal. Februar.
IX. menſis XII. cal. Mart.
X. menſis Elaphius XIV. cal. April.
XI. menſis XV. cal. Maii.
XII. menſis XVII. cal. Jun.
XIII. menſis Parthenius XVIII. cal. Quint.

Ann. III.

I. menſis Apollonius III. id. Quint.
II. menſis prid. id. Sextil.
III. menſis IV. id. Septembr.
IV. menſis VII. id. Octob.
V. menſis VII. id. Novembr.
VI. menſis VIII. id. Decembr.
VII. menſis prid. non. Januar.
VIII. menſis III. non. Februar.
IX. menſis Elaphius IV. non. Mart.
X. menſis IV. non. April.
XI. menſis cal. Maiis.
XII. menſis Parthenius III. cal. Jun.

Ann. IV.

I. menſis Apollonius IV. cal. Quintil.
II. menſis V. cal. Sextil.
III. menſis VII. cal. Septemb.
IV. menſis VIII. cal. Octobr.
V. menſis X. cal. Nov.
VI. menſis XI. cal. Dec.
VII. menſis intercal. XIII. cal. Jan.
VIII. menſis XIV. cal. Febr.

O. I. IX. menſis XIII. cal. Mart.
X. menſis Elaphius XV. cal. April.
XI. menſis XVI. cal. Maii.
XII. menſis id. Maiis.
XIII. menſis Parthenius id. Jun.

Tetraeteris Olympica II.

Ann. I.

I. menſis Apollonius: Olympias II. Plenilunium III. id. Quint.

II. menſis prid. id. Sextil.
III. menſis IV. id. Septembr.
IV. menſis VII. id. Octobr.
V. menſis VII. id. Novembr.
VI. menſis VIII. id. Decembr.
VII. menſis prid. non. Januar.
VIII. menſis III. non. Febr.
IX. menſis Elaphius IV. non. Mart.
X. menſis IV. non. Apr.
XI. menſis cal. Maiis.
XII. menſis Parthenius III. cal. Jun.

Ann. II.

I. menſis Apollonius IV. cal. Quint.
II. menſis V. cal. Sextil.
III. menſis VII. cal. Septemb.
IV. menſis VIII. cal. Octobr.
V. menſis X. cal. Novemb.
VI. menſis XI. cal. Dec.
VII. menſis intercalar. XIII. cal. Jan.
VIII. menſis XIV. cal. Februar.
IX. menſis XII. cal. Mart.
X. menſis Elaphius XIV. cal. April.
XI. menſis XV. cal. Maii.
XII. menſis XVII. cal. Jun.
XIII. menſis Parthenius XVIII. cal. Quint.

Ann. III.

I. menſis Apollonius III. id. Quint.
II. menſis prid. id. Sext.
III. menſis IV. id. Septemb.
IV. menſis VII. id. Octobr.
V. menſis VII. id. Novembr.
VI. menſis VIII. id. Decembr.
VII. menſis prid. non. Januar.
VIII. menſis III. non. Februar.
IX. menſis Elaphius IV. non. Mart.
X. menſis IV. non. April.
XI. menſis cal. Maiis.
XII. menſis Parthenius III. cal. Jun.

Ann. IV.

I. menſis Apollonius IV. cal. Quint.
II. menſis V. cal. Sextil.
III. menſis VII. cal. Septembr.
IV. menſis VIII. cal. Octobr.
V. menſis X. cal. Novembr.
VI. menſis XI. cal. Decemb.
VII. menſis intercal. XIII. cal. Jan.
VIII. menſis XIV. cal. Febr.

O. I. IX. menſis XIII. cal. Mart.
X. menſis Elaphius XV. cal. April.
XI. menſis XVI. cal. Maii.
XII. menſis id. Maiis.
XIII. menſis Parthenius idib. Jun.
Olympias III. acta IV. cal. Quint. die Parthenii XVI. per plenilunium.

capit
ridis
Tab. XIV. Parthe
ex Ap
nos d
redit
daicæ
LX.
dranti
quot
ma d
menſe
mit,
quatu
tertia
XLV
tertiu
na ir
nilun
quot
lunar
ſuum
tur
ratio
lymp
diebu
ſtitu
Tab. XV. lunæ
finit
tria
diet
cant
quot
mod
ab
rum
complexi, menſeque duos, ac [illegible] iodum [illegible]
primum luſtrum redintegrant. Sic religionibus ac ſacris proviſum. Convenere itaque in eoſdem annos, menſes, plenilunia, annique tempora

Olym-

TABULA XV.

Octeateris Olympica

Olympias acta IV. cal. Quint. die Parthenii XVI. per Plenilunium.

Ann. I.

I. mensis Apollonius III. id. Quintil.
II. mensis III. id. Sextil.
III. mensis IV. id. Septemb.
IV. mensis VII. id. Octobr.
V. mensis VI. id. Novembr.
VI. mensis VII. id. Decembr.
VII. mensis VIII. id. Januar.
VIII. mensis prid. non. Febr.
IX. mensis Elaphius prid. non. Mart.
X. mensis prid. non. April.
XI. mensis IV. non. Maii.
XII. mensis Parthenius IV. non. Jun.

Ann. II.

I. mensis Apollonius VI. non. Quint.
II. mensis prid. cal. Sextil.
III. mensis III. cal. Septemb.
IV. mensis IV. cal. Octobr.
V. mensis V. cal. Novembr.
VI. mensis VI. cal. Decembr.
VII. mensis VII. cal. Januar.
VIII. mensis IX. cal. Februar.
IX. mensis Elaphius VII. cal. Mart.
X. mensis IX. cal. April.
XI. mensis IX. cal. Maii.
XII. mensis Parthenius XI. cal. Jun.

Ann. III.

I. mensis Apollonius XI. cal. Quintil.
II. mensis XIII. cal. Sextil.
III. mensis XIV. cal. Septemb.
IV. mensis XV. cal. Octobr.
V. mensis XVI. cal. Nov.
VI. mensis XVII. cal. Dec.
VII. mensis intercal. XIIX. cal. Jan.
VIII. mensis idibus Januar.
IX. mensis prid. id. Febr.
X. mensis Elaphius III. id. Mart.
XI. mensis prid. id. April.
XII. mensis V. id. Maii.
XIII. mensis Parthenius IV. id. Jun.

Ann. IV.

I. mensis Apollonius VI. id. Quint.
II. mensis VI. id. Sextil.
III. mensis VII. id. Septembr.
IV. mensis prid. non. Octob.
V. mensis nonis Novembr.
VI. mensis prid. non. Decembr.
VII. mensis III. non. Januar.
O. I. VIII. mensis cal. Februar.
IX. mensis Elaphius VI. non. Mart.
X. mensis prid. cal. April.
XI. mensis prid. cal. Maii.
XII. mensis Parthenius IV. cal. Jun.

Ann. V.

I. mensis Apollonius IV. cal. Quint. Olympias acta III. id. Quint. die Apollonii XVI. per Plenilunium.
II. mensis VI. cal. Sextil.
III. mensis VII. cal. Septembr.
IV. mensis VIII. cal. Octobr.
V. mensis IX. cal. Novembr.
VI. mensis X. cal. Decemb.
VII. mensis intercal. XI. cal. Jan.
VIII. mensis XIII. cal. Febr.
IX. mensis XI. cal. Mart.
X. mensis Elaphius XIII. cal. April.
XI. mensis XIII. cal. Maii.
XII. mensis XV. cal. Jun.
XIII. mensis Parthenius XV. cal. Quint.

Ann. VI.

I. mensis Apollonius XVI. cal. Sextil.
II. mensis XVIII. cal. Septemb.
III. mensis XVIII. cal. Octobr.
IV. mensis III. id. Octobr.
V. mensis prid. id. Novembr.
VI. mensis III. id. Decembr.
VII. mensis IV. id. Januar.
VIII. mensis VI. id. Febr.
IX. mensis Elaphius VI. id. Mart.
X. mensis VI. id. April.
XI. mensis VIII. id. Maii.
XII. mensis Parthenius VIII. id. Jun.

Ann. VII.

I. mensis Apollonius prid. non. Quint.
II. mensis prid. non. Sext.
III. mensis III. non. Septemb.
IV. mensis VI. non. Octobr.
V. mensis cal. Novembr.
VI. mensis prid. cal. Decembr.
VII. mensis III. cal. Januar.
VIII. mensis V. cal. Februar.
IX. mensis Elaphius III. cal. Mart.
X. mensis V. cal. April.
XI. mensis V. cal. Maii.
XII. mensis Parthenius VII. cal. Jun.

Ann. VIII.

I. mensis Apollonius VII. cal. Quint.
II. mensis IX. cal. Sextil.
III. mensis X. cal. Septemb.
IV. mensis XI. cal. Octobr.
V. mensis XII. cal. Novemb.
VI. mensis XIII. cal. Dec.
VII. mensis intercalar. XIV. cal. Jan.
VIII. mensis XVI. cal. Februar.
O. I. IX. mensis XV. cal. Marr.
X. mensis Elaphius XVII. cal. April.
XI. mensis XVII. cal. Maii.
XII. mensis prid. id. Maii.
XIII. mensis idib. Jun.

Olympias acta IV. cal. Quint. die Parthenii XVI. per plenilunium.

Ann. I.

I. mensis Apollonius III. id. Quint.

capit
ridis
Tab. XIV. Parthe
ex A
nos d
redit
daicæ
LX.
dranti
quot
ma d
menſe
mit,
quatu
tertia
XLV
tertiv
na ii
nilur
quot
lunar
ſuum
tur
ratio
lymp
diebu
ſtitu
Tab. XV. lunæ
finit
tria
diet
cant
quot
mod
ab
rum
com
prin
ven

Olympiades, & ſingulis menſibus a nova luna inchoantibus, altera Olympias ſolſtitialis erat, & Apollonio menſe peragebatur non ineunte, ſed dimidiato ferme. Ab hac ad primam dies MCCCCLXXVI. decurrunt, ad tertiam autem MCCCCXLVI., quot in tetraeteride. Inter primam quoque Olympiadem & alterum luſtrum quatuor ſolares anni perficiuntur, iidemque hinc ad tertiam; propterea interpoſita Olympiade totum ſpatium per æqua diſcriminatur. Hac de cauſa cum octeateris menſes lunares XCIX. complectatur, γίνεται δὲ (ut Pindari interpres ſcribit) ὁ ἀγὼν ποτὲ μὲν διὰ τεσσαράκοντα ἐννέα μηνῶν· ποτὲ δὲ διὰ πεντήκοντα· ὅθεν δὲ ποτὲ μὲν τῷ Ἀπολλωνίῳ μηνὶ, ποτὲ δὲ τῷ Παρθενίῳ ἐπιτέλεται. Jam vero non arbitror a te ignorari, per plenilunium, habito uniuſcujuſque judicio, victores in Olympiis coronari, cui Pindari muſa præcinat:

Ἤδη γὰρ αὐτῷ
Πατρὶ μὲν βωμῶν ἀγιδὲν.
Τῶν διχόμηνις ὅλον χρυσάρματος
Ἑσπέρας ὀφθαλμὸν ἀντέφλεξε μήνα
Καὶ μεγάλων ἀέθλων ἀγνὰν κρίσιν
Καὶ πενταετηρίδ' ἁμᾶ
Θῆκε ζαθέοις ἐπὶ κρημνοῖς Ἀλφεῷ·

Quapropter cum quinque certamina per totidem dies agerent, & ſexto, qui decimuſſextus lunæ erat, victores per præconem ſoliti eſſent deſignari, primus ludorum dies alternis luſtris VIII. id. Quint. alternis IX. cal. ejuſdem indicebatur, modo nempe Apollonii, modo Parthenii die XI. Jam nihil amplius de Olympiis ſcribendum ſuccurrit, niſi de Elaphio menſe, quem nonum in octeateridis tabula ſtatuo, & Attico Elaphebolioni comparem opinor. Hunc Pauſanias poſteris tranſmiſit, quo in montis vertice circa vernum æquinoctium Saturno faciunt, & cinerem de penetrali deferunt Elæi. De reliquis menſibus ſiquid habes (tres enim tantum ad hoc tempus tenebam) pergratum feceris, ſi me admonueris.

Cum hæc ſcriberem, Morgagnus meus atque adeo noſter ad me venit: cui quid agerem tanta Græcorum turba circumſeptus percontanti epiſtolam hanc (haud enim ignoras nihil eſſe inter nos tam arcanum, de quo ipſum pro communi noſtra neceſſitudine celatum velim) tradidi legendam. Qua pro ſua diligentia animadverſa ac perpenſa, de Pythiis, Iſthmiis, & Nemeis, quæ celeberrima ſecundum Olympia Græcia extulit, cepit inquirere, an quid haberem non in vulgum prolatum. Qui cum ea quæ ſuper his conjeceram, accepiſſet, admonuit, ut de

hac

hac quoque antiquitate ad te ſcriberem; futuram enim, ut ipſe ajebat, jucundiorem epiſtolam, quo plura neque expetita afferret. Sed hæſitanti mihi, & nimis dubia ac levia mittere diffidenti, ſubdidit, vel eo nomine facerem, quo potiora a te exprimerem. Sic obtinuit; quare de Pythiis primum, deinde de reliquis hæc habeto.

Pythia anno Olympico CXCI. ſive Olympiadis XLVIII. ann. III. inſtaurata eſſe Pauſanias literis tradit, & anno belli Peloponneſii decimo, qui Olympiadis nonageſimæ annum II. & III. attingit, inducias inter Athenienſes & Spartanos proceſſiſſe uſque ad Pythia refert Thucydides. Induciarum autem finis incidit eo anno circa X. cal. April. & Olympiadis XC. ann. II. continetur. Prorogatas vero inducias in annum inſequentem per dies CXVI. nulla publica populorum pactione dabis ne? Non arbitror, ſcribente Thucydide: τῷ δ' ἐπιγινομένῳ θέρει αἱ μὲν ἐνιαύσιοι σπονδαὶ διελέλυντο μέχρι Πυθίων; nam novus annus poſt ſolſtitium XVI. cal. Sext. inchoatur. Quapropter & induciarum præcurſus, & ipſa Pythia anno Olympiadis nonageſimæ ſecundo contingunt. Porro a primis Pythiis ad iſta anni CLXVIII. ſive Olympiades XLII. colliguntur. Inſtaurata itaque Pythia, quæ, quinto quoque anno ineunte, committebantur, extremo anno Olympico CXC. Committuntur propterea annis octeteridis Olympicæ atque Atticæ II. & VI., ſed ab hoc initium ſumunt. At quo menſe, & menſis die? Id prorſus ignoro. Quaſi ſomnians coniicio fieri Thargelione menſe quo Apollini natalitia dabant; die Thargelionis ſeptimo

Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ,

Thargelia celebrantur, eademque Carnia, ut Cyrenæ uſurpabant, quibus natum etiam Carneadem fatetur Plutarchus. Hoc anni initium fuiſſe Delphicis puto, incipiente menſe Pyſio; τῆς γὰρ ἑκτῆς τοῦ νέου μηνὸς ὅταν καταίσῃ ἐς τὸν Πυθίαν ἐς τὸ πρυτανεῖον, obſtetricia Latonæ poſtridie præbituram, ut de ἀ Delphico templo inſcripto narrat Plutarchus. Inchoata itaque cum novo anno æſtate, Apollini honores habiti ſunt, Sole Taurum perluſtrante. Romani quoque eodem ferme anni tempore Apollinares ludos inſtituerunt, modo III. non. Quintil. modo V. id. ejuſdem agentes. Ea enim tempeſtate brumam (quod in aliud tempus tibi oſtendendum reſervo) ad cal. Martias traduxerant; ideo VII. cal. Quint. ex Chaldaico ritu, ex Bœotio autem III. cal. Quint. Sol in Taurum ferebatur. Ab hoc principio ſi annus ducitur, III. non. Quint. dies fit menſis ſeptimus. De Pythiis hæc comminiſcebar, quibus tantum tribues, quantum Pythiæ de futuris canenti.

Adeamus hinc Corinthum, ut Iſthmia ſpectemus. Horum initium, ſive

ſive mavis reparationem Solino Euſebioque ab Olympico anno CXCIII. repetentibus, in primum Olympicum annum tam tetraeteridis quam octeteridis conveniunt. Quibus antequam utar, quæ de Demetrio rege memoriæ tradidit Plutarchus, tecum prius perpendam. Scribit a Demetrio literas Athenienſibus miſſas, quibus ſignificabat, ſe ut primum ludos Corinthi ſpectaſſet, Athenas venturum, ut myſteriis majoribus & minoribus initiaretur. Et peractis Iſthmiis, regem Athenas profectum, atque ab Athenienſibus, quibus ex antiqua religione minora myſteria celebranda erant menſe Antheſterione, majora autem Boedromione, menſem Munychionem appellatum primum Antheſterionem, & hoc nomine minora myſteria acta, deinde eundem Munychionem in Boedromionem converſum, ut ſuo menſe fierent majora. Ex his manifeſtum veniſſe Athenas regem vel extremo Elaphebolione, vel Munychione menſe, quem propterea Demetrionem appellarunt; ideo ante Munychionem Iſthmia celebrata ſunt. Quare ſcribente Thucydide anno belli Peloponneſiaci viceſimo, quem Olympiadis XCII. annus IV., & Olympiadis XCIII. annus I. complectitur, commiſſa fuiſſe Iſthmia, ad annum IV. Olympiadis XCII. referenda credo. Secundo itaque & quarto tetraeteridis Olympicæ annis, ſive ſecundo, quarto, ſexto & octavo octeteridis (nam biennii intervallo exacto repeti conſuevere) fiunt Iſthmia. Inſtaurata igitur Olympico anno XCII. eodemque Olympiadis XLVIII. anno IV., dieteridis Atticæ II., ſed Bœotiæ I. Nunc de Corinthiaco anno inquirendum breviter. Extat apud Demoſthenem, Philippum regem ſcripſiſſe ſociis ut ſibi armati occurrerent in Phocide, menſe Macedonico Loo, Corinthio Panemo, & Attico Boedromione. Quapropter cum memoriæ reliquerit Pauſanias ſacro bello finem impoſitum per Philippum Olympiadis CVIII. anno I. qui octeteridis Olympicæ quintus habetur, eo anno datæ ſunt a Philippo literæ, incipientibus Loo, & Boedromione VII. cal. Septembr. Panemus itaque Corinthius ex eodem termino procedit. Jam vero II. menſis Bœotius ex a. d. VII. cal. Septembr. non inchoatur? Pergamus ad alia. Exponit Plutarchus in Nicia Athenienſium copias a Syracuſanis internecione deletas τετράδι φθίνοντος τοῦ καρνείου μηνὸς, ὃν ἀθηναῖοι μεταγειτνιῶνα προσαγορέυσι. Ideoque Syracuſanus Carnius idemque Corinthiacus (Syracuſani enim Corinthia colonia) proximus Panemum antecedit. Pridie itaque nonas Sextil. incipit Bœotio exordio. Ergo idem Corinthiis quod Bœotiis anni principium? Hoc non perſpicio clare. Equidem Carnio annexam intercalationem, ex hoc Syracuſanorum decreto, quod apud Gruterum leges, cognoſces:

ΕΠΙ ΙΕΡΟΘΥΤΑ
ΝΥΜΦΟΔΩΡΟΥ ΤΟΥ ΦΙΛΩΝΟΣ
ΠΑΡΑΠΡΟΣΤΑΤΑΣ ΒΟΥΛΑΣ
Προεδρεύσας τὰς φύλας
Τῶν υἱέων προαγορεύντων,
Διόκλεος τοῦ Διόκλεος
Γραμματεύοντος Ἀδρανιῶνος Ἀλεξάνδρου
Ἀλίασμα ἐς τὰς Διμήνυα καρνείου ἐξήκοντος.

Quid enim Carnius δίμηνος nisi intercalaris mensis, ut Dioscorus Macedonum, Athenienſium Posideon alter, Romanorum Mercedonius? Quapropter dum Carnius a Bœotio initio originem capit, & dum ob sibi proximam intercalationem, anni termino annectitur, non magno discrimine errabit qui Syracusanum ac Corinthium annum a Canis exortu cum Bœotiis inchoaverit. Adde Carnium anni principem mensem fuisse Spartanis, qui in eadem regione habitabant, & Dorici generis erant. Tab. XVI. Adde Spartanum annum ab eodem Canis exortu in orbem duci. Hac conjectura tabulam instituam atque octeateridem anno Corinthiaco exornabo. Quo igitur mense acta Isthmia? Verno sane, ut ex Plutarcho discitur, & fortasse Elaphebolione qui Munychionem præcedit, quoque Athenienſibus scripserat Demetrius Isthmia spectans. Quid vetat suspicari circa æquinoctium vernum celebratos fuisse ludos, quod anno Romano Sol in Arietem transitum facit cal. April. æquinoctiumque præstat VI. id. ejusdem? Porro annus dieteridis Bœotiæ I. nonum mensem Elaphebolioni comparem VI. id. April. anno Romano non inchoat? Isthmiorum itaque tempus ad vernum æquinoctium videtur spectare.

Venio ad Nemea, quæ per biennium item in se revolvuntur. Hæc brumali sidere agi auctor est in Argolicis Pausanias. Refert Polybius Nemeos ludos Argis celebratos Olympiade CXXXIX., similiter anno III. Olympiadis CXL.; ideo octeateridis Olympicæ anno I., III., V., VII. agebantur. Affertur etiam ex Philochoro Demetrionem mensem ab Argivis dici quo certamina Nemea committuntur. Hoc sane nomine Bœotiis mensis quartus erat, idemque Bithyniis duodecimus. Si a Canis exortu prid. non. Sext. cum Spartanis ac Corinthiis annum quondam inceperunt Argivi, inter suspiciones est inferiore tempore in Macedonum gratiam, quorum reges ab se ortos profitebantur, & quorum nomina secundum deos ominis causa pronuncianda publice decreverant, Macedonico ritu VI. non. Octobr. anni auspicia sumpsisse. Ita fit ut primus mensis tertii sedem obtineat, secundus quarti, tertius quinti, quartus sexti. Sane memini apud Plutarchum legisse mensem quartum Argivum

olim

TABULA XVI.

Octeateris Corinthia & Syracusana

Ann. I.

I. mensis Carnius prid. non. Sextil.
II. mensis Panemus IV. non. Sept.
III. mensis VI. non. Octobr.
IV. mensis prid. cal. Novem.
V. mensis prid. cal. Decembr.
VI. mensis IV. cal. Januar.
VII. mensis V. cal. Febr.
VIII. mensis IV. cal. Mart.
IX. mensis V. cal. April.
X. mensis VI. cal. Maii.
XI. mensis VII. cal. Jun.
XII. mensis VIII. cal. Quint.

Ann. II.

I. mensis Carnius IX. cal. Sextil.
II. mensis Panemus XI. cal. Septembr.
III. mensis XI. cal. Octobr.
IV. mensis XIII. cal. Nov.
V. mensis XIII. cal. Decembr.
VI. mensis XV. cal. Januar.
VII. mensis XVI. cal. Febr.
VIII. mensis XV. cal. Mart.
IX. mensis XVI. cal. April.
X. mensis XVII. cal. Maji.
XI. mensis idibus Maiis.
XII. mensis idibus Juniis.

Ann. III.

I. mensis Carnius III. id. Quint.
II. mensis Panemus III. id. Sextil.
III. mensis IV. id. Septembr.
IV. mensis VII. id. Octobr.
V. mensis VI. id. Novembr.
VI. mensis VII. id. Decembr.
VII. mensis VIII. id. Januar.
VIII. mensis prid. non. Febr.
IX. mensis prid. non. Mart.
X. mensis prid. non. Apr.
XI. mensis IV. non. Mai.
XII. mensis IV. non. Jun.
XIII. Carnius δίμην VI. non. Quint.

Ann. IV.

I. mensis Carnius cal. Sextil.
II. mensis Panemus III. cal. Septembr.
III. mensis III. cal. Octobr.
IV. mensis V. cal. Novembr.
V. mensis V. cal. Decembr.
VI. mensis VII. cal. Januar.
VII. mensis VIII. cal. Febr.
VIII. mensis VIII. cal. Mart.
IX. mensis IX. cal. April.
X. mensis X. cal. Maii.
XI. mensis XI. cal. Jun.
XII. mensis XII. cal. Quintil.

O. I.

Ann. V.

I. mensis Carnius XIII. cal. Sextil.
II. mensis Panemus XV. cal. Sept.
III. mensis XV. cal. Octobr.
IV. mensis XVII. cal. Nov.
V. mensis XVII. cal. Decembr.
VI. mensis XIX. cal. Januar.
VII. mensis idib. Januar.
VIII. mensis III. id. Febr.
IX. mensis III. id. Mart.
X. mensis III. id. April.
XI. mensis V. id. Maii.
XII. mensis V. id. Jun.
XIII. Carnius δίμην VII. id. Quint.

Ann. VI.

I. mensis Carnius VI. id. Sextil.
II. mensis Panemus VIII. id. Sept.
III. mensis prid. non. Octobr.
IV. mensis prid. non. Nov.
V. mensis prid. non. Decembr.
VI. mensis IV. non. Januar.
VII. mensis cal. Febr.
VIII. mensis VI. non. Mart.
IX. mensis cal. April.
X. mensis prid. cal. Maii.
XI. mensis III. cal. Jun.
XII. mensis IV. cal. Quint.

Ann. VII.

I. mensis Carnius V. cal. Sextil.
II. mensis Panemus VII. cal. Septembr.
III. mensis VII. cal. Octobr.
IV. mensis IX. cal. Nov.
V. mensis IX. cal. Decembr.
VI. mensis XI. cal. Januar.
VII. mensis XII. cal. Februar.
VIII. mensis XI. cal. Mart.
IX. mensis XII. cal. April.
X. mensis XIII. cal. Maii.
XI. mensis XIV. cal. Jun.
XII. mensis XV. cal. Quint.

Ann. VIII.

I. mensis Carnius XVI. cal. Sextil.
II. mensis Panemus XVIII. cal. Sept.
III. mensis XVIII. cal. Octobr.
IV. mensis III. id. Octobr.
V. mensis prid. id. Novembr.
VI. mensis III. id. Decembr.
VII. mensis IV. id. Januar.
VIII. mensis VI. id. Febr.
IX. mensis VII. id. Mart.
X. mensis VII. id. Apr.
XI. mensis Nonis Maiis.
XII. mensis Nonis Juniis.
XIII. Carnius δίμην III. non. Quint.

Ann. I.

I. mensis Carnius prid. non. Sext.

O. I.

Qu
Macec
Quapr
ſibi p
crimin
tu cu
ſe Sp
Tab. XVI. Adde
conjeƈ
nabo.
ſcitur
Athen
cari c
mano
ſtat V
Elaphe
Iſthmi
Ver
brumal
Nemec
III. C
V., V
ſem ab
mine I
Canis
dam ir
cedonu
nomina
Macedc
mus m
tus ſex

olim

olim vocatum Hermæum. Quod de menſis ſede potius accipio, quam de ipſo menſe, nimirum eundem locum obtinuiſſe prius Hermæum cum ſextus eſſet, qualis Bœotiis, qui mox Demetrion quartus collocatus. Quare ſi verum conjectura attingit, Nemea primum menſe VI. Hermæo, deinde menſe Demetrione IV. peracta opinabimur. Credere etiam licet Hermæum propter Demetrium regem in Demetrionem verſum, atque autumnali tempore antiquitus annum ceptum. His tamen poſthabitis, conſtat ſextum menſem a Bœotio & Corinthiaco initio in brumam incidere; nam cal. Januar. conſtituta bruma, hoc ordine dieteridis menſes per annum Romanum digeruntur:

I. Menſis Panemus prid. cal. Sextil.
II. Menſis nonis Septembr.
III. Menſis Alalcomenius III. non. Octobr.
IV. Menſis Damatrius III. non. Novembr.
V. Menſis Bucatius III. non. Decembr.
VI. Menſis Hermæus III. non. Januar.

A Macedonico vero principio VI. non. Oct.

I. Menſis VI. non. Octobr.
II. Menſis cal. Novembr.
III. Menſis cal. Decembr.
IV. Menſis cal. Januar.

Plura de Nemeis ſcribere ſupervacaneum duco, quorum fama ad nos tantum delata eſt, cætera profunda temporum altitudine nobis obruta jacent, & demerſa. Tu, cui tota antiquitas patet, & ut ea quæ oculis cernimus, memori mente Græcorum faſtos pervolvis, mihi certiora depromere ne recuſa. Hæc enim tibi ſcribebam, ut ad reſpondendum te provocarem. Vale.

D. Patavio XVIII. cal. Quint. CIↃ IↃCC XXXIV.

EPISTOLA XXVII.

De anno Lacedæmonio, & de Panathenæis, Carniis ſacris, atque Hyacinthiis.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

NOn arbitror te expectare de anno Lacedæmonio epiſtolam, quod perfecte intelligis inutilis eſſe curæ in eum conniti. Tamen mi-

to, otio, quo hoc triduo ſuperfundebar, abuſus. Etenim tanta aquarum proluvie (ſcis enim inſulam a nobis incoli) circumſeptum nemo me adibat, cum ego ipſe in Hortum deſcendere non poſſem, ſublata omni ambulatione. Veteri itaque hiſtoriæ vacans reliquias quaſdam collegi: quibus per membra digeſtis, annum conſtitui, qualia multa philoſophi ſolent, dum ea quæ in abſtruſo jacent, certa ratione nobis exprimere, & ſub oculos ponere conantur. Horum igitur exemplo quandam anni formam adumbravi, qua antiquas memorias dimenſus parum aut nihil inveniebam, quod in ſubſicivum relinquerem. Hæc ad te venit: cui Spartanam civitatem largiaris, minime rogo. Cumulate præſtabis, ſi eandem inter ἀλώτας ſepoſueris.

Nunc quibus ſuſpicionibus impulſus hunc annum conſtituerim, pro tua ſapientia mecum recognoſce & perpende. Ante omnia tamen de anni initio, a quo reliqua pendent, inquirere debemus. Annum Lacedæmonium a Carnio menſe incipere, ut de Corinthio ambitu nuper ſignificaveram, Euripides hoc carmine videtur ſignificare in *Alceſtide*:

Πολλά σε μεσοπόλοι
Μέλψεσι, καθ' ἑπτάπονόν τ' ὀρείαν
Χέλυν ἔν τ' ἀλύροις κλείοντες ὕμνοις,
Σπάρτᾳ κύκλῳ ἀνίκα καρνείᾳ
Περινίσεται ὥρα μηνὸς, ἀειρομέναις
Παννύχοις σελάναις,
Λιπαραῖσί τ' ἐν ὀλβίαις Ἀθάναις.
Τοίαν ἔλιπες θανεῖσα μολπὰν
Μελέων ἀοιδοῖς.

Quo etiam videre videor dum vates magnis laudibus Alceſtidis virtutem proſequitur, indicari Panathenæa quæ celeberrima poetarum frequentia quinto quoque anno redibant. Hæc autem anno Olympico CCXI. inſtituta in III. & VII. octeateridis Atticæ annos incurrunt. Bœotius autem Corinthiuſque annus a VII. Atticæ periodi anno non incipit prid. non. Sextil.? Panathenæa autem acta extremo Hecatombæone ſive τρίτῃ menſis ἀπιόντι per triduum pulchre calles. Quare cal. Sextil. & IV. ac III. non. ejuſdem. Propterea ſi tertius dies menſiſque extremus Muſicum certamen inibat (quid enim vetat ſic coniicere?) quo Minervæ deferebant peplum,

Debita cum caſtæ ſolvuntur vota Minervæ,

Jam vides Panathenæis annum novum ex Carnio quam proximum, quin etiam ex Græca conſuetudine eodem quo ultima Panathenæa agitabantur, die iniri. Merito igitur Euripides præclarum mulieris faci-

nus

nus dignum refert quod in Panathenæis vates celebrent, redeunte Spartanis per Carnium menſem anno.

Verum ne his quæ veri quidem ſpeciem ferunt, quamvis, omni ſublata dubitatione, ut vera non recipiam, ſolis innitamur, ad alia te traducam. Narrat Herodotus, cum Xerſes immenſas copias in Græcos duceret, CCC. Spartanos duce Leonida ad Thermopylas occurriſſe, quod ſacra Carnia reliquos morabantur, & Spartæ ſocios Olympia. Quibus peractis, prodituros omnes fuiſſe. Jam Carnia Carnio menſe fieri in confeſſo eſt, ac per dies IX. poſitis tentoriis ad militiæ exemplar celebrari inter omnes conſtat. Media æſtate circa Thermopylas pugnatum fuit. Paulo poſt cum caperentur Athenæ, interrogatos a Xerſe perfugas quid agerent Græci, reſpondiſſe per otium Olympica certamina agere. Hac ratione ad Quintilem menſem pervenimus, ſiquidem eo anno Olympia contingebant IV. cal. Quint. & Bœotius annus incipiebat ex a. d. XIII. cal. Sextil. Pergit hiſtoricus, paulo ante pugnam navalem ad Salaminam Olympia ſacra, & Carnia præteriiſſe. Pugnæ tempus haud ignorabis ex Plutarcho, ſi vitium dempſeris: ἕκτῃ ἐπὶ δέκα μυνυχιῶνος μηνός. Ut tempora reſque geſtæ inter ſe conveniant, ſcribendum eſt: ἕκτῃ ἐπὶ δέκα μεταγειτνιῶνος μηνός. Quod Xenophon confirmat, annos belli Peloponneſii XXVIII., menſeſque VI. recenſens, ſumpto initio a primo vere. Igitur cum eodem die Athenas in ſervitutem redegerit Lyſander, auctore Plutarcho, quo adverſus Perſas navali victoria potiti erant Athenienſes, certum eſt utrunque eveniſſe non Munychione, ſed Metagitnione qui VI. a vere primo menſis habetur. Prælium itaque VI. cal. Septembr. contigit, Carnio menſe XIV. cal. eaſdem jam abſoluto, peractiſque ſacris Carniis atque Olympicis.

Adeamus Thucydidem, a quo traditur, anno belli Peloponneſiaci XIV., inſequentis hiemis initio Lacedæmones, abſolutis Carniis, in expeditionem profectos, nimirum menſe ſecundo qui octeateridis anno IV. Bœotiis III. cal. Septembr. inchoatur. At hiemem ex cal. Septembr. incipere quis dabit? Quibus ut occurramus, fac tibi ea quæ inter Bœotia a nobis habes, in mentem veniant, annum videlicet a Thucydide bifariam dividi in æſtatem atque hiemem, & ver attribui æſtati, hiemi autumnum. Jam patet inſequentis hiemis initium fuiſſe autumnum. Anteriori quoque anno ſcribit, exacta ferme æſtate, Spartanos menſe Carnio ad ſtata ſacra celebranda domum rediiſſe, edicentes ſociis, ut proximo menſe armati iterum convenirent. Quapropter, elapſo Carnio, tempus militaribus expeditionibus accommodatum ſupererat; nam hieme ſub pellibus tuto milites haberi non poſſunt, & nulla pabuli copia

ad equitatum ſuppetit. Jam liquet autumnalem menſem fuiſſe Carnium, qui, acta æſtate, incipiebat, &, quo peracto, milites in caſtra redibant. Illud etiam inter neceſſaria eſt noſcere, non propter Carnia tantum redire domum ſolitos Spartanos, verum etiam quod alii magiſtratus anni initio honorem inibant; ideo in Thucydide alii Ephori, ineunte vere, referuntur, alii, hieme appropinquante. Xenophon etiam per annos XXVIII. menſeſque VI. quibus bellum inter Athenienſes & Spartanos exarſerat, Ephoros XXIX. recenſet, quorum primus Æneſias, quo per ver bellum ſuſceptum, ultimus Eudicus, quo, in ſervitutem redactis Athenis, copias Spartam Lacedæmones duxerunt. Igitur ſi per ver magiſtratus auſpicati eſſent Spartani, & Eudicus eodem anni tempore honorem iniiſſet, tot Ephori numerarentur, quot anni belli quod verno inceperat. Præterea quos vere nominat Thucydides, eoſdem, incipiente hieme, ſervaret. Quare inter æſtivum ſpatium & hibernum creabantur. At non captæ a Lyſandro Athenæ anno Olympico CCC LXXVIII. Octeateridis Atticæ II. qui cum IV. Bœotio convenit, XVIII. cal. Septembr. jam Ephoro Eudico? Æſtate itaque, aut appetente autumno magiſtratus auſpicia capiebant. Sed deſinente jam æſtate, Carnia celebrari vidimus; ideo & anni initium in autumnum incidit, & ad Canis exortum ſpectat. Ad Herodotum redeamus; quem Plutarchus exagitat tanquam iniquo animo ſcribentem recuſaſſe Spartanos Athenienſibus auxilium petentibus in campum Marathonem contra Perſas prodire; quia dies nonus menſis inciderat, quo per leges copias educere non licebat, ideo plenilunium opperiri. Equidem de plenilunio utpote minus verum juſte coarguit Plutarchus, cum alio etiam Lunæ aſpectu ſæpenumero in expeditionem profectos eſſe Lacedæmones oſtenderit. Conſtat tamen, jam confecto prælio quod die Boedromionis VI. Olympiadis LXXII. ann. II. contigit, auxilium a Spartanis miſſum, & tanta feſtinatione incitatos milites, ut triduo in Atticam pervenirent. Menſis Carnius erat, & Carnia agebantur, quo tempore fortaſſe per leges militatum ire non permittebatur, ut, eodem appropinquante, qui in caſtris erant, ut ante perſtrinxi, domum redire ſolebant. Etenim ſi die Atticorum menſium octavo vel ſeptimo cum Bœotiis menſes inchoabant Spartani, ut ſuſpicari licet, incipiente Boedromione VII. cal. Septembr. Carnio initium erat prid. non. Sext. ideo dies Boedromionis VI. viceſimus octavus Carnii, quo extremo, quia in ſummum diſcrimen Græcia adducebatur, in Atticam feſtinarunt Spartani, jam actis Carniis.

Quæ ad anni Lacedæmonii principium ſpectare animadverteram, hæc mihi inter ſcribendum occurrebant: ſequitur de fine quæ in Plutarcho

nactus

Octeteris Spartana
Ann. I.

I. mensis Carnius prid. non. Sextil.
II. mensis IV. non. Septembr.
III. mensis VI. non. Octobr.
IV. mensis Phliasius prid. cal. Novem.
V. mensis prid. cal. Decembr.
VI. mensis IV. cal. Januar.
VII. mensis V. cal. Febr.
VIII. mensis Artemisius IV. cal. Mart.
IX. mensis Gerastius V. cal. April.
X. mensis Hecatombæus VI. cal. Mai.
XI. mensis VII. cal. Jun.

XII. mensis VIII. cal. Quint.
Ann. II.

I. mensis Carnius IX. cal. Sextil.
II. mensis XI. cal. Septembr.
III. mensis XI. cal. Octobr.
IV. mensis Phliasius XIII. cal. Nov.
V. mensis XIII. cal. Decembr.
VI. mensis XV. cal. Januar.
VII. mensis XVI. cal. Febr.
VIII. mensis Artemisius XV. cal. Mart.
IX. mensis Gerastius XVI. cal. April.
X. mensis Hecatombæus XVII. cal. Maji.
XI. mensis idibus Maiis.
XII. mensis idibus Juniis.
Ann. III.

I. mensis Carnius III. id. Quint.
II. mensis III. id. Sextil.
III. mensis IV. id. Septembr.
IV. mensis Phliasius VII. id. Octobr.
V. mensis VI. id. Novembr.
VI. mensis VII. id. Decembr.
VII. mensis VIII. id. Januar.
VIII. mensis Artemisius prid. non. Febr.
IX. mensis Gerastius prid. non. Mart.
X. mensis Hecatombæus prid. non. Apr.
XI. mensis IV. non. Mai.
XII. mensis IV. non. Jun.

XIII. mensis intercal. VI. non. Quint.
Ann. IV.

I. mensis Carnius cal. Sextil.
II. mensis III. cal. Septembr.
III. mensis III. cal. Octobr.
IV. mensis Phliasius V. cal. Novembr.
V. mensis V. cal. Decembr.
VI. mensis VII. cal. Januar.
VII. mensis VIII. cal. Febr.
O. I. VIII. mensis Artemisius VIII. cal. Mart.
IX. mensis Gerastius IX. cal. April.
X. mensis Hecatombæus X. cal. Maii.
XI. mensis XI. cal. Jun.

XII. mensis XII. cal. Quintil.

Octeteris Attica
Ann. VII.

I. mensis Hecatombæon prid. non. Quint.
II. mensis Metagitnion prid. non. Sext.
III. mensis Boedromion III. non. Sept.
IV. mensis Mæmacterion VI. non. Octob.
V. mensis Pyanepsion cal. Novembr.
VI. mensis Posideon prid. cal. Decemb.
VII. mensis Gamelion III. cal. Januar.
VIII. mensis Anthesterion V. cal. Febr.
IX. mensis Elapheholion III. cal. Mart.
X. mensis Munychion V. cal. April.
XI. mensis Thargelion V. cal. Maii.
XII. mensis Scirophorion VII. cal. Jun.
Ann. VIII.

I. mensis Hecatombæon VII. cal. Quint.

II. mensis Metagitnion IX. cal. Sextil.
III. mensis Boedromion X. cal. Septem.
IV. mensis Memacterion XI. cal. Oct.
V. mensis Pyanepsion XII. cal. Nov.
VI. mensis Posideon I. XIII. cal. Dec.
VII. mensis Posideon II. XIV. cal. Jan.
O. I. VIII. mensis Gamelion XVI. cal. Febr.
IX. mensis Anthesterion XV. cal. Mart.
X. mensis Elaphebolion XVII. cal. Apr.
XI. mensis Munychion XVII. cal. Maii.
XII. mensis Thargelion prid. id. Maii.
XIII. mensis Scirophorion id. Jun.
Ann. I.

I. mensis Hecatombæon III. id. Quint.
II. mensis Metagitnion III. id. Sextil.
III. mensis Boedromion IV. id. Sept.
IV. mensis Mæmacterion VII. id. Octob.
V. mensis Pyanepsion VI. id. Novemb.
VI. mensis Posideon VII. id. Decembr.
VII. mensis Gamelion VIII. id. Jan.
VIII. mensis Anthesterion prid. non. Febr.
IX. mensis Elaphebolion prid. non. Mart.
X. mensis Munychion prid. non. April.
XI. mensis Thargelion IV. non. Mai.
XII. mensis Scirophorion IV. non. Jun.
Ann. II.

I. mensis Hecatombæon VI. non. Quint.

II. mensis Metagitnion prid. cal. Sext.
III. mensis Boedromion III. cal. Sept.
IV. mensis Mæmacterion IV. cal. Octob.
V. mensis Pyanepsion V. cal. Novemb.
VI. mensis Posideon VI. cal. Decembr.
VII. mensis Gamelion VII. cal. Jan.
VIII. mensis Anthesterion IX. cal. Febr.
IX. mensis Elaphebolion VII. cal. Mart.
O. I. X. mensis Munychion IX. cal. April.
XI. mensis Thargelion IX. cal. Maii.
XII. mensis Scirophorion XI. cal. Jun.
Ann. III.

I. mensis Hecatombæon XI. cal. Quint.

Octeteris Spartana
Ann. V.

I. mensis Carnius XIII. cal. Sextil.
II. mensis XV. cal. Septembr.
III. mensis XV. cal. Octobr.
IV. mensis Phliasius XVII. cal. Nov.
V. mensis XVII. cal. Decembr.
VI. mensis XIX. cal. Januar.
VII. mensis idib. Januar.
VIII. mensis Artemisius III. id. Febr.
IX. mensis Gerastius III. id. Mart.
X. mensis Hecatombæus III. id. April.
XI. mensis V. id. Maii.
XII. mensis V. id. Jun.

XIII. mensis intercal. VII. id. Quint.
Ann. VI.

I. mensis Carnius VI. id. Sextil.
II. mensis VIII. id. Septembr.
III. mensis prid. non. Octobr.
IV. mensis Phliasius prid. non. Nov.
V. mensis prid. non. Decembr.
VI. mensis IV. non. Januar.
VII. mensis cal. Febr.
VIII. mensis Artemisius VI. non. Mart.
IX. mensis Gerastius cal. April.
X. mensis Hecatombæus prid. cal. Maii.
XI. mensis III. cal. Jun.

XII. mensis IV. cal. Quint.
Ann. VII.

I. mensis Carnius V. cal. Sextil.
II. mensis VI. cal. Septembr.
III. mensis VI. cal. Octobr.
IV. mensis Phliasius IIX. cal. Nov.
V. mensis IIX. cal. Decembr.
VI. mensis X. cal. Januar.
VII. mensis XI. cal. Februar.
VIII. mensis Artemisius X. cal. Mart.
IX. mensis Gerastius XI. cal. April.
X. mensis Hecatombæus XII. cal. Mai.
XI. mensis XIII. cal. Jun.
XII. mensis XV. cal. Quint.
Ann. VIII.

I. mensis Carnius XVI. cal. Sextil.
II. mensis XVIII. cal. Septembr.
III. mensis XVIII. cal. Octobr.
IV. mensis Phliasius III. id. Octobr.
V. mensis prid. id. Novembr.
VI. mensis III. id. Decembr.
VII. mensis IV. id. Januar.
O. I. VIII. mensis Artemisius VI. id. Febr.
IX. mensis Gerastius VII. id. Mart.
X. mensis Hecatombæus VII. id. Apr.
XI. mensis Nonis Maiis.
XII. mensis Nonis Juniis.

XIII. mensis Intercal. III. non. Quint.
Ann. I.

I. mensis Carnius prid. non. Sext.

Octeteris Attica

II. mensis Metagitnion XIII. cal. Sextil.
III. mensis Boedromion XIV. cal. Sept.
IV. mensis Mæmacterion XV. cal. Octob.
V. mensis Pyanepsion XVI. cal. Nov.
VI. mensis Posideon I. XVII. cal. Dec.
VII. mensis Posideon II. XIIX. cal. Jan.
VIII. mensis Gamelion idib. Januar.
IX. mensis Anthesterion prid. id. Febr.
X. mensis Elaphebolion III. id. Mart.
XI. mensis Munychion prid. id. April.
XII. mensis Thargelion V. id. Maii.
XIII. mensis Scirophorion IV. id. Jun.
Ann. IV.

I. mensis Hecatombæon VI. id. Quint.

II. mensis Metagitnion VI. id. Sext.
III. mensis Boedromion VII. id. Sept.
IV. mensis Mæmacterion prid. non. Oct.
V. mensis Pyanepsion nonis Novemb.
VI. mensis Posideon prid. non. Decemb.
VII. mensis Gamelion III. non. Jan.
O. I. VIII. mensis Anthesterion cal. Febr.
IX. mensis Elaphebolion VI. non. Mart.
X. mensis Munychion prid. cal. April.
XI. mensis Thargelion prid. cal. Maii.
XII. mensis Scirophorion IV. cal. Jun.
Ann. V.

I. mensis Hecatombæon IV. cal. Quint.

II. mensis Metagitnion VI. cal. Sextil.
III. mensis Boedromion VII. cal. Sept.
IV. mensis Mæmacterion VIII. cal. Oct.
V. mensis Pyanepsion IX. cal. Nov.
VI. mensis Posideon I. X. cal. Dec.
VII. mensis Posideon II. XI. cal. Januar.
VIII. mensis Gamelion XIII. cal. Febr.
IX. mensis Anthesterion XI. cal. Mar.
X. mensis Elaphebolion XIII. cal. Apr.
XI. mensis Munychion XIII. cal. Maii.
XII. mensis Thargelion XV. cal. Jun.
XIII. mensis Scirophorion XV. cal. Quint.
Ann. VI.

I. mensis Hecatombæon XVI. cal. Sext.
II. mensis Metagitnion XVIII. cal. Sept.
III. mensis Boedromion XVIII. cal. Oct.
IV. mensis Mæmacterion III. id. Oct.
V. mensis Pyanepsion prid. id. Nov.
VI. mensis Posideon III. id. Dec.
VII. mensis Gamelion IV. id. Jan.
VIII. mensis Anthesterion VI. id. Feb.
IX. mensis Elaphebolion VI. id. Mart.
X. mensis Munychion VI. id. April.
XI. mensis Thargelion VIII. id. Mai.
XII. mensis Scirophorion VIII. id. Jun.
Ann. VII.

I. mensis Hecatombæon prid. non. Quint.

II. mensis Metagitnion prid. non. Sext.

ana

. cal. Sextil.
tembr.
tobr.
II. cal. Nov.
Decembr.
nuar.

I. id. Febr.
id. Mart.
III. id. April.

Octeateris Attica

II. menſis Metagitnion XIII. cal. Sextil.
III. menſis Boedromion XIV. cal. Sept.
IV. menſis Mæmacterion XV. cal. Octob.
V. menſis Pyanepſion XVI. cal. Nov.
VI. menſis Poſideon I. XVII. cal. Dec.
VII. menſis Poſideon II. XIIX. cal. Jan.
VIII. menſis Gamelion idib. Januar.
IX. menſis Antheſterion prid. id. Febr.
X. menſis Elaphebolion III. id. Mart.
XI. menſis Munychion prid. id. April.
XII. menſis Thargelion V. id. Maii.
XIII. menſis Scirophorion IV. id. Jun.

Ann. IV.

nactus ſum, ut continuata proponam. Refert in Agide tale Spartanum inſtitutum: Nono quoque anno Ephori ſerena nocte & interméſtrua luna, ſecedunt taciti in cœlum intuentes, ſi ex aliqua cœli plaga in aliam ſtella ſe forte trajiciat. Id contemplati noxios reges opinantur. Hoc viſum ſibi oblatum fingens Ephorus Lyſander calumniis & mendaciis Leonidam regem adoritur, ejuſque abrogato regno, in exilium expellit. Circumacto mox anno, & in ordinem redacto Lyſandro, cum alii Ephori magiſtratum iniiſſent, Ageſilaus homo factioſus, & quia ære alieno depreſſus erat, ad omne quæſtus genus paratiſſimus, per vim legitimis Ephoris ſummotis, ſe Ephorum creat. Hoc Ephoro, τὰς καρπὰς σχεδὸν ἅπαντας συγκεκομισμένων ἤδη τῶν γεωργῶν, Rex Agis in bellum proficiſcitur. Quo abſente, Ageſilaus menſem intercalarem præter circuitus & temporum ordinem adjecit, & hac ratione, producto anno, plura lucratus eſt. Quem menſem quoniam decimum tertium vocat Plutarchus, extremo anno intercalationem fieri oſtendit. Quare poſt collectas fruges Spartanus annus finem habebat, ut Bœotius; atque octeateride, ut cæteri Græci, utebantur Lacedæmones; nam, peracto annorum octo circuitu, Ephorus primo anno fuerat Lyſander, altero magiſtratum occupaverat Ageſilaus, quo extremo intempeſtiva (altero enim periodi anno nequaquam intercalabatur) intercalatio inducitur.

Quoniam itaque de anni principio & fine hæc conjicimus, de menſibus videndum. Quinque Spartanis attributos comperio: primum quem dixi, Carnium: alterum Phliaſium: tertium Artemiſium: quartum Geraſtium: ultimum Hecatombæum. Phliaſium deſcribit Stephanus, & nomen deducit ἀπὸ φλεῶν quod eſt Ὠκάρπειαν, ἐν ᾧ τότε τῆς γῆς καρπὸς ἀκμάσαν συμβέβηκεν. Sed id a populis Phliaſiis, qui in Sicyonia prope fontem Aſopi habitabant, puto; ut Geraſtium a Geraſtiis; niſi potius a ſacris; quia ab illis gentibus inſtituta. Cæterum cum Phliaſio tempus aſſignent, quale Attico Pyanepſioni, quartus a Carnio erit, & hiemem attinget. At Artemiſium octavum ordine ſtatuo, Geraſtium nonum, quos Thucydides de induciis & fœdere inter Spartanos & Athenienſes ſcribens commemorat. Anno itaque belli nono ineunte per ver, Olympiadis XC. ann. I., octeateridis Atticæ ann. V. induciæ conſtitutæ ſunt die Elaphebolionis XIV., & Geraſtii XII. Anno Attici circuitus V. Elaphebolion inchoatur XIII. cal. April. & die decimo- Tab.
quarto ad IV. non. April. pertinet. Ad hoc tempus annus ambitus La- XVII.
cedæmonii VII. refertur, primo & ſecundo menſe plenis conſtitutis, deinde alternatim cavis & plenis; idcirco Artemiſius plenus initium capit X. cal. Mart. Geraſtius vero cavus XI. cal. April. qui die duodeci-

decimo cum IV. non. April. induciarum principio copulatur. Anno hinc altero fœdus inter eaſdem gentes ictum fuiſſe deſcribit Thucydides ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς ἕκτῃ φθίνοντος· Ἀρτεμισίου μηνὸς τετάρτῃ φθίνοντος. Id incidit in Olympiadis XC. annum III. quo annus Atticæ periodi VII. ex a. d. prid. non. Quint. egreditur, Bœotiæ vero ejuſdemque Spartanæ primus prid. non. Sextil. Elaphebolion igitur capitur III. cal. Mart. Artemiſius IV., ideo ut diſſimilia intervalla in unum conveniant, Elaphebolion plenus habendus eſt, Artemiſius cavus. Etenim arbitror Lacedæmones non ea religione ductos, qua Athenienſes, de menſe diem eximere conſueviſſe, ut in cavis etiam menſibus dies ultimus, quem ἕνην καὶ νέαν vocabant Athenæ, τριακὰς diceretur, ſed in cavis abjeciſſe trigeſimum. Itaque dies VI. deſinentis Elephabolionis ſive viceſimus quintus ex a. d. III. cal. Mart. ductus in a. d. X. cal. April. ſpectat, quo promittitur dies Artemiſii deſinentis quartus, ſive viceſimus ſextus (qui exempto die extremo ſic contrahitur) a IV. cal. Mart. inchoato menſe.

Jam Hecatombæus, quem Heſychius Spartanis ab interitu vindicavit, reſtat, quo Hyacinthia celebrari teſtatus eſt. Cujus ſedem ut determinemus, de Hyacinthiis diligentius quærendum eſt. Circa ſolſtitium cum agerentur Olympica certamina, incenſas atque everſas a Perſis Athenas diximus, quarto a primo vere menſe, ut pro ſua diligentia Herodotus computat; ideoque anno noſtro menſe Quintili. Circumvolvente ſe anno, decimo hinc anni Attici menſe ex eodem auctore Mardonius iterum in Atticam irrumpit, iterumque Athenas petit, & incendit. Si tempus quæris, vernum erat, quale cum Aprilem nos agimus. Cum itaque a Mardonio vaſtarentur Athenæ, Athenienſes Spartam nuncium mittunt, opemque adverſus barbaros a Lacedæmoniis Hyacinthia celebrantibus petunt. Verna igitur Hyacinthia. Quod ex Thucydide confirmatur. In fœdere; de quo paulo ante retuli, X. cal. April. icto conſtitutum, ut quotannis renovaretur a Lacedæmonibus Athenas urbana Dionyſia ſpectatum euntibus, ab Athenienſibus Spartam proficiſcentibus propter Hyacinthia. Porro urbana Dionyſia Antheſterione menſe, videlicet primo vere, Piſces ſole permeante, agi, memoriæ & literis non proditum? Hyacinthia igitur in Elaphebolionem conveniunt, adeunte Arietem ſole: tunc, ut egregio carmine exſequitur Ovidius:

Nec genuiſſe pudet Sparten Hyacinthon, honorque
Durat in hoc ævi, celebrandaque more priorum
Annua præclara redeunt Hyacinthia pompa.

Certe Iris, cujus florem de Hyacintho natum fabulantur, hoc ferme tempore explicatur,

quo-

quotieſque repellit
Ver hiemem, Piſcique Aries ſuccedit aquoſo,
Tu toties oreris, viridique in ceſpite flores.

Decimus itaque Menſis Spartanus Hecatombæus videtur. De reliquis nihil habeo quod ad te ſcribam, niſi tu mihi quid largiris. Conquiſitis omnibus quæ mihi memoriæ ſedulo perpendenti ſuccurrebant, Doricæ octeateridis, quam Spartæ adhibitam fuiſſe opinabar, tabulam epiſtola concluſi. De Græca annorum ratione puto me ſatis (niſi potius intemperanter, & temere) ſcripſiſſe. De Italica reſtat, quam ad hibernum otium reſervo; prima enim, quam ad profectionem idoneam tempeſtatem nactus fuero, ſic utar, ut quod hinc ad delabentes matutino Vergilias pertinet tempus, perveſtigandis, cognoſcendiſque ſtirpibus addicam. Neque tamen te inſcio, inconſulto, inſalutatoque diſcedam; nam ante proximas Calendas tecum futurum cogito. Fac etiam atque etiam valeas.

D. Patavio VIII. cal. Quintil. CIↃ IↃCC XXXIV.

EPISTOLA XXVIII.

De Anni Macedonici diſcriminibus, & de Bithynico anno.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

DE Græcis ſatis ſcripſiſſe putabam. Nunc iterum in Græciam me rapis, & de Macedonia ſiquid ſupereſt, reliquias colligere jubes. Quod mihi exploratum & proviſum erat. Sed, quoniam per Saturnalia te venturum denunciaveras, id in congreſſum noſtrum colloquiumque reſervabam, præſertim cum multa mihi eſſent obſcuriora quæ ex tuo ore clara, & perſpicua futura videbam. Verum quando in aliud tempus adventum tuum diſtuliſti, & ita rationibus tuis convenire ſignificas, non committam ut in hoc deſiderio diu ſis, etſi meum, interpoſita mora, fruſtraris. Fac tamen conſtituti temporis ſis memor; nam hinc ego, ut ajunt, clavum amovere incipiam.

In Macedonia inceptum fuiſſe annum, exoriente mane Arcturo, ſcilicet ab autumno opinatus ſum. Quod exordium Romanis menſibus, & Bœo-

Tab. XVIII. & Bœotia Aſtronomia ad cal. Octobr. revocatur. Poſtridie itaque inſtitutæ Octeateridis Macedonicæ exemplum habeto. Anno igitur periodi Olympicæ atque Atticæ VII. Macedonicus ambitus inchoatur a IV. menſe. Nunc propoſiti noſtri eſt tabulam ad hiſtorias referre. Sed quæ ſuperſunt præter illam quam ex Demoſthene in Corinthiis narravi? In quos vero annos illi tres menſes Corinthius Panemus, Atticus Boedromion, Macedonicus Lous conveniant, collatis tabulis cognoſces. Prodeunt enim ab uno principio anno Olympico III., V., VII. Propterea non me feſellit conjectura, qui datas a Philippo literas anno Octeateridis Olympicæ V. ſcripſeram. Hoc tamen inſtitutum Macedoniæ finibus continetur.

Sequitur alterum diſcrimen, quod ab Olympiadis CXI. anno II. proficiſcitur, quo ad Granicum Perſarum copias Alexander evertit. Natus hic fertur Olympiadis CV. ann. I., & annorum XX., interfecto Philippo, regni adminiſtrationem ſuſcepiſſe; quare Olympiadis CXI. anno I., quo publicas & domeſticas res compoſuit, bellaque in Græcia confecit. Itaque anno inſequente per Helleſpontum in Perſas movit. Cum igitur inſtaret prælium, diſcrimine territi Alexandri duces, quod multitudine præſtarent barbari, regem adeunt, eique religionem, ut a pugna averterent, objiciunt, non conſueviſſe nimirum Macedonum reges Dæſio menſe (propter Olympiades credo, quæ eo menſe celebrabantur) exercitum educere. Verumtamen Alexander, ut ſcribit Plutarchus, omen tollit, edicens, ut Artemiſium iterum agerent. Hac ratione factum eſt, ut Artemiſius Dæſii locum occuparet, Dæſius Panemi, Panemus Loi, Lous Gorpiæi, qui anno principium dabat. Propterea annus ambitus Macedonici quintus ex a. d. XVI. cal. Nov. prodeunte Chaldæis veſpere Vergiliarum ſidere cepit exordiri. Hujus quoque tabulam tibi infra exſcripſi.

Tab. XIX.

De anno Lunari, qui per Gorpiæum incipit, hæc inveniebam. Sequuntur ſolares ab eodem menſe ducti. Horum duo diſcrimina novi. Primum uſurpatum ab illis quos Syromacedones vocant, initium ſumit VII. cal. Septembr. Affertur enim ex Euthlalio D. Paulum ſecuri percuſſum πέμπτῃ ἡμέρᾳ κατὰ Συρομακεδόνας Πανέμου· παρὰ ῥωμαίοις τῇ πρὸ τριῶν καλάνδων ἰουλίων. Ideoque Panemus inchoatur VII. cal. Quint. Lous VII. cal. Sextil. Annus igitur per Gorpiæum egreditur ex a. d. VII. cal. Sept. Bœotiis adeunte Virginem ſole.

Altera anni ſolaris differentia Julianus annus habendus, de quo hunc ordinem ex veteri codice Henricus Stephanus protulit:

I. Men-

TABULA XIIX.

Octeateris Macedonica ab Arcturi exortu cepta sive ab autumno.

Ann. I.

I. mensis Gorpiæus VI. non. Octob.
II. mensis Hyperberetæus prid. cal. Nov.
III. mensis Dius prid. cal. Decemb.
IV. mensis Apellæus IV. cal. Januar.
V. mensis Audynæus V. cal. Febr.
VI. mensis Peritius IV. cal. Mart.
VII. mensis Dystrus V. cal. April.
VIII. mensis Xanthicus VI. cal. Maii.
IX. mensis Artemisius VII. cal. Jun.
X. mensis Dæsius VIII. cal. Quint.
XI. mensis Panemus IX. cal. Sextil.
XII. mensis Lous XI. cal. Septembr.

Ann. II.

I. mensis Gorpiæus XI. cal. Oct.
II. mensis Hyperberetæus XIII. cal. Nov.
III. mensis Dius XIII. cal. Decemb.
IV. mensis Apellæus XV. cal. Jan.
V. mensis Audynæus XVI. cal. Febr.
VI. mensis Peritius XV. cal. Mart.
VII. mensis Dystrus XVI. cal. April.
VIII. mensis Xanthicus XVII. cal. Maii.
IX. mensis Artemisius id. Maiis.
X. mensis Dæsius id. Juniis.
XI. mensis Panemus III. id. Quint.
XII. mensis Lous III. id. Sextil.

Ann. III.

I. mensis Gorpiæus IV. id. Sept.
II. mensis Hyperberetæus VII. id. Octobr.
III. mensis Dius VI. id. Novembr.
IV. mensis Apellæus VII. id. Decembr.
V. mensis Audynæus VIII. id. Jan.
VI. mensis Peritius prid. non. Febr.
VII. mensis Dystrus prid. non. Mart.
VIII. mensis Xanthicus prid. non. April.
IX. mensis Artemisius IV. non. Mai.
X. mensis Dæsius IV. non. Jun.
XI. mensis Panemus VI. non. Quint.
XII. mensis Lous prid. cal. Sextil.
XIII. mensis Dioscorus III. cal. Sept.

Ann. IV.

I. mensis Gorpiæus III. cal. Octob.
II. mensis Hyperberetæus V. cal. Nov.
III. mensis Dius V. cal. Dec.
IV. mensis Apellæus VII. cal. Januar.
V. mensis Audynæus VIII. cal. Febr.
I. VI. mensis Peritius VIII. cal. Mart. O. I.
VII. mensis Dystrus IX. cal. Apr.
VIII. mensis Xanthicus X. cal. Mai.
IX. mensis Artemisius XI. cal. Jun.
X. mensis Dæsius XII. cal. Quint.
XI. mensis Panemus XIII. cal. Sextil.
XII. mensis Lous XV. cal. Sept.

Ann. V.

I. mensis Gorpiæus XV. cal. Oct.
II. mensis Hyperberetæus XVII. cal. Nov.
III. mensis Dius XVII. cal. Dec.
IV. mensis Apellæus XIX. cal. Jan.
V. mensis Audynæus id. Januar.
VI. mensis Peritius III. id. Febr.
VII. mensis Dystrus III. id. Mart.
VIII. mensis Xanthicus III. id. April.
IX. mensis Artemisius V. id. Maii.
X. mensis Dæsius V. id. Jun.
XI. mensis Panemus VII. id. Quint.
XII. mensis Lous VII. id. Sext.
XIII. mensis Dioscorus VIII. id. Sept.

Ann. VI.

I. mensis Gorpiæus prid. non. Oct.
II. mensis Hyperberetæus prid. non. Nov.
III. mensis Dius prid. non. Dec.
IV. mensis Apellæus IV. non. Jan.
V. mensis Audynæus cal. Febr.
VI. mensis Peritius VI. non. Mart.
VII. mensis Dystrus cal. April.
VIII. mensis Xanthicus prid. cal. Maii.
IX. mensis Artemisius III. cal. Jun.
X. mensis Dæsius IV. cal. Quint.
XI. mensis Panemus V. cal. Sext.
XII. mensis Lous VII. cal. Sept.

Ann. VII.

I. mensis Gorpiæus VII. cal. Octob.
II. mensis Hyperberetæus IX. cal. Nov.
III. mensis Dius IX. cal. Decembr.
IV. mensis Apellæus XI. cal. Jan.
V. mensis Audynæus XII. cal. Febr.
VI. mensis Peritius XI. cal. Mart.
VII. mensis Dystrus XII. cal. April.
VIII. mensis Xanthicus XIII. cal. Maii.
IX. mensis Artemisius XIV. cal. Jun.
X. mensis Dæsius XV. cal. Quint.
XI. mensis Panemus XVI. cal. Sextil.
XII. mensis Lous XVIII. cal. Sept.

Ann. VIII.

I. mensis Gorpiæus XVIII. cal. Oct.
II. mensis Hyperberetæus III. id. Oct.
III. mensis Dius prid. id. Nov.
IV. mensis Apellæus III. id. Dec.
V. mensis Audynæus IV. id. Jan.
VI. mensis Peritius VI. id. Febr.
VII. mensis Dystrus VII. id. Mart.
VIII. mensis Xanthicus VII. id. Apr.
IX. mensis Artemisius nonis Maiis.
X. mensis Dæsius nonis Juniis.
XI. mensis Panemus III. non. Quint.
XII. mensis Lous III. non. Sext.
XIII. mensis Dioscorus IV. non. Sept.

Ann. I.

I. mensis Gorpiæus VI. non. Oct.

Tab. XVIII. & Bœoti
ſtitutæ O
di Olymp
menſe . N
ſuperſunt
In quos
dromion ,
Prodeunt
pterea no
Octeaterid
niæ finibu
Sequitu
ficiſcitur ,
fertur Oly
regni adm
publicas &
taque ann
inſtaret pr
ne præſtar
verterent ,
ſio menſe
exercitum
men tollit
ctum eſt ,
Panemus I
annus amb
Tab. XIX. Chaldæis
bulam tibi

De ann
quuntur ſo
Primum u
mit VII.
percuſſum
τριῶν καλα
Lous VII.
VII. cal. S

Altera a
ordinem ex

TABULA XIX.

Octeateris Macedonica ab autumni æquinoctio cepta.

Ann. I.

I. menſis Gorpiæus XVI. cal. Nov.
II. menſis Hyperberetæus XVII. cal. Dec.
III. menſis Dius XVIII. cal. Jan.
IV. menſis Apellæus id. Januar.
V. menſis Audynæus prid. id. Febr.
VI. menſis Peritius III. id. Mart.
VII. menſis Dyſtrus prid. id. April.
VIII. menſis Xanthicus V. id. Maii.
IX. menſis Artemiſius IV. id. Jun.
X. menſis Dæſius VII. id. Quint.
XI. menſis Panemus VI. id. Sext.
XII. menſis Lous VIII. id. Sept.

Ann. II.

I. menſis Gorpiæus prid. non. Oct.
II. menſis Hyperberetæus prid. non. Nov.
III. menſis Dius prid. non. Decemb.
IV. menſis Apellæus IV. non. Jan.
V. menſis Audynæus cal. Febr.
VI. menſis Peritius VI. non. Mart.
VII. menſis Dyſtrus cal. April.
VIII. menſis Xanthicus prid. cal. Maii.
IX. menſis Artemiſius III. cal. Jun.
X. menſis Dæſius IV. cal. Quint.
XI. menſis Panemus V. cal. Sextil.
XII. menſis Lous VII. cal. Sept.

Ann. III.

I. menſis Gorpiæus VII. cal. Octob.
II. menſis Hyperberetæus IX. cal. Nov.
III. menſis Dius IX. cal. Decembr.
IV. menſis Apellæus XI. cal. Jan.
V. menſis Audynæus XII. cal. Febr.
VI. menſis Peritius XI. cal. Mart.
VII. menſis Dyſtrus XII. cal. April.
VIII. menſis Xanthicus XIII. cal. Maii.
IX. menſis Artemiſius XIV. cal. Jun.
X. menſis Dæſius XV. cal. Quint.
XI. menſis Panemus XVI. cal. Sext.
XII. menſis Lous XVIII. cal. Sept.
XIII. menſis Dioſcorus XVIII. cal. Oct.

Ann. IV.

I. menſis Gorpiæus prid. id. Oct.
II. menſis Hyperberetæus prid. id. Nov.
III. menſis Dius prid. id. Dec.
IV. menſis Apellæus IV. id. Jan.
V. menſis Audynæus V. id. Febr.
VI. menſis Peritius VII. id. Mart.
VII. menſis Dyſtrus VI. id. April.
VIII. menſis Xanthicus nonis Maiis.
IX. menſis Artemiſius VIII. id. Jun.
X. menſis Dæſius III. non. Quint.
XI. menſis Panemus prid. non. Sext.
XII. menſis Lous IV. non. Sept.

Ann. V.

I. menſis Gorpiæus VI. non. Octob.
II. menſis Hyperberetæus prid. cal. Nov.
III. menſis Dius prid. cal. Decemb.
IV. menſis Apellæus IV. cal. Januar.
V. menſis Audynæus V. cal. Febr.
VI. menſis Peritius IV. cal. Mart.
VII. menſis Dyſtrus V. cal. April.
VIII. menſis Xanthicus VI. cal. Maii.
IX. menſis Artemiſius VII. cal. Jun.
X. menſis Dæſius VIII. cal. Quinr.
XI. menſis Panemus IX. cal. Sextil.
XII. menſis Lous XI. cal. Septembr.
XIII. menſis Dioſcorus XI. cal. Oct.

Ann. VI.

I. menſis Gorpiæus XII. cal. Nov.
II. menſis Hyperberetæus XIII. cal. Dec.
III. menſis Dius XIV. cal. Jan.
IV. menſis Apellæus XVI. cal. Febr.
V. menſis Audynæus XIV. cal. Mart.
VI. menſis Peritius XVI. cal. Apr.
VII. menſis Dyſtrus XVI. cal. Mai.
VIII. menſis Xanthicus id. Maiis.
IX. menſis Artemiſius id. Jun.
X. menſis Dæſius III. id. Quint.
XI. menſis Panemus prid. id. Sextil.
XII. menſis Lous IV. id. Sept.

Ann. VII.

I. menſis Gorpiæus VI. id. Octob.
II. menſis Hyperberetæus VI. id. Nov.
III. menſis Dius VI. id. Decembr.
IV. menſis Apellæus VIII. id. Jan.
V. menſis Audynæus non. Febr.
VI. menſis Peritius prid. non. Mart.
VII. menſis Dyſtrus non. April.
VIII. menſis Xanthicus IV. non. Mai.
IX. menſis Artemiſius III. non. Jun.
X. menſis Dæſius VI. non. Quint.
XI. menſis Panemus cal. Sextil.
XII. menſis Lous III. cal. Sept.

Ann. VIII.

I. menſis Gorpiæus III. cal. Octob.
II. menſis Hyperberetæus V. cal. Nov.
III. menſis Dius V. cal. Dec.
IV. menſis Apellæus VII. cal. Januar.
V. menſis Audinæus VIII. cal. Febr.
VI. menſis Peritius VIII. cal. Mart.
VII. menſis Dyſtrus IX. cal. Apr.
VIII. menſis Xanthicus X. cal. Mai.
IX. menſis Artemiſius XI. cal. Jun.
X. menſis Dæſius XII. cal. Quint.
XI. menſis Panemus XIII. cal. Sextil.
XII. menſis Lous XV. cal. Sept.
XIII. menſis Dioſcorus XV. cal. Oct.

Ann. I.

I. menſis Dioſcorus XVI. cal. Novemb.

Tab. XVIII. & Bœ
ſtitutæ
di Oly
menſe .
ſuperſu
In quo
dromio
Prodeu
pterea
Octeat
niæ fin
Sequ
ficiſcitu
fertur
regni a
publicas
taque a
inſtaret
ne præſ
verterer
ſio men
exercitu
men to
ctum e
Panemu
annus
Tab. XIX. Chaldæ
bulam t
De
quuntur
Primum
mit VI
percuſſu
τρῶν
Lous V
VII. ca
Alter
ordinem

Annus Macedonicus ſolaris.



Dius VIII. cal. Octobr.
Sol Libram adit: æquinoctium autumni VII. cal. Octobr. h. d. VI., & VII.
Apellæus IX. cal. Novembr.
Sol Nepam adit VIII. cal. Novembr.
Vergiliæ mane occidunt prid. id. Novembr.
Audynæus IX. cal. Decemb.
Sol Sagittarium adit IX. cal. Decembr.
Sol Capricornum adit: Bruma h. d. X. ex a. d. X. cal. Jan.
Peritius IX. cal. Januar.
Sol Aquarium adit XI. cal. Febr.
Dyſtrus X. cal. Febr.
Favonius incipit ſpirare VIII. id. Febr.
Sol Piſces adit IX. cal. Mart.
Xanthicus IIX. cal. Mart.
Arcturus veſperi exoritur VI. cal. Mart.
Sol Arietem adit: æquinoctium vernum X. cal. April. h. n. 1.
Artemiſius IX. cal. April.
Sol Taurum adit IX. cal. Mai.
Dæſius IIX. cal. Maii.
Vergiliæ mane oriuntur prid. id. Maii.
Panemus VIII. cal. Jun.
Sol Geminos adit VII. cal. Jun.
Lous VII. cal. Quint.
Sol Cancrum adit: ſolſtitium VII. cal. Quint. h. d. 1.
Ὡρα cal. Quintil.
Canis mane oritur: Ὀπώρα XII. cal. Sextil.
Gorpiæus VII. cal. Sextil.
Sol Leonem adit VII. cal. Sextil.
Μεσόπωρον IV. id. Sextil.
Hyperberetæus VIII. cal. Septemb.
Sol Virginem adit VII. cal. Septembr.
Vindemiator Atticis apparet VIII. id. Sept.
Virgo media oritur Callippo V. Idus Septemb.
Arcturus mane exoritur id. Septembr.
Æquinoctium autumni VII. cal. Octobr.

I.	Menſis Gorpiæus Septemb.	VII.	Menſis Dyſtrus Martius.
II.	Menſis Hyperberetæus Octob.	VIII.	Menſis Xanthicus Aprilis.
III.	Menſis Dius November.	IX.	Menſis Artemiſius Majus.
IV.	Menſis Apellæus December.	X.	Menſis Dæſius Junius.
V.	Menſis Audynæus Januarius.	XI.	Menſis Panemus Quintilis.
VI.	Menſis Peritius Februarius.	XII.	Menſis Lous Sextilis.

Propter quod Aetius Dyſtrum cum Martio, Xanthicum cum Aprili, Artemiſium cum Majo componit. Apud Anatolium quoque pontificem de lunari ratione ſcribentem videmus diem menſis Ægyptii Phamenoth (qui anno non vago ex a. d. V. cal. Mart. exiſtit) viceſimum ſextum eſſe Dyſtri viceſimum ſecundum, & Dyſtrum Martiis calendis inchoari. Ad hanc conſuetudinem reſpicit Plutarchus, dum hiſtoriæ tradit Alexandrum Macedonem natum die Hecatombæonis, quem Loum dicunt Macedones, ſexto. Bœotiis enim Atticum annum a Sextili incipi, atque Hecatombæonem cum Sextili convenire, Metagitnionem cum Septembri, & ſic deinceps, jam indicatum eſt. Natali tamen Alexandri anno, ut tunc ſecundum lunam Macedones uſurpabant, Lous III. id. Sext. exortus ad Metagitnionem non pertinebat, & dies VI. Hecatombæonis erat XV. cal. Sextil. ac VI. Panemi. Ab eodem auctore victoriam ad Granicum Græcis contigiſſe fertur die Thargilionis VI., cum iteratus Artemiſius Dæſii ſedem obtineret, & Thargelion eo anno lunari IIX. id. Maji naſceretur, Dæſius vero III. non. Quint., idcirco Thargelion ad Dæſium non pertinebat. Pertinet autem dum Thargelion & Dæſius cum Junio copulantur.

Expoſita anni Macedonici, qui a Gorpiæo initium trahebat, hiſtoria, tranſeo ad illum qui a III. menſe Dio ducebatur. Attamen cur tale anni auſpicium ceperint Macedones, niſi forte ob geminam victoriam, alteram in Arbelitide regione, ad Gaugamelam alteram, qua contra Perſas Boedromione menſe potiti erant, in tanta rerum & temporum obſcuritate quicquam amplius ſcribere non licet. Anno quidem ambitus Olympici V. Mæmacterion capit exordium VIII. cal. Octob. unde annum ſolarem a Dio ſuſcepere. In Dii menſis principium autumnale æquinoctium incidere docet Galenus, & Zenobius Hyperberetæum anni extremum menſem deſignat.

Itaque, conſtituto anni initio VIII. cal. Octobr. (quod hora noctis I. ex Græca conſuetudine fit) ſol in Libram tranſit, æquinoctiumque peragit Bœotiis ac Chaldæis VII. cal. ejuſdem circa horam diurnam VI. & VII. Secundus menſis Apellæus IX. cal. Novembr. ſequi- Tab. XX.

tur, quo in Nepam sol fertur VIII. cal. easdem. Hoc mense scribit Epiphanius Christum a D. Joanne aqua lustratum VI. id. Novembr. κατὰ Μακεδόνας ἀπελλαίυ ις'. Vergilias quoque affirmat Galenus die ab æquinoctio autumnali circiter L. mane occidere. Quos invenies qui majori intercapedine Vergiliarum occasum ab ea sede sejungant, quam Bœotii in diem Scorpionis XIX. differentes? Ad prid. igitur id. Novembr. Scorpionis intervallum spectat. Exhinc hibernum tempus. IX. cal. Decembr. sol relicta Nepa, in Sagittarium evehitur, atque una III. mensis Audynæus inchoatur. Quo post dies XXXI. desinente, IV. mensis Peritius exordium sumit IX. cal. Jan. Hoc etiam in actis D. Timothei, quorum exemplum infra exscripsi, probatum habes. Narratur post III. dies a Catagoriis obiisse Timotheum, ὅτις ἐστὶ κατὰ Ἀσιάνυς μηνὸς τετάρτυ τρισκαίδι· κατὰ δὲ Ρωμαίυς μηνὸς ἰανυαρίυ εἰκάδι δευτέρᾳ. X. cal. Januar. hora ferme diei X. sol in Capricornum recedit, breviſſimumque orbem percurrit. Peracto Peritio, subit Dystrus X. cal. Febr. pridie Aquarium adeunte sole. In quo signo ver aperitur VIII. id. Febr. die Aquarii XVI. diebus a bruma XLV. Dystro proximus Xanthicus VIII. cal. Mart. notatur, quem inhonorum non prætermittam; memoriæ enim traditum est D. Polycarpum summa fortitudine e vita migrasse μηνὸς ξανθικῦ δευτέρᾳ ἱσαμένῃ πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Μαΐων. Tempus convenit, si μαρτίων legeris. Quod ex Eusebio planius reddam. Pridie natalis diei Polycarpi ait Pionium prævidisse, ac sociis significasse se postridie in vinculis futurum. Id eventus confirmavit. *Comprensus*, ut in actis legitur, *XXIII. mensis Februarii die, cum sabbatum magnum instaret, natali scilicet beati martyris Polycarpi; vigente Decii Imperatoris persecutione*. De Pionii vero nece in Siculis fastis hæc habemus: ἐν Σμύρνῃ τῆς Ἀσίας πρὸ δ' εἰδῶν Μαρτίων ὃ ἐστὶ κατὰ Ἀσιάνυς μηνὸς ἕκτῃ ιβ' Σαββάτῳ ὥρᾳ δεκάτῃ. Notam tamen ιβ' in ιδ' esse invertendam non puto a te improbatum iri; nam nullius negotii res est ob literarum similitudinem, spatio præsertim inter VIII. cal. Mart. & IV. id. ejusdem interveniente. At ista *Sabbatici* scriptores non probant? Quid igitur? Si receptis opinionibus adjicerer, nullus dubito quin tibi nugacissimus viderer. Plerique enim ad sua placita historias traducunt, & detorquent, atque ante constituunt quid sequantur, quam verum an falsum sit quod amplectuntur, & defendendum suscipiunt, cognoscant. Nos autem veritatem solam intuemur, & ad ipsam nosmetipsos componimus, & confirmamus, nihil verentes a pristino sensu descisscere, si affulgeant certiora. Quare nobis semper integrum judicium; quoniam in diem judicamus, & probata tanquam

dubia

dubia iterum perpendendo cras fortaſſe abjiciemus, quod hodie ut verum ſecuti ſumus. Hoc itaque modo VI. menſibus digeſtis, totidem reſtant. IX. cal. Mart. ſol ad Piſces permeat, & die Piſcium quarto exoritur veſperi Bœotiis Arcturus VI. cal. Mart., X. cal. April. recedente a Piſcibus ſole, atque Arietem ingrediente, æquinoctium vernum conficitur hora noctis I. IX. cal. April. Artemiſius incipit, qui dies XXXI. ſibi vindicat, quot inſequens Dæſius. IX. cal. Maji ſol in Taurum tranſitum facit, poſtridie incipiente Dæſio. Prid. id. Maji Bœotiis exoriuntur Vergiliæ matutinæ. VIII. cal. Jun. Panemus Dæſio annectitur. VII. cal. Jun. ſol Geminos illuſtrat. Panemo item dies XXXI. damus, ut ſolſtitii ſedes proximo ac decimo Loo ex Galeni ſententia VII. cal. Quint. ſervetur. Quo incipiente, ſol in Cancrum aſcendit hora diurna I. Canem oriri die Cancri XXVII. in Bœotia diſciplina oſtendimus. Equidem Oribaſius Macedonum mores imitans μηνὸς λώϊ φθίνοντος πέμπτῃ canis exortum vulgo haberi Pergami tradit. Propterea emergit XII. cal. Sextil. die Cancri XXVII., diebus uno & triginta Loo attributis. Deſinente Loo IIX. cal. Sextil. accedit Gorpiæus poſtridie; ſolque item ad Leonem VII. cal. eaſdem reflectitur. VIII. cal. Septembr. Hyperberetæus ſubnectitur, quo annus clauditur IX. cal. Octobr. Cum hoc Galenus de Abietis ſemine agens Septembrem comparat, ex quo dies XXVI. ſumit. VII. cal. Septembr. ſol Virginem ingreſſus die trigeſimo curſum abſolvit.

Omnibus menſibus conſtitutis, digeſtiſque cœleſtis orbis ſignis, de Arcturo videamus. Prodit Galeno diebus XII. ante æquinoctium autumni, idibus nempe Septemb. Ab hoc ad Vergiliarum occaſum autumnalis temporis dies LX. recenſet: deinde hiemem in æquinoctium vernum producit ultra quatuor menſes. Hinc ver ad exortas æſtivas Plejades determinat, cui ne duos quidem menſes aſſignat; ſane dies LIII. tantum intercedunt. Exortis idib. Majis, Vergiliis æſtivum tempus per dies CXXI. producit.

Jam non dubiis ſignis poſſumus cognoſcere quantum a Bœotiis in annum receperint Macedones. Quod ſi ſcite ac ſolicite inveſtigaveris, multa etiam deprendes ad Chaldæos pertinere, quorum diſciplinas Eudoxus & Democritus interpolarunt. At, inquiet quis, tempora ut diſcriminat Galenus, neque ad Chaldæos, neque ad Eudoxum aut Democritum pertinent, verum ad Hippocratem. Profecto: ſed Hippocrates quantum a Bœotiis differt? Quantum vero temporum vicibus ab Euripide? Hic vero diu multumque cum in Macedonia vixerit, in qua etiam Archilocho rege mortuus eſt, vel Macedonum inſtituto il-

lam temporum distributionem enunciavit, vel Macedonibus extitit illorum auctor. Non tamen inficior superiore ætate illa magis viguisse, quam inferiore, cum ad diligentiorem indaginem seculum enixum est. Quare, si Galeno obstiteris, quod Hippocratis potius doctrinam, quam Macedonum consuetudinem intueretur, habes vel a Chaldæis, vel a Bœotiis, unde tempora solertius distribuas. Attamen æquinoctia, brumam, ac solstitium, ut menses cum XII. signis conferrent, propria ratione sibi digessisse Macedones videntur.

Interea ὀπώρα (hoc reliquum est) ex eodem Galeno quid sit, & quo pertineat, & quare perquiramus. Ὀπώραν tempus esse, ait Galenus, quod a Caniculæ exortu ducitur in dies XX., cujus finis V. id. Sextil. Ab hoc incipit quod Græci μεσόπωρον & φθινόπωρον vocant. Ὥρα etiam tempus dierum XX. a cal. Quint. in Caniculæ exortum.

Hic quidem annus ab autumnali æquinoctio ceptus late patuit apud Græcos qui in Asia quæ minor appellatur, & circa Pontum Colonias incolebant. Quare & Bithyni eundem amplexi sunt. Anno enim Nabonassari DCCCXL. Tubi die II., & Metroi mensis penes Bithynos die VII. hora noctis II. incipiente, lunam australi cornu ad australes Vergilias accessisse Agrippa, ut prodit Ptolemæus, in Bithynia observavit. Inchoato eo anno, Tubi III. cal. Decembr. Metrous principium ducit IX. cal. ejusdem, qui Bithynis cum sit ordine tertius, ut Henricus Stephanus ex vetusto libro ostendit, anni initium VIII. cal. Octobr. fuisse declarat. Quapropter Bithynicus solaris annus ad hunc modum ordinatur.

I.	Mensis Hereus VIII. cal. Oct.	VII.	Mensis Bendinæus IX. cal. Apr.
II.	Mensis Hermius IX. cal. Nov.	VIII.	Mensis Strategius VIII. cal. Maj.
III.	Mensis Metrous IX. cal. Dec.	IX.	Mensis Arius VIII. cal. Jun.
IV.	Mensis Dionysius IX. cal. Jan.	X.	Mensis Peræpius VII. cal. Quint.
V.	Mensis Heraclius X. cal. Febr.	XI.	Mensis Aphrodisius VIII. cal. Sext.
VI.	Mensis Dius VIII. cal. Mart.	XII.	Mensis Dematrius VIII. cal. Sept.

Idem ad lunæ cursum digestus eas stationes obtinet, quas tabula XIX. octeateridi ab autumni æquinoctio prodeunti assignamus; anno enim Romano autumnale æquinoctium fit XVII. cal. Novemb. postridie incipiente octeateride. Cura ut valeas.

D. Patavio III. Cal. Decemb. CIↃ IↃCC XXXIV.

EPI-

foldout/map
not digitized

Olympias acta IV. cal. Quint. die mensis duodecimi XVI. per Plenilunium.

Ann. III.

I. Carnius III. id. Quint.
II. Mensis III. id. Sext.

III. Mensis IV. id. Sept.

IV. Phliasius VII. id. Oct.

V. Mensis VI. id. Nov.
VI. Mensis VII. id. Dec.
VII. Mensis VIII. id. Jan.
VIII. Artemisius prid. non. Febr.
IX. Gerastius prid. non. Mart.
X. Hecatombæus prid. non. April.
XI. Mensis IV. non. Mai.
XII. Mensis IV. non. Jun.

XIII. Mensis interc. VI. non. Quint.

Ann. IV.

I. Carnius cal. Sextil.
II. Mensis III. cal. Sept.

IX. Geraſtius VII. id. Mart.
X. Hecatombæus VII. id. Apr.
XI. Mensis nonis Maiis.
XII. Mensis nonis Juniis.

XIII. Mensis interc. III. non. Quint.

Ann. I.

I. Carnius prid. non. Sext.
II. Mensis IV. non. Sept.

III. Mensis VI. non. Oct.
IV. Phliasius prid. non. Nov.

V. Mensis prid. cal. Dec.
VI. Mensis IV. cal. Jan.
VII. Mensis V. cal. Febr.
VIII. Artemisius IV. cal. Mart.
IX. Geraſtius V. cal. Apr.
X. Hecatombæus VI. cal. Maii.
XI. Mensis VII. cal. Jun.

XII. Mensis VIII. cal. Quint.

Ann. II.

I. Carnius IX. cal. Sext.
II. Mensis XI. cal. Sept.

III. Mensis XI. cal. Oct.

IV. Phliasius XIII. cal. Nov.

V. Mensis XIII. cal. Dec.
VI. Mensis XV. cal. Jan.
VII. Mensis XVI. cal. Febr.
VIII. Artemisius XV. cal. Mart.
IX. Artemisius XVI. cal. Apr.
X. Hecatombæus XVII. cal. Maii.
XI. Mensis idib. Maius.
XII. Mensis idib. Juniis.

Olympias acta IV. cal. Quint. die mensis duodecimi XVI. per Plenilunium.

EPISTOLA XXIX.

Qua ratione Græcorum anni, menſes, ac dies cum Latinis componantur.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

ANtequam e Græcia proficiſcerer, heri mihi Olympicus conventus fuit; nam cum immenſi laboris eſſet, & fortaſſe inutilis ſingula Græca loca adire, unamquamque gentem, dimiſſis præconibus, in Eleum campum ubi certamina ab omni ævo celebrata peragebantur, acciveram. Convenere pauci, ſordidati omnes, mutilatis membris, ſanie ſituque conſecti. Nulla aderat priſtini decoris forma: veſtitu inceſſuque barbari, voce abſoni atque hiulci. Quorum interpretes cum interrogaſſem, cur tales & tam infrequentes ad ſolemne ſacrum congregarentur, ex iis Plutarchus illacrymans reſpondit: Quam fortunam, quos caſus, quas temporum injurias hominumque acerbitates paſſa ſit Græcia, ex iſtorum numero & ſqualore penitus cognoſces. Reliqui in eandem ſententiam pro ſuo quiſque mœrore locuti ſunt. Quibus acceptis, curavi ut quiſque per cognationem ſecederet. Eleos itaque primos in ordinem digeſſi, ut in ſubjecta tabula adnotavi; deinde Atticos; tum Bœotios, ac Corinthios Syracuſanis immixtos, quibus proximos Lacedæmones ſtatui; mox in duas claſſes Macedones ſepoſui; prima eos complexus qui in Macedonia vitam egerunt, altera eos qui Alexandri auſpicia ſecuti ſunt. Ultimos Thebanos adieci. Reliquam demum turbam quæ indiſcreta manebat multarum gentium colluvies, inhonoram reliqui. Productis igitur uniuſcujuſque populi faſtis, animadverti Olympicis modo IV. cal. Quint. die Parthenii XVI. Octeateridis anno VIII. Olympiadem contingere, modo III. id. Quintil. Apollonii die XVI. Octeateridis anno V., ut tibi ſignificaveram. Id ſervant Athenienſes die Scirophorionis XVI., atque Hecatombæonis. At Bœotii Eudoxi ambitum amplexi primam Olympiadem celebrant ann. II. die Hippodromii XVI., alteram ann. VI. eodem menſe & menſis die. Hos ſectantur Lacedæmones, Corinthii, ac Syracuſani, & decimo ſexto menſis duodecimi die ann. II. & VI. ad Olympia præſto ſunt. De Macedonibus hæc referre præſtat: primi conveniunt anno II. & VI. die Dæſii XVI. Quo menſe natum ferunt Alexandrum, & tria læta eodem tempore Philippo annuncia-

Tab. XXI.

ciata, Parmenionis victoriam, Olympicam palmam, & filii ortum. Non differunt anno ſecundi, ſed in hoc diſſimiles, quod anno II. Olympia adeunt menſe Dæſio III. id. Quint. VI. autem anno menſe Artemiſio IV. cal. Quint.

De Thebanis, quos nunc primum commemoro, longius eſt repetendum. In memoriam itaque revoces velim quæ de Thebanis faſtis hoc autumno domi tuæ in Plutarcho adnotabamus, cum ea quæ ad Pelopidam, atque Epaminondam pertinerent, cognoſceremus. Nam hos duces in capitis diſcrimen adductos vidimus, quod, neglectis legibus, poſt Leuctricam victoriam exercitum domum non revocaſſent, magiſtratuque abiiſſent, ineunte novo a Bucatio anno. Olympiadis CII. annus alter agebatur, ut notat Pauſanias, Octeateridis Atticæ VI. qui ex a. d. XVI. cal. Sextil. inchoatus prælium quod evenit die Hecatombæonis VI., ſed numero propter exemptionem V., XII. cal. Sext. fuiſſe demonſtrat. Apparet itaque Thebanos, qui a Bucatio anni primordium ſumunt, a matutino Vergiliarum occaſu inchoare. Nam Bucatius in octeateride Bœotia anno I. prid. cal. Decembr. incipit, poſtridie anno Romano delabentibus Bœotiæ mane Vergiliis. Etenim a cal. Jan. ad cal. Decembr. anni Romani dies CCCXXI. numerantur, quibus III. ſunt apponendi, quia die Capricorni IV. fit bruma cal. Januar. Colliguntur omnes CCCXXIV., per quos Sol X. ſigna perluſtrat in Scorpionis diem XIX. Die vero Scorpionis XIX. non immerguntur Vergiliæ Eudoxo? Quare cal. Decembr. Hujuſmodi igitur principium Thebanis fiximus, Octeateridis Olympicæ atque Atticæ VII., & I. Bœotiæ. Hac ratione ut Bœotiis, ita Thebanis Olympiades eodem anno, menſe, & die contingunt. Tab. XXII.

Harum gentium faſtis in tabula adnotatis, alios adſcribere potes, ut Achaicos, quos a matutino Vergiliarum exortu eſſe repetendos Polybius tradit. De Ætolis, quorum annum poſt autumni æquinoctium incipere idem auctor ſcribit, non perinde manifeſtum. Niſi a matutino Plejadum occaſu repetes, nihil aliud video quod inter autumnale æquinoctium & brumam aſtrorum motibus apud veteres commendetur. Sed non imprudens modo, ſed etiam nugax & amens tibi videor, qui de uniuſcujuſque civitatis annis ſcribere pergo?

At quid de tam magna tabula inquies? Græcorum faſtos ex eadem nullo negotio diſces. Ubi enim Olympicum annum tenes, numerum per VIII. diſtribues; ſi nihil ſupereſt, annus octeateridis VIII. erit, quem quæritas: ſiquid reſtat, a primo periodi anno duces, & quocum convenit, ſignabis. Detecto anno, menſem & diem tabula præbebit. Id exem-

TABULA XXII.

Octeateris Thebana

Ann. I.

I. menſis Bucatius prid. cal. Decembr.
II. menſis Hermæus IV. cal. Januar.
III. menſis Proſtaterius V. cal. Febr.
IV. menſis IV. cal. Mart.
V. menſis V. cal. April.
VI. menſis VI. cal. Maii.
VII. menſis VII. cal. Jun.
VIII. menſis Hippodromius IIX. cal. Quint.
IX. menſis Panemus IX. cal. Sextil.
X. menſis XI. cal. Sept.
XI. menſis Alalcomenius XI. cal. Octobr.
XII. menſis Damatrius XIII. cal. Nov.

Ann. II.

I. menſis Bucatius XIII. cal. Decembr.
II. menſis Hermæus XV. cal. Januar.
III. menſis Proſtaterius XVI. cal. Febr.
IV. menſis XV. cal. Mart.
V. menſis XVI. cal. April.
VI. menſis XVII. cal. Maji.
VII. menſis idibus Maiis.
VIII. menſis Hippodromius idibus Juniis.
IX. menſis Panemus III. id. Quint.
X. menſis III. id. Sextil.
XI. menſis Alalcomenius IV. id. Sept.
XII. menſis Damatrius VII. id. Octobr.

Ann. III.

I. menſis Bucatius VI. id. Novembr.
II. menſis Hermæus VII. id. Decembr.
III. menſis Proſtaterius VIII. id. Januar.
IV. menſis prid. non. Febr.
V. menſis prid. non. Mart.
VI. menſis prid. non. April.
VII. menſis IV. non. Maii.
VIII. menſis Hippodromius IV. non. Jun.
IX. menſis Panemus VI. non. Quint.
X. menſis prid. cal. Sextil.
XI. menſis Alalcomenius III. cal. Sept.
XII. menſis Damatrius IV. cal. Octobr.
XIII. menſis intercal. V. cal. Nov.

Ann. IV.

I. menſis Bucatius V. cal. Decembr.
II. menſis Hermæus VII. cal. Januar.
III. menſis Proſtaterius VIII. cal. Febr.
IV. menſis VIII. cal. Mart.
V. menſis IX. cal. April.
VI. menſis X. cal. Maii.
VII. menſis XI. cal. Jun.
VIII. menſis Hippodromius XII. cal. Quint.
IX. menſis Panemus XIII. cal. Sextil.
X. menſis XV. cal. Septembr.
XI. menſis Alalcomenius XV. cal. Oct.
XII. menſis Damatrius XVII. cal. Nov.

Ann. V.

I. menſis Bucatius XVII. cal. Dec.
II. menſis Hermæus XIX. cal. Januar.
III. menſis Proſtaterius idib. Januar.
IV. menſis III. id. Febr.
V. menſis III. id. Mart.
VI. menſis III. id. April.
VII. menſis V. id. Maii.
VIII. menſis Hippodromius V. id. Jun.
IX. menſis Panemus VII. id. Quint.
X. menſis VII. id. Sextil.
XI. menſis Alalcomenius VIII. id. Sept.
XII. menſis Damatrius III. non. Octobr.
XIII. menſis interc. prid. non. Nov.

Ann. VI.

I. menſis Bucatius prid. non. Decembr.
II. menſis Hermæus IV. non. Januar.
III. menſis Proſtaterius cal. Febr.
IV. menſis VI. non. Mart.
V. menſis cal. April.
VI. menſis prid. cal. Maii.
VII. menſis III. cal. Jun.
VIII. menſis Hippodromius IV. cal. Quint.
IX. menſis Panemus V. cal. Sextil.
X. menſis VII. cal. Sept.
XI. menſis Alalcomenius VII. cal. Oct.
XII. menſis Damatrius IX. cal. Nov.

Ann. VII.

I. menſis Bucatius IX. cal. Decembr.
II. menſis Hermæus XI. cal. Januar.
III. menſis Proſtaterius XII. cal. Febr.
IV. menſis XI. cal. Mart.
V. menſis XII. cal. April.
VI. menſis XIII. cal. Maii.
VII. menſis XIV. cal. Jun.
VIII. menſis Hippodromius XV. cal. Quint.
IX. menſis Panemus XVI. cal. Sextil.
X. menſis XVIII. cal. Sept.
XI. menſis Alalcomenius XIIX. cal. Oct.
XII. menſis Damatrius III. id. Octobr.

Ann. VIII.

I. menſis Bucatius prid. id. Novembr.
II. menſis Hermæus III. id. Decembr.
III. menſis Proſtaterius IV. id. Januar.
IV. menſis VI. id. Febr.
V. menſis VII. id. Mart.
VI. menſis VII. id. Apr.
VII. menſis Nonis Maiis.
VIII. menſis Hippodromius non. Juniis.
IX. menſis Panemus III. non. Quint.
X. menſis III. non. Sextil.
XI. menſis Alalcomenius IV. non. Sept.
XII. menſis Damatrius cal. Octobr.
XIII. menſis intercal. prid. cal. Nov.

Ann. I.

I. menſis Bucatius prid. cal. Dec.

O. I.

Tab. XXII.

venit, ſignabis. Detecto anno, menſem & diem tabula præbebit. Id exem-

exemplo tibi illuſtrabo. Natum Carneadem die Thargelionis VI. propter exemptionem, ſed ordine VII. narrat Plutarchus: eundemque vita functum cum annos XXCV. vixiſſet, Olympiadis CLXII. anno IV. Laertius definit. Quare natus eſt Olympico anno DLXIV., ex quo Octeaterides LXX. educes, IV. annis ſuperantibus. Annus igitur octeateridis IV. natalis habetur, quo Thargelion prid. cal. Mai. inchoatur. Propterea prodiit in lucem Carneades III. non. Maii. Deceſſit Octeateridis anno VIII. Platonem quoque eodem Thargelionis die natum ferunt Olympiadis XXCVIII. ann. I., ſive Olympico anno CCCXLIX., octeateridis Atticæ & Olympicæ XLIV. anno V., quo Thargelion XV. cal. Jun. initium ſumit. X. igitur cal. Jun. dies Platoni primus illuxit.

Sed jam tempus eſt, ut, relicta Græcia, in Italiam redeamus. Itaque cras Oſtiam & Tiberinum portum petam, ubi ſiquid me vis, diutius morabor. Vale.

D. Patavio IV. cal. Jun. CIↃ IↃCC XXXIV.

EPISTOLA XXX.

Annos X. menſibus definitos, quibus diu uſi Latini, non eſſe fabuloſos, neque civilibus commodis inutiles.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

NIhil eſt quod de tuarum epiſtolarum plenitudine labores: quæ a terræ natis veniunt, ſi præter modum excurrunt, odioſæ ac moleſtæ accidunt: quæ vero ab amicis, eo ſunt ſuaviores, quo longiores. Hoc autem ſi in literarum conſuetudine, ubi mutua familiaritas in jocos & feſtivitatem ſe effundit, tantum valet, quid de tuis literis dicam, quibus non perinde delector, ac inſtituor? Quapropter, mi Andrea, ſi me amas, ſi talem me eſſe vis, qualem me eſſe opinaris, ſi tantarum rerum molem quam mihi impoſuiſti, a me commodius ſuſtineri cupis, non ſolum crebras, ſed etiam quam pleniſſimas epiſtolas fac mittas. Incredibile enim eſt quantum hinc proficiam, & ab hujuſmodi materiæ moleſtia recreer ac reficiar. Quæ commoda utilitateſque cum ſemper ex tuis literis capio, tum quam uberrima ex proximis percepi. Poſtquam enim,

enim, remota Græcia, de anno Romano eodemque Pompilio quæ perſpexeram, & cognoveram, in memoriam revocavi, dum ad ſuperiora tempora me colligo & paro, tanta rerum perturbatio me circumſtetit, ut qua via a tantis difficultatibus me expedirem, prorſus ignorarem. Immenſo quodam atque irremeabili mari ſub dubio & incerto cœlo agitari videbar, anguſtaque clauſus navi fluctibus ſine rectore & duce vexari. Quid enim a Græcis, quid a Chaldæis, quid a Romanis auxilium opemque expoſcerem tanto intervallo ſejunctis? Hac ſpe dejectus modo Romuleum annum ſpectare inſtituo, modo ad Albanos me vertere, totiſque viribus adverſus profundum temporum gurgitem conniti. Sed illic omnia erroris & diſcriminis plena occurrebant: illinc ſcopulis & vadis emergere fruſtra laborabam. Lavinii e longinquo eminebant, quos ſi conſequi poſſem, ſperabam fore, ut his ducibus vel portum ſubirem, vel ſtationem non iniquam obtinerem. Hos itaque dum conſectamur, & cæco impetu ad eorum curſum rapimur, adeo a recta aberravimus, ut non modo procul ab Italia, verum etiam a Græcia quam longiſſime nos tranſvectos videremus. Dum itaque animi penderem, & langueſceret induſtria, temereque me nimis provectum judicarem, ecce tuæ literæ velut fidum navigantibus ſidus, quibus ita ſum confirmatus, & ad certam ſpem erectus, ut difficultatis & diſcriminis quibus hærebam, immemor, tanquam ex integro ad inveſtigandum decurrerem. Quid autem boni nactus ſim, longa pollicitatione te non morabor; ſed ordine proferam in medium. Tu meliora a me deſideres, caveto.

Veteres quos memoriæ & literis proditos habemus, de Romuleo anno diſſentire notum omnibus, tibique in primis. Ex his qui duodecim menſium fuiſſe opinati ſunt, ceu Licinius Macer, & Feneſtella ut minus noti, quod nihil præter nomen fortuna nobis reliquit, abeant in partem. Illos ſequamur qui ad X. menſes contrahunt dieſque CCCIV.; quamvis enim de hac temporum ratione multa adverſus communem famam tibi ſim commentatus, tamen Varroni, Svetonio, Ovidio, Cenſorino aliiſque repugnare in hac parte non ſuſtinui. Moveor quidem tantorum virorum auctoritate; moveor Albanorum, unde orti Romani, conſuetudine; moveor Æolio inſtituto, quoniam multa ab Æolibus in Latium emanarunt. Hi igitur haud ſecus atque Albani decem menſium annum computabant, ſi Auſonio credimus Theoni de XXX. Oſtreis canenti:

Oſtrea Bajanis certantia, quæ Medulorum
Dulcibus in ſtagnis reflui maris æſtus opimat,
Accepi, dilecte Theon, numerabile munus,

Verum

Verum quot fuerint, ſubiecta monoſticha ſignant.
Quot ter luctatus cum pollice computat index,
Geryones quot erant, decies ſi multiplicentur:
Ter quot erant Phrygii numerata decennia belli
Aut ter ut Æolidi menſis tenet ignicomus Sol!

Ab his profecto exemplis, ſed maxime ab Albano Romulus annum expreſſiſſe videtur, ſublata Albanorum menſium inæqualitate atque inconſtantia. Porro menſes a Martio ducti Decembri concludebantur, & Martius, Majus, Quintilis, October dies ſingulos & tricenos habebant, quibus neque Numa, neque Cæſar quidquam vel addidit, vel ademit, reliqui tricenos. Non ignoro quid adverſus hanc hiſtoriam a nonnullis jactetur. Si decem menſium ea erat ſeries, Januarium & Februarium, quibus Carmentalia & Lupercalia vetuſtiſſima ſacra celebrabantur, extra numerum relinqui. Qui iſta tanti faciunt, nihil proſpexiſſe inveniuntur; quippe, illis menſibus ſublatis, Carmentalia & Lupercalia extra annum non protrudunt, niſi aliam ſedem in cæteris menſibus non habuiſſe præſtiterint. Hæc autem qui poſſunt? Nonne videmus eadem ſacra alio apud alias gentes tempore celebrari? Quid igitur prohibet credere Carmentalia & Lupercalia aliis menſibus fuiſſe comprenſa? Equidem de Lupercalibus poſſum tibi quid haud abſimile in Martio oſtendere, cum ancilia moventur, eaque Salii tripudiantes ferunt. Nam Arcades dum Lycæa celebrant, quæ ad Romana Lupercalia accedere fatetur Plutarchus, nonne ærea arma portant, victoribus præmium? Apud Virgilium item non vides, dum Salii cum Evandro ſacra & tripudium agunt, pellibus incinctos adſtare ſacerdotes? Quid aliud igitur Februarius quod priſcis menſibus non contineatur, gerit? Num Quirinalia? An iſta Martius non ſervat? Quirinus enim qui Curem Sabinorum urbem condidit, cum pie ſancteque a Sabinis coleretur, inter Romana numina a Romulo receptus videtur, dum Tatio Regi gentique Sabinæ regni ſocietatem paciſcitur. Quid de Feralibus dicemus? Non Argea & Lemuria ante Numam Majo menſe Albani Romanique agebant? Jam vero Januarius non Agonalia repetit, quæ Majo committebantur? Hinc non levi conjectura aſſequimur Januarium & Februarium ſub Romulo non fuiſſe, quibus tot ſacra continentur, quæ in alios menſes recepta erant, & digeſta? Præpoſuit itaque ipſos Numa una cum feſtis diebus; quibus ut peculiaris honor, religio, & cultus penes Romanos eſſet, Carmentalia extulit, & Lupercalia diſſimili ritu celebravit.

De iis quæ improvidas mentes late occupabant, abunde diximus: illud reſtat quod a doctis pariter indoctiſque affertur; hi enim annum

qui neque ſolis neque lunæ motus exæquat, neque civilibus commodis reſpondet, ad fabulas putant referendum; ideoque quæ de primo Romanorum anno ab obſcuriſſimis deducta temporibus narrantur, tam vera exiſtimant, quam Romulum, qui id anni genus inſtituiſſe traditur, Marte genitum, Lupaque nutritum. Quid enim non ſolum a veri ſpecie, ſed etiam ab hominum utilitate magis alienum, quam annus in decem menſes qui diebus CCCIV. concluderentur, digeſtus? Adeone non rudes, & rerum omnium ignari, ſed cæci priſci Latini & Romulea gens, qui anno tam imperfecto, & tanta intercapedine a ſolis lunæque natura remoto uterentur, dicendi ſunt & habendi? Nam ſi paſtoriciam ætatem traduxit Romulus, quid facilius erat, dum in montibus degebat paſcebatque Oves, lunæ φάσεις ſignare, quo ſtudio paſtores non in poſtremis excellunt? Quid? Cum Aprilem menſem ab aperiendo nominabat, quot dies, illis CCCIV. expletis, ad ſtirpium germinatum florumque explicationem ſupererant, non videbat? Etenim ab hujuſmodi ſignis rude mortalium genus aſtrorumque imperitum tempora ſibi conſtituiſſe credendum eſt, ut a ſtirpium germinatione ver, a frugibus floreſcentibus æſtatem, a vindemia autumnum, a foliorum defluvio hiemem decernerent. Quæ quidem pro anni conditione modo contrahi, modo remitti obſervamus, ſed brevi tamen ſpatio circumſcribi, neque in dies LXI. quos prætermiſit Romulus, vagari unquam, & miſceri. Jam vero Romulum XXXVII. annis regnaſſe non traditum eſt? Quibus annis regnavit? Civilibus, an ſolaribus? Si civilibus, jam hi XXXI. ſolares non explent. Ergo ſolaribus. Duo igitur menſes intercalandi ſunt quotannis. Quare ſi, quid ad annum redintegrandum neceſſarium erat, intelligebant, ſummæ ſocordiæ fuiſſe apparet, id non adhibuiſſe, ſine quo anni ratio, temporum vices, ſacræ & profanæ res perturbabantur, præſertim cum ejus uſus facilis pateret. His & hujuſmodi quæ pro uniuſcujuſque ingenio contra veteres memorias contorquentur, diu multumque a veri inveſtigatione deterritus ſum, & repulſus. Tamen, ut indicavi, tuis literis recreatus debilitatum jam animum, & pene fractum ad meliora erexi, præcipue, qui, non quid maxime conduceret, quærebam, ſed quid apud homines aliquando viguerit, illuſtrabam. Animadvertebam enim vetera ex obſcuris obſcuriora ſæpenumero per illos eſſe reddita qui ea deſpexerant, & improbaverant. Cogitare itaque mecum cepi quid eſſet, quod Romuli inſtitutum tantopere exagitarent. Annum imperfectum indixit duobus menſibus debilitatum. Quis id Romulo laudi vertit; aut quis propter aſtronomiam Romuli patrocinium ſuſcipit?

Sci-

Scilicet arma magis, quam ſidera, Romule, noras.

Erravit. Quid ad nos? Facta quærimus, non quid fieri oportebat, docemus. At exclamant, quod abſonum eſt, & a veri natura abhorret, fictum eſſe, & fabuloſum. Qui ita argumentantur, quam apte concludant, indicare ſuperſedebo; ſiquidem ſi mortalium errata ad fabulas pertinent, quota pars inter hominum actiones ſupererit, quæ a figmentis vindicetur? Verum ſi annum in X. menſes deſcriptum non ferunt, quid fiet antiquo Ægyptio, primum ex uno, deinde ex duobus, tum ex quatuor menſibus? Quid Arcadum trimeſtri? Quid ſemeſtri quo Cares & Acarnanes uſos eſſe tradunt? Quid his fabuloſius erit, qui tanto ſpatio a communi conſuetudine recedunt? Cum his ſi Romuleus annus componatur, ad Metonem, Hipparchumve, aut Soſigenem videtur referendus. Rudem tamen, & imperfectam hanc normam nemo inter fabulas refert; quippe hominum inſtituta non ſemper conſilio & ratione reguntur. Exemplum in vulgum fertur, majorum mos dominatur, religio mortales omnes ſubigit, & revincit. Ex his ut pleraque quæ homines agunt, deducuntur, ita annorum diſſimilitudines derivantur: quarum utilitatem & commoda probe noſcere ſoli qui utuntur, poſſunt. Quæ aperta ſunt, videmus. Qui uno menſe annum ducebant, menſtruum lunæ curſum annum vocabant: qui ex duobus, intervallum dierum LIX. quot bis luna curſum abſolvit, anni nomine ferebant. Neque trimeſtrem annum qui per ſingulas temporum vices digeritur, ſi ſeorſum perpendatur, inconſulto inductum puto. Quadrimeſtris ſuas quoque quodammodo utilitates oſtendit, quandoquidem ille qui ſignis cœleſtibus Scorpioni, Sagittario, Capricorno, Aquario ſubiicitur, imbribus & gelicidiis refertus homines domi cohibet, & concludit: ut qui Piſcibus, Arieti, Tauro, Geminis, ad opus evocat, & ſerendis vernis frugibus, putandis arboribus, arandoque demandatur: ille demum quem Cancer, Leo, Virgo, Libra perluſtrant, meſſi & vindemiæ proſpicit, triticeæque ſementi. Quid ſemeſtris? Non annum qualem apud Græcos invenimus, bifariam ſecat in hiemem, & æſtatem, ut alter gerendis rebus attribuatur, quieti & otio alter? Propterea in ludis publicis, ut retulit Tertullianus, primum bigæ ſoli ſacræ inſtitutæ fuere ex duobus equis albo propter hiemem, ruſſeo propter æſtatem. Inde inductæ ſunt quadrigæ, adiecto equo praſini coloris ob ver, & quarto veneti ob autumnum. Si igitur multo breviores anni quam Romuleus, commodum uſumque prætendunt, quis majorem qui propius ad ſolis rationem ducitur, contempſerit? Equidem annus decem menſes complexus, qui nullam ſui partem hiemi hoc eſt inertiæ deſidiæque aſſignat, dum per ſin-

gula tempora ſoliſque cardines vagatur, perpetuo curſu homines ad laborem excitat, & impellit. Ideo Latium & Saturnia terra quæ agri cultum, remque pecuariam ſumma induſtria pertractabat, ex quo Saturno, qui apud ipſos egregius agricola habitus eſt, divinos honores attribuit, eam temporum diviſionem quæ ad ruſtica opera valde accommodata videbatur, facile ſuſcepit, diuque retinuit. Quapropter cum ver appetebat, non quo die in faſtis adnotabatur, ſed quo primus Favonii ſpiritus evocabat, quiſque ad opus decurrebat. Similiter, appropinquante hieme, non December ad mapalia colonos cogebat, ſed imbres, & rigidus Aquilo, atque intractabilis tellus. Tunc ſæpe cernere erat, imperfecto verſu, ad ſtabulum Boves inigi, ſemiputata Vite, falcem ſuſpendi ab arboratore, obortaque nive, de montibus feſtinare paſtorem. Quieſcebant igitur & otiabantur, cum in agro nihil moliri ſinebat Cœlum. Aſſidua itaque & nunquam intermiſſa laborum contentione priſca ætas agriculturæ vacabat, peregrinantium more, qui non ex ephemeride ad tabernam diverſoriam flectuntur, ſed neceſſitate. Inde mos obtinuit ferias ſementivas & paganicas indicandi, calandique vinalia, ubi vindemiæ & ſementis opportunitas incidebat. Quæ ſane commoda in bene conſtituto, & ad cœleſtia ſigna ordinato anno paterfamiliæ nunquam percipiet; quoniam dum ſervi ſtatum arandi, putandi, ferendi, & ſeminandi tempus expectant, rei mature gerendæ occaſio, & opportunitas amittitur. Non defuit igitur antiquis Latinis ratio, ex qua annum decem menſibus concluderent, & coarctarent: non defuit item exemplar. Ad Ægyptii enim anni regulam reſpexit Latium, quod annus dierum CCCIV., ut ſolis motum metiatur, dies LXI. ab inſequenti aſſumit. Et hac ratione VI. anni Latini ſolares V. Ægyptios perficiunt uno die minores, ut infra ex anno Romuleo declaratur.

	Ann. I. Solaris.
Ann. I. civilis.	Martius d. XXXI.
	Aprilis d. XXX.
	Majus d. XXXI.
	Junius d. XXX.
	Quintilis d. XXXI.
	Sextilis d. XXX.
	September d. XXX.
	October d. XXXI.
	November d. XXX.
	December d. XXX.

Mar-

Ann. II. civilis. Martius d. XXXI.
Aprilis d. XXX.

Summa d. CCCLXV.

Ann. II. Solaris.
Majus d. XXXI.
Junius d. XXX.
Quintilis d. XXXI.
Sextilis d. XXX.
September d. XXX.
October d. XXXI.
November d. XXX.
December d. XXX.

Ann. III. civilis. Martius d. XXXI.
Aprilis d. XXX.
Majus d. XXXI.
Junius d. XXX.

Summa d. CCCLXV.

Ann. III. Solaris.
Quintilis d. XXXI.
Sextilis d. XXX.
September d. XXX.
October d. XXXI.
November d. XXX.
December d. XXX.

Ann. IV. civilis. Martius d. XXXI.
Aprilis d. XXX.
Majus d. XXXI.
Junius d. XXX.
Quintilis d. XXXI.
Sextilis d. XXX.

Summa d. CCCLXV.

Ann. IV. Solaris.
September d. XXX.
October d. XXXI.
November d. XXX.

	December d. XXX.
Ann. V. civilis.	Martius d. XXXI.
	Aprilis d. XXX.
	Majus d. XXXI.
	Junius d. XXX.
	Quintilis d. XXXI.
	Sextilis d. XXX.
	September d. XXX.
	October d. XXXI.
	Summa d. CCCLXV.
	Ann. V. Solaris.
	November d. XXX.
	December d. XXX.
Ann. VI. civilis.	Martius d. XXXI.
	Aprilis d. XXX.
	Majus d. XXXI.
	Junius d. XXX.
	Quintilis d. XXXI.
	Sextilis d. XXX.
	September d. XXX.
	October d. XXXI.
	November d. XXX.
	December d. XXX.
	Summa d. CCCLXIV.

Quintus itaque ſolis annus qui duos anni civilis V. extremos menſes excipit, ad ſolos dies CCCLXIV. contrahitur, deficitque a ſole die præter quadrantem. Quod igitur Ægyptii per diem qui ex quadrantibus conſtat, omiſſum efficiunt, ut V. annus a ſua ſede recedat: id Latini, quibus quadrantis natura aut ignota fuit, aut neglecta, hoc modo præſtare opinati ſunt. Quare VII. quoque annus in ſuum principium non revolvitur, ſed die ſubſiſtit, poſthabita diei portiuncula. His in univerſum propoſitis, reliqua commodius exſequemur. Ante omnia tamen de Lavinio Albanoque annis ſcribere opportunius eſſe video, ut certum principium habeamus, ex quo Romuleus procedat. Id propediem, ſi expedire potero, curabo, ut habeas. Vale.

D. Patavio IV. non. Januar. CIↃ IↃCC XXXV.

EPI-

EPISTOLA XXXI.

De mirabili trieteridis Lavinię natura, & qua ratione per calendas, nonas, atque idus in annos lunares ſepararetur.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

Salve magna parens frugum, Saturnia tellus,
Magna virum, tibi res antiquæ laudis, & artis
Ingredior, ſanctos auſus recludere fontes.

Et merito Italia omni laude, prædicatione, literis, monumentiſque omnibus decoranda videtur, cujus gloriam nulla temporum injuria, nulla barbarorum immanitas, fortuna nulla, aut caſus, hominumque acerbitas & odium labefactare vel imminuere unquam valuit, & (ut ſpero atque opto) nulla valebit. Ad ejus merita non ingrediar, quæ ingentia volumina & divina quædam ingenia, qualia innumera ipſa tulit, & feret innumera, requirunt. Hoc ſolum in ejus ſummas laudes ducam, quod inſtituti noſtri ordo ſuppeditat, nullam gentem extitiſſe quæ tanta annorum varietate, quanta Italia illuſtratur, commendaretur. Septem diſcrimina novi, Lavinium ſcilicet, Albanum, Romuleum, Pompilium eundemque Romanum, Julium, Auguſtanum, & Callippicum quod inter Græcos annos retuli, Italis tamen commune, quin proprium quod adhuc eo utamur. Atque hæc ab una gente recepta. Attamen quota portio iſta, ſi cæterarum civitatum mores atque inſtituta conſideremus? Quæ omnia, quoniam nullæ literæ de illis loquuntur, in eodem quo abdita ſunt, ſilentio relinquam. Itaque de iis tantum agam, quæ Romani ipſorumque parentes & conditores uſurparunt, poſthabito Callippico, cujus ratio abunde præcepta eſt, & primum de Lavinio ſcribam.

Quare III. non. Jan. cum permoleſta epiſtolarum & ſalutatorum officia jam decoxiſſem, contuli me primo diluculo in meum ἀπόῤῥητον, ut ea quæ tibi eram pollicitus, tandem præſtarem. Ut primum igitur intermiſſa ſtudia ad memoriam revocavi, de Lavinio anno, a quo quaſi alteram Italicorum temporum computationem repetere poſſumus, ſcribere inſtitui; quod hinc tempora computari, & certo annorum intervallo definiri, & interpungi ceperunt. Etenim quæ a prima hominum origi-

rigine huc pertinent, & cataclyſmo continentur, haud ſecus ac illa quæ Græci citra Inachi regnum præmittunt, adeo dubia & incerta jacent, ut paucorum exilis & tenuis fama, quæ quantulacunque eſt, ex fabulis percrebuit, ad nos demittatur. Anno igitur altero ab Ilii incendio, quod ante ſolſtitium diebus XVII. notatur, Lavinium annum deducamus a bruma ex cal. Januar. quibus & in Græca aſtronomia brumalis hora aſſervatur. Hæc de anni Lavinii primordiis non temere conſtituebam. Cum enim animadverterem annum ſolarem ſemper apud Romanos a bruma in brumam verti; quandoquidem Numa tale initium fecit, ſive, ut rectius loquar, reſtituit, & Cæſar, ut tempora longe ab ea ſede devoluta in eandem rationem revocaret, plures dies interpoſuit, ad Lavinios primum inſtitutum eſſe deferendum opinabar. Cur, quæſo, Numa a Caniculæ exortu Chaldaicum annum non evocavit? Cur Palilia poſthabuit? Cur ab Albanis, & Romulo deſcivit? Profecto ſummæ curæ fuit temporis intervalla perficere, & adimplere quæ propter annorum inæqualitatem, qua Lavinii, Albanique, & Romulus utebantur, ab eo unde orta erant, ſigno plurimum diſtabant. Improvidi enim atque imprudentis conſilii eſt, novo anni principio implicare tempora, reſque geſtas confundere & miſcere. Hæc ſane apud me tanti ponderis fuerunt, ut inter cætera quæ ob vetuſtatem minus comperta habemus, Lavinii anni incertum relinquere principium pigeret.

Interea de ipſo anno ut inquiramus, altera cura adjungitur. Laviniis annum fuiſſe qui dies CCCLXXIV. continens in XIII. menſes produceretur, Solinus auctor fertur divuſque Auguſtinus. Quos menſes ad ſingulos annos ita pertinuiſſe credimus, ut ex XIII. unum tanquam intercalarem dierum XXIV. agerent, quo in partes ſecto ad lunares annos perficiendos utebantur. Quem ſi extra numerum habebimus, annus dierum CCCL. ſupererit, qualis Chaldaicus ea tempeſtate vel maxime inſignis. Cum autem Lavinii religionis fortaſſe cauſa trieteridem recepiſſent, ex tribus duos annos in dies CCCLXXXIV. ſecabant, in CCCLIV. unum, quo ſpatio lunæ curſum exæquandum curabant.

De Lavinii anni modo hæc: de menſibus reſtat. Verum de his quid ſcribam? Quas conjecturas proferam? Quos auctores, quas literas, quæ monumenta ſequar, aut non ſequar? Ex penitiſſima antiquitate erutum aliquid ſervo non verum, aut perfectum, ſed perfecti & veri adumbrationem quandam, & imaginem. Id quidquid eſt, ad te mittam. Prius tamen de calendis, nonis, idibus (quorum ratio dum aperta & plana videtur, profunda ævi caligine offunditur atque obte-

nebra-

nebratur) inquirenda nonnulla ſunt , & ad examen ſolertius revocanda . Calendas menſis principium eſſe quis inficiabitur ? Ab his ad nonas prima eſt dierum computatio , ut a nonis ad idus altera , & hinc ad calendas tertia . Id muneris obtinuiſſe hæc nomina Romæ facile concedimus , ultroque damus . Verum ſi ad ſuperiora tempora reſpicio , hic locus me ad majorem admirationem traducit , & iſta tanquam novitia poſthabere & relinquere monet . Subeunt cogitationi quædam ut ab hominum memoria remotiſſima , ita etiam a Laviniis temporibus quam maxime disjuncta . Aborigines occurrunt , & decantata Fauni & Saturni regna , & ſiqua ultra vel hiſtoriæ vel fabulæ tempora promittunt . Quibus videre videor præpoſtero , & inverſo ordine a dextra in ſiniſtram proficiſci menſes , ut numerando fit , & a calendis per idus in nonas dies deferri . Hoc quod animo dubium & confuſum circumſtat , exemplo conabor explicare . Martium menſem in tres partes ita ſecemus , ut extrema calendæ ſervent , media idus , prima ferme nonæ . Ab extremis nempe a calendis ſiniſtrorſum incipiamus . Hic dies menſis primus primum ad idus dierum ordinem determinat ; ideo proximus quem *prid. cal.* ſive *a. d. prid. cal.* vel *II. cal.* eundemque *a. d. II. cal.* poſteri dixerunt , ſecundus eſt , & tertius tertius , ac ſic de reliquis in idus habeto . Inter calendas atque idus dies XV. ſemper intercedunt, ſi Februarium excipias, quem imperfectum & quaſi detruncatum reliquerunt . Propter quod ſi calendas diem habeas , quem Græci ἕνην κατὰ νέαν dicunt , idus plenilunium erunt , ut Dionyſius Halicarnaſſeus , & Plutarchus opinabantur . Peractis idibus , altera dierum ſeries in calendas ſequebatur , ideo nonus dies nonæ , ſeu ἡμέραι nonæ . Quibus paululum immorari oportet . Cum enim menſes inæquales in uſu eſſent , neque ad lunæ motum convenirent , neceſſarium erat , antequam menſtruum ſpatium abſolveretur , indicare populo quot dies in novam lunam ſupererant . Id nonis factum opinarer primitus , ut ſcribit Varro , *in curia Calabra ſic dictæ : Quinque calo Juno novella : ſeptem calo Juno novella* . Quibus Joſephus Scaliger vitium demere ſolebat , verſo *ſic dictæ* in *ſic dies* . Mihi potius videtur : *ſic : die te V. calo Juno novella : VII. calo Juno novella* , nempe in diem quintum vel ſeptimum te voco . Quod , inverſo principio, calendis factitarunt Romani , magis antiquum ritum , quam uſum ſervantes ; nam , ſi calendis novæ lunæ initium erat , cur id poſt V. vel VII. diem indicabatur futurum ? Cur duo principia ſunt habita , alterum a calendis , a nonis alterum , ſi ad nonas novilunium pertinebat ? Jam cernis , immutato menſium ordine , quod nonis olim age-

bant, ad calendas fuiſſe traductum. Quod planius ex Varrone præſtabo: *Nonæ*, inquit, *appellatæ, aut quod ante diem nonum idus ſemper, aut quod, ut novus annus cal. Januariæ ab novo ſole appellatæ: novus menſis, nova luna, nonæ. Eodem die enim in urbem ab agris ad regem conveniebat populus. Harum rerum veſtigia apparent in ſacris nonalibus in arce, quod tunc ferias privas menſtruas quæ futuræ ſunt eo menſe, rex prædicit populo.* Ab eodem etiam hæc: *Rex cum ferias menſtruas noneis februarieis edicit, hunc diem februatum appellat.* Cur amabo te, ſi calendæ menſis principium, calendis non convocatur populus, ut quos dies feſtos aut religioſos eo menſe habiturus ſit, ediſcat? Cur differtur in nonas, in quintum ſcilicet, vel ſeptimum diem? Certe pervetuſtus iſte mos, cujus veſtigium Varronis ætate retinebatur, nonas ad extremum fere menſem fuiſſe conſtitutas oſtendit, quibus conveniebat ad Regem populus, tum ut quo die novus menſis inciperet, ſciret, tum etiam ut de futuris eo menſe ſacris doceretur. Propterea non uſque adeo Varroni aſſentior aut Feſto non abſimilia ſcribenti, ut nonas cenſeam a nova luna appellatas; quod enim in cunctis menſibus nono die ab idibus recurrunt, ideo nonæ, ut dixi. Quin etiam ſi a prima origine repetamus, non eadem ſpatia, quæ nunc ſervantur, inter nonas & calendas interfuiſſe credo, ſed alia atque alia pro menſium diſſimilitudine, ſi lunæ naturam aſſequi volebant. Addam etiam non Romæ hæc nomina nata (neque enim Romuli annus id patitur) ſed aliunde importata, & cum menſibus quaſi rapta. Etenim & horum explanator atque interpres Rex, non, ut in vulgum fertur, expulſo Tarquinio, ſuffectus videtur, ne regis deſiderio ducta plebs novas res tentaret. Tale ſacerdotium, ut pleraque alia ex Græcia exiſtimo, cum ſacrorum cauſa regem & reginam Athenis fuiſſe probe noſcas. Hac de re, quam attigi, nonas ſacras fecerunt, & ab his in calendas tertium numerandi intervallum. Antiquitus vero ab idibus ad calendas redire ſolitos, ipſæ nonæ indicant ex eo appellatæ. Cæterum qui omnia ſive Græca, ſive Latina ad Hebræos referunt, ſi hæc quæ in propatulo jacent, & quotidiana conſuetudine ante oculos verſantur, recta via perpendiſſent, nullus dubito, quin tale inſtitutum ab illo Judaico fonte derivaſſent. At nos Italiam ſpectamus, in qua antiquiſſimo uſu, ut in tabulis Eugubinis declaratur, a dextra in ſiniſtram ſcribendo procedebant. Sane & Ægyptii qui annum ſolari minorem ſemper egerunt, nonne a dextris ſiniſtrorſum numerant, primum luſtrum prid. non. Sextil. inchoantes; alterum III. non. eaſdem? Quid? Albani & Romulus ad illorum exemplum annum non ducebant? Præterea

Pau-

Pauſanias memoriæ non tradidit, in Græcia votivas tabellas ſpectaſſe Græcis literis a dextra in ſiniſtram ductis? Quorum ſontem & originem ſi a Phœnicia vel ab Ægypto duxeris, recte duxeris; ab Hebræis nequaquam, niſi malueris ſervos habere auctores, quam dominos. Hæc tamen quæ ſuſpicionibus ſtatuo, ſic accipias velim, fuiſſe in Italia, antequam novi Græci, everſa Troja, ad nos navigarunt. Ut primum politioribus literis imbuti ſunt Latini, immutato anni ſtatu, principium quoque immutarunt. Tunc calendæ ad ſiniſtram traductæ præire nonis, nonæ idibus, idus ad calendas referri ceperunt. Priſtinæ nihilominus antiquitatis formam & veſtigium ut haberent, inverſis menſium initiis, & reliquis in ſua ſede ſervatis, e. g. diem poſtridie calendarum qui ſecundus eſt, & ſecundus dicendus, quod a nonis ſiniſtrorſum numeranti quartus fuerat, quartum ante nonas appellarunt. Idque in duobus reliquis intervallis præſtiterunt. Qui mos in poſteros tranſmiſſus a nobis ſcribendo ac loquendo uſurpatur. Licet hic nonnulla librariorum errata quæ crebra antiquos libros inſarciunt, & corrumpunt, obiter & curſim perſtringere. Cum enim optime ſcribatur *ex a. d.* vel *a. d. cal. non. idus*, ſæpe ex duabus notis a. d. una fit, ut apud M. Tullium in epiſtolis: *ad XVI. cal. Febr. cum in ſenatu pulcherrime ſtaremus*. item *ad tertium non. Januar. cum agere cepiſſet*: necnon: *Pater nobis deceſſit ad VIII. cal. Decemb.* Sed tamen deterior ſcriptura quæ aliud vitioſum *diem* admittit. Extat in Livio Latinas ferias fuiſſe *ad diem III. non. Maj. Latinas ad diem III. id. Sextil. edictas*. Nonnunquam *a* vel *ante* ſubducitur. In Livio itaque leges: *comitia in diem III. non. Sextil.* Nonnunquam contra *d.* vel *diem* eximitur; In epiſtolis ad Atticum excuſum eſt: *ita comitia in ante VI. cal. Sextil. dilata ſunt: cum illum ante VIII. cal. Sext. vidi*. In Livio: *ut Latinæ editæ a Conſule in ante IV., & III., & prid. id. Novembr.* Quid vero de hoc altero Liviano dicam? *Supplicatio pro concione populi indicta eſt ex ante ad V. id. Octobr.* Quæ vitia ab aliis animadverſa & emendata fortaſſe invenies; ego enim, ut in exemplaribus nonnullis quibus utor, reperi, ita breviter adnotavi, nihil mihi ex alieno vindicans. Dum itaque alterutrum demitur, vel in unum copulatur, mendi ſuſpicio habetur; utroque autem ſublato, libri non ſunt damnandi. Ecce tibi vetuſta ex lapidibus exempla;

Et. ut. Prætor. cui. hæc. regio. ſorti
obvenerit. litaturum. ſe ſciat. aliuſve. quis
Magiſtratus. Volcanalibus. X. cal. Sept. omnibus
annis. Vitulo. Robio. & Verre.

L. Æmilius. L. F. M. N. Paullus. II. Pro. Cos. a. DXXVII. Ex. Macedonia. Et. Rege. Perſeo. Per. triduum IIII. III. prid. cal. Decem.

Sed ad rem. Ex illo pervetuſto more retenta etiam calendas, idus, nonas, nominandi regula, ut apud Catonem noſtrum: *Calendis, idibus, nonis feſtus dies cum erit.* Quod religioni habitum nonnulli opinantur.

Habes de nonis, idibus, & calendis quid ſentiam: ad Lavinios menſes redeamus, in quibus quid aliud tibi reſervo. Verumenimvero menſes conjicere, quales infra exſcripſi, poſſum; quoniam anni naturam adæquant: germanos ex immenſa temporum caligine in lucem revocare, de quibus tota antiquitas conticeſcit, neque poſſum, neque in veritum connitor. Sed qui tandem? Qui? Non alii quam Romani; hi enim & antiqui & veri ad numerum conveniunt.

I. d. XXXI.	VIII. d. XXXI.
II. d. XXIX.	IX. d. XXIX.
III. d. XXXI.	X. d. XXIX.
IV. d. XXIX.	XI. d. XXIX.
V. d. XXXI.	XII. d. XXIII.
VI. d. XXIX.	XIII. d. XXIV.
VII. d. XXIX.	

His igitur in exemplum propoſitis, quid eſſent Laviniis calendæ, nonæ, atque idus breviter oſtendam. Signa enim quædam fuiſſe adverto, quibus annum ad lunæ curſum aptabant. Itaque primus annus a calendis ductus, abſolutis diebus CCCL., ex menſe XIII. uſque ad nonas dies IV. ſuſcipiebat, annumque lunarem dierum CCCLIV. dabat. Propter quod ſecundus annus a nonis quas diximus, incipiens per ſingulos menſes de nonis pergebat in nonas, peractoque dierum CCC LXX. ſpatio, ad idus menſis XIII., diebus XIV. receptis deſinebat. Qui annus in menſes lunares XIII. protenſus dies CCCLXXXIV. complectebatur. Hac ratione tertius annus ab idibus anni II. extremis exorſus cum dies CCCLXXIV. ferret, a ſecundo anno dies X. ſumebat, ut cuncti ejus dies CCCLXXXIV. eſſent, minimum menſes lunæ XIII., & primæ trieteridi finis erat, novo ambitu per calendas ſubeunte. Altero propterea triennio ad calendas a quibus inceperat, revertebatur periodus. Nunc mihi aliquis dicat: quid tu nobis illudis? Menſes apud Romanos, qui idus die decimo quinto ſignant, nonas die ſeptimo

ſe-

TABULA XXIII.

Trieteris Lavinia.

Ann. I.

Sol Capricornum adit VIII. cal. Januar.
I. menſis calendæ. Bruma cal. Januar.
Sol Aquarium adit IX. cal. Febr.
II. menſis cal. Febr.
Sol Piſces adit VII. cal. Mart.
III. menſis. Veris initium VI. non. Mart.
Sol Arietem adit VIII. cal. April.
Æquinoctium vernum cal. April.
IV. menſis IV. non. April.
Sol Taurum adit VII. cal. Maii.
V. menſis, æſtatis initium cal. Maiis.
Sol Geminos adit VI. cal. Jun.
VI. menſis cal. Jun.
Sol Cancrum adit V. cal. Quint.
VII. menſis prid. cal. Quint.
Solſtitium IV. non. Quint.
Sol Leonem adit V. cal. Sextil.
VIII. menſis IV. cal. Sext.
Sol Virginem adit V. cal. Sept.
IX. menſis, autumni initium IV. cal. Sept.
Sol Libram adit V. cal. Octobr.
X. menſis V. cal. Octobr.
Æquinoctium autumni IV. non. Octobr.
XI. menſis VII. cal. Novembr.
Sol Nepam adit VI. cal. Novembr.
Hiemis initium XV. cal. Decembr.
XII. menſis VIII. cal. Decembr.
Sol Sagittarium adit VII. cal. Decembr.

Ann. II.

I. menſis nonæ menſis decimi tertii anni I. XII. cal. Jan.
Sol Capricornum adit VIII. cal. Jan.
Bruma cal. Januar.
II. menſis nonæ I. menſis XVII. cal. Febr.
Sol Aquarium adit IX. cal. Febr.
III. menſis nonæ menſis II. XVI. cal. Mart.
Sol Piſces adit VII. cal. Mart.
Veris initium VI. non. Mart.
IV. menſis nonæ menſis III. XVI. cal. April.
Sol Arietem adit VIII. cal. April.
Æquinoctium vernum cal. April.
V. menſis nonæ menſis IV. XVII. cal. Maii.
Sol Taurum adit VII. cal. Maii.
Æſtatis initium cal. Maiis.
VI. menſis nonæ menſis V. XVII. cal. Jun.
Sol Geminos adit VI. cal. Jun.
VII. menſis nonæ menſis VI. XVII. cal. Quint.
Sol Cancrum adit V. cal. Quint.
Solſtitium IV. non. Quint.
VIII. menſis nonæ menſis VII. III. id. Quint.
Sol Leonem adit V. cal. Sextil.
IX. menſis nonæ menſis VIII. id. Sextil.
Sol Virginem adit V. cal. Sept.
Autumni initium IV. cal. Septemb.
X. menſis nonæ menſis IX. III. id. Septembr.
Sol Libram adit V. cal. Octobr.
Æquinoctium autumni IV. non. Octobr.
XI. menſis nonæ menſis X. VI. id. Octobr.
Sol Nepam adit VI. cal. Novembr.
XII. menſis nonæ menſis XI. VI. id. Novembr.
Hiemis initium XV. cal. Decembr.
Sol Sagittarium adit VII. cal. Decemb.
XIII. menſis nonæ menſis XII. VI. id. Decembr.
Sol Capricornum adit VIII. cal. Januar.
Bruma cal. Januar.

Ann. III.

I. menſis idus menſis XIII. anni II. V. id. Jan.
Sol Aquarium adit IX. cal. Febr.
II. menſis idus menſis I. VII. id. Februar.
Sol Piſces adit VII. cal. Mart.
Veris initium VI. non. Mart.
III. menſis idus menſis II. VI. id. Mart.
Sol Arietem adit VIII. cal. April.
Æquinoctium vernum cal. April.
IV. menſis idus menſis III. VI. id. April.
Sol Taurum adit VII. cal. Maii.
Æſtatis initium cal. Maiis.
V. menſis idus menſis IV. VII. id. Maii.
Sol Geminos adit VI. cal. Jun.
VI. menſis idus menſis V. VII. id. Jun.
Sol Cancrum adit V. cal. Quint.
Solſtitium IV. non. Quint.
VII. menſis idus menſis VI. prid. non. Quint.
Sol Leonem adit V. cal. Sextil.
VIII. menſis idus menſis VII. VIII. id. Sextil.
Sol Virginem adit V. cal. Septemb.
Autumni initium IV. cal. Sept.
IX. menſis idus menſis IIX. prid. non. Sept.
Sol Libram adit V. cal. Octobr.
X. menſis idus menſis IX. V. non. Octobr.
Æquinoctium autumni IV. non. Octobr.
Sol Nepam adit VI. cal. Novembr.
XI. menſis idus menſis X. cal. Novembr.
Hiemis initium XV. cal. Decembr.
Sol Sagittarium adit VII. cal. Decembr.
XII. menſis idus menſis XI. cal. Decembr.
XIII. menſis idus menſis XII. X. cal. Jan.
Sol Capricornum adit VIII. cal. Jan.
Bruma cal. Januar.
Sol Aquarium adit IX. cal. Febr.

Ann. I. Trieteridis II.

I. menſis calendæ V. cal. Febr.

ferunt. Cur igitur iſti XIII. quintanas attribuis nonas, idibus in XV. diem productis?

credat Judæus apella;

non ego.

At ego iſta quæ ex anno Romano objici poſſunt, tunc in Lavinio valere credam, cum apud Romanos quotannis menſes XIII. anno contineri fuerit compertum. Ideoque dum in cæteris ſimilitudo & ratio procedit, extra regulam evagari unum qui Romano cenſu non circumſcribitur, non eſt cur miremur.

Quæ ſit Laviniæ trieteridis natura, quibus partibus, quo loco, qua ratione in annos menſeſque lunæ digeratur, abunde declaravi. In qua quidem antiquorum ſolertiam contemplari licet, qui ex inæqualibus menſibus, inæqualiterque ſectis eoſdem ferme menſes, atque ad lunæ motum ordinatos annos reddebant. In quem uſum Calendæ, Nonæ, atque Idus inſtitutæ, ſigna ſcilicet quædam, & notæ, quibus Lavinii intervalla dimenſi ab eadem lunæ facie, a qua auſpicati erant, procedebant. Quamobrem, ſi a nova luna, ut eſt veriſimile, primus annus per calendas incipiebat, alter item per nonas, & tertius per idus a novilunio inchoabatur, eoque abſoluto, a nova item luna alteri trieteridi initium erat, & tertiæ quoque, ac reliquis deinceps quæ continuatæ & productæ ſuis numeris inſiſtebant. Neque ſecus ſuis modulis ratio conſtat, ſi, poſthabito novilunio, vel plenilunium, vel alium quemvis lunæ diem principium decernas.

Hactenus de anno lunari. Nunc trieteridis tabulam ſtatuam, eandemque cœleſtibus ſignis exornabo. VIII. cal. Januar. ſol in Capricornum tranſitum facit. Die hinc octavo collocatur bruma cal. Januar. quibus I. menſis initium ducit. Porro ab octavis ſignorum partibus, ut Chaldæi ſervant, & mox Romani conſtantiſſime retinuerunt, in conſtituendis anni cardinibus nihil video cur recedam. Poſt dies XXX. a primo ſigno in ſecundum Aquarii ſol fertur IX. cal. Febr. & die Aquarii IX., alter menſis cum primo copulatur cal. Febr. VII. cal. Mart. ſol Piſces ingreditur. VI. non. Mart. III. menſis cum vere prodit. Tunc veſperi exoritur Arcturus diebus a bruma LX., ut vetuſtiſſima Bœotiorum ratio ferebat. VIII. cal. Apr. ſol adit Arietem. Quarto menſi IV. non. April. pridie æquinoctio primo confecto, ſedem damus. VIII. id. April. Vergiliæ Bœotiis veſperi delabuntur. VII. cal. Maji ſol in Taurum introitum habet. Cal. Majis menſis V. æſtivum tempus adducit, ſi verno cum Chaldæis & Romanis dies LX. diſtribues. Nonis Majis Vergiliæ Atticis mane exoriuntur; XVII. autem

Tab. XXIII.

cal.

cal. Jun. Bœotiis . VI. cal. Jun. ſol in Geminos tranſit : quos die VI. ſequitur menſis ſextus . V. cal. Quint. ſol permeat in Cancrum . Pridie vero cal. eaſdem ſeptimum menſem collocabis . IV. non. Quint. ſolſtitium duces . IV. cal. Sextil. octavum inter menſem locum occupat October ſive octavus menſis , tranſeunte pridie in Leonem ſole ; ideo octavo menſe Caniculares æſtus exoriuntur . Idibus Sextil. Lyra Atticis mane occidit ; at Bœotiis XV. cal. Sept. IV. cal. Sept. menſis nonus æſtatem poſt dies CXX. videtur definire , pridie adeunte Virginem ſole . V. cal. Octob. dum ſol in Libram proficiſcitur æquinoctium autumni IV. non. ejuſdem conſtituens , decimus menſis notatur ; VII. autem cal. Nov. undecimus . VI. cal. Nov. ſol in Nepam deſcendit . IV. id. Nov. Atticis Vergiliæ mane immerguntur , Bœotiis XVII. cal. Dec. Hoc ſigno autumnales dies LXXX. finiuntur . VIII. cal. Dec. duodecimum menſem apponam , ingrediente poſtridie Sagittarium ſole . XVI. cal. Jan. peractis anni I. diebus CCCL. , tranſitus ſit ad nonas Menſis XIII., ex quibus alter annus exiſtit XII. cal. Januar. Hic autem in dies CCCLXXXIV. promiſſus, receptis anni primi diebus XX. diebuſque XIV. menſis XIII. uſque ad idus , ultra anni ſolaris ſpatium ſertur ; & VI. id. Jan. die VIII. a bruma ſubſidit , poſtridie ab idibus anno tertio incipiente . Hic dies CCCLX. complexus , ubi ad menſem XIII. pervenit , ipſum ſibi totum aſciſcit , ac brumam diebus XXVI. poſt ſe relinquens VI. cal. Febr. ceſſat . Quare nova trieteris ex a. d. V. cal. Febr. exordium capit . Annis itaque XL. totum Chaldaicum annum dierum CCCL. Lavinius annus decurrit , & XVI. cal. Jan. ſubſiſtit diebus XV. ante Brumam , quibus Chaldæorum annus deficit a ſolari . Cum enim annus in dies CCCLXXIV. prorogetur , dies IX. ſupra ſolis modum quotannis ſuperſunt , quibus quadragies ductis , ſumma fit dierum CCCLX. Demantur hinc dies X. propter quadrantes , quos a Laviniis nequaquam interpoſitos cenſemus, reſtant CCCL. Atqui, his X. diebus Ægyptiorum more neglectis, ea dierum CCCLX. ſumma Ægyptiacum annum pervetuſtum non aſſequimur , qui ſine adititiis diebus V. quos ἐπαγομένας vocari diximus , eo termino quondam concludebatur?

Lavinii anni , & menſium , non quales fortaſſe fuerint , ſed quales nobis ſuiſſe videbantur , habes opinionis meæ argumentum. Vale.

D. Patavio VII. Id. Jan. CIↃ IↃCC XXXV.

EPI-

EPISTOLA XXXII.

De Albana Hexaeteride.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

SI in anno Lavinio nihil habes, quod immutes: habebis profecto quod evertas, & abjicias in Albano; nam ex paucis quæ hiſtoria docet, multa conjectaria deduxi, atque ad veri ſimilitudinem expolivi. Equidem ex anno decemque menſibus quid in noſtram ætatem ſupereſt præter quatuor menſes, reliquis vetuſtate conſumptis? Ab hac tamen particula perinde anguſta ac rudi totum annum eruam, & quæ nunquam fuiſſe facile concedam, facta narrabo. Quid enim? Vobiſne ſolis, Muſarum antiſtites, ficta agere licet: aliis qui in Pindo vel Parnaſo neque agna neque vitula faciunt, non licet? At vos fabuloſis narrationibus præclara ad hominum mores componendos, & ad optimam vitæ inſtitutionem præcepta immiſcetis? Quis propterea poetarum munus reprendit? Fatemur & vates vocari, quod divino quodam inſtinctu vera vaticinentur. Nos autem conjecturis ad vera te deducere cupimus, ſi tuam humanitatem & benevolentiam, ut ſoles, mihi præſtabis. Sine, quæſo, tibi nunc exponi quaſi fabulam: ſine ſuſpicionibus te capi, & quo volo, perduci. Cum ad Numæ annum ventum erit, te exſolvam, & libero judicio omnia perpendere permittam. Interea annum Albanum tanquam de archetypo expreſſum ſpectato.

Anno Lavinio ineunte XXXI., qui a cal. Januariis per dies CCLXX. decurrerat (ſiquidem annum noſtrum ſine intercalario die uſurpamus, qualis erat ſolaris Ægyptius) & triceſimus alter ab Ilii incendio habetur, Aſcanius Albam condidit, & oppido quod Æneas erexerat, ſive matri, ſive novercæ Laviniæ (nam utrumque fertur) tradito, magnam juvenum manum in novam urbem traduxit. Hinc annus Albanus cepit. De quo cum multa quærerem, hoc ſolum rationi conſentaneum mihi viſum, ſi Lavinium annum ad Albani modum perpenderem. Neglexiſſe enim Albanos originem ſuam, & tempus quo a Trojana terra in Italiam advecti ſunt, & domicilia ibi poſuere, nullis faſtis ſignaſſe, non veriſimile videtur. Quare cum inter ſe diſſimiles anni Lavinius, atque Albanus, ut certa ratio ex utroque iniri poſſit, ad idem ſpatium uterque eſt redigendus. Quod facile conſequemur; quia anni Lavinii XXX. Albanos XXXVI. præſtant, diebus CCLXXVI. ſuperantibus.

tibus. Huic ſummæ ſi dies XCV. adiicias, annos dierum CCCLXV. qui ſolares credebantur, XXXI. habebis. Quapropter Albani tum ut certum annorum numerum colligerent, ad quem novos annos referrent, tum etiam ut ab eodem principio ex quo Lavinii, computarent, hos dies XCV. abſolvi ſiviſſe opinamur, ſumpto exordio a nonis IV. menſis Lavinii per cal. Januar. Cum hæc legeris, non puto te a riſu temperaturum; qui ita ſcribam, quaſi me Albani in conſilium adhibuiſſent. Quid? Fabulas qui agunt, nonne ad veri ſpeciem agunt? Pictoris quoque non eſt, veteres tabulas dum reparat, deperdita membra ita imitari, ut ad cætera conveniant, atque in unum corpus conſentiant, & connectantur? Ad hæc exempla laboramus. Si vero convenientia comminiſcimur, & cum veris ideſt cum hiſtoria juſta regula componimus, nihil quærimus amplius. At ex hiſtoria habemus poſt annos a Lavinii exordio XXX. Albam conditam, quot Sus XXX. porcorum fœtura portendebat? Si exigere vis ex hoc commento perfectum numerum, & ſingulis porcis ſingulos annos attribuis, nihilne fecundis dabis, quæ tam numeroſæ erant ex tam numeroſo partu? Quid nutricatui, ut ſacri creſcendo fiant? Quid fœtæ, ut ex immenſo labore convaleſcat? His certe quid de tua liberalitate largiaris, oportet. Sic paulatim per annum Lavinium XXXI. procedemus, quo Albæ fundamenta poſuerunt. Etenim utrum anni XXXI. menſem I., an IV. portentum indicaverit, dum ad conjectorem referunt, injudicatum relinquamus. Hoc potius ſubiicere refert, cur patrium ritum abiecerint coloni, novum amplexi. Quis enim Lavinium ædificavit? Nonne Trojani? Quis Albam? Trojani item, Aſcanio Trojano duce. Qui igitur annum civilem Lavinii in dies CCCLXXIV. agebant, & ad lunæ curſum peculiari norma ordinabant, Albæ ad CCCIV. continuo contrahunt, & detruncant? Nonne inſipientis eſt a perfecto ad imperfectum devolvi, atque inſtituta longo uſu probata deſerere, atque aſciſcere aliena? Quid dicam, niſi veritati conſentaneum videri Aſcanium potius Latina matre ortum, quam Trojana, & cum Latinis conveniſſe ad oppidi ædificationem, non cum Trojanis? Annus enim quem ſuſceperunt Albani, Latinus cenſendus; quod, ut canit Ovidius,

Inter Aricinos Albanaque tempora conſtat,
Factaque Telegoni mœnia celſa manu.

Menſium quoque ſimilitudo id declarat. Martium Albanum dierum eſſe XXXVI. tradidit Cenſorinus, Quintilem Tuſculanum totidem, & Octobrem XXXII. qui apud Aricinos XXXIX. habebat. Hæc in tranſitu adnotaſſe ſufficiat.

Nunc

Nunc determinandum eſt quot menſes fuerint Albanis, & qui, & quales, & quo ordine. De numero convenit: decem. Ergo qui? Non alios quam quos Romulus recepit, exiſtimo; quoniam etiam literis proditum eſt ante Romam ea menſium nomina in Latio uſurpata fuiſſe. De Majo tamen, Martio, Sextili, & Septembri retulit Cenſorinus. De Junio ſive Junonio ſi dubitas, audi quæ Juno apud Ovidium jactat:

Aſpice quos habeat nemoralis Aricia faſtos,
Et populus Laurens, Lanuvinmque meum.
Eſt illic menſis Junonius; aſpice Tibur,
Et Prænestinæ mœnia ſacra deæ.

Quippe cum Albanos inter Aricinoſque communia tempora eſſent, ut modo ex Ovidio declarabam, communis quoque erat Albanis menſis Junonius, qui in Aricinis faſtis notabatur. Neque de Quintili, & Octobri propterea ambigi poteſt, quos Aricinis & Tuſculanis aſſignant. Quare ſi quatuor qui a numero vocantur, recipimus, nullam video eſſe cauſam, ob quam reliquos repudiemus. Aprilis reſtat, quem Albanis ille ſolus jure eripiet, qui alium ex antiquitate deprompſerit.

Quales vero fuerint, ſi quæris, mox aperiemus. Prius enim de ordine. Majum principem conſtitui, quem etiam Romulus ante Junium collocaverat; Junonium enim ſecundum duco. At Martius

Tertius Albanis, quintus fuit ille Faliſcis,
Sextus apud populos, Hernica terra, tuos.

Quartus ſequitur Aprilis, & deinceps reliqui, quos numerus deſignat. At Majus qua de cauſa primus conſtitutus propter Lemuria infauſtus, qualis Februarius Romanis quondam anni extremus; unde ortum vetuſtate proverbium menſe Majo malum nubere, quod nonnulli hac etiam ætate antiqua ſuperſtitione imbuti devitant. Nec vana prorſus ſuſpicamur, ſcribente Plutarcho, a Latinis Majo menſe inferias mortuis præberi, ut Feralibus Romani in morem habebant. Quem ritum ab Ænea emanaſſe Ovidii muſa oſtendit:

Hunc morem Æneas pietatis idoneus auctor
Attulit in terras, juſte Latine, tuas.
Ille patris genio ſolemnia dona ferebat:
Hinc populi ritus edidicere pios

Porro extremo anno fieri parentationes M. Tullius de legibus agens aperte indicat, qui, cum Siſennas vetus hiſtoricus ignoraret cauſam, ex qua D. Brutus parentalia Decembri menſe facere ſolebat, rationem affert, quod ea tempeſtate December anni extremus menſis eſſet. Pro-

pter quod intelligitur manium jura extremum menſem poſcere. Si, quæ deſideramus, extarent, non hærerem. Num tibi excidit conjecturas me eſſe pollicitum? Conjectanti hæc ſuccurrebant, vel ab extremo anno Lavinio (nam Laviniis Majum dierum XXIV. fuiſſe credo menſem ultimum) extremum menſem ſubductum, & primum novo anno propoſitum; vel potius primum fuiſſe iis populis, a quibus Albani annum acceperunt. Ad hæc Romuli exemplum, ut dixi, accedit, majuſque probationis pondus affert, qui, cum Albani ſanguinis eſſet, & cum Albanis in novam coloniam conveniret, Martium, qui fuerat Albanis tertius, primum deſignavit; & Majum tertium. Cur factum? Quod in pleriſque principium recte conſtituere oportet, in anno nihil refert. A quocunque menſe initium duxeris, in id reverteris. Sed ſi primum locum abnuis, quem dabis? Secundum, an quartum? nam reliquos numerus concludit. Secundum Junio reſervabam, quem pleriſque Latinis, a quibus Juno pie ſanteque colebatur, anni auſpicium fuiſſe crediderim. Cui Aprilem hac de cauſa non recte præpoſueris, ſi a Venere cum multis denomines; ſi vero ab aperiendo, inſulſius egeris; incideret enim non longe a bruma, dum germinatio frigore cohibetur. Verum ſi Aprilem quartum ordine ſtatues, idoneam ad germinandum tempeſtatem nactus eris; quippe ab æquinoctio verno inchoatur. Quæ igitur ſupereſt, niſi de prima vel ſecunda ſede controverſia? Ego ordinem retinere malebam, quem ſervavit Romulus; hic enim exactos jam Albanis menſes Majum Aprili ſubiecit, Junium Quintili. Nam, ſiquis propter Lemuria & parentationes primum locum Majo derogaret, atque extremum repeteret, is perpenderet vellem non ultimum conſtitutum feralem etiam Februarium, ſed ſecundum. Et a quo conſtitutum? A Numa qui religione & pietate inſignis nunquam a ſacro ritu, ſi mortuis honores, perfecto tantum anno, habendi fuiſſent, receſſiſſet. Quare neque D. Bruti exemplum, neque M. Tullii interpretatio tantum apud quemque valere debent, ut antiquiſſimum Numæ inſtitutum tanta veneratione ſuſceptum, & antiquitate ſacratum, perpetuaque conſuetudine ſemper ſanctum, ſemper intemeratum, ſemper immutabile habitum, propter fortuitam annorum viciſſitudinem, varioſque recurſus vagum atque errans fuiſſe arbitretur. Illi enim, quos modo laudabam, ea tempora, quia proxima præceſſerant, & diuturna fuerant, ſola intuebantur, quibus annum Februarius abſolvebat, cum Martius principium præberet. Antiquiora perpendenda erant & in hominum memoriam revocanda, cum October, Sextilis, Majus, December, Quintilis anni auſpicia dabant. Tunc ad ultimum menſem parentalia rejicienda

cienda erant, ſi Septembri, Quintili, Aprili, Novembri, Junio, quibus annus claudebatur, Feralia egiſſent Romani. Quod minus verum fuiſſe ipſe Cicero indicavit, cum D. Brutum ea tempeſtate qua anni menſis extremus erat December, primum a majorum religione deſciviſſe fateretur. Itaque, ſi Februario ſecundum locum obtinente, manes eodem ſacrificiis placabant, ecquis erit qui exiſtimet, cum tertius, quintus, ſeptimus, octavus, decimus in annum incideret, & propius ambitus finem reſpiceret, ad alios menſes inferias delatas, & patria ſacra temere inverſa & confuſa? Quapropter, ut ad Albanos revertamur, quocunque numero habitus fuerit Majus, eodem iis qui naturæ conceſſerant, juſta reddere quid vetabat? An Romuli ætate, cum Februarius nullus Feralia afferret, parentales dies Romanis non fuiſſe cenſemus; quod Majus, quo Latini mortuorum memoriam colebant, tertius ſtatuebatur, non extremus? Equidem nulla eſt gens tam immanitate barbara, feritate immitis, conſuetudine inhumana, ut defunctorum caritate mirum in modum non teneatur. Quo magis portento ſimilis videri poſſet Romulus, ſi nullis muneribus eorum per quos parta erat victoria, cineres decoraviſſet, quia Februario carebat; præſertim cum prudentis imperatoris eſſet tam vivos præmiis & honoribus ob res ſtrenue geſtas afficere, quam pugnando cæſos parentalibus proſequi; quippe multo paratiores milites ducem ſequuntur, animadvertentes neque in patriam inhonoros ſe redire, neque ſine laudatione & ſacris pro patria jacere.

Sed de menſium ordine & ſerie plura fortaſſe. Nunc menſes ipſi in unum corpus conglutinandi ſunt, ut quot dierum quiſque fuerit, determinemus. Id quo facilius exſequar, cum nihil ex hiſtoria quod in exemplum mihi proponam, ſuppeditetur, quandam anni formam, quam ad Albanos menſes explicandos traducam, adumbrabo. Anno igitur, ex quo ſuum exſcripſerunt Albani, tales menſes effingam:

I. d. XXXVI.	VI. d. XXXIV.
II. d. XXXIV.	VII. d. XXXVI.
III. d. XXXVI.	VIII. d. XXXIV.
IV. d. XXXIV.	IX. d. XXXVI.
V. d. XXXVI.	X. d. XXXIV.

Quis hæc tulerit? Nemo fortaſſe. Tamen non ita inſanio, ut cui ſcribam, non videam. Non aliena hominum inſtitutis expreſſi. Numquid annus dierum CCCL. improbatur, quo Chaldæi, Græci, Romanique uſi ſunt? Quid menſes X. intra quem numerum annus Æolicus, Albanus, ac Romuleus conſiſtit? Menſium itaque modus inuſitatus. Sa-

ne, ſi cum noſtris conferantur. Verumtamen Martius Albanus, Tuſculanuſque Quintilis dies XXXVI. non ſerebant, atque Aricinus October XXXIX.? Quis eorum a noſtris non abhorret? Sed neſcio quid Plutarchus eo loco quem cum Chaldaico anno ad te miſeram, mihi in aurem inſuſurrat. Fabulantur, inquit, Ægyptii Mercurium devictæ lunæ ſeptuageſimam primam anni partem dempſiſſe, eandemque ſoli appoſuiſſe. Qua ſublata, dies ſuperſunt lunæ CCCL., quorum pars quinta ſeptuaginta. Quare totus annus in quinque ſeptuageſimas ſeparatur. Age: in propoſito anno nonne bini menſes dies LXX. complectuntur? Tali anno ſi dies XLVI. dempſeris, Albanus erit. Primo igitur menſi ſubductis uſque ad idus diebus XIV., fit Majus dierum XXII., quot Majo Albano aſcribit Cenſorinus. Neque te pigeat a Majo, ideſt a Mercurio auſpicari; quod victores victis præire oportet. Deinde, poſthabitis quatuor, ſextum in duos diſtribues, in Sextilem dierum XVIII., & in Septembrem dierum XVI., quo numero hos menſes finiri memorat idem Cenſorinus. Quid ſupereſt, ſi ultimum eximas, qui extra anni Albani modum & numerum cooptatur? Binos tamen dies aſſervabis, quos cum proximo Decembri conjunges. En tibi quid molis erat ex illo anno, de quo ſubclamabamus, exprimere Albanum.

I.	Majus d. XXII.	VI.	Sextilis d. XVIII.
II.	Junonius d. XXXIV.	VII.	September d. XVI.
III.	Martius d. XXXVI.	VIII.	October d. XXXVI.
IV.	Aprilis d. XXXIV.	IX.	November d. XXXVI.
V.	Quintilis d. XXXVI.	X.	December d. XXXVI.

Tab. XXIV. Sequitur ut his menſibus annum retexam. Majus anno principium dabit cal. Januar. tranſitum faciente in Capricornum ſole; ideo Bruma propter omiſſam intercalationem VI. id. Jan. contingit. Abſoluto Majo, X. cal. Februar. annectitur Junonius. Prid. cal. Febr. Sol a Capricorno in Aquarium ſcandit. Idibus Februar. Eudoxo Favonius incipit ſpirare. IV. cal. Mart. inſertus Martius prima veris tempora oſtendit. VI. non. Mart. Sol in Piſces introitum facit, & cal. April. in Arietem. III. non. Apr. Albanus Aprilis exordium ſumit. VI. id. Apr. Æquinoctium vernum. VI. non. Maii Sol adit Taurum. Nonis Maiis Quintilis egreditur quo æſtas producitur. III. non. Jun. Sol in Geminos aſcendit. Prid. id. Jun. inchoatur Sextilis, & prid. cal. Quint. September. IV. non. Quint. Sol ſidus ſolſtitiale colluſtrat. V. id. Quint. ſolſtitium. XVII. cal. Sextil. die a ſolſtitio VI. October apponitur. Prid. non. Sext. Sol Leonem ingreditur. XII. cal. Septembr. nonus menſis recenſetur. VIII. cal. Sept. Fidis Bœotiis

Pag

Ann. I

an

Ann. I. civilis.

Sol Capricornum adit) cal. Jan.
Ann. I. solaris. I. mensis Majus.)
Bruma VI. id. Jan.
II. mensis Junonius X. cal. Febr.
Sol Aquarium adit prid. cal. Febr.
Favonius id. Febr.
Veris initium XII. cal. Mart.
III. mensis Martius IV. cal. Mart.
Sol Pisces adit VI. non. Mart.
Sol Arietem adit cal. April.
IV. mensis Aprilis III. non. April.
Æquinoctium vernum VI. id. Apr.
Sol Taurum adit VI. non. Maji.
V. mensis Quintilis nonis Majis.
Æstatis initium X. cal. Jun.
Sol Geminos adit III. non. Jun.
VI. mensis Sextilis prid. id. Jun.
VII. mensis September prid. cal. Quint.
Sol Cancrum adit IV. non. Quint.
Solstitium V. id. Quint.
VIII. mensis October XVII. cal. Sext.
Sol Leonem adit prid. non. Sext.
IX. mensis November XII. cal. Sept.
Autumni initium VIII. cal. Sept.
Sol Virginem adit Prid. non. Sept.
X. mensis December VI. cal. Oct.
Sol Libram adit IV. non. Oct.
Æquinoctium autumni V. id. Oct.

Ann. II. civilis.

I. mensis Majus cal. Novembr.
Sol Scorpionem adit III. non. Novembr.
Hiemis initium XI. cal. Decembr.
II. mensis Junonius IX. cal. Decembr.
Sol Sagittarium adit IV. non. Decembr.
III. mensis Martius VI. cal. Jan.
ann. II. solaris. Sol Capricornum adit cal. Jan.
Bruma VI. id. Jan.
Sol Aquarium adit prid. cal. Febr.
IV. mensis Aprilis cal. Febr.
Favonius id. Febr.
Veris initium XII. cal. Mart.
Sol Pisces adit VI. non. Mart.
V. mensis Quintilis nonis Martiis.
Sol Arietem adit cal. April.
Æquinoctium vernum VI. id. Apr.
VI. mensis Sextilis prid. id. Apr.
VII. mensis September prid. cal. Maji.
Sol Taurum adit VI. non. Maji.
Æstatis initium X. cal. Jun.
VIII. mensis October XVII. cal. Jun.
Sol Geminos adit III. non. Jun.
IX. mensis November XI. cal. Quint.
Sol Cancrum adit IV. non. Quint.
Solstitium V. id. Quint.
X. mensis December VI. cal. Sext.
Sol Leonem adit prid. non. Sext.
Autumni initium VIII. cal. Sept.

Ann. III. civilis.

I. mensis Majus cal. Sept.
Sol Virginem adit prid. non. Sept.
II. mensis Junonius IX. cal. Oct.
Sol Libram adit IV. non. Oct.
Æquinoctium autumni V. id. Oct.
III. mensis Martius VI. cal. Novembr.
Sol Scorpionem adit III. non. Novembr.
Hiemis initium XI. cal. Decembr.
IV. mensis Aprilis.) IV. non. Decembr.
Sol Sagittarium adit)
ann. III. solaris. Sol Capricornum adit cal. Jan.
V. mensis Quintilis nonis Jan.
Bruma VI. id. Jan.
Sol Aquarium adit prid. cal. Febr.
VI. mensis Sextilis IV. id. Febr.
Favonius idib. Febr.
Veris initium XII. cal. Mart.
VII. mensis September prid. cal. Mart.
Sol Pisces adit VI. non. Mart.
VIII. mensis October XVII. cal. April.
Sol Arietem adit cal. April.
Æquinoctium vernum VI. id. Apr.
IX. mensis November XI. cal. Maj.
Sol Taurum adit VI. non. Maj.
Æstatis initium X. cal. Jun.
X. mensis December VI. cal. Jun.
Sol Geminos adit III. non. Jun.

Ann. IV. civilis.

I. mensis Majus VI. non. Quint.
Sol Cancrum adit IV. non. Quint.
Solstitium V. id. Quint.
II. mensis Junonius IX. cal. Sext.
Sol Leonem adit prid. non. Sext.
Autumni initium VIII. cal. Sept.
III. mensis Martius VI. cal. Sept.
Sol Virginem adit prid. non. Sept.
IV. mensis Aprilis VI. non. Oct.
Sol Libram adit IV. non. Octobr.
Æquinoctium autumni V. id. Octobr.
Sol Scorpionem adit III. non. Novembr.
V. mensis Quintilis nonis Novembr.
Hiemis initium XI. cal. Decembr.
Sol Sagittarium adit IV. non. Decembr.
VI. mensis Sextilis III. id. Decembr.
VII. mensis Septemb. IV. cal. Jan.
ann. IV. solaris. Sol Capricornum adit cal. Jan.
Bruma VI. id. Jan.
VIII. mensis October XVIIII. cal. Febr.
Sol Aquarium adit prid. cal. Febr.
Favonius id. Febr.
Veris initium XII. cal. Mart.
X. mensis November XI. cal. Mart.
Sol Pisces adit VI. non. Mart.
X. mensis December VI. cal. Apr.
Sol Arietem adit cal. Apr.
Æquinoctium vernum VI. id. Apr.

Ann. V. civilis.

I. mensis Majus) VI. non. Maji.
Sol Taurum adit)
Æstatis initium X. cal. Jun.
II. mensis Junonius IX. cal. Jun.
Sol Geminos adit III. non. Jun.
III. mensis Martius V. cal. Quint.
Sol Cancrum adit IV. non. Quint.
Solstitium V. id. Quint.
IV. mensis Aprilis IV. non. Sext.
Sol Leonem adit prid. non. Sext.
Autumni initium VIII. cal. Sept.
Sol Virginem adit prid. non. Sept.
V. mensis Quintilis nonis Septembr.
Sol Libram adit IV. non. Oct.
VI. mensis Sextilis) V. id. Oct.
Æquinoctium autumni)
VII. mensis September IV. cal. Novembr.
Sol Scorpionem adit III. non. Novembr.
VIII. mensis October XVIII. cal. Dec.
Hiemis initium XI. cal. Decembr.
Sol Sagittarium adit IV. non. Decembr.
IX. mensis November XIII. cal. Jan.
ann. V. solaris. Sol Capricornum adit IV. non. Jan.
Bruma V. id. Jan.
X. mensis December VIII. cal. Febr.
Sol Aquarium adit cal. Febr.
Favonius XVI. cal. Mart.
Veris initium XI. cal. Marc.

Ann. VI. civilis.

I. Mensis Majus VI. non. Mart.
Sol Pisces adit V. non. Mart.
II. mensis Junonius IX. cal. Apr.
Sol Arietem adit IV. non. April.
Æquinoctium vernum V. id. Apr.
III. mensis Martius V. cal. Maj.
Sol Taurum adit V. non. Maj.
Æstatis initium IX. cal. Jun.
IV. mensis Aprilis IV. non. Jun.
Sol Geminos adit prid. non. Jun.
Sol Cancrum adit III. non. Quint.
V. mensis Quintilis prid. non. Quint.
Solstitium IV. id. Quint.
Sol Leonem adit nonis Sext.
VI. mensis Sextilis III. id. Sext.
Autumni initium VII. cal. Sept.
VII. mensis September IV. cal. Sept.
Sol Virginem adit nonis Septembr.
VIII. mensis October XVIII. cal. Oct.
Sol Libram adit III. non. Oct.
Æquinoctium autumni IV. id. Oct.
IX. mensis November XIII. cal. Nov.
Sol Scorpionem adit prid. non. Nov.
Hiemis initium X. cal. Decembr.
X. mensis December VII. cal. Decembr.
Sol Sagittarium adit III. non. Decembr.

Ann. I. fecuodæ hexaeteridis.

I. mensis Majus prid. cal. Jan.
Sol Capricornum adit IV. non. Jan.

tiis mane descendit, ex quo plerique (ut sæpius scribam) autumnum determinant. Prid. non. Sept. Sol in Virginem permeat. VI. cal. Octob. December sequitur. IV. non. Octobr. Sol Libram petit, & V. id. ejusdem dies cum noctibus æquales reddit. Hoc signo primus annus civilis clauditur, & secundus committitur cal. Novembr. III. non. Novemb. Sol ad Nepam pertinet. XI. cal. Decembr. Bœotiis Plejades mane immerguntur, ex quo hibernum principium notatur. X. cal. Decembr. primo secundi anni peracto mense, postridie Junonius conjungitur. IV. non. Decembr. ad duodecimum signum Sol declinat. VI. cal. Januar. Martius primum annum solarem die sexto absolvit. De quo, & de reliquis quos ordo poscit, facilior esset scribendi locus, nisi id supervacaneum judicarem. Quo enim tibi melius consulerem, totam Albanam hexaeteridem in tabulam quam includo, digessi. In ea quo quisque mensis die anno nostro incipiat, quo intervallo signa Sol ingrediatur, quo cardines & tempora promittantur, unde anni civiles & solares initium capiant, exscripsi. Ad hoc exemplum singulæ hexaeterides decurrunt, non in se redeuntes, sed ex eo die in quem annus solaris desineret, incipientes. Hac regula anni & menses sacraque omnia per solis annum perpetuo vagantur. Nusquam certa sedes aut mora. Adeunt omnia, transiliunt omnia & relinquunt, tum transgressa & relicta subinde repetunt, parique celeritate remittunt & deponunt. Annis CIↃ IↃCCC XXV. quot dies si I. addas V. annis solaribus Albanis comprenduntur, in suum principium redire annum opinabantur, non animadvertentes celeriori gradu obviam fieri signa, quæ quinto quoque ineunte anno, ne a sua sede revolvantur, diem ferme rēposcunt.

Anni prædicta natura, restat mensium ratio, in quos nostra industria frustra connititur, dum in profundam temporum diuturnitatem se subducunt atque abdunt. Horum profecto inæqualitas, & præter modum nunc promissa, nunc contracta spatia quid aliud, quam solis lunæve motum, spectabant? Ad civilem usum & rustica opera ita efformatos arbitrarer, nec subtraham quæ mihi inter scribendum occurrebant. Repetenti mihi a prima origine tempus quo a bruma incepto Chaldaico anno, decimus mensis hieme claudebatur, cernere licet Septembrem, Octobrem, Novembrem, & Decembrem ab imbre vocari; quippe his mensibus notato intervallo pluviam ad vindemiam, & ad serendum perneccessariam prisca ætas sibi promittebat. Ideo septimum mensem septimum ὄμβριον, quem a Delphini occasu certa observatione sibi pollicebantur. Secuto imbre, vindemia administratur, iterantur agri, Vicia pabularis conseritur, & Lupinus, ac Siliqua. Milium item demetitur, & Panicum.

Quæ

Quæ ſpatio dierum XVI. circumſcribebant. Jam areſcente ſolo, novus imber expectabatur, & octava pluvia Octobris erat, quouſque madida ſervaretur ſeges. Hoc intervallo multa ab agricolis peragenda commemorare poſſum, ut ſegetes occare, ſerere Linum, Lentem, Ordeum, Phaſeolos ſerotinos legere, arbores, & Vites ablaqueare, ſeminaria runcare, Vites propagare, arbuſculas ponere, ultimam mellationem facere. Peracto Octobri, cum ſignum Deus dederit, ut in Œconomicis loquitur Xenophon, ſive, ut M. Tullius interpretatus eſt, Novembri imbre matura eſt Tritici, Farris, Ordei, Avenæ & Fabæ ſatio, quod plerique coloni in ſicco ſolo ſemen lirare reformidant; idcirco nonum imbrem opperiuntur. Ultima pluviæ cura December erat: aduſque hoc tempus, ſi magna anni ſiccitas fiat, & idonea ſerendi tempeſtas non ſit conſecuta, differre ſementim voluerunt. Poſtea nil cunctandum, quin omnia ſolicite terræ committantur. Exin annuo ruris labore abſoluto, feriati coloni Saturnalia agebant, debitum honorem Saturno, a quo agriculturam acceperant, habentes. Servis ſimiliter, quorum opera toto anno in molienda terra colendiſque arboribus & ſatis, necnon legendis frugibus prompta ac fideli uſi erant, omnia ut dominis indulgere, menſas participare, eoſdem cum liberis ſecumque ludere ſinere patresfamiliæ ſolebant, hac vice longi laboris gratiam repenſantes. Hinc Accius apud Macrobium canit:

Maxima pars Grajum Saturno, & maximæ Athenæ
Conficiunt ſacra quæ Cronia eſſe iterantur ab illis,
Emque diem celebrant per agros, urbeſque per omnes.
Exercent epulis læti, famuloſque procurant.
Quiſque ſuos, noſtriſque itidem eſt mos traditus illinc
Iſte, ut cum dominis famuli tum epulentur ibidem.

A Decembri deſinunt menſes ab imbre vocari; quoniam refert, agricolas

hiemes optare ſerenas.

Sequebantur duo diis, ut opinari licet, ſacri, quorum alter annum claudens vel Majus erat, vel Februarius inferis dicatus. In qua re antiquorum grati animi officium & pietas maxime laudanda ſunt, qui collectis fructibus frugibuſque, ſervis gratiam referebant, & numinibus, quorum ope proventus eveniſſe judicabant, necnon fato functis quæ mortuorum erant, munera dabant.

Quæ ex una anni parte commemoravimus, eadem ex altera non valde abſimilia colligemus. Nam, confecta bruma, & novo anno orto, ut primum, intepeſcente aura, ſolum ſolvebatur, confeſtim in agrum

grum ad opus properabant. Hic primus menſis erat putando, paſtinando, arandoque attributus. Proximus alter ad Arcturum veſpertinum pertinebat, quo ſarriuntur ſegetes, pedantur vineæ, inſeruntur arbores, legumina & pabula feruntur. Tertius ad æquinoctium vernum productus, vineæ foſſuræ proſpicit, Oleis putandis, purgandiſque pratis. Illinc quartus in Sucularum ortum Ovium tonſuræ, arationi, & pampinationi datur. Quod inter Suculas & Solſtitium interponitur, quintus menſis vocabitur, quo fœnum colligitur, fodiuntur iterum & pampinantur vineæ, demetiturque ſeges. Sextus a Solſtitio in Caniculam emenſus Septembri annectitur. Hic frugum tritura inſignis eſt, & arvorum iteratione.

Vetuſtiſſimi igitur Latini cum in ea regione degerent, in qua Saturnus terræ cultum docuerat, &, cum agriculturæ maximopere vacarent, non in civilem uſum, ſed in ruſticum menſes accommodarunt digerentes per annum

Tempora, quæ meſſor, quæ curvus arator haberet.

Propterea nihil aliud fuiſſe menſes animadverto quam tempeſtatum intervalla, quas ex aſtrorum motibus definito tempore fieri exiſtimabant. Ab hac conſuetudine aliarum gentium ceu Græcorum ratio non diſcrepat, qua ad eundem ferme modum annum in partes ſecant, ceu ab æquinoctio verno in matutinas exortas Vergilias intervallum ſignant, & dies colligunt; ab hoc ad ſolſtitium aliud; hinc ad Caniculæ ſidus tertium, & ſic deinceps.

Hæc, quæ propter Albanorum menſium inæqualitatem atque inconſtantiam ſcribo, non perinde accipi volo, quaſi ad annum qui XII. menſes modicis ſpatiis definitos continet, minus appoſita referantur. A perfecto enim anno imperfectus videtur expreſſus; ſiquidem imperfecti auctor perfectum noverat, qui ſeptimo anno civili tempora in ſuam ferme ſedem reverti opinabatur. Inſuper non Sabinus annus vel Tuſcus quem amplexus eſt Numa, non ille quem ſequuti ſunt Lavinii, Italiæ innotuerant? Neque hos tantum, ſed & alios etiam Albano menſium refertiores & pleniores in conſuetudine penes alias gentes finitimas fuiſſe eſt cur credamus. Doleo tamen, mi Andrea, & vehementer doleo vetuſtiſſima quæque aut in oblivionem adducta, aut fabulis vitiata. Atque utinam qua diligentia Cenſorinus Romuli annum recenſuit, eandem in Albano ſervaſſet. Certiora ſane ad te mitterem, qui fallacibus conjecturis ductus, omnia in incerto relinquam, ne fabulas ex fabulis exornare videar, quod eſt tam a noſtro inſtituto quam a tua perſona alienum. Etenim his quæ de anno Albano civili &

ſolari

ſolari fuſius ſcribo, non puto me per tantas rerum ambages attigiſſe verum (nam id amentis eſt polliceri) ſed tantum conjeciſſe quo ordine tempora eſſent computanda. In quo ſi ludibundus erraſſe tibi videbor, perpendas quam invia & quanta temporum obſcuritate obſita loca ſim ingreſſus, ne quid prætermitterem, quod propoſita quæſtio poſcebat. Vale.

D. Patavio Idib. Januar. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA XXXIII.

De Romulea Hexaeteride, quo anni tempore inceperit, & quo anno Olympico, unde Romæ principium ducitur.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

MOdo de anno Albano quæ conjeceram, aut ex hiſtoria acceperam, ſcripſi: nunc de Romuleo non valde diſſimilem epiſtolam mittam. Ante omnia anni initium atque antiquæ ſedes inveſtiganda ſunt, quæ in tanta non ſolum rerum vetuſtate, ſed etiam ſcriptorum inconſtantia multi errores & fabulæ implicant, atque obſcurant. Etenim inter veteres qui urbis exordium diligentius perquiſiverunt, Tarrutius Mathematicus proditur, qui Romam conditam cum luna eſſet in jugo & ſol Taurum illuſtraret, aſſerere non dubitabat. Quod tempus cæteri per Palilia profitentur XI. cal. Majas. Hæc ſi vera exiſtimarem, nihil quærerem amplius: ſatis definitum principium haberem. Verumtamen Tarrutio quamvis ſummo ne fidem adjungam, ars nugatoria qua commendatur, præſtat. At Palilia a quibus annos U. C. deducunt, ſequi quid prohibet, atque obſtat? Nonne inveterata Romanorum religio id evincit, qui Palilibus hoſtiam nunquam cædebant, ne urbis auſpicia ſanguine polluerentur? Hoc quidem inſtitutum ad id quod volunt, ſtruendum non adeo eſt firmum, ut credunt; quod etiam Quinquatribus, dum Minervæ natalitia agunt,

Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,
Cauſa, quod eſt illa nata Minerva die.

Quid igitur mirum non immolari Palæ paſtorum Deæ quid de gre-

ge

ge vel armento, quorum præſes habetur? Sed fabulas mittamus. Initar itaque Palilibus, ſed quibus? Albaniſne an Romuleis; ſiquidem Numæ Palilia nondum conſtituta erant? Si Albana amplector, cum anni initium a Martio duxerit Romulus, neceſſe eſt Palilibus Albanis Romuleas Martii calendas adhærere. Cur igitur Albana potius Palilia, quæ Romæ nuſquam fuerunt, ſpectant, quam Martium & anni & urbis primum menſem? Nam ſi a Martio annum repetam jufferis, facile præſtabo: ſin a Palilibus Albanis, quo principium inveſtigem, & ex quo derivem, ignoro. Præterea ſi Albana Palilia & Martiæ calendæ in unum convenere primitus, cur Romani omnia ſumma Romulo tribuentes, Martium a Marte conditoris parente denominatum, ut urbis natalem menſem magis proprio honore non celebrant, quam Palilia, & quam Aprilem? Propius itaque vero videtur, Albanorum Palilia cum Martio non componi; ſiquidem Martius, non Palilia, urbis exordium nominaretur. Quare ſi Albanis Palilibus tale decus derogatur, ad Romulea devolvimur. Verum quid ſequatur, vides. Martium anni principium nemo inficiatur: tamen annos a Palilibus numerant. Quid fiet diebus LI. qui præcedunt a calendis Martiis ad Palilia? Quibus dabimus annis? Si Albanis, a Romuleis non inchoatur annus: ſi Romuleis, Martius anni primus menſis non habendus erit, ſed Aprilis. Hæc cum mihi ſæpius occurrerent, ſeduloque eadem animo verſarem, vetera monumenta, quæ in me tandiu inſederant, invitus poſthabere ſum coactus. Antequam tamen inveteratum ſenſum deponerem, totus in eo fui, ut cauſam inquirerem qua a Palilibus Romanus annus repeteretur. Albana primum, & ſubinde Romulea iterum ad examen revocavi, perpendens omnia quæ menti occurrebant, ſiquid forte in tanta materiæ perturbatione rimarer, quod defendendum explicandumque arriperem. Cum in his nihil proficerem, ad Palilia Numæ me contuli: dumque hæc accuratius ſcrutor, mecumque revolvo, neſcio quid ſub-obſcura luce deprendi, quod, etſi exiguum, & tanquam ſcintilla de ſilice excuſa, dux tamen mihi extitit, quo a tantis ambagibus me expedirem. Animadverti itaque a Palilibus Romanis incipi annum; quia intervallum a calendis Januariis in Palilia ſuperioribus annis redintegrandis relinquebatur. Bruma enim, a qua Lavinii anni tempora incepimus, calendis Januariis conſtituta, ad Palilia devoluta erat, cum novum annum auſpicatus eſt Romulus, quandoquidem anni ſuperiores quadrante minores defluxerant. Nam præceſſerant Lavinii XXXI., Albani CCCC. qui totidem quadrantes expoſcunt, ſive dies CVIII. $\frac{III}{IV}$. Scire etiam refert, per annos CCCCXXXI. non dies CVII. eſſe in-

tercalandos, ſed ferme CIV.; quod ſingulis centeſimis triceſimis annis unum diem eſſe intercalando omittendum peritiores confirmant. Age: colligamus per annum Romanum ab Januariis cal. in Palilia dies videlicet Januarii XXIX., Februarii XXIV., Martii XXXI., Aprilis XX.: Nonne fit ſumma dierum CIV.? Palilibus itaque bruma contingebat, cum Roma condita eſt; ideo annorum ſolarium initium a Palilibus eſt repetendum, quibus abſolvuntur. Quod dum Romulus regnavit, convenire ultro damus. At poſt Numam, qui ad antiquam ſedem ideſt ad cal. Januar. tam brumam quam anni primordia revocavit, nequaquam. Habes præcipua quæ publicam opinionem ſecutus, cum hæc ſcriberem, de Palilibus memoria repetebam.

Nunc ad illa prima noſtra redeo: quæ ſi temporibus conſentanea cum omnia conjecturis agebam, tibi viſa ſunt, ſpero fore ut in Romuleo anno, de quo multa certa traduntur, probabiliora decernas. Anno Albano CCCCI. Romam conditam concediſne? Non autumo te negaturum, quod annales atque antiquæ memoriæ teſtantur. Numerum CCCC. ſi per V. ſecabis, LXXX. colliges, quo continentur dies quibus annus Albanus CCCCI. a ſua ſede diſtans incipiebat; nam anni V. Albani ſolares habiti die a ſole præter quadrantes deficiunt, ut ad te ſcripſi. Ideoque per annos CCCC. annus deficit diebus LXXX. Quapropter annus CCCCI. a cal. Jan. (anno noſtro ſolari ſpatium metimur) in a. d. III. id. Octobr. conceſſerat. Dies igitur LXXX. quibus ſuperiora tempora, ut ea ferebat opinio, perfici atque abſolvi credebant, effluere juſſit Romulus, ut antiquum annorum principium ex cal. Jan. haberet. Annus itaque Romuleus, & ab U. C. ex cal. Jan. ſumit exordium, non tamen a bruma, quæ per dies CIV. præceſſerat anno noſtro ſive ſolari Julio ad XVII. cal. Maji, anno Romano ad Palilia. Tunc in Libram ſol introitum faciebat V. id. Januar. Propterea Roma conſtituta die Virginis XXIII. circa matutinum Arcturi exortum, ex quo nonnulli inter antiquos autumnum exordiuntur. Videamus porro quæ reſtant, an conveniant. Romulum XXXVII. annis regnaſſe quis in dubium revocaverit? Fato ceſſiſſe nonis Quintil. traditum item habemus. Anni ſolares XXXVII. dierum CCCLXV. dies $\overline{X}\overline{III}$. DV. exigunt: anni civiles Romulei XLIV. dant dies $\overline{X}\overline{III}$. CCCLXXVI. Addendi itaque dies CXXIX., ut XXXVII. anni ſolares abſolvantur. Annus igitur civilis XLV. quo exceſſit Romulus, initium duxerat ex a. d. IIX. cal. Sept. Ibi igitur Martius Romuleus, a quo in a. d. VIII. id. Quint. (pridie enim mortuus eſt Romulus) dies illi CXXIX. conſumantur. Obiit propterea Romulus

no-

nonis, quibus anni illius regni XXXVII. redintegrantur, ſive prid. cal. Jan. anni Julii. Quare in Plutarcho cum legeris periiſſe Romulum πέμπτῃ ἰσαμένυ μηνὸς κυιντιλίυ ἣν νῦν ἡμέρην νόνας καπροτινὰς καλέσι, e vitiatis libris expreſſum habeto. Mortuo Romulo, interregnum per annum inſecutum eſſe narrant. Ex anno civili XLV. ſubductis diebus CXXIX., ſuperſunt CLXXV., qui cum anno civili XLVI. numerum exhibent CCCCLXXIX. Ex hac ſumma detrahatur annus ſolaris interregni. Remanent dies CXIV., quos Numa propter omiſſa Olympia effluere permiſit, ut anni in ſuum exordium revocarentur. Numerantur enim a condito Lavinio ad Numam anni CCCCLXIX., ex quibus CCCXC. intercalationem trium dierum reſpuunt; ideo ſoli dies intercalares CXIV. colliguntur, quot Numa diſciplinarum omnium peritus (nam veteres adeo invido animo non ſunt contemnendi) neceſſarios eſſe, ut bruma ad priſtinam ſtationem rediret, præcepit.

Et quando habemus quo anni tempore anni ab U. C. ceperint, indicandum reſtat quo anno Olympico notentur. Id non magnæ curæ eſt, ſi certa temporum intervalla remenſi ſumus. Anno a Trojæ incendio altero per brumam conditur Lavinium: a Lavinio ad Albæ primordia anni XXXI. habentur. Fit ſumma annorum XXXII., dierumque CXXCI. a ſolſtitio quod primum poſt Trojæ everſionem confectum eſt. Accedant Albanorum anni CCCC. Totum ergo ſpatium a ſolſtitio poſt everſam Trojam ad urbis exordium in annos CCCCXXXII. dieſque CXXCI. producitur, ſi anni ad ſolis curſum referantur. Attamen dies CIV. ex illis detrahendi ſunt, qui ex quadrantibus colliguntur. Superant anni CCCCXXXII., & dies LXXVII. Jam vero ab Iphito reſtitutum Olympicum certamen anno poſt Trojam CCCCVIII. literis, annalibuſque non declaratur? Hos ſi dempſeris, reliqui XXIV. cum diebus LXXVII. quod quærimus, indicabunt. Olympiadis itaque ſeptimæ anno primo diebus a ſolſtitio LXXVII. Romulus novam anni regulam edixit. Porro cœleſtia ſigna, calendis Januariis conſtituta bruma in octava Capricorni parte, a ſolſtitio ita ordinantur:

Sol Cancrum adit V. cal. Quint.
Solſtitium IV. non. Quint.
Sol Leonem adit V. cal. Sextil.
Sol Virginem adit V. cal. Septembr.
Sol Libram adit V. cal. Octobr.
Æquinoctium autumni IV. non. Octobr.
Sol Nepam adit VI. cal. Novembr.
Sol Sagittarium adit VII. cal. Decembr.

Sol Capricornum adit VIII. cal. Jan.
Bruma cal. Jan.

Ab his ſtationibus anno I. Romuleo per dies CIV. diſtabant; ideo
Sol Cancrum adibat VII. id. Octobr.
Solſtitium erat XVII. cal. Novembr.
Sol Leonem adibat V. id. Novembr.
Sol Virginem ingrediebatur IV. id. Decembr.
Sol Libram petebat V. id. Jan.
Æquinoctium autumni peragens XVII. cal. Febr.
Sol in Nepam tranſibat VI. id. Febr.
Sol ferebatur in Sagittarium VII. id. Mart.
Et in Capricornum VI. id. April.
Bruma igitur XVII. cal. Maji.

Olympias propterea VII. acta XVII. cal. Novembr. per plenilunium, quod anni Olympici XXIV. tres octeaterides lunares explent. A XVII. cal. Nov. ad cal. Januar. quibus annum inchoavit Romulus, dies illi LXXVII. ſpectant, qui lunares menſes duos cum diebus XVIII. conſtituunt. Incipit itaque Romuleus annus die ferme quarto a novilunio. Expletis autem a Numa annorum ſpatiis, annus a bruma exorſus diebus CLXXXI. ab Olympiade VII., atque a novilunio XIX. diſtare cepit. Plura ſcribere quæ in hanc quæſtionem cadere poſſunt, ſuperſedeo; nam quæ mitto, ſi temere poſita non exiſtimaveris, ſatis habebis ad ea quæ reſtant, cognoſcenda: ſin contra hæc quoque deſpexeris, minori epiſtola tibi conſultum judicabis.

Nunc de anno præcipua & magis propria referam, parteſque ſingulas in tabulam exſcribam. Verum primum menſes, ut memoriæ traditum eſt, apponam. Tab. XXV.

Martius	d. XXXI.	Sextilis	d. XXX.
Aprilis	d. XXX.	September	d. XXX.
Majus	d. XXXI.	October	d. XXXI.
Junius	d. XXX.	November	d. XXX.
Quintilis	d. XXXI.	December	d. XXX.

Martius igitur ex cal. Jan. annum ducit die Virginis XXIII. V. id. Jan. ſol Libram ingreditur. Ab hoc die octavo æquinoctium autumni XVII. cal. Febr. computatur. Cal. Febr. Aprilis inhæret, VI. id. Febr. ſol Scorpionem perluſtrat, & Palilia aguntur die Scorpionis XII., Orione prima face Eudoxo exoriente. Quare autumni extremus menſis fuit Romulo Aprilis, & qui nomen ab aperiendo ad Romulum referunt,

Ann. I. fola

ann. III. fola

TABULA XXV.

Exarmeis Romulea.

Ann. I. civilis.

Sol Virginem adit IV. id. Decembr.
Ann. I. solaris. Martius cal. Jan.
Sol Libram adit V. id. Jan.
Æquinoctium autumni XVII. cal. Febr.
Aprilis cal. Febr.
Sol Nepam adit VI. id. Febr.
Hiemis initium IV. cal. Mart.
Majus V. non. Mart.
Sol Sagittarium adit VII. id. Mart.
Junius III. non. April.
Sol Capricornum adit VI. id. Apr.
Bruma XVII. cal. Maji.
Quintilis V. non. Maji.
Sol Aquarium adit VIII. id. Maji.
Veris initium VII. cal. Jun.
Sextilis III. non. Jun.
Sol Pisces adit VII. id. Jun.
September V. non. Quint.
Sol Arietem adit nonis Quint.
Æquinoctium vernum prid id. Quint.
October IV. non. Sext.
Sol Taurum adit VII. id. Sext.
Æstatis initium V. cal. Sept.
November IV. non. Sept.
Sol Geminos adit VI. id. Sept.
December VI. non. Octobr.
Sol Cancrum adit VII. id. Oct.
Solstitium XVII. cal. Novembr.

Ann. II. civilis.

Martius cal. Novembr.
Sol Leonem adit V. id. Nov.
Autumni initium prid. cal. Decembr.
Aprilis IV. non. Decembr.
Sol Virginem adit IV. id. Decembr.
ann. II. solaris. Majus cal. Jan.
Sol Libram adit V. id. Jan.
Æquinoctium autumni XVII. cal. Febr.
Junius cal. Febr.
Sol Nepam adit VI. id. Febr.
Hiemis initium IV. cal. Mart.
Quintilis V. non. Mart.
Sol Sagittarium adit VII. id Mart.
Sextilis III. non. April.
Sol Capricornum adit VI. id. Apr.
Bruma XVII. cal. Maji.
September V. non. Maji.
Sol Aquarium adit VIII. id. Maji.
Veris initium VII. cal. Jun.
October IV. non. Jun.
Sol Pisces adit VII. id. Jun.
November V. non. Quint.
Sol Arietem adit nonis Quint.
Æquinoctium vernum prid. id. Quint.
December IV. non. Sext.
Sol Taurum adit VII. id. Sext.
Æstatis initium V. cal. Sept.

Ann. III. civilis.

Martius cal. Sept.
Sol Geminos adit VI. id. Sept.
Aprilis VI. non. Oct.
Sol Cancrum adit VII. id. Oct.
Solstitium XVII. cal. Novembr.
Majus cal. Novembr.
Sol Leonem adit V. id. Novembr.
Autumni initium prid. cal. Decembr.
Junius IV. non. Decembr.
Sol Virginem adit IV. id. Decembr.
ann. III. solaris. Quintilis cal. Jan.
Sol Libram adit V. id. Jan.
Æquinoctium autumni XVII. cal. Febr.
Sextilis cal. Febr.
Sol Nepam adit VI. id. Febr.
Hiemis initium IV. cal. Mart.
September V. non. Mart.
Sol Sagittarium adit VII. id. Mart.
October IV. non. April.
Sol Capricornum adit VI. id. April.
Bruma XVII. cal. Maji.
November V. non. Maji.
Sol Aquarium adit VIII. id. Maji.
Veris initium VII. cal. Jan.
December IV. non. Jun.
Sol Pisces adit VII. id. Jun.

Ann. IV. civilis.

Martius VI. non. Quint.
Sol Arietem adit Nonis Quint.
Æquinoctium vernum prid. id. Q ...
Aprilis IV. non. Sext.
Sol Taurum adit VII. id. Sext.
Æstatis initium V. cal. Sept.
Majus cal. Septembr.
Sol Geminos adit VI. id. Sept.
Junius VI. non. Octobr.
Sol Cancrum adit VII. id. Oct.
Solstitium XVII. cal. Novembr.
Quintilis cal. Novembr.
Sol Leonem adit V. id. Novembr.
Autumni initium prid. cal. Decembr.
Sextilis IV. non. Decembr.
Sol Virginem adit IV. id. Decembr.
ann. IV. solaris. September cal. Jan.
Sol Libram adit V. id. Januar.
Æquinoctium autumni XVII. cal. Febr.
October prid. cal. Febr.
Sol Nepam adit VI. id. Febr.
Hiemis initium IV. cal. Mart.
November V. non. Mart.
Sol Sagittarium adit VII. id. Mart.
December IV. non. April.
Sol Capricornum adit VI. id. Apr.
Bruma XVII. cal. Maji.

Ann. V. civilis.

Martius VI. non. Maji.
Sol Aquarium adit VIII. id. Maji.
Veris initium VII. cal. Jun.
Aprilis IV. non. Jun.
Sol Pisces adit VII. id. Jun.
Majus VI. non. Quint.
Sol Arietem adit Nonis Quint.
Æquinoctium vernum prid. id. Quint.
Junius IV. non. Sextil.
Sol Taurum adit VII. id. Sextil.
Æstatis initium V. cal. Sept.
Quintilis cal. Sept.
Sol Geminos adit VI. id. Sept.
Sextilis VI. non. Octobr.
Sol Cancrum adit VII. id. Oct.
Solstitium XVII. cal. Novemb.
September cal. Novembr.
Sol Leonem adit V. id. Novembr.
Autumni initium prid. cal. Decembr.
October cal. Decembr.
Sol Virginem adit III. id. Decembr.
ann. V. solaris. November cal. Januar.
Sol Libram adit IV. id. Januar.
Æquinoctium autumni XVI. cal. Febr.
December prid. cal. Febr.
Sol Nepam adit V. id. Febr.
Hiemis initium III. cal. Mart.

Ann. VI. civilis.

Martius VI. non. Mart.
Sol Sagittarium adit VI. id. Mart.
Aprilis IV. non. April.
Sol Capricornum adit V. id. Apr.
Bruma XVI. cal. Maji.
Majus VI. non. Maji.
Sol Aquarium adit VII. id. Maji.
Veris initium VII. cal. Jun.
Junius IV. non. Jun.
Sol Pisces adit VI. id. Jun.
Quintilis VI. non. Quint.
Sol Arietem adit VIII. id. Quint.
Æquinoctium vernum id. Quint.
Sextilis IV. non Sext.
Sol Taurum adit VI. id. Sext.
Æstatis initium IV. cal. Sept.
September cal. Sept.
Sol Geminos adit V. id. Sept.
October cal. Octobr.
Sol Cancrum adit VI. id. Octobr.
Solstitium XVI. cal. Novembr.
November cal. Novembr.
Sol Leonem adit IV. id. Novembr.
Autumni initium) cal. Decembr.
December)
Sol Virginem adit III. id. Decembr.

Ann. I. secundæ hexaeteridis.

Martius prid. cal. Jan.
Sol Libram adit IV. id. Jan.

ferunt, pueriliter nugantur. Peracto Aprili, Majum & Junium qui Albanis præcedebant, interposuit Romulus, ut Quintilis ordine quintus esset, & reliqui deinceps quos numerus evocat, sedem & nomen retinerent. Majus igitur V. non. Mart. juxta Aprilem positus connectitur, cui hiemis initium attributum videtur, delabentibus mane Eudoxo Vergiliis IV. cal. Mart. VII. id. Mart. in Sagittarium sol transit. Subit Junius III. non. April. sole VI. id. ejusdem brumale sidus adeunte. Bruma autem agitur XVII. cal. Maji. V. non. Maj. Quintilis recensetur. VIII. id. Maji sol Aquarium adit. III. non. Jun. Sextilis ver aperit. VII. id. Jun. collustrantur a sole Pisces. V. non. Quint. September adjicitur, & nonis Aries cum sole ascendit. Prid. id. Quint. Æquinoctium vernum statues. IV. non. Sextil. Septembrem October comitatur. VII. id. Sext. sol ab Ariete ad Taurum fertur. V. cal. Septembr. Vergiliæ mane Bœotiis attolluntur. IV. non. Septembr. jam adulta æstate, procedit November. VI. id. Septembr. ad Geminos sol pertinet. VI. non. Octobr. December mensium seriem & connexionem claudit. VII. id. Octobr. sol ad summum signum transgressus solstitium peragit XVII. cal. Nov. Cal. Nov. die a solstitio XVII., Canicula mane se jam attollente, alter annus civilis cum Martio sequitur. V. id. Novembr. sol in Leonem introitum facit. Prid. cal. Decembr. Bœotiis Fidicula mane exoritur. IV. non. Decembr. Aprilis autumnum adducit. IV. id. Decembr. sol in Virginem descendit. Quoniam autem Romuli annus civilis, ut etiam Albanus ad dies CCCIV. contrahitur, Martio atque Aprili insequentis anni mensibus elapsis, in solis rationem redintegratur, absolviturque prid. cal. Jan. Secundus itaque solaris annus a Majo initium capit: tertius a Quintili: quartus a Septembri: quintus a Novembri, qui hac de causa dies CCCLXIV. continet, quod menses November & December, quos a superiori anno accipit, dies LX. gerunt. Hinc septimus annus civilis, & sextus solaris non ex a. d. cal. Jan. egreditur, sed prid. cal. eadem exordium sumit. Quapropter Romuleus annus, quinquies signiferum orbem permeante sole, per omnia anni tempora, solisque cardines vagatur; primus enim ab autumno exorditur: secundus a Caniculæ emersu: tertius ab æstate: quartus a vere: quintus a media hieme: sextus ab hieme.

Hactenus cum iis colluctatus sum, quorum exilis fama ad nos demissa est: deinceps majori cum labore exequar quæ certiora in vulgum feruntur; quod omnia perversis opinionibus, & qua interpretum, qua librariorum vitiis implicantur. Vale.

D. Patavio XIII. Cal. Febr. CIↃ IↃCC XXXV.

EPI-

EPISTOLA XXXIV.

Annum ſolarem Romanum, quo uſi poſt Romulum reges, ac reſpublica, fuiſſe Chaldaicum dies CCCL. antiquitus complexum, & Terminalibus abſolutum.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

EXpoſita anni Romulei natura, de Romano dicere tandem inſtituam, quem in eodem ſilentio tandiu inter nos jacuiſſe, poſtquam ſolertiori cura vetuſtiſſima quæque illuſtrari cepta ſunt, minus miramur; quod antiqui nonnulli, ut Plutarchus, Cenſorinus, Macrobius qui veritatem propius inquirere, & invenire poterant, non aliter de illo cenſuerunt, ac noſtra tempora, & noſtri homines ferunt. Siquidem illos inferior ætas ſecuta tantum noſcere & explicare laboravit, quantum ab illis accepit. Neque tamen culpandi hoc nomine; quem enim decantata auctoritas, & tot ſeculis ſacrata antiquitas non decipiet? In veteribus culpa reſideret, niſi commune malum, nimirum præoccupatæ mentes, intereſſet. Inſederat animis lunarem annum Romæ actum: ideo idus plenilunium habitas, calendas novilunium, nonas vel ſeptimum lunæ diem, vel quintum. Indubium quoque ferebatur alternis annis eſſe intercalatum. Quæ cum accepiſſent, nihil de intercalatione, quæ ante omnia inveſtiganda erat, & probe noſcenda, inquirentes, anni modum dies CCCLV., XI. menſibus ex anno Romano, uno nempe Februario ex anno Julio in cenſum redactis, ſtatuebant. Quibus temere conſtitutis, quod ad ſolis rationem aſſequendam ſupererat, intercalationi dabant. Neque id inter omnes convenit: ſunt qui intercalarios dies XXII. afferant, ut Plutarchus; ſunt qui alternis annis XXII., alternis XXIII. dies interpoſitos affirment. Quam ſententiam Cenſorinus & Macrobius prodidere. Quod cum velut imprudentibus excidiſſet, animadvertentes annum die abundare, hunc poſtea a Numa adjectum eſſe ex quadam imparis numeri religione comminiſcebantur. Operæ etiam pretium eſt cognoſcere de anni exordio & fine ut fluctuent & labantur, modo hoc, modo illud profitentes. Annum Romuleum decem menſibus fuiſſe concluſum cum quotidiana intelligentia fateretur, Faſtorum auctor hoc carmine comprobavit:

At

At Numa nec Janum, nec avitas præterit umbras,
Menſibus antiquis præpoſuitque duos.

Non diſſentit Macrobius qui *Saturn.* I. profert priorem menſem Januarium nuncupatum, primumque anni eſſe conſtitutum : ſecundum autem dicatum Februo Deo, qui luſtrationibus inſignis habebatur. Auſonii item hæc laudantur carmina :

Primus Romanas ordiris, Jane, calendas,
Februa vicino menſe Numa inſtituit.

Quid de Solino ſcribam ? Tractat quæ Macrobius, & deteriora ex ingenio miſcet, & turbat. Si hæc illis conſtiterant, cur in diverſa abeunt, & a priſtino ſenſu recedunt ? Ecce Ovidius *Faſt.* II. ut memoria labi videtur.

Sed tamen (antiqui ne neſcius ordinis erres)
Primus ut eſt Jani menſis, & ante fuit.
Qui ſequitur Janum, veteris fuit ultimus anni,
Tu quoque ſacrorum, Termine, finis eras.

Quid Macrobius illis quæ commemoravi, proxima, ſed contraria non ſubnectit, dum ſcribit omni intercalationi menſem Februarium deputatum ; quoniam ultimus annum claudebat? Neque Auſonius ſibi quadrat, dum hoc modo diei intercalationem numeris comprendit.

Quadrantemque dii quinto qui protinus anno
Menſe Numæ extremo nomen capit embolimæi.

Qui igitur fit, ut Februarius & ſecundum locum & ultimum in anno ſervet? Numquid, ut Janus geminam faciem ferebat, ita Deus Februus geminum corpus, & geminatum menſem, quibus binas ſedes occuparet ? Sed cur inſanio ? Vera memorant, quamvis inter ſe diſcrepantia; quippe tempora confundunt & miſcent. Illa ad Numæ annum pertinebant : hæc ad id tempus quo a Martio anni auſpicia petebantur. Verum quando conſuetudinis noſtræ non eſt aliena carpendo improbandoque epiſtolas producere atque amplificare, de ipſo Numæ anno tandem inquiramus.

Prima cura ſubit ut de anni modo (ad hoc enim tempus confirmare diſtuli, quod tanquam certum & probatum ſæpius uſurpavi) quantum ex antiquis cognoſcere potuimus, mira profecto, & ante nos inaudita prodamus. Quem enim vel inter veteres quorum ſcripta habemus, vel inter recentiores qui bene multi in hac temporum diſciplina floruerunt, in ea fuiſſe ſententia invenies, ut Numæ annum dierum CCCL. quot Chaldaicus, & Græcus gerebant, exiſtimaret? Attamen quid aliud eſt ſtatuendum, cum Februarius Terminalibus finiretur ? *Terminalia*,

ait

ait Varro, *quod is dies anni extremus conſtitutus. Duodecimus enim menſis fuit Februarius, & cum intercalatur, inferiores quinque dies duodecimo demuntur menſe.* Si dies per ſingulos menſes, quorum Martio, Majo, Quintili, Octobri tricenos & ſingulos, reliquis ſeptem novenos ſupra vicenos fuiſſe aſſignatos unus eſt omnium ſcriptorum conſenſus, in unum colligantur, hiſque Februarii dies XXIII. addas, nonne numerus fit CCCL.? Evolve tota quantum potes, Romanæ antiquitatis monumenta (illis exceptis ſcriptoribus de quibus retuli) excute & ſumma & media, & noviſſima Reipublicæ tempora, nuſquam præter unum diem, de quo alius erit differendi locus, quidquam Februario acceſſiſſe reperies. Neque te moretur quod ultimum Februarium nominat Varro, qui ſecundus fuerat Numæ. Extitit enim extremus inſequente tempore, ut oſtendam: extitit fortaſſe etiam ante Numam, vel apud Sabinos, vel apud Tuſcos, vel apud alios, a quibus annum exſcripſit Numa. Nam, ſi, Romulo regnante, ut meminit Varro, Sabinorum Rex Tatius deo Termino votum nuncupavit, ante Numam Termino divinus honor inter dies habebatur. Quid intercalatio quæ extremo anno rectius fit, niſi religio intercedat, ut de Attico anno conjectabam, nonne Terminalibus a Numa appoſita eſt, quamvis Februario ſecundo menſe? Quam ſedem ſemper obtinuit a quoquo menſe civilis annus duceretur. Neque ipſe Cæſar, qui, ſublata intercalandi inconſtantia, pleniores menſes, & pleniorem annum ad ſolis normam redegit, etſi cum Numa Februarium ſecundum haberet, &, appoſitis diebus, produceret, a priſtino ritu tot luſtris & majorum religione ſacrato deſcivit. Nunc te puto, me tacente, intelligere, cur de Chaldaico anno & Græco prius tibi ſcripſerim, quam de Romano. A Chaldæis enim in Græciam & exinde in Latium venit, & mox Romam. Neque diu ambigi poteſt per quos delatus fuerit in ea loca, ubi tot Græci domicilia poſuere. Spartani quoque Sabini nominis auctores traduntur. Quid igitur mirum, patrium morem (Chaldaicum enim annum fuiſſe Spartæ vidimus) in Italiam a Sabinis invectum fuiſſe & ſervatum? Verumtamen quando annus Romanus non ſolum Chaldaicis finibus circumſcribitur, ut Græcus, ſed etiam Chaldaica ratione in tempora ſeparatur, arbitror ex Hetruria tale inſtitutum Romam migraſſe. Siquidem Lydos, qui, ut ex Herodoto oſtendimus, Chaldæorum annum ſuſceperant, in Italiam duce Tyrrheno miſiſſe coloniam, Hetruriamque ab ipſis occupatam & cultam quis ignorat? Hinc Tuſcos qui Romæ ludos publice actitabant, litera Græca *υ* in Latinam *u*, ut in multis, mutata, Ludos priſco nomine a Latinis appellatos arguit Tertullianus. Quod ſubinde non modo

de

de gente, verum etiam de re uſurpari ceptum eſt, tradente Herodoto, a Lydis ludorum artem inventam, atque excultam. Itaque ludus Lydii actio, & ludius ac ludio actor, velut Lydius ſive Tuſcus, quod utrunque complectitur Ovidius in primo *de arte:*

Dumque rudem præbente modum tibicine Tuſco
Lydius æquatam ter pede pulſat humum.

Ludus item de loco ubi Ludii vel Lydii, iidemque Tuſci non ludicris tantum artibus, ſed etiam liberalibus juventutem informabant, uſurpatur, ut ſenex apud Plautum:

Hodie ire in ludum occepi literarium.

Et Svetonius tradidit Cæſarem formam conſideraſſe qua ludum gladiatorium ædificaturus erat. Quod ab eo quem ludi magiſtrum vocabant, quia antiquitus Lydus fuerat, nomen invenit, docente Livio, primis temporibus Romanos pueros Hetruſcis literis erudiri ſolitos. Hoc demum de Hetruſcorum origine dicam, in morem diu fuiſſe iis qui in ludis Capitolinis ſpectacula agebant, *Sardianos venales* proclamare; quod, debellatis Vejentibus, qui Hetruſci generis erant, atque adeo Lydi, multos captivos ſub haſta vendiderunt Romani, Sardianos vocantes a Sardibus, unde invecti ad nos Lydi. Quæ cum in confeſſo ſint apud omnes, quis mirabitur ab Hetruſcis, a quibus ludicras & liberales artes, ac diſciplinas, & ſacra multa accipere ſoliti erant Romani, annum ſimiliter acceptum? Sed quo tempore, cujuſque auſpiciis primum Romæ annus hujuſmodi conſtitutus ſit, non dilucide conſtat. Plerique ad Numam referunt; nonnulli ad Tarquinium Priſcum; reperiuntur etiam qui Decemviris aſſignent. De his tamen deſinas ſuſpicari; quod res antiquior annus Romanus tenetur, & P. Pinario Cos., ut ſcribit Varro, jam intercalabatur. Ego a communi ſententia non diſcederem; nam in Tarquinio præter gentilitatem quid eſt potius, quod nos moveat & de ſententia abducat? Si enim ille Tuſcus, & Numa Sabinus, ſed hic humanarum divinarumque rerum conſultiſſimus traditur & habetur. Et percommode cadit, quod Sabini generis Numa, ita enim apud ſuos ſapientia non imbutus; quippe Sabini, utpote Spartana propago, armis & moribus excellebant, cætera parvi habuere. A quibus itaque eruditus Numa, niſi ab Hetruſcis, penes quos ea tempeſtate humanæ & divinæ doctrinæ ludus florebat? Talium autem rerum peritum Numam quis non dixit, non docuit, non memoriæ poſteriſque mandavit? In literas quoque non retulit Plinius, in Hetruria ſacris quibuſdam & precationibus vel cogi ſulmina, vel impetrari: evocatum fulmen & a Porſenna rege, & ante eum a Numa ſæpius hoc factitatum, quod cum i-

mitatus eſſet parum rite Tullus Hoſtilius rex, ictum fulmine periiſſe? Cernis quam doctus, atque in Hetruſca diſciplina exercitus Numa tradatur, qui intima quæque, & quam maxima ſacra & arcana ea diligentia didicerat, ut imitaretur? Ad hæc addamus quæ de Jani ſimulacro a Plinio & Macrobio narrantur. Aſſerunt ſignum a Numa Jano dicatum, digitis per notas ita figuratis, ut dextra manu trecentorum numerum, ſiniſtra ſexaginta & quinque ſignificaret. Qua enim arte ſiniſtræ digiti ita ordinentur, ut humana manus ſit, & notas LXV. demonſtret? Defluxit a vero quod fabuloſis narrationibus in deterius crevit. Naturali modo annum dierum CCCL. manu ſignificare poſſumus, ut infra adumbratum videbis.

At numerum CCCLXV. digitis imitari nequaquam valemus. Quæ cum ita ſint, non eſt cur anni Romani fontem atque originem longe a Numa repetamus.

De ipſo anno dicere jam opportunum eſt, & de ejus principio primum. A quo itaque inchoabimus, niſi a bruma? In id ſane conſentiunt omnes, & Cæſar in primis, qui, ut in eam ſedem tempora revocaret, plures dies intercalavit. Certe Robigalia a Numa anno regni ſui undecimo inſtituta, ut accepit Plinius, hoc initium confirmant; incidunt enim ſole Arietis partem XVII. ferme tranſeunte, quo tempore ſegetes robigine maxime infeſtantur. Quid Fabariæ appellatæ calendæ Juniæ, quibus adulta Faba rebus divinis adhibetur? Si ab ea ſede annum dimoveas, ea tibi Fabæ opportunitas non continget. Quid Vinalia ruſtica ad vinum pendens calandum, immutato principio, præſtabunt? Et hæc de anni primordio demonſtraſſe contenti ad tempora tranſeamus.

Ante

Ante omnia meminiſſe convenit qua ratione Chaldaicus annus diſtribuatur, & in quas partes. Quadrifariam diſtingui tenes per diſſimilia intervalla, ex quibus numeri dum inter ſe referuntur, ad harmoniam concurrunt; ideo veri dies LX. aſſignati ſunt: æſtati CXX.: autumno LXXX.: hiemi XC. Ergo eadem tibi ex anno Romano ut expediam, poſtulabis? Non arbitror me ad haſce anguſtias per te redigi, & coarctari; non enim ſequitur & cohæret, ſi Chaldaici anni dies receperunt Romani, Chaldaico etiam more dies Romæ fuiſſe diſtributos. Verumtamen ſi effecero, ut cognoſcas eoſdem dies eadem ratione tam Babylone, quam Romæ per annum eſſe digeſtos, quid erit quod a veri confeſſione te abducat? Non continuo dabis manus? Attamen non recipio me omnia præſtiturum, ſed quantum ad id oſtendendum ſatis fatearis. Scribit ex primo inſtituto (ut aliis literis tibi oſtendendum reſervo) Livius, cum ſenatus decreviſſet, ut ex pontificum arbitrio ver ſacrum quod voverant, fieret, *ver ſacrum videri pecus quod natum eſſet inter calendas Martias, & pridie calendas Majas Publ. Cornelio Scipione, & T. Sempronio Longo Coſſ.* Quod ſpatium, cum Martius XXXI., Aprilis XXIX. diebus conſtent, LX. vernos dies concludit. Cato item noſter cum de R. R. commentaretur, quo tempore bruma ad cal. Martias ſpectabat, idem intervallum diſſimili modo definit: *Olivetum*, inquit, *diebus XV. ante æquinoctium vernum incipito putare. Ex eo die dies XLV. recte putabis.* Subit æſtas, de qua M. Tullius in VII. *Verrina* obiicit Verri quod *æſtate ſumma*, quo tempore cæteri prætores obire provinciam, & circumcurſare conſueverunt, aut etiam in magno prædonum metu & civium periculo ipſi navigare, poſitis in littore tabernaculis, dies LX. æſtivos conviviis & libidinibus conſumpſerit. Neque ſummam æſtatem mediam, ut aſtronomi ſolent, ſed dimidiatam cenſebis; nam medium tempus, ut in Chaldaica & Græca aſtronomia animadverſum eſt, propius finem reſpicit, quam principium. Ita ſummam hiemem interpretaberis, de qua in VI. *Verrina*: *Erat hiems ſumma, tempeſtas, ut ipſum Sopatrum dicere audiſtis, perfrigida, imber maximus.* Igitur ſi a dimidiata æſtate dies æſtivi LX. computantur, tota dies CXX. ferebat. Quare calendis Maiis æſtatis principium erat, finis cal. Septembr. Eundem terminum deſignat Halicarnaſſeus Dionyſius, qui de triumpho e Sabinis per Tarquinium Priſcum acto in hanc ſententiam loquitur: ἐπειδὴ τὸ θέρος ἐτελεύτα, λύσαντες τὰς παρεμβολὰς ἀπῆεσαν ἐπ' οἴκου· καὶ ὁ βασιλεὺς Ταρκύνιος τρίτον ἐπὶ τῆς ἰδίας ἀρχῆς τὸν ἐκ τῆς μάχης κατήγαγε θρίαμβον. Quod tempus ex actis Capitolinis colligimus:

L. Tarquinius. Damarati. F. ann. CXX.
Priſcus. Rex. III. de. Sabinis. idib. Sextil.

Æſtas ergo circa idus Sext. ad exitum ſpectabat, cum, ſolutis caſtris, Rex triumphans in urbem reverſus eſt, eoque menſe, ut conſtitutum eſt, dies æſtivi claudebantur. Sex menſibus per duo tempora ordinatis, reliquos per alia duo, hoc eſt per autumnum & hiemem eo modo quem in Chaldaica diſciplina commemoravi, diſtributos fuiſſe, non arbitror te negaturum; quod nulla antiquæ memoriæ exempla ſubnectam. Quid enim erat Chaldaicum annum ſuſcipere, & bina membra Chaldaica regula conjungere, ſi reliqua, diſcerptis articulis, perturbatoque ordine, confuſa & diſcrepantia reliquiſſent? Ego quidem, quem non ignoras quam difficilis & moroſus in dubiis rebus hæream, hoc tamen pro certo aſſerere non dubitarem. Neque diffido fore quin tu quoque in eandem ſententiam deſcendas, conquiſitis omnibus, & cognitis, quæ ſuis locis opportunius inſerenda reſervo. Quamvis enim hujus antiquitatis effigies tota fere obſcurata ſit, & evaneſcat, veſtigia tamen multa ſuperſunt, ex quibus quæ fuerit, cognoſcere poſſimus. Quapropter quæ probatione egent, tanquam probata & certa, quouſque membra omnia in unum corpus redigantur, excipe & tuere. Ideo autumnum ſtatues cal. Septembr. hic enim finiuntur dies XL. a Caniculæ exortu, quos in autumnum Chaldæi protendunt. Nam æſtatem apud Romanos in tres partes conſumi invenio: prima dierum XL. habetur ab æſtatis initio ad Delphini exortum: altera pari menſura hinc ad Caniculæ emerſum, de qua Varro in Boum fœtura hæc profert: *maxime idoneum tempus ad concipiendum a Delphini exortu ad dies XL., aut paulo plus:* tertia in cal. Septembr. & autumnum a Canicula, quam primam ex Chaldæis explicavi. Porro autumnus per dies LXXX. protenſus XI. cal. Decembr. terminatur. Poſtridie hiems incipit, & per dies XC. cal. Mart. attingit.

De primigenia anni Romani forma hæc conquiſiviſſe, & adnotaſſe ſatis viſum; quoniam de omnibus quæ ad eandem ſpectant, ſcribere, neque propoſitum eſt nobis hac epiſtola, neque opportunum. Proxima eſt de intercalando quæſtio, quam, quia late patet, & longiorem indaginem expoſcit, ad proximas calendas reſervabo. Cura ut valeas.

D. Patavio V. cal. Febr. CIↃ IↃCC XXXV.

EPI-

EPISTOLA XXXV.

Varronis locus de L. L. illuſtratur; confirmaturque anni Romani terminus; demum de intercalatione agitur.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

PRidie cal. Febr. Caſparus ſervus tuus ad me venit: attulit literas a te amore & benevolentia refertiſſimas, quibus mirum in modum ſum lætatus. De Aſconio videbimus: Recte de Varronis loco ſententiam tenes: ego imprudens qui id non animadverti. Terminalia ſane fatetur Varro antiquitus anni extremum diem eſſe conſtitutum, & Februarium dierum XXIII., annum autem CCCL.; ſed, ſubinde V. adiectis diebus, in dies XXVIII. productum menſem, & annum in CCCLV., ut de anno Romano prodiderunt nonnulli, videtur indicare. Numquid ſentiam quantum in his momenti ſit, & quantum ponderis, quod ſcribis? Probe nunc cognoſco. Quod vero expectas, ut Varroniana poſt Juliam anni emendationem prodita eſſe oſtendam, equidem huc cogitationes meæ tendunt, hoc inquiro, hoc etiam (quoniam aliud effugium non video) exopto. Verumtamen quia ſubducere quæ mihi ſedulo cogitanti occurrunt, non eſt fidei meæ, alia ex Varrone video, quæ anno Romano de L. L. ſcripſiſſe Varronem aperte demonſtrant. *Vinalia ruſtica*, ait, *dicuntur a. d. XII. cal. Septembr.* Vinalia, poſtquam dies II. ex Cæſaris edicto Sextili appoſiti ſunt, a. d. XIV. cal. Septembr. in Feſtis notantur, quæ, ſi ad antiquum modum Sextilem contrahas, a. d. XII. cal. Septembr. contingunt. Qui iſta declinabimus? Palam eſt de anno veteri ea referri. Sed cur tam cito vinculis tradimus manus? Non nego iſtis plurimum eſſe attribuendum: obtemperandum autem, & abiecte ſerviendum nego. Quis enim ſincera ſpondet, quis integra, quis Varroniana? Video Antonium Auguſtinum, video alios peritos Varronis interpretes de hoc loco dubitaſſe, & monuiſſe ſcribendum: *a. d. XIV. cal. Septembr.* Quorum auctoritate nunc uterer, niſi validiora ad id infirmandum ex ipſo Varrone haberem. Scriptum eſt in III. R. R. volumine de Romæ ætate: *Nam in hoc nunc eſt ut dici poſſit, non, cum Ennius ſcripſit:*

Septin-

Septingenti ſunt paulo plus, aut minus anni,
Auguſto augurio poſtquam inclita condita Roma eſt.

Poſt annos itaque ab U. C. ſeptingentos de Agricultura ſcribebat Varro, & poſt Juliam anni inſtitutionem, quam ſe ſecutum eſſe teſtabatur. Ruſticis ætate finitimos eſſe de L. L. libros iſta ex VI. deprompta tibi confirmabunt: *At hoc quid ad verborum poeticorum ætatem? Quorum ſi Pomponii regnum fons in carminibus Saliorum, neque ea a ſuperioribus accepta, tamen habent ſeptingentos annos.* In quibus ſi vetuſtiora magis probaveris: *quorum, ſi Pompilii regnum foris in carminibus Saliorum*, Saliorum carmina ab ipſo Romæ natali repetita ſeptingentos poſt annos, quot intereſſe dum ruſtica præcepta tradit, innuit Varro, habebis. Poſſum quoque tempus ex M. Tullio tibi indicare, qui non in poſtremis tenes, Cæſare rerum potito, plurima a Cicerone elaborata fuiſſe & edita, inter quæ *Academicas Quæſtiones*, ut illa clare oſtendunt: *Nunc vero & fortunæ graviſſimo perculſus vulnere, & adminiſtratione Reipublicæ liberatus, doloris medicinam a Philoſophia peto, & otii oblectationem hanc honeſtiſſimam judico.* Quibus filiæ obitum, & rempublicam in Cæſaris poteſtatem ceſſiſſe dolebat. Tulliam autem amiſit, cum extremum civile bellum contra Pompeii liberos in Hiſpania conficeret Cæſar. Quare, Cæſare IV. cos. Academica Varroni miſit, de L. L. libros quos illi promiſerat Varro, efflagitans, ut his cognoſcimus: *etſi munus flagitare*. Jam patet anno Julio ſcribere Varronem, & natu grandiorem fuiſſe quam M. Tullium, cum anno ætatis octogeſimo ruſtica aggrederetur. Porro qui fiat, ut, cum annis IↃCCVIII. vel IↃCCIX. libros componat, ſeptingenteſimum tantum ab U. C. computet, integrum numerum paulo plus, aut paulo minus (quid enim potius credam?) referri opinor. Quibus perſpectis, Vinalia ruſtica eſſe XIV. cal. Septembr. certo argumento firmatur. Nec levis conjectura Regifugio definere Februarium ſunt Equiria, quæ III. cal. Mart. in Juliis faſtis habemus, commemorata quidem ab Ovidio, ſed prætermiſſa a Varrone, cujus ævo nondum erant conſtituta, ſed mox ab Auguſto, credo, edicta, ne quatuor dies Februario appoſiti inhonori agerentur.

Video me, niſi maxime fallor, ex apertis obſcura eſſe aſſecutum, quibus niſi a te monitus noſtra diligentia occurriſſem, aſſertam anni rationem argui inconſtantiæ merito timebas. His, quo facilius ab omni dubitatione te exſolvam & liberem, alia ex M. Tullio apponam, & certa certioribus firmabo. Marcello & Lentulo coſs. belli civilis initio cum Cæſar Pompejum infeſto exercitu perſequeretur, M. Tullius Attico per literas (quæ lib. VIII. ordine XIV. continentur) nunciat *eo-*

dem

dem die Cæſarem a Corfinio poſt meridiem profectum eſſe, id eſt Feralibus, quo Canuſio mane Pompejum. Id explanat epiſtola I. lib. IX. *Nam Canuſio VIII. cal. profectus erat Cnæus; hæc autem ſcribebam prid. non.* (Mart.) *XIV. die poſt quam ille Canuſio moverat.* Quo iſta ſpectent, ſi requiris, intelliges, cum de Feralibus quæ canit Ovidius, prius cognoveris:

Eſt honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in exſtructas munera ferre pyras.
Nec tamen hoc ultra quam cum de menſe ſuperſunt
Luciferi, quot habent carmina noſtra pedes.
Hanc quia juſta ferunt, dixere Feralia, lucem.
Ultima placandis manibus illa dies.

A Feralibus itaque dies XI., quot in Ovidiano metro numeri, in cal. Mart. ſpectant. Propterea anno Julio quem ſequitur vates, XIII. cal. Mart. ſignata Feralia. Quatuor hinc exemptis diebus (Regifugium enim Februario primis Reipublicæ temporibus jam adjectum erat) a Feralibus in prid. non. Mart. dies eſt decimus quartus, ut Tullius ſcribebat. Idcirco non VIII. cal. Mart. profectus erat Pompejus, ſed IX. cal. ejuſdem, quo die priſco anno Feralia redibant. Hic ſane locus, qui neglectus ab omnibus communem ſortem evitavit, plurimum affert probationis pondus. Sunt alia interpretum mendaciuſculis aſperſa, & librariorum maculis tacta, quæ prætereo properans de intercalatione, ut ſum pollicitus, ſcribere. Hanc primo exordio ad Numam referendam eſſe anni inſtitutio & natura evincit. De hac qui ſcripſerunt, ut Livius, Plutarchus, Cenſorinus, Macrobius, Solinus (nam alius ſiquid memoriæ prodidit, in noſtram notitiam non pervenit) alternis annis eſſe intercalatum conveniunt, de intercalandi quantitate inter ſe vel maxime diſcrepant, ut prioribus literis tibi ſignificavi. Quibus poſthabitis, menſis nomen *Mercedinum* a Plutarcho accipiamus, quo a ſolvenda mercede (per Mercedinum enim ad ſolis normam redit biennium) intercalarium appellabant. Hic primum, ut apud Chaldæos & Græcos, dies XXX. ferebat; ſed poſtea, uno die ſive a Numa, ſive ab alio (nam factum conſtat, tempus ignoratur atque auctor) Februario appoſito, XXIIX. habere cepit. Quid mihi, inquies, hæc exornas? Num fabulas tibi narrari putas? Quem tu me hominem exiſtimares, ſi tibi tali viro de re tam gravi, tam inſigni, tanta veterum religione ſacrata ficta atque inania mittere auderem; præſertim dum tuæ voluntati morem gererem, exequererque mandata? Certa & probata ſcribo ex *Pandectis* eruta, ubi de verborum ſignificatione Celſus juriſ-

con-

conſultus hæc refert : *Cato putat menſem intercalarem additititium eſſe , omneſque ejus dies pro momento temporis obſervat , extremoque diei menſis Februarii adtribuit Q. Mutius . Menſis autem intercalaris conſtat ex diebus viginti octo* . Ecquid verius , ecquid clarius , ecquid ad ſuperiora confirmanda accommodatius poteſt afferri ? Nam in his plura elucescunt : menſem Februarium, cui extremo attribuitur intercalatio, dierum eſſe XXIII., adjectoque Regifugio XXIV. , & dies XIV. quotannis deeſſe , qui alternis annis in Mercedinum conveniunt , dieſque XXIIX. ; demum annum primum diebus CCCL. , ut propoſitum eſt , deinde propter Regifugium , CCCLI. componi . Non ſum neſcius eſſe qui putent menſem intercalarem dierum XXVIII. eſſe Februarium (quo nomine veteres etiam illos quos laudavi , deceptos crediderim) idcirco in nonnullis exemplaribus *diebus XXIX.* quot Februarius cum dies ex Cæſaris regula intercalatur, componitur, impreſſum videbis . Quod adeo abſurdum eſt , ut nihil adverſus iſtorum placita addendum exiſtimem , ne ineptiſſimus videar inquirendo utrum Cato Priſcus , & Q. Mutius Scævola , ſublata republica , vixerint , an florente : item num Februario cum intercalant , dies interjiciatur, an extremo menſi accedat . Illud opportunius agam , ut tibi quæ præcedunt, Celſi verba exſcribam; audies enim primum de Julia intercalatione loquentem Celſum , deinde , ut indicatum eſt, de priſca . *Cum bis VI. cal. eſt* (ita malo quam librariorum *biſſextum*) *nihil refert utrum priore , an poſteriore die quis natus ſit , & deinceps VI. cal. ejus natalis dies eſt ; nam id biduum pro uno die habetur , ſed poſterior dies intercalatur , non prior : ideo quo anno intercalatum non eſt , VI. cal. natus eſt . Cum bis VI. cal. eſt , priorem diem natalem habet* . Quam vero ſententiam Catonis nomine deprompſit Celſus , noſtri ruſtici eſſe , quod juris quoque doctrina vel maxime commendatur , inficiabitur nemo. Hinc etiam clare percipimus qua de cauſa idem Cato menſem integrum cum intercalatur , venditori receperit? ſi enim intercalaris dierum XXII. fuiſſet, haud æquum id videretur . *Calendis* , ait, *Juniis emptor fructu decedat : ſi intercalatum eſt , calendis Majis* . Nam quos fructus menſe Junio emptor percipere debebat , jam per Mercedinum menſe Majo perceperat . A Catone ad M. Tullium veniamus . In oratione pro Milone ſcriptum eſt : *Centeſima lux eſt hæc ab interitu P. Clodii , & , ut opinor , altera : qua fines imperii P. R. ſunt , non ſolum fama jam de illo , ſed etiam lætitia peragravit* . Neque te moveat quorundam exemplarium ſcriptura : *& , ut opinor , ultra quam fines* . Hanc interpretibus culpæ vertes . Non ignoras ex Aſconio in via Appia ad Bovillas XIII. cal. Febr. occiſum Clodium,

dium, eodemque anno Pompejum ab interrege Ser. Sulpicio V. cal. Mart. menſe intercalario conſulem creatum. Colligantur dies ab interitu Clodii quouſque ſummam CII. aſſequamur. Quot ex Januario ſuperſunt? XI.: his adde Februarii dies XXIV., adde Mercedini XXVIII., habebis LXIII. Apponito demum Martium. Fiunt omnes XCIV. Quare VI. id. April. dies centeſimus alter a Clodii cæde invenitur, quo oratio pro Milone habita eſt, ut Aſconius poſteritati commendavit. Non enim videtur Cicero diem, quo Clodius mortuus eſt, colligere; quoniam fero facta eſt cædes, & periit, jam ſole immerſo: ſed ab illo numerum computare. Neque tamen inconſtantiæ dabis Aſconio, apud quem ſi alibi legeris judicii diem fuiſſe a. d. III. id. April. corruptum numerum judicabis. Id etiam ex Pompeji lege patet; *jubebat*, ut ſcribit Aſconius, *ut prius quam cauſa ageretur, teſtes per triduum audirentur, dicta eorum judices conſignarent, quarta die adeſſe omnes in diem poſterum juberentur*. Quamobrem Torquatus & Domitius quæſitores reum Milonem *prid. non. April.* adeſſe juſſerunt; ideoque quinto die, videlicet *VI. id. April.* (quo die quæſtionem habitam primam ſtatuit Aſconius) ſummum judicium ex lege actum eſt. Tranſeamus ad proconſulatum Ciceronis. Hic Coss. Sulpitio & Marcello, denunciat per literas Attico, Epheſum ſe appulſum a. d. XI. cal. Sextil. *ſexageſimo & quinto poſt pugnam Bovillam*. Vitium vides, & multis viſum, ſed defuit vera emendandi ratio. Ut tollas, repete a Clodii morte per totum Cnæi conſulatum in cal. Jan. quibus Sulpitius & Marcellus honorem inierunt, dies CCCLXI. compones: adjicito qui a cal. Jan. in in a. d. XI. cal. Sextil. pertinent. Conveniunt omnes in DLV. quos deſignat Cicero. Expendamus alia. Evolve epiſtolam quæ incipit: *Accepi tuas literas a. d. V. Terminalia Laodiceæ*, & in extrema ſpectato tempus quo literæ dabantur: *Poſt Leuctricam pugnam die ſeptingenteſimo ſexageſimo quinto*. Ab hoc numero illo DLV. ſubducto, ſuperſunt dies CCX., qui ex a. d. XI. cal. Sextil. computati Februario extremo finiuntur. Quare Regifugio ſcribebat Cicero, cum intercalatio proxima eſſet, de qua incertus (quamvis enim intercalatio ſtata, tamen ex Pontificum arbitrio pendebat) itemque ambigens utrum *prid. cal. Interc.* an *prid. cal. Mart.* ponendum eſſet, certiori via tempus indicavit. Quis fuerit annus Romanus, & quæ intercalatio, ſpero tibi jam probaſſe; propterea ſiquid in Tullio & alibi nactus fueris, quod diſſentiat, de vitiatis libris exſcripta, cave dubites. Ego pauca indicabo, ante omnia præcipiendo, epiſtolas Tullianas, quas, exorto bello civili, datas videmus XV., XIV., XIII. cal. Mart. menſe nequaquam

intercalari, quia Februarius ultra quam XII. cal. non progreditur, falsos numeros continere. Quorum vitia ut quam breviſſime indicemus, inquirendum eſt, quo die ad obſidendum Corfinium Cæſar copias adduxerit. Diſceſſiſſe Corfinio indicat Tullius IX. cal. Mart. VII. dies ad Corfinium eſſe commoratum belli civilis commentaria oſtendunt: quid ergo ſequitur, niſi ad Corfinium caſtra metatum Cæſarem IV. id. Febr. Videamus, quæſo, quid Pompejus Domitio reſcribat. *Literæ mihi a te redditæ ſunt a. d. XIII. cal. Mart. in quibus ſcribis Cæſarem apud Corfinium caſtra poſuiſſe*. Sinamus, largiamurque interpretum inertiæ Februarium in dies XXIIX. productum. Niſi eodem die datæ ſunt, ac redditæ literæ, pridie Feralia (nam Feralia XIII. cal. Mart. aguntur, cum Februarius dies XXIIX. accipit) de re Corfinienſi certior factus eſt Pompejus ſeptimo die ab obſidione, quibus, capto oppido Corfinio, caſtra ſolverat Cæſar? Hoc ſi animadvertiſſent, qui iſta temere immutarunt, neque Domitius tam ſocors & ignavus inductus eſſet, ut ſeptimo jam die ab hoſte vallatus, atque in ſummum diſcrimen adductus nuntium mitteret; neque Pompejus adeo imprudens, & iners, ut quibus locis inſiderent Cæſaris copiæ, tamdiu ignoraret. Quamobrem III., IV., V. id. Febr. datæ videntur literæ, quæ in XIII., XIV., XV. cal. Mart. depravantur. Sunt alia in Tullio ejuſdem generis, quorum vitia facile demi poſſunt, temporibus, & rebus inter ſe collatis. Unum ad hanc materiam maxime pertinens ſumam, ne emendandi difficultate deterritus, rem optime conſtitutam in ancipiti videar reliquiſſe. In IV. *Verrina* cum oſtendiſſet Tullius per Verrem dies XLV. de Siculo anno fuiſſe exemptos, id Romano more explanavit: *ut quo die verbi cauſa eſſe oporteret idus Januarias, eo die calendas Martias præſcriberet*. Non vides quam perite ad numerum locum eſſe compoſitum, Februario diebus XXVIII. conceſſis? Quis contra auderet, ſi cætera ad eandem ſententiam elaboraſſent? At nunc vel pueri eſt noſcere erratum, & eximere, nota V. ante idus reſtituta.

De intercalatione non autumo quid ſupereſſe quod a te deſideretur, niſi mavis per nos ſcire, quam per teipſum cognoſcere, utrum primo an ſecundo anno, ſive utrum pari an impari interponi ſolita. Cum voluntatem tuam perſpexero, diligentiæ & labori non parcam. Hæc properanti ſervo tuo dabam, quibus ſi minus ex tua ſententia rem confeci, ſcribendi officio tuo deſiderio non defui. Vale.

D. Patavio IV. non. Febr. CIↃ IↃCC XXXV.

EPI-

EPISTOLA XXXVI.

Quot fuerint poſt Numam Romæ anni initia, & quoties conſulatus auſpicia immutata.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

QUas literas ſervo tuo IV. non. Febr. tradideram, vix tibi redditas opinabar, cum nonis ad omnia pro tua diligentia reſcripſiſti. Probari a te annum, probari intercalationem, Varroniana Terminalia certa haberi perjucundum eſt, quod animum tuum noverim, qui non, ut mihi os oblinas, ita ſcribis, ſed ut ſentis, & judicas, omnibus accuratius perpenſis. Hanc tuam humanitatem & benevolentiam in perpendendis iis, & ad examen revocandis quæ ad te mitto, perpetuo ut mihi præſtes, velim. Tales enim mihi amicos ſemper exoptavi, ut, ſiquid in me eſſet, quod minus placeret, non admonerent ſolum, ſed etiam objurgarent. Quod addis quæ de intercalatione reſtant, quamvis per me cognoſcere maxime cupias, tamen id mihi imponere nolle, hac tua moderatione non exoras, ſed cogis. Tuæ itaque voluntati obſequar, ſed multa prius de anni initiis feras oportet.

Igitur a primo Numæ regno exordiar. Anno U. C. XXXIX. quo Romanæ civitatis adminiſtrationem ſuſcepit Numa, tempora ſive civilia ſive naturalia a cal. Jan. in orbem rediiſſe, non te latet. Quod ſecuti reges immutarunt. Tempus tamen & auctor evanuit. Pro certo habebis, extremis regibus annum civilem circa autumni æquinoctium ab Octobri incepiſſe. Quod inſtitutum cuinam attribuam? Fortaſſe Tarquinio Priſco, ex quo Romani anni inventor putatur. Sed ad hiſtoriam. Gravis auctor Dionyſius ex Halicarnaſſo refert, primos conſules Brutum & Collatinum iniiſſe conſulatum τεττάρων τινῶν μηνῶν εἰς τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον ὑπολειπομένων. His cognitis, inquiramus quo die in exilium expulſi ſint Tarquinii. Geminos invenio dies, quos in faſtis *Regifugium* vocant; alterum a. d. VIII. cal. Jun. de quo Ovidius hæc:

Quatuor inde notis locus eſt, quibus ordine lectis,
Vel mos ſacrorum, vel fuga regis ineſt.

Sed apertius Varro: *Dies qui vocatur ſic: Quando Rex comitiavit, fas: dictus ab eo quod eo die rex ſacrificulus dicat ad comitium. Ad quod*

tempus eſt nefas : ab eo fas. Id repeti a Feſto hæc veſtigia indicant. *Cal. Jun.* —— *legi debet cum* ——*nefaſto faſtus*: videlicet; *dies VIII. cal. Jun.* Cujus interpres Paulus : *Regifugium ſacrum dicebant, quo die Rex Tarquinius fugerit Roma*. Hoc eſſe Regifugium ajo, quo die Tarquinius, abrogato ejus imperio, exulatum abiit. Alterum vero quod extremo Februario notatur, prælium demonſtrat, quo, victis Tarquiniis, occubuit Brutus victoriam ſuis, & ſecuram libertatem relinquens. Ecce tibi Plutarchus in Poblicola ut convenit : πάντων τῶν μάχων λέγεσι γίνεσθαι πρὸ μιᾶς καλάνδων Μαρτίας. Quorum ut memor ſis, rogo. Itaque a. d. VIII. cal. Jun., dejectis Tarquiniis, primi conſules honorem inierunt cal. Jun. quatuor menſibus ex illo anno, qui erat ab U. C. CCXLIV., nempe Junio, Quintili, Sextili, Septembri ſuperantibus, ut ſcribit Dionyſius. Propterea cal. Oct. anni civilis initium, & cal. Juniis conſulatus auſpicia prima conſtituenda ſunt, quibus & Macrobius conſentit aſſerens creatum eſſe conſulem Brutum, cum, expulſis tyrannis, Carneæ Deæ in Cœlio monte feciſſet. Qui igitur faſtos conſulares ex anno C. U. CCXLIV. repetunt, recte repetunt; nam Romæ regnatum eſt annis CCXLIII., menſibus IV., diebus XXIV. Sunt tamen, ut minime neſcis, inter veteres qui hunc annum regibus reſervent, & conſules ab inſequente exordiantur. Cujus opinionis cauſam cum quærerem, nullam aliam inveniebam, niſi maluiſſe ab integro anno, quam a dimidiato conſulatum auſpicari. Quos ſi ſequimur, quæ a conſulibus primis inter cal. Jun. & cal. Januar. acta ſunt, cui dabimus ſolari anno? Brutus igitur novem menſibus conſulari poteſtate vixit, ſeptem ad annum CCXLIV. pertinentibus, duobus ad CC XLV. Quo interfecto prid. cal. Mart. alterum Regifugium inſtitutum eſt a M. Valerio Bruti collega, qui primus (dicam Dionyſii verbis) ἐκείνῳ τῷ ἡμέραν ἱερὰν ἦγε. Bruto ſuffectus eſt Sp. Lucretius, & Lucretio brevi fato functo, M. Horatius, qui idibus Septembr. anni CC XLV. Capitolium dedicavit. His tamen ab omnibus receptis & probatis opponuntur quæ Polybius de primo inter Romanos & Carthaginienſes icto fœdere memoriæ mandavit. Exſcribam locum, ne te hac epiſtola avocem. Γίνονται συγγραφαὶ συνθῆκαι Ῥωμαίοις, καὶ Καρχηδονίοις πρῶται κατὰ λεύκιον ἴούνιον Βροῦτον καὶ Μάρκον Ὡράτιον τοὺς πρώτους καπιταδέναις ὑπάτους μετὰ τοὺς τῶν βασιλέων καπάλυσιν· ὑφ' ὧν συνέβη καθιερωθῆναι καὶ τὸ τοῦ διὸς ἱερὸν Καπιτωλίνου. Quis enim præter hunc ſcriptorem Brutum & M. Horatium ſimul primos conſules facit, & ab utroque Capitolium ſacratum dicit? Quæ ſi vera traduntur, ſatis admirari nequeo cur Dionyſius eadem ſilentio prætereat? Cur Livius, qui tam multa a Polybio exſcri-

exſcripſit, iſta non ſequatur, vel, ut mendacia & falſa non refellat? Etenim quicunque res geſtas ſcribendas ſuſcipit, quæ apud probatos ſcriptores pertinentia reperiuntur, nullo modo diſſimulare aut poſthabere debet; ſed repetere & confirmare, ſi vera; vel vitii inſimulare, ſi falſa. Neutrum factum eſt, quaſi ſcribendo deliraſſet Polybius, cui niſi plurimum tribuiſſet Livius, non parvas perpetuo ordine hiſtorias ab eodem mutuatus non fuiſſet. Quid igitur dicendum? Quod res ipſa declarat, Dionyſii ac Livii ætate in Polybio non extitiſſe illa, ſed inferiore tempore ab imperito neſcio quo inſerta. Nam ſunt alia illo fœdere comprenſa, quæ ad illa tempora non pertinent. Ardeates enim, quibuſcum gerebant bellum Romani (ab Ardeæ obſidione propter inteſtinos tumultus, & impotentes Tarquinii libidines receſſerant, pactis in XV. annos induciis) cur hoſtes tanquam ſocii recipiuntur, & ab omni Carthaginienſium injuria vindicantur?

Sed, ut ad anni diſcrimina redeamus, anno ſimiliter a primis conſulibus XVII. qui fuit ab U. C. CCLX., eandem inchoandi anni conſuetudinem Dionyſius oſtendit. Nam, cum breve tempus ad explendum conſulatum deeſſet, indictis comitiis, Conſules Poſthumius Cominius, Sp. Caſſius deſignantur, qui maturius ſolito magiſtratum cal. Sept. inierunt. Idcirco Calendæ Octobr. conſulibus & anno auſpicia præbebant.

Porro hæc anni conſularis forma non diu retenta eſt; anno enim poſt U. C. CCLXVII. A. Vergilius, Sp. Servilius Conſules, auctore Dionyſio, menſe Sextili magiſtratum adepti ſunt. Anticipandi tempus cauſam cum mecum perpenderem, male pugnatum a Cos. Menenio Lanato adverſus Hetruſcos inveniebam. Quamobrem occupato Janiculo, & hoſtibus urbi imminentibus, cum præſentibus conſulibus Senatus diffideret, deſignati confeſtim imperii faſces rapere juſſi. Anno quoque CCXC. Coss. L. Ebutius, P. Servilius cal. Sextil. anni initio rempublicam capeſſunt, ut teſtatur Livius. At inſequentis anni coss. eodem auctore, III. id. Sextil. qui, peſte laborante civitate, comitiorum cura poſthabita, per interregem creati ſunt.

Exinde, antiquata hac conſuetudine, ab idibus Majis annum & conſulatum ceperunt. Quod tamen brevi ſpatio iterum immutatum. At certum hujus diſcriminis exordium vel finis liquido non apparet. Per decemviros anno CCCII. tale principium magiſtratibus fuiſſe conſtat, & deinde una cum decemviratu abrogatum credo. Nam Decemviris non patrum auctoritate, non populi ſuffragiis, ſed vi ac regia prorſus potentia producto in annum tertium imperio, ac partim civili tumultu, partim bellica expeditione per VII. menſes retento, tandem

dem tyrannide dejectis, M. Horatius Barbatus, L. Valerius coss. ſuffecti magiſtratum ſtatim inierunt. Quod tempus in id. Decembr. puto incidiſſe, ex quibus quintum anni exordium ſumpſerunt.

Anno itaque CCCIV. coss. iis quos modo nominabam (ſi quicquam conjectando deprendi) ab idibus Majis ad id. Decembr. conſulatus initia revocata crediderim. Hinc non mediocris diligentiæ cura mihi exoritur, cum in tabulis triumphalibus iſta ſuperſint:

ius. P. F. P. N. Poblicola. an. CCCIV.
e. Æqueis. idib. Sextil.
tius. M. F. Barbatus ann. CCCIV.
Sabin VII. K. Septembr.

Siquis enim Valerium de Æquis, Horatium de Sabinis anno CCCIV., quo conſules Decemviris ſubrogati fuerunt, triumphaſſe contenderit, in magno errore verſabitur. Non enim quo anno ductus eſt triumphus, ſed quo conſules facti, & initus magiſtratus, in Faſtis notatur. Hoc quo clarius perſpicias, afferam alia:

ius. Ser. F. L. N. an. CCXCIV.
us. Cos. De. Volſceis. Antiatibus. IV. id. Maj.

Quo anno L. Cornelium Maluginenſem Coſſum conſulem deſignabo? Anno quidem CCXCIV. quo antiqua monumenta referunt. Igitur eodem anno magiſtratum cepit, & triumphavit? Fereſne iſta? Non opinor. Etenim ſive idus Majæ, ut per Decemviros contingebat, ſive cal. Sextil. ut P. Servilio, L. Æbutio coſs. mos erat, ineundis magiſtratibus inſignes habentur, a. d. IV. id. Majas anno CCXCIV., nondum inito conſulatu, nulliſque rebus geſtis, non ſcriberetur triumphator. Quemnam, inquies, ex detruncatis literis Cornelium mihi conglutinas de Antiatibus triumphantem? M. quidem Fabius Vibulanus Cornelii collega, Livio auctore, id bellum geſſit, Antiateſque ſubegit. Quid reſpondeam? Vera memoras: publicæ tamen memoriæ L. Cornelium victorem faciunt, eique conſecti belli Antiatis palmam aſcribunt, quæ Dionyſii auctoritate corroborantur. Nec Livius hoc ignoraſſe videtur, cum fateatur, ſe apud pleroſque auctores inveniſſe *L. Cornelium conſulem id bellum geſſiſſe, oppidumque cepiſſe*. Sed ad alia:

C. Sulpitius. Ser. F. Q. N. Longus. anno CDXXXIX.
Cos. III. De. Samnitibus. K. Quint.

Hic conſul habetur cum per cal. Quint. (ut mox videbimus) ineundi conſulatus eſſet conſuetudo. Eodem igitur anno, eodemque die quo conſulatum adiit, triumphaſſe quis dixerit? Quare non annus, ſed dies ad triumphi tempus ſpectat. Quapropter, ut ad id, a quo digreſſi

ſumus,

ſumus, redeamus, Horatium & Valerium anno CCCV. triumphaſſe, antequam magiſtratu abirent, non in incerto relinquam. Quibus conſulibus ſi anni initia ab idib. Decembr. tibi dubia videntur (ſane nihil præter conjecturas affero) anno CCCXXX. & CCCL. fuiſſe ex Livio exploratum habebis.

Attamen hæc non valde diuturna; nam anno hinc XIII. ad ſolſtitium itum eſt, & cal. Quint. magiſtratus cepere. Quorum origo & cauſa mihi incomperta. Tale inſtitutum fuiſſe priuſquam Roma a Gallis everteretur, in annum CCCXXIV. Livius docet.

Ultima anni civilis differentia bello Punico ſecundo exiſtit ex idibus Martiis, de qua Tibullus:

Martis Romani feſtæ venere calendæ,
Exoriens noſtris hinc fuit annus avis

Id & Auſonius numeris ſignavit:

Martius & generis Romani præſul, & anni
Prima dabat Latiis tempora conſulibus.

Multa in Livio hujus generis ſunt; quin a C. Flaminii conſulatu in reliquis qui ſervantur, Livianis libris, aut anni, aut ineundorum magiſtratuum principium aliud non invenitur. Verumtamen quo anno ceperit, non ſum aſſecutus. Ovidius bello Punico circumſcribit hoc carmine:

Hinc (a Martio) *etiam veteres iniit memorantur honores*
Ad ſpatium belli, perfide Pœne, tui.

Finem Florus Caſſiodoriuſque exhibent anno DC. coſs. Q. Fulvio Nobiliori, T. Annio Luſco. Qui propter ſubitum Hiſpaniæ bellum calendis Januar. magiſtratum auſpicati ſunt, quo maturius in provinciam proficiſcerentur. Tunc in antiquam ſedem revocatus annus. Bruma tamen cal. Martiis peracta ſive ex pontificum conſilio, ut ſolaris annus cum urbis exordio conveniret, ſive propter nimiam intercalandi libidinem. Illud tamen propius vero videtur perpendenti tempus, quo res Romana ſumma diligentia adminiſtrabatur. Quæ quidem diſquiſitio quoniam multas difficultates affert, & propriam epiſtolam repoſcit, in aliud tempus reſervetur. Cæterum cal. Januariis conſtituto iterum anni initio, annus vagari deſiit. Cujus exempla (quis enim modus?) ſeligere & referre prætermitto. Exinde III. conſulatum iniit Cæſar, oppreſſa republica, nec aliud principium, ſed aliam anni normam promulgavit. Quin etiam ut id perpetuum eſſet, & naturale cum civili componeretur, duos menſes inter Novembrem & Decembrem intercalavit. Quare Cenſorinus qui tale initium Cæſari attribuit, ſuperioris temporis

ſtatum

ſtatum aut non animadvertiſſe videtur, aut ignoraſſe. Cujus enim anni fecit exordium? Civilis? At is Romæ per annos CVI. uſurpabatur. Solaris? Eo reges diu uſi fuerant.

Quot igitur annus Romanus initia habuerit, & quoties conſulatus auſpiciis variatum ſit Romæ, cognoviſſe haud alienum cenſebis, cum proximis literis quæ de intercalario anno expetis, tibi præſtabo. Fac valeas.

D. Patavio prid. Id. Febr. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA XXXVII.

De anno Romano intercalario, & de Olympiis ſive myſteriis; & quibus annis de intercalatione antiquæ memoriæ loquantur.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

SI vales, bene eſt. Cum prid. id. Febr. ad te literas dediſſem, egregius juvenis Tabula civis tuus ad me venit Lupercalibus, ait, perendie in patriam, ſiquid ad te vellem. Promiſi continuo literas quamvis ſumme occupatus; ideo ad lucernam has dabam. Dieteris Romana, ut inſtituit Numa, primo an ſecundo anno intercalarium menſem exceperit, dum ſcire cupis, paucis indicare poſſum, ſed non paucis probare. Nequid inconſulte pronunciem, inquirendum eſt, & perpendendum diligenter, quibus annis eſſe intercalatum vel lapides Capitolini, vel auctores teſtentur. Antiquiſſima intercalatio habetur P. Furio, L. Pinario coſs. anno U. C. CCLXXXI., quo in lata lege intercalationem nominari ait Varro. Hanc prætermittam; quoniam quo anno facta non traditur. Sequuntur quas faſti triumphales oſtendunt.

C. Duilius. M. F. M. N. Cos. Primus. an. CDXCIII. Navalem. de. Sic. &. Claſſe. Poenica. egit Kal. intercalar.

Anno CDXCIII. quo cos. Duilius, ſive conſulatus principium ab id. Decembr. ſive a cal. Quint. repetamus, non actus eſt triumphus menſe intercalari, ſi, ut proxima epiſtola oſtenſum eſt, annus ad conſu-

lares,

lares, menſis & dies ad triumphales faſtos pertinebant; igitur CDXCIV. triumphatum eſt.

P. Cornelius. L. F. T. N. Lentulus. an. DXV.
Caudinus. Cos. de. Liguribus. idib. inter.

Quo anno Cornelium iſtum triumphaſſe dicemus? Annone DXV. quo magiſtratum iniit aut cal. Quint. aut idib. Martiis? Quo nomine antequam conſul? Inſequente fateri oportet.

Udius. M. F. M. N. Marcellus. Cos. a. DXXCVII.
alleis. contrur. eis. &. Liguribus
tibuſque interk.

De hac intercalatione ſi certior fieri vis, ſequere me ad Livium. Coſs. A. Hoſtilio, A. Attilio, quos anno DXXCIII. fuiſſe teſtantur Lapides Capitolini, Livius intercalatum eſſe meminit, & tertio die poſt Terminalia calendas intercalares habitas narrat. Item coſs. Q. Ælio Pæto, M. Junio, quos illa monumenta anno DXXCVI. adnotant, aliam refert intercalationem, & *poſtridie Terminalia intercalares* (ſcilicet *calendas* quod vetuſtas dempſit) fuiſſe. Anno itaque inſequente quo cos. Marcellus ſignatur, nulla intercalatio habita eſt (neque enim quotannis intercalabatur) igitur Marcelli triumphus contigit ann. DXXCVIII., quo etiam intercalatum eſt. Sed quid de prima Liviana? Cum intercalatum ſit annis DXXCVIII, & DXXCVI. etiam anno DXXCIV. fuiſſe fatendum eſt. Per continuos duos annos ergo intercalatum? Quod minus verum habendum: neque ſecus in Livio oſtenderem, ſi, quæ abſumpſit eo loco vetuſtas, non deſiderarem. Ad coſs. Q. Marcium, Cn. Servilium, qui anno poſt rempublicam adminiſtrarunt, profecto intercalatio illa ſpectat.

Eſt tertia in Livio dum ſcribit L. Scipionem Aſiaticum de Antiocho triumphum duxiſſe menſe intercalario prid. cal. Mart. Hic in Faſtis Capitolinis anno DLXIII. cos. notatur. Ut verum triumphi tempus determinetur, ipſum Scipionem in Aſiam proficiſcentem, & mox redeuntem ſequi oportet. Profectus eſt contra Antiochum circa V. id. Sextil. & poſt id. Brunduſio claſſem ſolvit. Calendis deinde Martiis anni DLXIV. per Helleſpontum copias trajecit, ubi aliquandiu ſtativa habuiſſe Livius tradit; quod Martio menſe, ut ab Ovidio docemur, ſacri dies incidunt, quibus ancilia moventur. Propterea dum P. Scipio, qui Salius erat, ſacerdotio fungitur, dumque cum ancilibus ſaltat, & carmina canit, mora & quies militibus a conſule imperanda fuit, ut P. Scipio exercitum & fratrem conſequeretur. Adde anni tempus & ſummam hiemem; nam ea tempeſtate Martiis calendis confectam eſſe

brumam oſtendam. Ubi itaque anni tempus ſivit, & apta pabulandi opportunitas ſecuta eſt, in Antiochum conſul movit. Quo debellato fugatoque ultra Tauri juga, per autumnum Aſiaticas res in ordinem digeſſit, & compoſuit. Quibus peractis, annus DLXIV. exceſſit. Sequitur DLXV., quo, deducto in hiberna milite, ſucceſſorem in ver Scipio operitur. Itaque, ut ait Livius, vere primo, quod Aprili extremo tunc appetebat, traditis Manlio conſuli copiis, ex Aſia diſceſſit, VIII. menſibus anni DLXV. ſuperantibus. Quos longo itineri, militibus præda onuſtis lente incedentibus, ſi dederis, breviori ſortaſſe temporis ſpatio in Italiam Scipio appellet, quam in Aſiam feſtinaverat. Hac ratione ad annum DLXVI. ventum eſt, quo intercalatio ex conſuetudine ſuberat. Itaque extremo menſe Mercedino, *anno fere*, ut poſteris mandavit Livius, *poſtquam abiit conſulatu*, hoc eſt poſtquam provincia exceſſerat, Scipio triumphum egit.

Deſcendam hinc ad inferiora tempora quibus M. Tullius floruit; de tranſactis enim intercalationibus nullæ literæ docent, & quæ docebant, amiſſas deſideramus. Tullius itaque Quinctium defendens intercalatum oſtendit, qui, Scipione & Norbano coſs. a. d. V. cal. interc. edictum latum eſſe contra Quinctium memorat, & prid. cal. eaſdem de fundo ipſum Quinctium deturbatum, dejectumque narrat. Hos quidem Conſules anno DCLXX. habemus, qui, ut illa tempora uſurpabant, ex cal. Jan. magiſtratum auſpicati ſunt.

Hucuſque vidimus paribus annis ex antiquo inſtituto eſſe intercalatum; quod Numa anno ſecundo nimirum poſt U. C. XL. incepiſſet. At extremis temporibus quibus omnia in republica peſſum iere, intercalandi etiam ſtatus immutatur, a paribus annis ad impares rejecta intercalatione. Quare anno DCCI. quo Pompejus III. cos. narratur, per interregem is creatus fuit menſe intercalario, ut ex Aſconio indicatum eſt. Et ſubinde eo malum proceſſerat, ut proximo anno DCCII. qui ex cal. Jan. Sulpitium & Marcellum conſules habuit, altera intercalatio inſtaret. Extat M. Tullii ad Marium epiſtola in hoc exemplum: *Nos hic multitudine & celebritate judiciorum, & novis legibus ita deſtinemur, ut quotidie vota faciamus, ne intercaletur.* Datæ literæ non ſolum poſt Milonis, ſed etiam poſt Burſæ damnationem. At Burſa nonne tribunus plebis, cum reus Cos. Pompejo ageretur Milo? Ut primum itaque Burſa e tribunatu abiit (quod factum eſt ex antiquo inſtituto a. d. IV. id. Decembr.) in judicium raptus eſt, & ſubinde damnatus. Quamobrem, coſs. Sulpitio & Marcello, ſcribebat Cicero anno DCCII. Januario vel Februario menſe, eoque non intercalatum fuiſſe ex literis

ad

ad Atticum miſſis declaravimus. Porro quam dubia & anceps eo tempore eſſet intercalatio, & quanta pontificum inconſtantia fieri ſoleret, indicat idem Tullius, dum Attico ſcribit: *cum ſcies Romæ intercalatum ſit necne, velim ad me ſcribas certum quo die myſteria futura ſint.* Quamvis legitimus intercalationis annus DCCIII. haberetur, tamen dubitabatur. Quis etiam ignorat, quantas in republica turbas excitaverit eo anno Curio, ut non unus, ſed duo menſes interponerentur, quo diutius ipſe in tribunatu foret, & Cæſar, cui favebat, in provincia? Ex quibus de illius anni intercalatione conſtat. Verumtamen quæ hinc anno III. coſs. C. Julio Cæſare iterum, & P. Servilio, peragenda erat, habitane ſit, an non (quamvis hoc potius ſuſpicer) ignoratur. Ideo ad extremum anni Romani tempus ad annum nimirum DCCVII. devolvimur, quo Cæſare III. & Lentulo coſs. non unum tantum menſem, quem conſuetudo expoſcebat, ſed tres interpoſitos, ut bruma cal. Januariis conficeretur, Suetonius exponit.

Cum hæc noctu, ut dicebam, ſcriberem, & pluvium cœlum nunciaretur, quo in craſtinum futuram ſementim, cui quotidie vaco, inhiberi videbam, noctem interponere ſtatui, ut per otium vegetiori mente perpenderem, numquid forte prætermiſiſſem, quod ad hanc quæſtionem pertinebat. Quare, ſecuto mane, dum ex commentariolis noſtris quæ tibi de anno Romano, quæque de intercalatione ſcripſiſſem, repetebam, & dum omnia jam peracta quæ noſtra induſtria peragenda erant, opinabar, ecce tabellarii cum tuis literis, quas heri ſcripſiſti. Has dum perluſtro, video te quotidie expectare non tantum de intercalatione (quod nunc actum eſt) ſed etiam de intercalario die, quem Romani quarto quoque anno exacto interponere ſolebant. Hoc enim additamentum nullius momenti eſſe ſcribis; quoniam narratur, & in vulgum fertur apud omnes, id ab Joſepho Scaligero adeo ſcite docteque expoſitum, atque illuſtratum, ut amplius dubitandum non ſit. Quandoquidem ita vis, id ipſum exquiramus. Sed quid ſcribere poſſum quod ſuſpicionibus & conjecturis non innitatur? Ratione quidem quarto quoque anno diem eſſe intercalandum aſſequimur. Macrobius etiam diei intercalaris præter Mercedinum mentionem facit. Adde Tullium myſteria, id eſt Olympia Romana commemorare. Attamen quo anni tempore, quo menſe, quo menſis die agerentur, non liquido cerno. De anno habeo quid, quod iniquo animo non feres. Perpende Tullianum illud quod ſupra poſui: *cum ſcies Romæ intercalatum*. Annus erat U. C. DCCIII., quo proconſul Cicero Attico ſcribebat. Ab hoc annos Romæ XXIIX. ante Numam eximito, ſuperſunt anni DCLXV., ſive Olympiades

CLXVI., quas luſtra appellatas cum doceat Cenſorinus, accipio libenter. Anno igitur DCLXV., qui, exemptis luſtris, reſtat, Olympias Romana dicebatur, ſive luſtrum a prima origine CLXVI. anno I., & Græca Olympias CXXCII. anno III. Hoc tibi myſteriorum annum fortaſſe probabit. Myſterium autem ſive arcanum cur iſtam intercalationem appellaſſent Romani, ſi expetis ſcire, explicare videtur Macrobius falſa veris immiſcens & confundens. Ait diei intercalationem pontificibus mandatam, ut cum calendas Januarias anni principium in Nundinas incidere prænoſcerent, diem interponerent, & ſic omen everterent; quippe annus a Nundinis incipiens (qualem fuiſſe narrat Dio Caſſius DCCI. quo interfectus Clodius) infauſtus & luctuoſus haberetur. Hæc autem in vulgum jactata: ſed in abditis erat, expulſis regibus, cum magna celebritate ex agris conveniret populus, ut nonas Servii Tullii regis natalem diem (cum ignoraretur enim quo menſe natus eſſet, nonas cunctas, quibus natum conſtabat, ſacras habebant) ne ad hanc frequentiam Nundinarum etiam conventus adderetur, &, ne regum deſiderio concitarentur animi, interjecto die, nonas a Nundinis ſeparari. Hæc de nomine. Vera tamen intercalandi ratio, ut tempora cum ſolis natura convenirent. Sed quo tandem menſe? Quo? Optime quæris: ſi ſcirem, ſtatim proferrem. Quare ut certum, nihil habeo: ut veriſimile, Caniculæ exortum Bœotiorum exemplo. Non te latet Eudoxi annum Romano inſertum dici. Quod etſi falſum deprendimus, quædam tamen traducta adverto; ideo diei intercalationem Bœotia regula in anno Romano ſcrutari patieris. Hæc enim quando cum annis Olympicæ Octeateridis III., & VII. copulatur, quibus primus & quintus Octeateridis Eudoxi annus adhæret, nonne ingenti argumento eſt, eandem primum pontificum arbitrio locabilem permiſſam, mox Eudoxi diſciplina recepta, in extremum Bœotium luſtrum ſubſediſſe? Quadrat conjectura, ſi Tullianas literas ad Atticum expendamus. Scriptum eſt in illis quas datas extremo Februario anno DCCIII. commemoravi, ad hunc modum: *Quinto togam puram Liberalibus cogitabam dare; mandavit enim pater: ea ſic obſervabo, quaſi intercalatum non ſit.* Jam vides per Liberalia deſperaſſe Tullium de intercalatione certiorem fore. Qua cura poſthabita, de myſteriis iterum poſtulat: *facieſque me in quem diem Romana incidant myſteria, certiorem.* Cur autem? Quod provincia exceſſurus erat IV. cal. Sextil., ideo, cum ominoſa eſſet intercalatio, ne in vulgi reprenſionem incideret, ſive quo die futura erat, prædiſcere Proconſul neglexiſſet, ſive, eo cognito, majorum inſtitutum ſciens volenſque non curaſſet, id prænoſcere exoptabat, ut iter poſthaberet,

aut

aut in via ſubſiſteret. Hoc autem anno Eudoxi Octeateris prid. non. Sextil. inchoatur; quare Olympia inter III. non. Sext. & prid. non. ejuſdem concluduntur.

Hæc erant quæ de die intercalario, cum annus Romanus ageretur, ad hoc tempus ſciebam. Quid, inquies? Reliqua cur ſupprimis? Num Scaligeri gloriæ invidens, quæ præclarus auctor ad Olympia Romana illuſtranda ex epiſtolis ad Atticum lib. XV., & XVI. affert, ne quid tanto ſcriptori debuiſſe videaris, non integro animo ſilentio prætermittis? Ingenui ſane viri eſt fateri per quos edoctus. Cur igitur te legiſſe diſſimulas quæ in ejus volumine, quod *de emendatione temporum* inſcribitur, omnibus linguis celebrantur? Scriptum eſt in eodem de Romanis myſteriis ea doctrina, ut hominem totius antiquitatis peritiſſimum decebat. *Sed Cicero*, ait, *ad Atticum* (de myſteriis) *diſerte ac clare ita expreſſit, ut dubitandum amplius non ſit*. Nunc Romana Olympia ex Tullio percipe, & Scaligerum, qui primus fontes monſtraverit, debita laude, gratique animi officio proſequere ac cultu. *De meo itinere variæ ſententiæ; multi enim ad me. Sed tu incumbe, quæſo, in eam curam: magna res eſt. An probas ſi ad calendas Januarias cogitemus? Meus animus eſt æquus. Etiam ſcribe quo die Olympia, quum myſteria ſcilicet ut tu ſcires*. Audiſne quam aperte, quam clare, quam dilucide M. Tullius per myſteria diem inrercalarem oſtenderit? Cur his non uteris, Scaligeri etiam auctoritate comprobatis? Me miſerum!

Quid me alta ſilentia cogis
Rumpere?

Egone tibi iſta exſcriberem de Romana intercalatione agens, quæ de Julia, anno ad ſolarem motum digeſto, & jam tertio vergente, Tullius ſcribebat? Egone tibi in tuas privatas manus mittere auderem, quæ Scaliger tam inconſulte in omnes? Atque utinam ea quæ ad te ſoleo, talia exiſtimares, ut de optimis inferioris ætatis ingeniis hauſta crederentur. Verum, ut ingenue fatear, neque Scaligerum, neque alium præter illos veteres, quos & laudo, & colo, ad hæc, qualia qualia ſint, auctores ſequor. Illis utantur qui ingenii facie blandiri volunt: nos veritatem inquirentes, fontes obſcuriſſimis vetuſtatis receſſibus abditos, rivis poſthabitis qui a recto capite ſiniſtris opinionibus oberrant, conſectamur. Etenim quid ex Scaligero depromam? Iſta, credo, myſteria, quæ, inteſtinis ſeditionibus ardente republica, cum M. Tullius ſecedere in Græciam pauliſper decreviſſet, ut filium inviſeret, ſcire avebat ab Attico quo die contingerent, quibus iter facienti religio & omen offerebatur? Dicam itaque cum Scaligero ἐμφατικοτέρως:

en tibi Romana Olympia quæ per æſtatem peragebantur. Audi quam diſerte, quam clare Cicero expreſſit iterum, uno tantum præterito verſu: *dubitemus igitur*; *hiberna enim navigatio odioſa*, *eoque ex te quæſieram myſteriorum diem*. Hæc æſtivane, an brumalis intercalatio videtur? Quid? Juliane, qua, peractis Terminalibus quarto quoque anno abſoluto utimur, & tunc primum uſi ſunt Romani, an priſca æſtivis menſibus agi ſolita, ſed jam antiquata? Dabantur enim literæ ad Atticum a. d. VI. non. Quint. Non vides, cum hibernam navigationem Decembri menſe, quo extremo conficiebatur bruma, exhorreſceret Cicero, ſi ad extremum Februarium dum ſe frigus remitteret, & frangeret, quo tutius & commodius navigaretur, reditum ſuum differret, propterea myſteriorum diem ſciſcitari? A quo tamen itinere ventis in contraria ferentibus prohibitus, duas maximas vituperationes effugiſſe lætatus eſt lib. XVI.; quippe rumores increbuerant, afflicta & proſtrata inter civiles tumultus patria, ſe de Reipublicæ ſalute deſperaſſe: deinde quod ferebatur ad Olympia, ut ludos ſpectaret, proficiſci. Ubi igitur in Scaligero Romana intercalatio? Ubi myſteria? Ubi Olympia, quibus ad Numæ annum explicandum utamur? Sed dimittamus Scaligerum ſcriptorem χρονολογικὸν non inutilem, magna tamen circumſpectione tractandum. Equidem & Tulliana allata ſuam utilitatem habent; quod enim Cicero communi myſteriorum voce tam anno Romano, quam Julio diei intercalationem ſignificat, utrumque extitiſſe, atque idem non re, ſed tempore diſcriminatum demonſtrat. Perſpicuum etiam, cum Tullius in Græciam proficiſcens hiemalem navigationem, & ominoſa Olympia timeret, quæ futura Panſa atque Hirtio Coss. anno DCCX., de iiſdem quoque fuiſſe ſolicitum, cum IV. cal. Sextil. provincia excederet, coque ſpatio quo ſupra commemoravi, intercalari diem ſolitum; necnon liquet anno IV. ſolari ineunte diem poſtridie Terminalia primum intercalatum. Quod pontificum vitio, ut in literas relatum eſt, factum eſt, cum V. annum incipientibus, non IV. id peragendum mandaſſet Cæſar.

Annus itaque in Romana Republica ita ſe habebat, non temere & inordinate inſtitutus, ut pleriſque perſuaſum eſt omnia ad Cæſarem revocantibus. Hujus imaginem, ut in aliis præſtiti, quam primum habeas, curabo. Vale.

D. Patavio XIV. cal. Mart. CIↃ IↃCC XXXV.

EPI-

Tab.
CXVI.

TABULA XXVI. Pag. 335

Annus Civilis Romuleus XLV.

Sol Taurum adit XVI. cal. Septembr.
Martius VIII. cal. Septembr.
Sol Geminos adit XIV. cal. Octobr.
Aprilis VII. cal. Octobr.
Sol Cancrum adit XIV. cal. Novembr.
Majus VIII. cal. Novembr.
Solſtitium VII. cal. Novembr.
Sol Leonem adit XIII. cal. Decembr.
Junius VII. cal. Decembr.
Sol Virginem adit XIII. cal. Januar.
Quintilis VIII. cal. Januar.
Nonis Quintilibus mors Romuli prid. cal. Januar.
Sol Libram adit XIV. cal. Febr.
Sextilis VIII. cal. Februar.
Æquinoctium autumni VII. cal. Febr.
Sol Nepam adit XII. cal. Mart.
September VI. cal. Mart.
Sol Sagittarium adit XIV. cal. April.
October VII. cal. April.
Sol Capricornum adit XIV. cal. Maji.
Bruma VII. cal. Maji.
November VI. cal. Maji.
Sol Aquarium adit XV. cal. Jun.
December VII. cal. Jun.
Sol Piſces adit XV. cal. Quint.

Annus Civilis Romuleus XLVI.

Martius VII. cal. Quint.
Sol Arietem adit XVI. cal. Sextil.
Æquinoctium vernum IX. cal. Sextil.
Aprilis VII. cal. Sextil.
Sol Taurum adit XVI. cal. Septembr.
Majus VIII. cal. Septembr.
Sol Geminos adit XIV. cal. Octobr.
Junius VII. cal. Octobr.
Sol Cancrum adit XIV. cal. Novembr.
Quintilis VIII. cal. Novembr.
Solſtitium VII. cal. Novembr.
Sol Leonem adit XIII. cal. Decembr.
Sextilis VII. cal. Decembr.
Sol Virginem adit XIII. cal. Januar.
September VIII. cal. Januar.
Sol Libram adit XIV. cal. Febr.
October IX. cal. Februar.
Æquinoctium autumni VII. cal. Febr.
Sol Nepam adit XII. cal. Mart.
November VI. cal. Mart.
Sol Sagittarium adit XIV. cal. April.
December VII. cal. April.
Sol Capricornum adit XIV. cal. Maji.

Ann. I. Numæ.

Calendæ Januariæ: Bruma VII. cal. Maji.

EPISTOLA XXXVIII.

De Dieteride Romana civili & ſolari.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

QUod vereris ne quotidianæ tuæ literæ mihi moleſtiam afferant, & ab inſtitutis cogitationibus retardent, ſcito nihil eſſe, de quo a te minus ſit dubitandum. Qualis enim magnanimi ducis nunc præmia, nunc laudes miſcentis laboranti militi vox; qualis remigibus tempeſtate vexatis experti naucleri cohortatio; qualis villici feſſis meſſoribus oratio:

ἐκ αἰὲὶ δέρῳ ἔσσεται· ποιήδε καλίας.

tales mihi tuæ literæ omni officiorum genere refertiſſimæ. Solvitur cura omnis, & remittitur moleſtia: ſtudium autem & contentio intenditur, dum tuum erga me animum, & tam præclara benevolentiæ ſigna velut præſens intueor, & ſpecto. Quæ enim ſcripſi, tanti eſſe non video, ut aliquam tuorum in me officiorum partem aſſequi valeant. Quapropter ceu ex integro quotidie me excito & exſtimulo. Itaque peracta verna ſementi, cal. Mart. quod primum vacuum tempus nactus ſum, id tibi tribuam, & addicam. Et quoniam proxime de anni Romani exemplo tibi ſignificáveram, id nunc retexam, meamque fidem abſolvam.

Anno igitur poſt C. U. XXXIIX. acto, abſolutoque civili Romuleo XLVI., quo bruma, ut in Tabula XXVI. adnotatur, ad anni initium, quod antiquitus obtinuerat, revocata eſt, novam anni formam ex cal. Jan. Numa edixit, unde primum dieteridis civilis exemplum ex anno noſtro producam. Tab. XXVI.

Ann. I.		Ann. II.	
I.	Januarius cal. Januar.	I.	Januarius XVI. cal. Jan.
II.	Februarius III. cal. Febr.	II.	Februarius XVIII. cal. Febr.
III.	Martius VIII. cal. Mart.	III.	Mercedinus VII. id. Febr.
IV.	Aprilis VIII. cal. April.	IV.	Martius VII. id. Mart.
V.	Majus IX. cal. Maji.	V.	Aprilis V. id. April.
VI.	Junius IX. cal. Jun.	VI.	Majus VIII. id. Maji.

VII.

VII.	Quintilis X. cal. Quint.	VII.	Junius VI. id. Jun.
VIII.	Sextilis X. cal. Sextil.	VIII.	Quintilis nonis Quintil.
IX.	September XII. cal. Sept.	IX.	Sextilis VII. id. Sextil.
X.	October XIII. cal. Octob.	X.	September nonis Septembr.
XI.	November XIII. cal. Nov.	XI.	October IV. non. Octobr.
XII.	December XIV. cal. Dec.	XII.	November prid. non. Nov.
		XIII.	December III. non. Decembr.

Quapropter alterum biennium cal. Januariis in ſuum principium redit. Ab hac regula ſubinde paululum receſſere Romani, appoſito Februarii die, quem *Regifugium* vocarunt, ut infra exaratum eſt.

Ann. I.		Ann. II.	
I.	Januarius cal. Januar.	I.	Januarius XV. cal. Jan.
II.	Februarius III. cal. Febr.	II.	Februarius XVII. cal. Febr.
III.	Martius VII. cal. Mart.	III.	Mercedinus V. id. Febr.
IV.	Aprilis VII. cal. April.	IV.	Martius VII. id. Mart.
V.	Majus VIII. cal. Maji.	V.	Aprilis V. id. April.
VI.	Junius VIII. cal. Jun.	VI.	Majus VIII. id. Maji.
VII.	Quintilis IX. cal. Quint.	VII.	Junius VI. id. Jun.
VIII.	Sextilis IX. cal. Sextil.	VIII.	Quintilis nonis Quintil.
IX.	September XI. cal. Sept.	IX.	Sextilis VII. id. Sextil.
X.	October XI. cal. Octobr.	X.	September nonis Septembr.
XI.	November XII. cal. Nov.	XI.	October IV. non. Octobr.
XII.	December XIII. cal. Dec.	XII.	November prid. non. Novembr.
		XIII.	December III. non. Decembr.

Quid vero commodi, aucto anno civili, perceperint Romani, ignoramus. Hoc quod in propatulo eſt, videmus, tria nimirum tempora ad menſium initia eſſe tradu&ta, ut in anno ſolari, de quo continuo agam, apparet.

Tab. XXVII. VIII. Itaque cal. Januar. Pompilias (anno enim Numæ dierum CCCL. utar) ſol Capricornum ingreſſus anni primordium cal. Jan. præbebat. Cal. item Jan. Bruma agebatur. Die inde XXX. elapſo, ſol in Aquarium ſcandit VII. cal. Febr., in Piſces vero VI. non. Mart. quo ver aperitur. Cal. April. ſol in Arietem tranſitum facit. VI. id. Apr. Æquinoctium I. Quare inter brumam & æquinoctium vernum dies XC. intercedunt. Robigalia anno Numæ XI. inſtituta die Arietis XXV. celebrantur VI. cal. Maji. VI. non. Maji verni temporis dies LX. finiuntur, & æſtivi inchoantur. V. non. Maji ſol Taurum ingreditur, &

prid.

TABULA XXVII.

Dieteris Romana cœleſtis.

Ann. I.



d. VIII. Sol Capricornum adit VIII. cal. Jan.
Bruma cal. Jan.
Sol Aquarium adit VII. cal. Febr.
d. XC. Sol Piſces adit. Veris initium VI. non. Mart.
Sol Arietem adit cal. Apr.
d. LX. VIII. Æquinoctium vernum VI. id. Apr.
d. XXV. Robigalia VI. cal. Mai.
d. XCIV. Æſtatis initium VI. non. Mai.
Sol Taurum adit V. non. Maji.
Sol Geminos adit Prid. non. Jun.
d. VIII. Sol Cancrum adit Prid. non. Quint.
d. CXX. Solſtitium III. id. Quint.
Sol Leonem adit VIII. id. Sext.
d. XCII. Autumni initium IV. non. Sept.
Sol Virginem adit VI. id. Sept.
d. VIII. Sol Libram adit VII. id. Oct.
d. XXX. Æquinoctium autumni XVII. cal. Novembr.
Sol Scorpionem adit VI. id. Novembr.
d. XXCIX. Hiemis initium IX. cal. Decembr.
Sol Sagittarium adit VI. id. Decembr.

Ann. II.

d. VIII. Sol Capricornum adit V. id. Jan.
d. CXX. Bruma XV. cal. Febr.
Sol Aquarium adit IV. id. Febr.
Sol Piſces adit XV. cal. Mart.
d. XC. Veris initium VI. non. Mart.
d. VIII. Sol Arietem adit XVI. cal. April.
d. LX. Æquinoctium vernum IX. cal. Apr.
d. IX. Sol Taurum adit XIV. cal. Maji.
Robigalia VI. cal. Mai.
d. XCIV. Æſtatis initium VI. non. Maji.
Sol Geminos adit XIII. cal. Jun.
d. VIII. Sol Cancrum adit XI. cal. Quint.
d. CXX. Solſtitium IV. cal. Quint.
Sol Leonem adit XI. cal. Sext.
Sol Virginem adit IX. cal. Sept.
d. XCII. Autumni initium IV. non. Sept.
d. VIII. Sol Libram adit VIII. cal. Oct.
d. XXX. Æquinoctium autumni cal. Oct.
Sol Scorpionem adit IX. cal. Novembr.
d. XXCIX. Sol Sagittarium adit. Hiemis initium IX. cal. Dec.

Ann. I.

d. C. Bruma cal. Jan.
Veris initium VI. non. Mart.

TABULA XXVIII. Pag. 337

Dieteris Romana Cœleſtis, appoſito Regifugio.



prid. non. Jun. in Geminos fertur, ac demum in Cancrum aſcendit prid. non. Quint. III. id. Quint. ſolſtitium ab æquinoctio verno diebus XCIV. ſejunctum habetur. VIII. id. Sextil. ſol in Leonem declinat, & Canicula mane attollitur. IV. non. Septembr. poſt dies CXX. ceſſat æſtas, incipitque autumnus. VI. id. Septembr. ſol ad Virginem permeat, & VII. id. Oct. in Libram; ideo die octavo XVII. cal. Novemb. autumni æquinoctium diebus a ſolſtitio XLII. metimur. VI. id. Novembr. Nepam ſol petit. IX. cal. Decembr. autumnales dies XXC. finiuntur, & incipiunt hiberni. VI. id. Decemb. ad Sagittarium ſol tranſit, cujus partem XXIII. dum adit, primus civilis annus perficitur, & ſecundus inchoatur. Verumtamen ſignifer orbis in a. d. VI. id. Jan. deſinit, & poſtridie ſol repetit Capricornum. Tunc bruma a cal. Jan. in a. d. XV. cal. Febr. removetur. IV. id. Febr. primæ Aquarii partes illuſtrantur. XV. cal. Mart. menſe intercalario ſol Piſcibus inſidet. In a. d. VI. non. Mart. veris initium ea ratione, quam in Chaldaica aſtronomia tibi recenſui, recurrit. XVI. cal. April. ſol ad Arietem penetrat. IX. cal. April. æquinoctium vernum. XIV. cal. Maji ſol in Taurum introitum facit. VI. non. Maji æſtivi temporis principium. XIII. cal. Jun. ſol abit e Tauro, Geminoſque ſubit, ac XI. cal. Quint. in Cancrum aſcendens, IV. cal. ejuſdem ſolſtitium oſtendit. XI. cal. Sextil.

in vaſtos ſurgit Nemeæus hiatus,
Exorituque Canis, latratque Canicula flammis.

IX. cal. Septembr. ſol in Virginem fertur, cujus partem X. obtinente ſole, IV. non. Septembr. autumnus exordium capit. VIII. cal. Octobr. ſol in Libram trajicitur, & cal. Oct. die Libræ octavo autumnale æquinoctium notatur. IX. cal. Novemb. ſol in Scorpionem deſcendit. IX. cal. Decembr. hibernum tempus ſol Sagittarium ingreſſus reddit. VIII. cal. Januar. bis cœleſtia ſigna remenſus in ſua ſede adit Capricornum. Quare, tertio ineunte anno, bruma cal. Jan. quibus primo acta fuerat, peragitur.

Hoc itaque modo Chaldaicum annum primum egere Romani. Paulo poſt, die anno appoſito, breviorem intercalarium menſem, longiorem autem civilem annum ea regula, quam tabula XXVIII. oſtendit, inſtituerunt. Vale. Tab. XXVIII.

D. Patavio cal. Mart. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA XXXIX.

De Dieteride Romana Eudoxi Faſtis exornata.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

AIſne invito animo me monere ; quod veritus ſis , ne commovear? Μὰ γῶ, μὰ κρήνας , μὰ ποταμὸς, μὰ νάματα non ſolum id æqui ac boni facio , ut ſcribis , ſed etiam ad cætera tua in me merita tanquam maximum cumulum appono. Intelligo enim , dum mihi talia præſtas, me a te plurimum amari . Sane difficultati occurrere exciderat , cum id facere ſtatuiſſem . Profecto erunt plurimi qui annum Romanum Eudoxi , vel Metonis faſtis exornari putent . Neque ſolum Lucano, de quo illud viget ex Cæſaris ore:

Nec meus Eudoxi vincetur faſtibus annus,

ut ſuſpicaris , utentur , ſed etiam Columellæ auctoritate , cujus hæc ſunt : *verum in hac ruris diſciplina ſequor nunc Eudoxi & Metonis antiquorumque faſtos aſtrologorum , qui ſunt aptati publicis ſacrificiis ; quia & notior eſt iſta vetus agricolis concepta opinio* . Videſne quale telum eſſet contraria opinantibus paratum? Quas turbas mihi dediſſent , ſi , quæ tibi privatim ſcribebam , evulgaſſem? Caveamus itaque dum licet, & arma, quibus adverſus nos uſuri erant, in ipſos , te duce , jaculemur . Inquirere igitur oportet , & ante occupare anni formam , quam ex Metone , Eudoxo , antiquiſque aſtrologis repetunt . Quamvis enim non omnia vera, quid tamen verum inveniemus , populari fama, quam Lucanus & Columella ſecuti ſunt , falſa & vera ſine diſcrimine aucupante . Et falſum quidem quod de æquinoctiis & ſolſtitio ac bruma memorat Columella . Tota iſta ratio, qua in octavis ſignorum partibus anni momenta conſtituunt , Chaldaica eſt , Græcis , ut vidimus , ſecus diſcernentibus . Quam Romani cum ignoraſſent (ex antiquis enim & obſcuris temporibus repetenda erat) & nimis quam par videbatur , Græcis indulgentes , ad Græcos referebant (quod Græcis adjecta erat atque immixta) quibus etiam diſciplinas omnes liberaleſque artes gloriæ & laudi dabant . Exoleverant jam majorum inſtituta , qui ex Hetruria ad juventutem informandam doctores arceſſebant . Memoria exciderat Numa Chaldaici & Romani anni auctor . Quod inferiore ætate

vige-

TABULA XXIX. Pag. 339.

Dieteris Romana Eudoxi Faſtis ornata.



vigere cepit, ſemper Romæ viguiſſe opinabantur. Hinc Græcum annum haberi, Græco ritu intercalari, Græco inſtituto cardines digeri, Græca regula computari tempora vulgo tenebant. Quæ quando falſa offendimus, quid ſupereſt, niſi de temporibus diligentius quærere, ſi forte præter Chaldaica etiam Græca acceperint? Novam itaque tabulam inſtituam, & Chaldaicis Bœotia immiſcebo. Sed quid novam voco, quæ mera Romana, neque alia ab illa quam tibi proxime miſeram? Hanc igitur aſtrorum converſionibus, ut Bœotii adnotant, exornemus.

VII. cal. Febr. in Aquarium tranſire ſolem diximus; VI. propterea id. ejuſdem Favonii ſpirare incipiunt die Aquarii XIV., ut Eudoxus animadvertit. A Favonio autem veris principium duxere Græci, duxere & Romani. Quin Cæſari pridie vernum tempus exiſtit. Neque aliud initium poſuit Columella. Quod correxit Auguſtus, & in antiquam ſedem revocavit, ut ex Plinio non obſcure colligitur. Cal. Martiis, adeunte Piſces ſole, Arcturus die quarto veſperi Eudoxo prodit. Decimo vero quarto Piſcium die Democritus Ornithiis principium determinat, & flare ait per dies IX. Qua de cauſa incipiunt prid. id. Mart., ceſſant X. cal. April. Ab hoc in æquinoctium dies XV. ſpectant, quos Cato Oleæ putationi aſſignat. VI. non. Maji permeante Taurum ſole, X. cal. Jun. die Tauri XXII. Eudoxo Vergiliæ mane oriuntur. Hic finis dierum XLV. ab æquinoctio verno, & ab Ornithiis LX., de quibus Cato in Oliveti cultura. Animadvertere etiam oportet quo ſpectent dies L. a vere, quos idem Cato inſerendis arboribus adſcribit. Ad Sucularum veſpertinum occaſum anno I. pertinere opinor, qui fit Eudoxo die Arietis XXI. & tempeſtatem portendit; altero autem anno ad veſpertinum etiam Canis occaſum, qui, prodeunte in Taurum ſole XIV. cal. Maji, evenit XI. cal. ejuſdem die Tauri Eudoxo IV. De quo egregius vates: Tab. XXIX.

Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus, & averſo cedens Canis occidit aſtro.

Quod ſidus per ſe vehemens cum occideret, quatriduum inſeſtum futurum ſignificabat; propter quod publicis ſacrificiis Caniculam immolando placare ſoliti. Cato itaque, antequam decretorii dies incidiſſent, vernam inſitionem peragendam præcepit. Die Leonis XXII. Eudoxo Fidicula mane occidit V. cal. Sept. anno I., & prid. id. Sextil. anno II. Hoc ab Auguſto retentum eſſe oſtendam, quod Cæſar prid. adnotaverat. Porro quo derivabimus dies L. a Solſtitio, quibus Cato æſtivam inſitionem circumſcribit, & quos Heſiodus navigantibus proſperos promittit? In autumnum quidem, qui die quinquageſimo a ſolſti-

tio inchoatur . VI. cal. Dec. ann. I. , & III. id. Novembr. anno II. die Scorpionis XIX. Eudoxo Vergiliæ matutinæ delabuntur . Hoc alterum Cæſar in novum annum pridie agendum traduxit , quod tamen brevi immutatum eſſe , & ad priſtinam ſedem hiemem reſtitutam Plinius oſtendit.

Hæc eſt anni Romani facies Eudoxi aſtronomia expolita, in qua nihil de antiqua forma detractum eſt .

Cæſari Albanenſi noſtro belliſſimo ſalutem memento : ejus literas accepiſſe narrato , & confeciſſe quod mandaverat . Vale.

D. Patavio VIII. Id. Mart. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA XL.

De Dieteride Romana ſolari diebus LIII. a cal. Jan. remota.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

O Jucundas tuas literas, amore, officio, ſuavitate, prudentia refertiſſimas , in quibus animus tuus ex omni parte manifeſtus! Riſi Numam παλίμβιον . Facete quidem , & amice . Sed noli , mi Andrea , mihi tantum tribuere . Quidquid præſtitiſſe videor , ad te referendum judico . Te impulſore , ac duce , tantarum rerum molem ſuſcepi , & ſuſtinui . Quare tuorum conſiliorum fructum tu a me repetere debes : ego ultro defero.

Nunc ex Romana meſſe quod deſideras , ſpicilegium accipe . Quo tempore annum Romanum longe a bruma inceperit morari , quo auctore, & qua de cauſa, non plane mihi exploratum eſt. Pontificibus, quibus a Numa demandata erat anni moderatio , omnes quos legi , auctores vitio vertunt, & quidem recenti ab ultimo videlicet reipublicæ tempore id repetentes . Poſt quos , etſi permoleſte fero meam interponere ſententiam , tamen officio quo me fungi voluiſti , adductus , illius ævi pontifices ab hac reprenſione vindicarem . Neque inaniter temereque id facto. Exſtant hiſtoriæ quibus opinionem meam confirmem. U. C. anno DXXCV., L. Æmilio Paulo iterum cos., III. non. Septembr. quo luna terræ interpoſitione defecit, quod anni tempus eſſet , Livius hoc modo deſcri-

deſcribit : *Anni* (tempus) *poſt circumactum ſolſtitium erat , hora diei jam ad meridiem vergente , iter multo pulvere , & incaleſcente ſole factum erat* . Quid tibi videtur ? Autumnalemne , ut priſco anno , an ſolſtitialem Septembrem habebis ? Certe eo anno non intercalario ſolſtitium in prima Cancri parte peractum opinor IV. cal. Septembr. Sed quando in hunc locum incidimus , mendum in optimo ſcriptore indicabo , ſi forte ignoras . Prid. non. Septembr. cum cæſus fugatuſque eſſet Macedonum exercitus , victoriæ nuncium Livius ait Romam veniſſe a. d. X. cal. Octobr. *Tertius decimus dies erat ab eo quo in Macedonia pugnatum eſt* . Ex a. d. X. cal. Octobr. in prid. non. Septembr. dies decimus octavus numeratur. Quare victoria nunciata a. d. XV. cal. Octobr. quem ſecundum ludorum Romanorum diem fuiſſe idem ſcriptor teſtatur . Non valde abſimili macula inficitur Eutropius qui iſta a Livio deſumpſerat : Παῦλος δὲ τείτῃ τῦ μηνὸς τῦ Σεπτεμβρίυ συμμίξας τῷ Περσεῖ . δ' enim fuit ſive τεσσαρτῃ , non τείτῃ .

Anno quoque anteriori , Coſs. Q. Martio Philippo , Q. Servilio Cepione , qui honorem inierunt idibus Mart., ut tunc anni principium ſervabatur , peractis iis quæ multa , antequam in provincias irent conſules , agere ſolebant , narratur a Livio *principio veris quod hiemem eam quæ hæc geſta ſunt , inſecutum eſt , ab Roma profectum Q. Marcium Philippum conſulem* . Eadem refert anno DLXV. coſs. M. Valerio Meſſalla, C. Livio Salinatore : eadem anno DLVII. L. Furio Purpureone, M. Claudio Marcello coſs. Quin toto Annibalici belli ſpatio , quo idus Martiæ novis conſulibus auſpicia erant , alium anni ſtatum , ſi diligenter conſideres , non cognoſces . Quare ſi tunc eodem intervallo , quo extremis reipublicæ temporibus indicabo , ver ab idibus Martiis diſtabat , quis ob ea quæ tot annis ante contigerant , ſequioris ætatis pontifices reprenderit ? Jam vero quis vitio vel negligentiæ dederit , quod certo conſilio videtur admiſſum , & probatum ? Animadvertentes enim , ut opinor , pontifices , ſecundo menſe intercalatione acta , perturbari annum , quæ commodius extremo anno fieret , brumam vel non intercalando , vel quod erat calendæ Januariæ , Martias indicando , ad Martias calendas revocarunt . Hoc etiam modo , ut ad te jam ſcripſi , anni ſolaris principium , & magiſtratuum auſpicia cum urbis annis compoſita ſunt .

Attamen quoniam in tam difficili , & ſcopuloſo loco verſamur , inquirere amplius oportet , & ponderare omnia eouſque donec ab omni dubitatione liberemur . Anno U. C. DXVI. prodit Plinius III. cal. Majas inſtituta eſſe Floralia , ut omnia bene defloreſcerent . Si ad veterem annum hæc referantur , verno die LIX., non video quid Flora floribus

præ-

præſtare poſſit, quo tempore nulli in arbore remanent, niſi in Olea & Vite, quæ ſerotinæ ſunt, inquirantur. At contra, bruma cal. Martiis conſtituta, in Piſces ſol tranſibit anno I. VIII. cal. Maji, anno II. V. id. April. & ver erit ex cal. Maiis, tunc

Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva ſinus; ſuperat tener omnibus humor,
Inque novos ſoles audent ſe gramina tuto
Credere, nec metuit ſurgentes pampinus Auſtros,
Aut actum cœlo magnis Aquilonibus imbrem,
Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes.

Tunc opportune colonus vel agna vel vitulo faciet, Floramque thure, & ſertis ſibi propitiabit, quo melius pometa ſua defloreſcant. Perge inde mecum in villam, & qua lege uvam, quæ *vinum pendens* antiquis erat, Cato noſter addicat, ſpectato: *Locus vinis a. d. cal. Octobr. primas dabitur: ſi non ante ea exportaveris, dominus vino, quod volet, faciet.* Quæ ſic accipies, ut ante futurum autumnum qui VIII. cal. Novembr. continget, vacua cella & dolia domino relinquantur. Si uva emptorem non inveniet, qua lege vinum in doliis venire oporteat, iterum Catonem audiamus: *Vinum accipito ante cal. Jan. primas*, nimirum ante hiemem; quod non expedit domino vel in brumam differre, vel in ver. Etiam *qua lege pabulum hibernum venire oporteat*, percipe: *Pabulum frui accipito ex calendis Septembribus*, videlicet a ſolſtitio; quia ante ſolſtitium prata ſecantur, deinde ſubmittuntur in pabulum. *Decedito ubi Pirus florere ceperit.* A ſolſtitio igitur in ver venit pabulum. *Cætero pabulo cal. Martiis cedito.* Si ver, quo Pirus floret, cal. Martiis contingeret, ſupervacanea eſſet exceptio. Verum, quoniam a cal. Martiis, id eſt a bruma multa in vallibus, ſilvis, collibuſque virere incipiunt, propterea ſic pabulum in iis locis veneat, ut poſt brumam emptor decedat.

Verum enimvero ſi his in eandem ſententiam concurrentibus nondum ſatis cernimus, quod profunda temporum caligine, & præpoſteris hominum opinionibus implicatur, rejectis reliquis quæ hiſtoria ſuppeditat, rem totam paucis conficiam, & maximum probationis pondus ad reliqua apponam. Cos. Æmilio Paulo & bellum in Macedonia gerente, III. non. Septembr. ab hora noctis II. ad IV. defeciſſe lunam audivimus. Id deliquium anno Julio contingere tradit Petavius ſummus aſtronomus XI. cal. Quint. hora a meridie VIII. Quot dies intercedunt? LXXIV. Tunc brumam cal. Mart. ſervatam coniicimus. A cal. itaque Jan. ad cal. Mart. dies LIII. colliguntur: adde dies VIII.; nam

Cæ-

Tab.
XXX.

TABULA XXX. Pag. 343.

Dicteris Romana Solaris diebus LIII. a ſua ſede remota.



Cæſar a. d. IX. cal. Jan. brumam habendam conſtituit: adde etiam dies X. quibus menſes Romani a cal. Jan. ad cal. Septembr. carebant. Fit ſumma dierum LXXI. Proxima itaque cal. Martiis bruma. Sed mirari ſubit, cur ſolis defectum, qui a. d. V. id. Quint. anno U. C. DLXIII. cos. L. Scipione contra Antiochum movente, eveniſſe traditur, in a. d. prid. id. Mart. idem Petavius producat; quando ſumma cura ea tempeſtate res intercalaria adminiſtrabatur. Biennio item poſt, antequam coss. M. Valerius Meſſalla, C. Livius Salinator in provinciam proficiſcerentur, lucem eſſe obſcuratam narrat Livius. Id Petavius anno Julio ſolari XV. cal. Sextil. adnotat. De hoc tamen conjecturam capere nequimus, die ab antiquis non tradito. Quod conſtat, plurimum a cal. Jan. receſſerat Bruma. De hac tamen re mox accuratius diſſeram.

Illud modo ponderandum reſtat *ver ſacrum videri*, quod ad anni tempora explicanda ex Livio produxeram. Quid dicam, niſi ex vetuſtis pontificum libris a Livio eſſe deſumptum? quandoquidem illis conſulibus quibus faciendum erat, ver in a. d. VIII. cal. Majas incidebat. Manifeſtum etiam, cum ab idibus Martiis magiſtratus honorem inirent, dimidiatum Martium ad ſuperiores conſules pertinuiſſe, ac ſpatium cal. Mart. & prid. cal. Majas concluſum, non uni juriſdictioni fuiſſe attributum.

Jam liquet quam exulcerato animo in pontifices fuerint, qui de anni perturbatione tam temere pronunciarunt. Et quiſquam erit qui Cenſorino, Macrobio, cæteriſque de anno veteri ſimilia commentantibus aſſentiatur, poſtquam in re tam clara, tam nota, tam neceſſaria vel mendacii, vel (ut leniori verbo utar) negligentiæ tenentur? Non eſt igitur cur noſtri conſilii nos pœniteat, qui veritatem inquirentes longe ab iſtorum veſtigiis declinavimus. Quin etiam hoc inſtitutum quotidie magis ac magis mihi placet cogitanti, dum horum auctoritati acquieſcebam, hærebamque tanquam ſcopulo fluctibus delatus, quanta in rerum perturbatione, & obſcuritate verſarer. Quapropter ter quaterque felices & beatos illos exiſtimo, qui, omnibus poſthabitis, quibus hominum mentes implicantur, illaqueanturque, omnia ut dubia & incerta, ſoluto & libero animo ſuſcipiunt, & diligenti cura in diſquiſitionem & examen traducunt. Sed, ne nimis multa complectar, & ab eo quod mihi propoſuiſti, longius evagetur epiſtola, videndum quid novo anni genere præſtiterint Romani.

Tranſeunte in Capricornum ſole VIII. cal. Mart. Bruma cal. Martiis notatur. IX. cal. April. ſol in Aquarium tranſit. VIII. id. Apr. Favonius ſpirat. VIII. cal. Maii, ſubeunte Piſces ſole, ver inchoamus. Tab. XXX.

IX.

IX. cal. Jun. ſol, relictis Piſcibus, in Arietem venit. Prid. cal. Jun. æquinoctium vernum diebus a bruma XC. ſignabis. VIII. cal. Quint. Æſtatis initium. VII. cal. Quint. ſol ad Taurum ſcandit. XVII. cal. Sextil. Vergiliæ mane oriuntur. VI. cal. Sextil. ſol in Geminos aſcendit, & IV. cal. Septembr. in Cancrum; ideo nonis Septembr. ſolſtitium figitur intervallo dierum XCIV. ab æquinoctio I. Prid. cal. Octobr. ſol Leonem ingreditur. XII. cal. Novembr. Fidis mane delabitur. VIII. cal. Novembr. autumni adeſt initium die a ſolſtitio L. Prid. cal. Novembr. ſol in Virginem introitum facit, & cal. Decembr. in Libram. VI. id. Decembr. diebus poſt ſolſtitium XCII. autumnale æquinoctium recurrit. IV. non. Januar. ſol ad Nepam permeat. XV. cal. Febr. hiems redit. IX. cal. Febr. Vergiliæ mane immerguntur. IV. non. Febr. ſol in Sagittarium fertur, quo I. annus finitur.

Sequitur alter menſe Intercalario ex a. d. VI. id. Interc. ſole in Capricornum redeunte. XV. cal. Mart. Bruma. VI. id. Mart. ſol Aquarium adit. Favonius incipit X. cal. April. V. id. April. ſol ab Aquario in Piſces traiicitur. VIII. cal. Maii Ver. VI. id. Maji ſol introitum habet ad Arietem. XVI. cal. Jun. Æquinoctium vernum. IV. id. Jun. ſol in Taurum revertitur. Æſtas VIII. cal. Quint. VI. non. Quint. Vergiliæ ſurgunt matutinæ. III. id. Quint. ſol Geminos ſubit, atque idib. Sextil. Cancrum. XI. cal. Septembr. ſolſtitium. XVI. cal. Octobr. ſole in Leonem proficiſcente, Canicula oſtenditur. Nonis Octob. Fidis mane immergitur. XVI. cal. Novembr. Virgo a ſole illuſtratur. VIII. cal. Novembr. deſinit æſtas, & autumnus procedit. XV. cal. Decembr. Libræ I. dies, & VIII. cal. ejuſdem die Libræ octavo lux & tenebræ æquo diſcrimine ſeparantur. XIV. cal. Januar. ſol in Scorpionem recedit. VIII. id. Januar. Vergiliæ mane occultantur. XV. cal. Febr. hibernum tempus ſignatur, poſtridie ſole Sagittarium adeunte. Et demum VIII. cal. Mart. Capricornum ſol repetit, brumamque conſtituit cal. Mart. quibus dieteris circumſcribitur. Hanc vero conſulto leviter perſtrinxi, quod in tabulam exemplar digeſſi, ad quam reſpicere poteris, & Romana tempora quæ attigi, ad examen revocare.

Tab. XXXI. Huic proximam aliam tabulam contexebam, in qua, immutato intercalandi anno, a ſecundo ad primum intercalatio revocatur.

Jam tabulas ad hiſtoriam convertamus. Verre præturam in Sicilia obtinente, refert M. Tullius fruges demeſſas cal. Sextil. in area jacere. Tempeſtive quidem; quia id tempus, ſole Geminos tranſeunte, incidebat. Anno U. C. DCXCIX. coſs. L. Domitio, Appio Claudio, cum M. Scaurum defenderet Cicero a. d. IV. non. Septembr. Cato Prætor,

ut

TABULA XXXI.

Dieteris Romana primo anno intercalari, quo Romani extremo Reipublicæ tempore utebantur.

Ann. I.



Sol Capricornum adit VIII. cal. Intercal.
Bruma cal. Intercal.
Sol Aquarium adit VI. cal. Mart.
Favonius flare incipit VII. id. Mart.
Sol Piſces adit VII. cal. April.
Sol Arietem adit VI. cal. Maii.
Æquinoctium vernum V. non. Maii.
Sol Taurum adit VI. cal. Jun.
Vergiliæ mane oriuntur XIV. cal. Quint.
Sol Geminos adit III. cal. Quint.
Sol Cancrum adit III. cal. Sext.
Solſtitium VIII. id. Sextil.
Sol Leonem adit cal. Sept.
Fidicula mane occidit IX. cal. Octobr.
Sol Virginem adit V. non. Octobr.
Sol Libram adit IV. non. Novembr.
Æquinoctium autumni V. id. Novembr.
Sol Scorpionem adit III. non. Decembr.
Vergiliæ mane occidunt X. cal. Januar.
Sol Sagittarium adit III. non. Jan.

Ann. II.

Sol Capricornum adit prid. non. Febr.
Bruma III. id. Febr.
Sol Aquarium adit VI. id. Mart.
Favonius flare incipit X. cal. April.
Sol Piſces adit V. id. April.
Sol Arietem adit VI. id. Maji.
Æquinoctium vernum XVI. cal. Jun.
Sol Taurum adit IV. id. Jun.
Vergiliæ mane oriuntur VI. non. Quint.
Sol Geminos adit III. id. Quint.
Sol Cancrum adit idib. Sextil.
Solſtitium XI. cal. Sept.
Sol Leonem adit XVI. cal. Octobr.
Fidicula mane occidit non. Octobr.
Sol Virginem adit XVI. cal. Novembr.
Sol Libram adit XV. cal. Decembr.
Æquinoctium autumni VIII. cal. Decembr.
Sol Scorpionem adit XIV. cal. Jan.
Vergiliæ mane occidunt VIII. id. Januar.
Sol Sagittarium adit XIV. cal. Febr.

Ann. I.

Bruma cal. Intercal.
Favonius flare incipit VII. id. Mart.

ut ſcribit Aſconius, judicium ſine tunica quia æſtate agebatur, exercuit. Quis id mirabitur? Canicularis quidem æſtus, cal. Septembr. Leonem ingrediente ſole, eo pertinebat. Eodem anno ad Q. Fratrem ſcribit Tullius: *ego ex magnis caloribus* (*non enim memini majores*) *in Arpinati ſumma cum amœnitate fluminis me refeci Ludorum diebus, Philotimo tribulibus commendatis. In Arcano a. d. V. id. Septembr. fui.* Veniamus ad autumnum. Narrat per literas Q. Fratri Tullius, Senatum frequentiorem fuiſſe quam putabatur menſe Decembri ſub dies feſtos. Data videtur epiſtola P. Cornelio Lentulo, Q. Metello Nepote coſs. anno U. C. DCXCVI., quo December die VIII. ab autumnali æquinoctio incipiebat. Scis enim per autumnum Romanos cives ruſticari ſolitos. Anno DCXCIX. cujus conſules nominavi, literas ad Q. Ciceronem habemus in hoc exemplum: *Romæ & maxime via Appia ad Martis mira proluvies. Craſſipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ. Magna vis aquæ uſque ad piſcinam publicam: viget illud Homeri:*

ἦματ' ὀπωρινῷ ὅτε λαβρόταπον χέει ὕδωρ Ζεύς.

Cadit in abſolutionem Gabinii. Tempus quo ſcriptum erat, non apponitur; ſed inter VI. cal. Novembr. & IV. non. ejuſdem tenetur; nam Gabinius abſolutus eſt VI. cal. Novembr. (VIII. enim librariorum vitio excuſum eſt) quo die ludi Victoriæ committebantur. Ad extremum itaque Octobrem ingens illa aquarum proluvies, ineunte autumno eo anno quo intercalatum erat, VIII. cal. Novembr. & autumnali æquinoctio habito V. id. ejuſdem. Sæpenumero admiratus ſum, cur Ovidius extremo ferme Januario de ſementivis feriis caneret, quæ cal. Novembr. indicendæ erant, ſubeunte ex Vergiliarum occaſu III. id. Novembr. ferendi opportunitate. Nunc quæ cauſa fuerit, intelligo. Ex antiquis faſtis accepit vates, cum Vergiliarum ſidus menſe Januario occideret mane, & hiems ex XV. cal. Febr. eſſet. De qua tertio loco quærendum. Anno U. C. DCXCVI. coſs. C. Lentulo, & Metello prid. id. Febr. monet fratrem Tullius: *cura mi frater, ut valeas, & quanquam eſt hiems, tamen Sardiniam iſtam eſſe cogites.* Nugas agere inquies, qui prid. id. ſcribere Ciceronem affirmem; nam extremæ paginæ appoſitum eſt: *XV. cal. Mart.* Appoſitum video, ſed a quibus? A Tullio nequaquam, qui diſerte diem definit: *Prid. idus hæc ſcripſi ante lucem.* Et in X. epiſtola quæ tertiæ eſt annectenda: *cognoſce nunc idus.* Quare de ſubſcriptione illa nolito eſſe ſolicitus: aliena res eſt; neque Februario convenit. In hac itaque decima etiam notatur: *Nam prid. id. cum Appius ſenatum infrequentem coegiſſet, tantum fuit frigus, ut populi convicio coactus ſit nos dimittere.* Anno DCCV. coſs. C. Julio

Cæſare II., P. Servilio, Cæſarem prid. non. Jan. Roma profectum Brunduſium verſus III. de bello civili commentario relatum eſt, Pompejo copias Candaviam in hiberna ſubducente. Quem anni ſtatum cum ignoraret Plutarchus, tanquam anno ſolari, aut antiquo Romano ſcriberet, prid. non. Jan. ait, χειμῶνος ἐν τροπαῖς ὄντος, fuiſſe. At Dionyſius Halicarnaſſeus poſteris tradens anno U. C. CCLXXVII. circa ſolſtitium conſulatum initum eſſe a Ser. Servilio, A. Virgilio cal. Sext., nonne anno dieteridis primo qui extrema Republica uſurpabatur, utitur, cum nonis Sext. vel VIII. id. ſolſtitium haberetur? Quid de primo æquinoctio? Refert Argia ab antiquis temporibus in ſuam ætatem celebrari paucis diebus ab æquinoctio verno idibus Maiis. Quæ ad annum I. qui idem æquinoctium VI. non. Mai. oſtendit, videntur eſſe referenda. Magna ergo diligentia & circumſpectione vetera examinanda ſunt, ubi de temporibus agitur, ne decipiamur, ut ii qui ea commentantur, ab aliis in errorem trahuntur. Pauca de verno tempore indicanda reſtant. Anno U. C. DCCIV. coſs. C. Claudio Marcello, & Lentulo navigaturus ad Pompejum M. Tullius XVII. cal. Jun. denunciat Attico, ſe ab æquinoctio quod valde perturbatum erat, morari. Hoc, anno non intercalari, æquinoctium notatur XVI. cal. Jun.

Ut epiſtolæ demum imponamus modum, inter neceſſaria eſſe judico, hæc anni diſcrimina cum Julio anno componere, ut, quo pertineant menſes, uno obtutu cognoſcas.

Ann. I.	
I.	Januarius cal. Nov.
II.	Februarius prid. cal. Dec.
III.	Martius IX. cal. Jan. Bruma,
IV.	Aprilis IX. cal. Febr.
V.	Majus VIII. cal. Mart.
VI.	Junius VIII. cal. Apr.
VII.	Quintilis IX. cal. Maii.
VIII.	Sextilis IX. cal. Jun.
IX.	September X. cal. Quint.
X.	October XII. cal. Sext.
XI.	November XII. cal. Sept.
XII.	December XIII. cal. Octobr.

Ann. II. intercal.	
I.	Januarius XV. cal. Nov.
II.	Februarius XVI. cal. Dec.
III.	Mercedinus IV. id. Dec.
IV.	Martius VII. id. Januar.
V.	Aprilis VII. id. Februar.
VI.	Majus VIII. id. Mart.
VII.	Junius VI. id. April.
VIII.	Quintilis nonis Maiis.
IX.	Sextilis VII. id. Jun.
X.	September prid. non. Quint.
XI.	October prid. non. Sextil.
XII.	November prid. non. Sept.
XIII.	December V. non. Octob.
ann. I.	
I.	Januarius cal. Novembr.

Alte-

Altero modo cum I. annus intercalationem admittit.

Ann. I. intercal.		Ann. II.	
I.	Januarius cal. Nov.	I.	Januarius XVII. cal. Dec.
II.	Februarius prid. cal. Dec.	II.	Februarius XIX. cal. Jan.
III.	Mercedinus IX. cal. Jan. Bruma.	III.	Martius VII. id. Januar.
IV.	Martius XII. cal. Febr.	IV.	Aprilis VII. id. Februar.
V.	Aprilis IX. cal. Mart.	V.	Majus VIII. id. Mart.
VI.	Majus XI. cal. April.	VI.	Junius VI. id. April.
VII.	Junius X. cal. Maii.	VII.	Quintilis nonis Maiis.
VIII.	Quintilis XII. cal. Jun.	VIII.	Sextilis VII. id. Jun.
IX.	Sextilis XI. cal. Quint.	IX.	September prid. non. Quint.
X.	September XIII. cal. Sext.	X.	October prid. non. Sextil.
XI.	October XV. cal. Sept.	XI.	November prid. non. Sept.
XII.	November XIV. cal. Octobr.	XII.	December V. non. Octobr.
XIII.	December XVI. cal. Nov.	ann. I.	
		I.	Januarius cal. Novembr.

Tertio modo Romana tempora cum Callippicis conferamus, Martium ex a. d. XII. cal. Januar. exordientes, ubi bruma constituta est.

Ann. I.		Ann. II.	
I.	Januarius IV. cal. Nov.	I.	Januarius XVIII. cal. Nov.
II.	Februarius V. cal. Dec.	II.	Februarius id. Novembr.
III.	Martius XII. cal. Januar. Bruma.	III.	Mercedinus VII. id. Dec.
IV.	Aprilis XII. cal. Februar.	IV.	Martius prid. non. Jan.
V.	Majus XI. cal. Mart.	V.	Aprilis prid. non. Febr.
VI.	Junius XI. cal. April.	VI.	Majus III. non. Mart.
VII.	Quintilis XII. cal. Maii.	VII.	Junius nonis April.
VIII.	Sextilis XII. cal. Jun.	VIII.	Quintilis IV. non. Maii.
IX.	September XIII. cal. Quint.	IX.	Sextilis prid. non. Jun.
X.	October XV. cal. Sextil.	X.	September V. non. Quint.
XI.	November XV. cal. Sept.	XI.	October cal. Sextil.
XII.	December XVI. cal. Octobr.	XII.	November cal. Septembr.
		XIII.	December prid. cal. Oct.
		ann. I.	
		I.	Januarius IV. cal. Nov.

In hoc itaque exemplo anno I. lunæ deliquium, de quo paulo ante

ſcribebam, III. non. Septembr. adnotatum, incidit anno ſolari XI. cal. Quint. ut Petavius animadvertit. Solis autem defectus, qui a. d. V. id. Quint. eveniſſe narratur, in V. cal. Jun. concurrit, cum ex a. d. prid. id. Mart. ubi Petavius anno ſolari ſolem defeciſſe conſtituit, in a. d. V. cal. Jun. intercedant dies LXXIV., quot ex a. d. XI. cal. Quint. in a. d. III. non. Sept. recenſentur. Quare vereor, ne in prava exemplaria inciderint illi qui primi pro *V. cal. Jun.*, *V. id.* Quint. in Livio ſcripſerunt. Tertio deinde anno inter ſolem & nos lunæ interpoſitio, quam Petavius XV. cal. Sextil. fuiſſe oſtendit, in a. d. XV. cal. Octobr. quadrat. Verumtamen hæc peritioribus examinanda relinquamus.

Jam portum proſpicimus, niſi iterum nos in altum revocaveris. Ad annum Julium accedimus, cujus gratia longe lateque evagati ſumus. Id quam primum exequar. Vale.

D. Patavio idib. Martiis CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA XLI.

Macrobius Saturnalia uno die finita ſcribens falſitatis coarguitur: deinde de anno ab V. C. DCCVII. qui Confuſionis vocatur, agitur.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

TAntam ſcriptorum indiligentiam mirari ſcribis. Tamen nihil ad Macrobium, qui cum multa de anno veteri viderit, multa collegerit, multa prodiderit, vera invenire neglexit. Quid reſpondeam? Qui aliena ad ſuum judicium adſcribunt, nec ſua prudentia expendunt, mendaciuſculis facile implicantur. Sed habeo quid de Macrobio quod magis miraberis. Id reticere ſilentioque premere conſtitueram, ne reprenderem, quos magis probare atque exornare geſtio. Verum quando tuæ literæ verecundiam mihi expungunt, audebo tuo exemplo. Equidem veritus ſum ſæpenumero, ne ejus auctoritas mihi apud te plurimum officeret. Nunc Macrobii judicium cur apud me tanti non ſit, quanti vetus ſcriptor eſſe deberet, oſtendam. Etenim quid in ſuis Saturnalibus ſcribit, vel potius quid non ſcribit, ut Saturnalia veteri anno die uno celebrari ſolita confirmet? Prænoſcere operæ pretium eſt

quam

quam magnifice concludat ! *Abunde*, ait, *jam probaſſe nos exiſtimo Saturnalia uno tantum die id eſt XIV. cal. ſolita celebrari. Sed poſtea in triduum propagata : primum ex adjectis a Cæſare huic menſi diebus, deinde ex edicto Auguſti, quo trium dierum ferias Saturnalibus addixit.* Verane hæc habebis ? Quid ? Probata ? Hoc mox videbimus. Interea illud conſideremus. Sulpicio & Marcello coss. anno DCCII. audi quid Attico proconſul Cicero ſcribat : *Saturnalibus mane ſe mihi Pindeniſſæ dediderunt.* Deinde : *hilara ſane Saturnalia, militibus quoque, equis exemptis, reliquam prædam conceſſimus. Mancipia venibant Saturnalibus III.* Perge hinc mecum ad lib. XIII., ubi in extrema epiſtola amico nunciat, Cæſarem ſecundis Saturnalibus ad Philippum veſperi veniſſe, & in ejus ædibus etiam Saturnalibus tertiis fuiſſe ad h. VII. En uno die acta Saturnalia ? Sed quid aliunde argumenta peto, ipſo abunde ſuppeditante Macrobio ? Adduxit enim Nonium & Mummium *Atellanarum* ſcriptores ita loquentes, & primum hoc modo : *olim expectata veniunt ſeptem Saturnalia.* Alterum : *noſtri majores velut bene multa inſtituere, hoc optime a frigore fecere ſummo dies ſeptem Saturnalia.* Nunc perpendamus, quæſo, quibus Saturnalia uno die finiri Macrobius argumentetur. Tradit, inquit, Feneſtella Æmiliam Virginem Veſtalem XV. cal. Januar. eſſe damnatam, quo die, ſi Saturnalia, cauſam omnino non dixiſſet. Quæ nos non morantur, cum poſtridie incipiant Saturnalia. Videamus alia : a. d. XIII. cal. Januar. ſi Saturnalia fuiſſent, Licinia in judicium non eſſet adducta. Cur amabo ? Licitationem Proconſuli Tullio pro tribunali facere tertiis Saturnalibus licebat ; pontificibus, omnium animis, ut retulit Plutarchus, religione tactis ſupplicium ad avertenda e republica mala flagitantium, de re ſacra agere non libebit, præſertim die neque nefaſto, neque interciſo ? Attende reliqua : XII. cal. Jan. feriæ ſunt divæ Ageroniæ. Primum hoc non verum ; nam anno veteri Ageronia eademque Divalia a. d. X. cal. notantur : tunc XII. cal. ſacrata erant Opalia, qui dies interciſus fertur, hoc eſt pro magiſtratus arbitrio rei gerendæ aptus, vel non. Propter quod eo, Proconſule Cicerone, mancipia venibant. Sed ſinamus fuiſſe Divalia, diemque religione inſignem, neque fas Divalibus agi Saturnalia ; nonne ſequitur a feſtis diebus Saturnalia prohiberi ? Quare Saturnalibus, quæ feſtis & ſacris diebus non aguntur, judicia exerceri quid vetabat ? Quid in cauſa erat ex qua Liciniæ dies non diceretur, & noxia non damnaretur Saturnalibus ? Accedit, non minus Reipublicæ tempore, quam poſt ab Opalibus per religionem Saturnalia averti : quæ tamen, mutato civitatis ſtatu, per ipſa Opalia agitata concedit ; igitur

igitur & ante a feriis & ab Opalibus prohibita esse quis inficiabitur ? Hæc pluribus scribebam, quam res ipsa, & Macrobii nomen postulare videbantur.

Vis nunc extremam paginam anno Romano adjici, & solarem inchoari ? De anno quem *Confusionis* vocant, agendum superest. Anno itaque U. C. DCCVII. coss. C. Julio Cæsare III., M. Æmilio Lepido, quod in Ægypto Cæsar didicerat, inter Romanos propagare instituens, novam anni formam promulgavit. Ante omnia igitur determinandum est, qua ratione fuerit bruma ad antiquam sedem revocata. Noscere itaque oportet, quot dies intercalati. Horum numerum definiendo inter se discrepant auctores. Censorinus fuisse annum *Confusionis* dierum CCCCXLV. tradit : Macrobius duobus minus. Quorum inconstantiam Josephus Scaliger dirimens, ex CCCCXLIV. constituit. Quamnam sequemur notam ? Nullam. Qui, malum, nullam ? Quod prima & altera librariorum vitio deficit a vera : tertia auctoris. Sed facile verum numerum habebis hoc modo. Quot dierum erat annus Romanus ? Nonne CCCLI. ? Quot mensis intercalaris ? Profecto XXVIII. Appone dies LXVII. quos inter Novembrem & Decembrem Dio Cassius & Censorinus interpositos a Cæsare referunt, & justam summam colliges CCCC XLVI. Quid vero de die intercalario, qui ex consuetudine incidebat ; anno enim DCCIII. vidimus intercalatum ? Hunc quoque non prætermissum a Cæsare credo. Fiunt omnes dies CCCCXLVII. In menses itaque XV., ut auctor est Suetonius, ille annus productus. Hæc tamen non prætervolamus ; sed tabulam ex instituto epistola secum feret cuncta anni membra complexa.

Tab. XXXII.

Annus inceptus est sole XV. Libræ partem lustrante, anno Julio V. id. Octobr. si enim ex illa dierum CCCCXLVII. summa solis annus dierum CCCLXV. detrahatur, dies LXXXII., supersunt, per quos a calendis Januariis remota bruma III. cal. April. agebatur. Ex hoc itaque numero LXXXII. subducantur primum dies Capricorni VII. (nam die VIII. habita est Bruma) deinde dies LIX. quibus Nepæ & Sagittarii signa sol perlustrat, remanent dies XVI. qui ad Libram pertinent. Quare die Libræ XV. annus initium cepit. Atqui anno solari Julio inter calend. Januar. & VI. id. Octobr. dies illi LXXXII. non intercedunt ? Sequitur propterea *Confusionis* annum principium duxisse ex a. d. V. id. Octob. Qua vero de causa dies LXVII. sunt interpositi, quandoquidem bruma per solos dies LIII. a cal. Januar. removebatur ? Abundant XIV. Sane. Sed quo nomine annus qui sequebatur, solaris fuisset, si istos dies ad annum diesque CCCLI. non adjecis-

TABULA XXXII.

Annus ab U. C. DCCVII. qui *Confuſionis* vocatur.

Sol Libram adit XV. cal. Januar.
Æquinoctium autumni VIII. cal. Januar.
Sol Scorpionem adit XIV. cal. Febr.
Vergiliæ mane occidunt VIII. id. Febr. **O. I.**
Hiemis initium XI. cal. Merced.
Sol Sagittarium adit X. cal. Merced.
Sol Capricornum adit VIII. cal. Mart.
Bruma cal. Mart.
Sol Aquarium adit IX. cal. April.
Sol Piſces adit. Veris initium VIII. cal. Maii.
Sol Arietem adit IX. cal. Jun.
Æquinoctium vernum prid. cal. Jun.
Æſtatis initium VIII. cal. Quint.
Sol Taurum adit VII. cal. Quint.
Sol Geminos adit VI. cal. Sextil.
Sol Cancrum adit IV. cal. Sept.
Solſtitium nonis Septembr.
Sol Leonem adit prid. cal. Octobr.
Autumni initium VIII. cal. Novembr.
Sol adit Virginem prid. cal. Novembr.
Sol Libram adit cal. Intercal. priorib.
Æquinoctium Libræ VI. id. Interc. prior.
Sol Scorpionem adit V. cal. Intercal. ſecund.
Hiemis initium III. id. Intercal. ſecund.
Vergiliæ mane occidunt XIX. cal. Decembr.
Sol Sagittarium adit IX. cal. Decembr.
Sol Capricornum adit VIII. cal. Januar.
Bruma cal. Januariis.

jeciſſet Cæſar ? Nonne ab inſequente ea ſumma erat petenda ? Quare, ut uterque, & qui deinceps, ſolis motum aſſequantur, dies XIV. illi apponendi ſunt. Verum cur frontem corrugas ? De menſe intercalario video te dubitare. Neque immerito ; nam hic ad duos annos inſequentes redintegrandos pertinebat. Quod igitur ad hos non attinere conſtat, neque ad annum in priſtinam ſtationem revocandum, quibus dabimus, niſi annis qui proxime defluxerant ? Anno itaque DCCV. intercalatio prætermiſſa. Quis enim tunc de anno cogitaret, cum omnia in ſummo diſcrimine verſarentur ? Hanc primam invenio non negligentia, ſed, ut credo, cunctarum rerum deſperatione intercalationem omiſſam. Sed ad tabulam. Calendæ itaque Januariæ die Libræ XV., & ab autumnali æquinoctio IIX. initium duxerunt, cum Cæſar, raptis conſularibus faſcibus VI. cal. eaſdem in Africam claſſem Lilybæo ſolvit. De hac Cæſaris expeditione audiamus M. Tullium in libris *de divinatione* ita loquentem : *Ipſe Cæſar cum a ſummo aruſpice moneretur, ne in Africam ante brumam tranſmitteret, nonne tranſmiſit ? Quod ni feciſſet, unum in locum adverſariorum copiæ conveniſſent.* Redeo ad Tabulam. VIII. cal. Jan. æquinoctium autumni. XIV. cal. Febr. ſol in Scorpionem tranſit. VIII. id. Febr. Vergiliæ mane occidunt. De quibus belli Africani commentator ſcribit : *Per id tempus fere Cæſaris exercitui res accidit incredibilis auditu ; namque Vergiliarum ſidere confecto, circiter vigilia ſecunda noctis nimbus cum ſaxorum grandine ſubito eſt exortus ingens. Ad hoc autem incommodum acceſſerat, quod Cæſar non more ſuperiorum imperatorum in hibernis exercitum continebat.* Id eveniſſe colligitur menſe Februario, vel extremo Januario. Paulo enim ante ſcriptum eſt : VI. cal. Febr. moviſſe Cæſarem. XI. cal. Merc. Hiemis initium. X. cal. Merced. ſol in Sagittarium fertur, & VIII. cal. Mart. menſe intercalario Mercedino, in Capricornum. Bruma iterum cal. Martiis collocata. Porro reliqua in cal. Decembres ita diſponuntur, ut in tabula XXX. annus I. Peracto autem Novembri, dies LXVII. in duos menſes, ut Suetonius teſtatur, diſtribuit Cæſar, & interpoſuit. Hos itaque inſeram, alteri diebus XXXIV., alteri XXXIII. aſſignatis. Quapropter ſol in Libram introitum facit calendis Intercalariis prioribus, de quibus ad Ligarium ſcribit Cicero : *Ego idem tamen quum a. d. II. cal. Intercalares priores rogatu fratrum tuorum veniſſem mane ad Cæſarem.* Redierat jam in urbem Cæſar, Africano bello confecto, VII. cal. Sextil., ut extremo Africanæ expeditionis commentario narratur. Octavam Libræ partem ingrediente ſole, autumni æquinoctium fit VI. id. Interc. I. V. autem cal. Intercal. II. ſol Scorpionem ſubit. III. id.

In-

Interc. II. hiemis initium. At XIX. cal. Decembr. Vergiliæ delabuntur matutinæ. IX. cal. Dec. ſol in Sagittarium permeat, & VIII. cal. Jan. in Capricornum. Propterea bruma ſedem, quam ab antiquiſſimis temporibus obtinuerat, iterum cal. Januar. recepit. Reſtat ut iſtius anni menſes civiles per annum noſtrum ſolarem retexam. Quare

I. Januarius V. id. Octobr.
II. Februarius (cui Olympia apponimus) V. id. Novembr.
III. Mercedinus prid. non. Decembr.
IV. Martius cal. Januar.
V. Aprilis cal. Februar.
VI. Majus VI. non. Mart.
VII. Junius IV. non. April.
VIII. Quintilis cal. Majis.
IX. Sextilis cal. Juniis.
X. September prid. cal. Quint.
XI. October IV. cal. Sextil.
XII. November IV. cal. Septembr.
XIII. Intercalaris I. V. cal. Octobr.
XIV. Intecalaris II. prid. cal. Novembr.
XV. December III. non. Decembr.

I. annus ſolaris.

I. Januarius cal. Januariis.

Anno igitur poſt U. C. DCCVIII. I. annus ſolaris inchoatur, de quo cras ſpero. Interea vale.

D. Patavio XV. cal. April. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA XLII.

De anno ſolari Julio, ſive de Tabula Cæſaris Dictatoris.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

NOn exſpectabam a te hodie quid; quod occupationes tuas intellexeram. Tamen dediſti; ideo quod præter opinionem nactus ſum,

ſum, eo carius. Ecquid de anno Julio conſecerim, quæris, & ut habeas quam primum, rogas. En Lupus in fabula: adeſt in veſtibulo. Jam præmiſi epiſtolam, quæ huic viam ſterneret. Ea jam inter manus erit, & intelliges me feſtinare.

Temporibus in antiquam rationem redactis, admonitus Cæſar (a Soſigene credo) male anni cardines in octavis ſignorum partibus conſtitui, & haberi, qui ad primas ſpectant, cum ab inveterata Italica & Romana conſuetudine recedere nollet, cardines quidem ad ſignorum principia traduxit, ſed ſigna ad ſuperiora ita protruſit, ut bruma & ſolſtitium atque utrumque æquinoctium in partibus octavis eſſent. Id vero ita præſtitit, diebus XIV. quibus Romanus annus a ſole ſubſidebat, per menſes digeſtis: primum duobus Decembri annexis, bruma a cal. Januar. ad III. cal. eaſdem traducitur; ſubinde totidem Januario datis, ad V. cal. mox IV. cumulato Februario, ad IX. A quo principio annus ſolaris exordium capit. Quid inſanis, dices? Ab a. d. IX. cal. Januar. ad cal. eaſdem dies eſt nonus, non octavus. Recte: Sed Ægyptiam ſedem maluit Cæſar, aut Soſigenes. Quod emendavit Auguſtus, atque annum Italo cœlo accommodavit, in a. d. VIII. cal. Januar. retracta bruma, ut oſtendam. Interea Cæſaris tabulam retineamus. XVI. cal. Jan. ſol in Capricornum introitum habet, & die octavo poſt bruma, ut dixi, collocata. Cumque æquinoctium vernum anno II. Pompilio IX. cal. April. conficeretur, diebus a bruma XC., id eſt retentum. Nono autem die tradito Aprili, ſolſtitium quod eo anno veteri in a. d. IV. cal. Quint. incidebat, pridie ejus diei fixit, ut dies XCIV. inter ſolſtitium & æquinoctium primum convenirent. Ita factum eſt, ut, cum decimo die Junium amplificaſſet, VI. cal. Quint. adnotaretur ſolſtitium. Tum diem undecimum, & duodecimum Sextili adjecit, & tertiumdecimum Septembri. Quare, ut dies XCII. inter ſolſtitium autumnique æquinoctium ſerventur, æquinoctium a cal. Octobr. per quinque dies contrahitur, ſiſtiturque VI. cal. Octobr. Superſunt in brumam dies XXCIX., decimoquarto intercalario die Novembri conceſſo. Ne vero inveterata Mercedino menſe ſolvendi nomina conſuetudo omnino tolleretur, quatuordecim Mercedini diebus per annum diſpoſitis, alios Cæſar ſubſtituit, *Mercedonioſque* vocavit, ut in antiquis faſtis excuſum videmus. Sex enim menſi Quintili attribuuntur, ſignanturque *Merk.* videlicet prid. id. Quint. XVII., XVI., XV., XIV., XIII. cal. Sextil.; quatuor Septembri XII., XI., X., IX. cal. Octobr., totidemque Novembri XIV., XIII., XII. cal. Decembr.; nam extremus, qui XI. cal. eaſdem notabatur, vel ævo de marmore extri-

tus eſt, vel ab operis exſcribendo prætermiſſus. Quos dies Tertullianus libro quem de *Idololatria* edidit, deſcribit; & quoſdam Chriſtianos quaſi ſuperſtitioni addictos objurgat, quod dies ſolvendis nominibus, atque exigendis inſignes obſervarent.

Qua ratione ex anno tam diſſimili, & imperfecto ſolarem ſumma prudentia Julius Cæſar conſtituerit, hactenus ſtrictim & curſim indicavimus. Nunc ipſum in tabulam digerere, & veterum auctoritate confirmare oportet; etſi abunde ex veteri forma nova inſtitutio manifeſta ſit, & patefacta. Equidem inter antiquos ſcriptores anno Julio nihil confuſius, nihil diſſolutius, nihil divulſius inveniri plane contenderim. Atque utinam qua diligentia nonnulli aſtrorum prudentiam ſibi vindicantes in reprendendis Varrone, Columella, Plinio uſi ſunt, quod de anni ratione ac cœleſtium ſignorum motibus neque veritati, neque inter ſe conſona tradiderunt, eandem in ipſorum monumenta illuſtranda, operarumque & interpretum ac vetuſtatis vitia eximenda contuliſſent, non mediocri profecto beneficio ſecutam ætatem ſibi obſtrictam haberent. Sed, quoniam in id unum tantum incubuere, ut errores, qui temporibus potius, quam auctoribus attribuendi videntur, conſectarentur, ſed opem aliquam medicamque manum optime de omni ævo meritæ antiquitati afferre ſuperſederent, nos jam patefacta vulnera niſi cicatrice obducere valemus, linimento ſaltem aliquo fovere conabimur, & ad ſanitatem faciliora tibi trademus. Et quando medici eſt non ſolum quæ in ſuperficie ſunt, & ante oculos poſita, verum etiam quæ occultis ſinibus repunt, curare: nos in omnibus artem experiemur, abdita quæque referando, & ſana etiam quæ creduntur, ſcalpendo, ne quid ulceroſum ſubeat, quod in poſterum contagione quadam totum corpus invadat, & corrumpat. Tres inter veteres invenio ſcriptores qui annum Julium illuſtrarunt, Varronem, Columellam, & Plinium. Hos in conſilium adhibebo, non in omnibus tamen; nam & Columella multa ex alia, ut te monui, aſtronomia miſcet, & Plinius item. Quin Plinius, quamvis Cæſaris placita referat, non tamen probat. Alterius cujuſdam ſectæ mihi viſus eſt, quam & Ovidius ſecutus. Propterea communis illa medendi ratio, qua aliis in locis uſi ſumus, dum alterum alterius ope purgare ſolebamus, in omnibus non conſtat. Circumſpecto itaque judicio circa hanc partem examinanda ſunt omnia, ne imprudentes delabamur in id, quo plerique, qui dum Varronem ex Columella, vel ex Plinio vel viciſſim illuſtrare contendunt, nulla faſtorum auctorumque quos hic vel ille imitantur, habita ratione, aſſecuti ſunt, ut neque Varro, neque Columella, neque Plinius vel ſibi vel inter ſe convenirent.

Ad

TABULA XXXIII. Pag. 355

Annus Julius, ſive Tabula Cæſaris Dictatoris.



d. VIII. Sol Capricornum adit XVI. cal. Januar.
d. XV. Bruma IX. cal. Januar.
d. XIII. Sol Aquarium adit XVII. cal. Febr.
d. XC. Favonius incipit ſpirare. Veris initium VII. id. Febr.
d. XV. Sol Piſces adit XV. cal. Mart.
d. VIII. Sol Arietem adit XVI. cal. April.
d. XCI. Æquinoctium vernum IX. cal. April.
d. XVI. Sol Taurum adit XV. cal. Maii.
d. XII. Robigalia VII. cal. Maii.
d. XVIII. Floralia IV. cal. Maii.
d. XCIV. Vergiliæ mane oriuntur. Æſtatis initium VII. id. Maii.
d. XVI. Sol Geminos adit XIV. cal. Jun.
d. VIII Sol Cancrum adit XIII. cal. Quint.
d. XCIV. Solſtitium VI. cal. Quint.
d. XIV Procyon oritur mane idib. Quint.
d. XIII Sol Leonem adit. Canicula mane oritur XIII. cal. Sext.
d. XCII. Fidis mane occidit. Autumnus incipit III. id. Sextil.
d. XVIII Sol Virginem adit XIII. cal. Sept.
d. VIII Sol Libram adit XIII. cal. Octobr.
d. XCI. Æquinoctium autumni VI. cal. Octobr.
d. XV. Sol Nepam adit XIV. cal. Novembr.
d. XXIX. Vergiliæ mane occidunt. Hiemis initium IV. id. Novembr.
Sol Sagittarium adit XIV. cal. Decembr.
d. XLIV.

Ann. II.

d. VIII. Sol Capricornum adit XVI. cal. Januar.
d. XXCIX. Bruma IX. cal. Januar.
Veris initium VII. id. Febr.

Ad tabulam tandem veniam, in qua ſignorum principia Columellæ verbis notabo, brevitate ſimul atque auctoritate quod proponam, executurus. *Sextodecimo cal. Januarii ſol in Capricornum tranſitum facit.* IX. cal. eaſdem Bruma, ut ſupra collocabam. *XVII. cal. Febr. ſol in Aquarium tranſit.* VII. id. Febr. Columellæ Favonius incipit flare, ex quo veris principium exiſtit. Id a Cæſare eſſe quis negaverit? Ecce tibi Varro qui Cæſarem ſequi fatetur: *Primi verni temporis ex a. d. VII. id. Febr.* dies exiſtunt. Quo vero ſigni die? Viceſimotertio, ut idem Varro de quatuor temporibus ſcribit. *Dies*, ait, *primus eſt veris in Aquario, æſtatis in Tauro, autumni in Leone, hiemis in Scorpione, cum uniuſcujuſque horum quatuor ſignorum dies tertius & viceſimus quatuor temporum ſit primus.* Ex hoc exemplo Florentinus exſcripſit quæ fœde vitiata nunc habemus: οἱ τοίνυν πλεῖσοι, καὶ πρόγε πάντων Βάῤῥων ὁ Ῥωμαῖος ἀρχὼ ἔαρος εἶπεν ὅταν ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖσον ὁ ζέφυρος ἄρχεται πνεῖν, ὅπερ ἐστὶ τῆς πρὸ ἑπτὰ εἰδῶν Φεβρουαρίων, ἡλίου ἐν ὑδροχόῳ ὄντος, καὶ τριῶν ἢ πέντε μοιρῶν γενομένου, τοτέστι τρεῖς ἢ πέντε ἡμέρας ἐν τῷ ζωδίῳ ἔχοντος. Quibus inter ſe collatis, quis non improbaverit τριῶν ἢ πέντε μοιρῶν, & τρεῖς ἢ πέντε ἡμέρας, quæ fuerant τριῶν καὶ εἴκοσι μοιρῶν: τρεῖς καὶ εἴκοσι ἡμέρας, vel ſimplicius κγ' μοιρῶν κγ' ἡμέρας. Non evitavit hanc labem Plinius, qui ſcribit, vere aperiri navigantibus maria, *cujus in principio Favonii hibernum cœlum molliunt, ſole Aquarii XXV. obtinente partem.* Duobus ſignis ſubſidentibus, *XV. cal. Mart. ſol in Piſces tranſitum facit*, & *XVI. cal. April. in Arietem*. IX. igitur cal. April. æquinoctium I. in octava Arietis parte diebus XC. a bruma. Quod ſpatium æquo diſcrimine per ver ſeparatur. Quapropter ſcribente Varrone a bruma ad Favonium dies XLV. numerari, verum numerum duces: at a Favonio ad æquinoctium vernum dies XL., vitiata emendabis. Pari ratione in Columellæ lib. XI. c. III. cum legamus: *ubi bruma confecta eſt, intermiſſis quadraginta diebus, circa Hirundinis adventum, cum jam Favonius exoritur, poſt id. Febr.* ſepem ſerendam eſſe, numerus *quadraginta* vitii coarguitur; quod Hirundo Columellæ advenit X. cal. Mart., Favonius autem ſpirat VII. id. Febr. Itaque intervallum per id. Febr. biſariam ſecatur. Quare a bruma ad ſepis ſationem dies *quinquaginta* ſpectant. *XV. cal. Majas ſol in Taurum tranſitum facit.* Die propterea Tauri XXIII., exoriente mane Plejadum ſidere, æſtas inchoatur VII. id. Majas, ut Varro aſſentitur, & Columella. Verumtamen fœdis maculis affectus Florentinus, qui ex Varrone refert: Συμπληροῦσθαι τὸ ἔαρ εἰς νόνας μαΐας, ζέφυρος δ' ἀρχεῖσθαι ἀπὸ τῆς πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν μαΐων, τοῦ ἡλίου ἐν Ταύρῳ ὄντος. Sunt igi-

Tab. XXXIII.

tur verni temporis dies XCI., quot numerat Varro, & ab æquinoctio in æſtatem dies XLVI. ducuntur. Mendoſa ergo Varronis ſententia, ab æquinoctio ad Vergiliarum exortum dies XLIV. pertinere. Sed alia ex Varrone prolata nos in Tauro morantur, nec pergere ſinunt. Robigalia, inquit Plinius, a Varrone determinari, ſole Tauri partem decimam obtinente, & Floralia, decimamquartam. A Tauri principio ad Robigalia dies nonus habetur; ad Floralia decimus ſecundus. Hujuſmodi floſculis librarii & interpretes Plinium exornare ſæpe ſoliti. *XIV. cal. Jun. ſol in Geminos introitum facit*, de quo ſigno nihil mihi memoria ſuggerit, quod ſcribam. Venio ad Cancrum, in quem *XIII. cal. Quint. ſol introitum facit*. Die hinc octavo propterea ſolſtitium; nam in octavis ſignorum partibus, in quibus priſco anno fuerint, cardines retinuit Cæſar, ut ſupra indicabam, & Cæſarem ſecuti Varro, Ovidius, Vitruvius, Columella, Plinius confirmarunt exemplo. VI. igitur cal. Quint. ſolſtitium. Tune, inquies, homo audaciſſime, in a. d. VI. cal. Quint. ſolſtitium protrudes, quod Cæſar VIII. cal. eaſdem juſſerat habendum? Hoc erat, ex quo æquinoctium vernum ab VIII. cal. April. ad IX. revocabas. Tamen adverſus veritatem irriti ſunt conatus, neque ἐξάγουσι καρπὸν οἱ ψιθύρους λόγοι. Profecto cardines, ut omnes fatentur, ex Cæſaris ſententia in a. d. VIII. cal. ſunt conſtituendi. A quo in contrarium raperis? Non vides quid afferat Columella: *VIII. & VII. & VI. cal. Julii ſolſtitium*? Non ſuccurrit tibi Plinius: *VIII. cal. Julii longiſſima dies totius anni, & nox breviſſima ſolſtitium conſtituunt*: & iterum: *ſolſtitium peragi in VIII. parte Cancri, & VIII. cal. Julii diximus*? Jure objurgas, ſed incaſſum. Nihil mutabo. Juvat adverſus omnes conniti, veritate & ratione præeuntibus. Si una eademque eſt Latinorum omnium ſententia, cardines in octavis ſignorum partibus confici, cur ſolſtitium contraham ad ſextam, vernumque æquinoctium in nonam protrudam? Eſt enim tam firma, tam conſtans, tam immutabilis regula a veteribus tradita, qua utor, ut nulla vi ſpatia imminui aut produci, præterquam ubi, & quo conſtitutum eſt, poſſint. Nam, ſi ad VIII. cal. Jul. revocas ſolſtitium, Caneri quoque principium tibi eſt promovendum. Sed quo? In id fortaſſe intervallum, quod Geminis datur? Ergo etiam Gemini de loco dimovendi, & deinceps Taurus, æſtatis principium, æquinoctium ipſum, cuncta denique permutanda ſunt & immiſcenda. Non verum igitur Columella ſcribit VIII., VII., VI. cal. Jul. ſolſtitium fieri? Mentitur Plinius, dum afferit VIII. cal. Julii eſſe breviſſimam noctem? Egone ſic inſaniam? Mentiuntur qui iſta de-

pra-

pravarunt. Et in Plinio (quamvis de ipso qui a Cæsare differt, modo agere, haud opportunum sit) ubi resideat vitium, facile ostendam. In Pseudoptolemæo Leoniceno, etsi pleraque ex Columella exscripta sint, quædam nihilominus a Plinio desumpta agnoscuntur, ut de Plinii solstitio hæc: *VI. cal.* (Julii) *brevissima nox*. Verumtamen de Columella nunc diligentius videamus. Hic qui duas æquinoctii verni sedes commemorat, alteram a Cæsare quam probat & sequitur, IX cal. April.; alteram a tabula (ut credo) Augusti VIII. cal. eadem (quoniam ea ætate utraque vigebat) cur solstitio tres assignat? A prima enim æquinoctiali ad VI. cal. Quint. dies XCIV. colliguntur, quot Cæsaris regula, & digesta signa flagitant: a secunda ad idem solstitium dies XCIII. cum horis XII., ut Plinius ab Augusto recenset. Quare solstitia quæ VIII., & VII. cal. Jul. notantur, neque ad Cæsarem, neque ad Columellam, neque ad Plinium, neque ad Augustum spectant. Neutra propterea a Columella, quæ Latina astronomia recusat. Quis igitur apposuit, & volumina omnia falsis opinionibus infecit? A quo tantum erupit virus? Unde tam maligna vis exhalavit? Ab hominibus (quis crederet?) non malis, sed nullius mentis, nullius consilii, ut uno verbo dicam, ignaviissimis. Factum est horum insania, ut octavis calendarum cardines coercerentur. Quem mihi Latinum auctorem dabis, cui pepercerint, a quo manus abstinuerint, quem inviolatum reliquerint? De solstitio itaque VI. cal. Quint. in Columella tantum constat. Hinc ad æstatis principium VII. idus Majas dies colliguntur XLIIX., quot retulit Varro. Idibus Quintil. Procyon Cæsari & Columellæ exoritur mane die Cancri XXVII. *XIII. cal. August. sol in Leonem transitum facit*. In prima Leonis parte Chaldæis mane Canicula emergit. Id in Columella quod non apparet, inferemus a Cæsare esse alienum? Nonne idem astrum, prodeunte Leone, exoriri a Plinio traditum & receptum a doctissimis video, & apud plurimos retentum? Sed præter Plinium ecce tibi vetustior Manilius, cujus carmina alias indicavi: Ecce & tertius utroque quidem inferior Julius Firmicus, qui in prima Leonis parte prodire Caniculam, quæ a Græcis Σείριον dicitur, affirmat. At ista in Plinio valere possunt, in Columella nullo modo? Quidni? Numquid nos turbat quod de Canicula apud Columellam reperitur: *VII. cal. August. Caniculam apparere?* Istud profecto si perinde accipitur, ac vulgo fit, sententiam propositam non solum oppugnat, sed etiam omnino evertit. Sed quis in cœlesti disciplina tam hospes & peregrinus non intelliget aliud esse stellas oriri, aliud apparere & manifestari? Qua de causa prodit Canicula cum Leone a. d. XIII. cal. August. apparet & mani-

manifeſtatur a. d. VII. cal. eaſdem. Num de Vergiliis ſimilia non prodita ſunt a Columella? *Nonis Maiis Vergiliæ exoriuntur mane: V. id. Maii Vergiliæ totæ apparent*. Jam vero Euctemoni non naſcitur Canis die Cancri XXVII., qui primo Leonis apparet? Quapropter in prima Leonis parte naſci Caniculam Columellæ libri non reſpuunt. Quid non reſpuunt? Quin exigunt, ſi vera iſta exiſtimanda ſunt ab eodem auctore ſcripta: *Filix quoque & Carex ubicunque naſcitur, Auguſto menſe recte extirpatur, melius tamen circa idus Julias ante Caniculæ exortum*. Igitur aliud eſt Caniculam exoriri non longe ab idibus, aliud apparere procul ab idibus VII. cal. Auguſt. Age, experiamur num iſtius ſententiæ veſtigium in Columella rimari poſſimus. Dices, quo tandem modo? Optanda iſta magis, quam obtinenda. Non inficior: tamen neſcio quæ in tanta rerum obſcuritate ſpes nos proritat, atque hortatur. Et quoniam veritas profundius latet, ſeque ab inquirente ſubripit, eos imitamur qui abſcondita proferunt deſodiendo. Itaque Columellæ locum adeamus, & proxima quæque ſedula manu perſcrutemur ſcalpendo, ut, ſi quod ulcus ſubeſt, curantis ad oculos pateat. *XIII. cal. Aug. ſol in Leonem tranſitum facit. Favonius. Nono cal. Auguſtas Leonis in pectore clara ſtella exoritur, interdum tempeſtatem ſignificat*. Deinde: *IV. calend. Aug. Leonis in pectore claræ ſtellæ exoriuntur, interdum tempeſtatem ſignificat*. Cujuſnam modi ſunt iſta quæ bis IX. & IV. cal. Auguſt. contingere commemorantur?

Jam ſcio. Ah
Vix tandem ſenſi ſtolidus!

His, his inquam, ſubeſt ulcus; hic alitur vitium. Scalpendum hic eſt, ſummumque os reſerandum. IX. cal. una prodit e Leonis pectore ſtella: IV. cal. plures. Utrunque falſum; primum, quod unum emicat de Leonino pectore aſtrum, non plura, ut canit Ovidius *Faſt. I.*

Sidere ab hoc ignis venienti nocte Leonis
Qui micat in medio pectore, merſus erit.

Ut Hyginus recenſet dicens Leonem in capite tres ſtellas gerere, in cervicibus duas, in pectore unam. Ut refert Plinius VIII. cal. Febr. *Stellam regiam appellatam Tuberoni* in Leonis pectore occidere matutino, & III. cal. Auguſt. eandem prodire. Necnon Proclus in *Sphæra* aſſerit ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ λέοντος lucidum aſtrum fulgere a loco καρδίαν nuncupatum, a nonnullis etiam βασιλίσκον. Ut denique ipſe Columella VI. cal. Febr. Leonis quæ eſt in pectore, claram ſtellam occidere narrat. Alterum manifeſti mendacii arguitur; quippe non IX. cal. Auguſt. *Tuber Leonis* (hoc enim nomine vocat hanc ſtellam Plinius, unde monſtrum

ſtrum effictum eſt *Tuberoni*) verum III. cal. Columellæ & Cæſari emergit, quæ Plinio poſtridie. Propter quod in Pſeudoptolemæo Leoniceno, qui non tam vitiata Columellæ exemplaria nactus qualia ad nos pervenerunt, IV. cal. Auguſt. Tuber Leonis exoriri ſcribit, IX. cal. ejuſdem nihil de hoc aſtro ſignificatur. Jam hominum calliditas hoc in loco aperte deprenditur, qui ſive ævo deperdita farcientes; ſive, quæ de Caniculæ exortu a. d. XIII. cal. Auguſt. videbant, tanquam inutilia atque alia, cum VII. cal. ejuſdem non valde abſimilia annecterentur, deturbantes, ſpatium ex illis quæ IV. cal. contingebant, repararunt. Deinde, ne vitium tam facile pateret, fuco velut obliniendo, illa IX. cal. fieri mentiti ſunt; hæc in ſua ſede reſervata, quia alia pepererant, & tanquam in colonias miſerant, multiplicarunt. Verum infelicem aſtutiam! Jam ſatis cernimus quæ ſub obſcura luce penitus receſſerant, detectis hominum dolis, & vetuſtatis tenebris remotis. Jam quod ſecuti ſumus tanta rerum obſcuritate involutum, licet proferre; quoniam, patefactis erroribus, omnia concurrunt ſimul, & lucem e luce accipiunt, ac circunquaque renident. Opportunum itaque eſt depromere quod inſtituta ratio, quod veterum conſenſus, quod depravatus ipſe Columellæ locus poſcere videbatur. Igitur quo die Columella ſolem ad Leonem tranſire indicavit, eodem Pſeudoptolemæus Leonicenus & Canem oriri tranſcripſit. Quapropter XIII. cal. Sextil., adeunte Leonem ſole, exoritur Canicula. Id etiam ex Columellæ lib. IX. eniteſcit clarius, ubi capite XIV. de Apibus in hanc ſententiam locutum invenio: *A canicula fere poſt diem quinquageſimum Arcturus oritur*. Prodit autem Arcturus Columellæ ex a. d. VII. id. Septembr., ideoque die quinquageſimo a Canicula. Quod item confirmat Diophanes qui Varroni æqualis vixit, quique Caſſium Dionyſium Uticenſem in ſex librorum compendium redegit; neque enim ab anno Latino abhorrere videtur, dum nomen Julium in menſe ſervat. ἡ τῆ κυνὸς, inquit, ἐπιπολὴ γίνεται διαφανέσης εἰκοσῆς τῆ ἰελίε μηνός. Quamobrem a ſolſtitio Caniculæ exortus removetur diebus XXIV. Falſi igitur numeri in Varrone: *inde* (a ſolſtitio) *ad Caniculæ ſignum dies XXIX.* Depravatus Columellæ lib. IX. *tunc peracto ſolſtitio uſque ad ortum Caniculæ, qui fere dies triginta ſunt, pariter frumenta & favi demetuntur*. Ab interpretibus irrepſit malum, qui opinantes Caniculæ ſignum, cum VII. cal. appareat, eodem etiam die oriri, tot dies a ſolſtitio numerarunt, quot Rhodii movetur aſtrum, ut auctor eſt Geminus. Verumtamen inter tot ſcriptorum ſordes Plinius exigua macula inficitur, qui Caniculam retinet diebus XXIII. a ſolſtitio prodire. Hunc tamen continuo depurat Germanici interpres antiquum

tiquum numerum XXIV. se a Plinio accepisse ostendens.

Post Caniculæ exortum autumni initium determinandum est ex Fidiculæ occasu. Die Leonis XXIII. occidit Lyra; ideo III. id. August. Audax nimium tibi fortasse videbor, ista cum legeris, secus veteribus docentibus. Nam Varro prodit autumnales dies inchoari ex a. d. VII. id. Sext. Columella autem prid. id. August. Fidim occidere mane, & autumnum incipere decernit. Florentinus denique ex Varrone refert: δέρᾳ πληροῦσθαι εἰς τοὺ πρὸ ἑπτὰ εἰδῶν αὐγούστων· ἔτι δὲ μετόπωρον ἄρχεσθαι ἀπὸ τῆς πρὸ ἓξ εἰδῶν αὐγούστων, ἡλίῳ ὄντος ἐν λέοντι. Quid mihi auctoritas, quæ, cum in unum convenire debeat (omnes enim Cæsaris institutionem sequuntur) tam dissimili tempore autumnum definit? Quod enim initium probem? Si Varronis, excidit illud quod supra ex eodem protuli, quatuor signorum diem tertium & vicesimum quatuor temporum esse primum, cum autumnus in Leone existat. Præterea falsa commentatur Florentinus, qui a Varrone iisdem dissociatur. Si vero Columellæ adhæream, vitiatus Varro, falsa ipsius sententia. Quid igitur agam? Repudiabone antiquas memorias, & conteram? Nequaquam. Sed vitia eximam; illud enim *prid.* in Columella obrepsit a Plinio, cum Columellam ex Plinio emendare instituissent. Subinde, ut opinor, vitiato quoque Plinio, atque de *prid.* literis extremis vetustate elisis, facto *VI.*, cum Plinium a Varrone die dissentire viderent, in Varrone autumnum anticiparunt, scribentes *VII.* Hoc modo tres optimi scriptores corrupti sunt. Florentinus autem ex depravatis Varrone & Plinio maculis infectus est. Non vana coniicimus; quippe Pseudoptolemæus Leonicenus sincerum locum a Columella deprompsit, videlicet: *III.* (idus Aug.) *Fidicula occidit matutino: autumnus inchoat.* Id pariter servatur in Plinio, ubi de Cæsaris scripto ait: *III. id.* (Aug.) *Fidicula occasu suo autumnum inchoat, ut is adnotat.* His constitutis, æstivi temporis dies XCIV. conveniunt, ut colligit Varro.

Ab his difficultatibus ac vitiis emersi pergamus porro. *XIII. cal. Septembr. sol in Virginem transitum facit*, & *XIII. cal. Octobr. in Libram.* Quare autumnale æquinoctium cum in octava Libræ parte conficiatur, VI. cal. Octobr. servandum est, diebus LXVIII. a Canicula non uno minus, ut apud Varronem notatur. Hinc novæ in Columella ambages; æquinoctium enim autumni, ut solstitium, per tres dies distrahitur VIII., VII., & VI. cal. Oct., exempta Augustani æquinoctii sede, quæ fuerat V. cal. eadem. Nam, cum animadverterent, hac servata, in VIII. cal. perveniri non posse, nisi per quatuor æquinoctia, ultimum subduxerunt, insequentibus perturbatis. Ideo V. cal. Octobr. Hœ-

dos

dos emergere inducunt, & IV. cal. Virginem desinere oriri. Hoc autem cum a Callippo, cui Virgo cessat oriri die Libræ V., exscripserit Columella, transeunte Callippo in Libram sole IX. cal. Octobr. V. cal. Oct. ut tibi jam notum feci, adnotabatur. Heu misera auctorum conditio! Felices profecto & vere beatos quorum libros extinxit vetustas; in assiduo enim hominum desiderio vivunt, neque unquam ob aliena vitia reprenduntur. Quantas accepit Columella labes, quod diu duraverit? Quis inconstantiæ (ut leni verbo dicam) nobilissimo viro non verterit, quod tria æquinoctia autumni, & tria solstitia posuerit, adversus id quod profitebatur? Cum vero autumni æquinoctium a Vergiliarum occasu modo diebus XL., modo XXXI. sejungat, & quartum æquinoctium in a. d. IX. cal. Octobr. distrahat, quis id Columellæ levitati non verterit? *Absconduntur* (ita scriptum est lib. II., Vergiliæ) *altero & trigesimo die post autumnale æquinoctium, quod fere conficitur nono cal. Octobr.* Et lib. IX. *Ab æquinoctio deinde quod conficitur circa VIII. cal. Octobr. ad Vergiliarum occasum diebus XL.*. Quæ si de primo occasu accipiuntur, cum solis exortu Vergiliæ incipiant occidere XIII. & XII. cal. Novembr., dies XXIV. vel XXV. ab æquinoctio colliguntur; si de secundo qui habetur IV. cal. Novembr. XXXII.: si de tertio qui perfectus autumnum finit, V. id. Novemb. XLVI. Quæ vitia cui potius attribuenda sunt, quam tempori? Necesse enim ut varias vicissitudines subeat, & in varia hominum ingenia incurrat, qui multum vixerit. Dempsit igitur ævum de XL. tres dies, ex eodem imperiti *altero & trigesimo* deformarunt, & de *VI. cal.*, *nono*; tum de alterutro ignava turba octavis gaudens *VIII. cal.* finxit. VI. ergo cal. Oct. Cæsaris, Varronis, Columellæ æquinoctiale tempus in octava Libræ parte peragitur, a quo in solstitium dies XCII. numerantur. V. vero cal. eadem Plinii & Ovidii fuisse æquinoctium ab Augusto constitutum in aliud tempus dilatum declarabo.

Ut tabulam atque epistolam absolvam, duo signa determinare oportet, hibernumque principium statuere. *XIII. cal. Novembr. sol in Scorpionem transitum facit.* Diebus igitur XXXI. in Virgine sol morabitur? Vitiatus igitur numerus, & notandus *XIV.*, ut Pseudoptolemæus invenit, ac Jensonius: & quæ sequuntur, poscunt. Dies Scorpionis tertius & vicesimus hiemis est primus IV. id. Novembr. Consentit Varro. Dissimilem Columellam faciunt, qui pridie hiemem inchoant. Verumtamen Pseudoptolemæus Leonicenus veram sedem accepisse demonstrat. Varronis porro interpreti Florentino fortunato evenit, ut autumni finem, hiemisque initium recte tueretur. Post dies igitur XCI., ut docet Varro, de-

ſinit autumnus, & hiems inchoatur, diebus XLV. ab autumni æquinoctio remota. Quod intervallum Varroni reſtitues ad dies XXXII. nunc contractum. *XIV. cal. Decembr. ſol in Sagitrarium tranſitum facit*, in quo annuum curriculum abſolvit.

De intervallis non multa annectenda reſtant. A Vergiliarum occaſu ad Favonium dies XXCIX. ſpectant. Nec aliter Varro. Ab eodem ſidere in brumam XLIV. Perperam itaque in Varrone: *ab hoc ad brumam dies LVII.* Cardines ſimiliter quibus ſpatiis ſeparentur, ex duodecim ſignis eſt oſtendendum. Ideo, cum Capricorno, Aquario, Piſcibus dies tricenos attribuat ſol, bruma ab æquinoctio I. diebus XC. diſcriminatur, & ab altero æquinoctio XXCIX.; quod Libram & Sagittarium diebus LX. ſol abſolvit, Nepam autem XXIX. Quapropter in Varrone, ubi ſerere oportere ſcribit ab autumnali æquinoctio in brumam per dies XCI., extremæ & primæ notæ deperditæ videntur. Utrunque autem æquinoctium a ſolſtitio diſſimili modo diſtat; primum diebus XCIV., quot tria ſigna Arietem, Taurum, Geminos ſol tranſcurrit: alterum XCII.; nam Virgo poſt dies XXX. a ſole relinquitur, qui per LXII. Cancrum & Leonem accendit.

Primo anno peracto, ſequitur ſecundus horis VI. productus ex cal. Jan. hora diei I.; & deinceps tertius eodem die hora autem diei VII.; tum quartus hora noctis I.. Quintus igitur ad inſequentem diem tranſit, & bruma conficitur VIII. cal. Jun. Sed, ſubinde, interpoſito inter Terminalia & Regifugium die, omnia in ſuam rationem revocantur.

De tabula Cæſaris Dictatoris quæ jam evanuerat, & de primo anno ſolari qui Italiæ illuxit, hæc habebam. Sequuntur alia atque alia partim obſcura, partim ferme ignota, de quibus ſingillatim eſt a nobis ſcribendum. Vale.

D. Patavio XIII. cal. April. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA XLIII.

De anno Ægyptiaco, a quo J. Cæſar ſuum exſcripſit.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

TUas literas quas pridie Quinquatrus ſcripſiſti, triduo poſt accepi XIII. cal. April. obſignata jam Epiſtola, quæ ſecum annum Julium

lium ferebat. His video quæ de veteri anno Romano ſive civili, ſive ſolari, quæ de intercalatione, quæ de anni partibus ex antiquis monumentis erueram, & tibi miſeram, a te maxime probari. Quod etſi benevolentiæ tuæ erga me attribuendum interpretarer, me tamen continere, quin gaudio afficerer (laus enim quæ a laudato viro proficiſcitur, cujus animum non pertentat?) non poteram, non quod ſcripſiſſe quid te dignum viderem, verum quod tuæ voluntati abunde ſatisfeciſſem. Sperabam enim fore, ſi ea quorum tam multa ſuſpicionibus acta eſſent, tibi non injucunda fuiſſent, ut, quæ de Julio anno habebam certiora, & veterum ſcriptis magis confirmata, potiori jure tua humanitate ſuſciperes. Quæ quamvis a te nondum certior factus eram, tibi reddita fuiſſe, reliqua tamen ad Julium Cæſarem ex cœleſti diſciplina quam Græce commentatus fuerat, attinentia continuo adiicere inſtituebam, ut, perluſtrata anni tabula, hæc nulla interpellatus mora ſuis locis aptares. Verum quando ad tuum arbitrium & nutum me accommodare ſoleo, atque extrema tuæ epiſtolæ parte maximopere flagitas, ut de Ægyptio anno veteri quid ad te mittam: quod mandas, præponam, & pro virili curabo.

Quare nunc

Accipe Niliacæ Peluſia munera Lentis.

De Ægyptiis enim quid tuis ſegetibus dignum mittam? Quæ commentari poſſum? Quos auctores ſequar? Qua regula inſiſtam? Quibus adminiculis ducar, qua ſimilitudine, qua ratione, quo exemplo? Pauca de hac materia attigit Plinius, neque ad tempora annique momenta valde pertinentia. Ptolemæus vero, qui acriori indagine quam veteres, cœleſtium rerum contemplationi operam dedit, cum inferiore ætate quam Plinius, floruerit, aptior ad antiqua placita refellenda, quam ad ea cognoſcenda & confirmanda videtur. Quid de libris dicam qui Ptolemæum mentiuntur? Hoſne ſpectem, ut non vera, non veri ſimilia, non Ægyptia, ſed inania, fabuloſa, falſa me tibi ſcripſiſſe ſtatim exclames? Profecto animi pendeo, & dum omnia mente oculiſque perluſtro, nihil video quo melius utar, quam Cæſare. Aiſne Cæſare? Certe. Quid Latinus cum Ægyptiis? Magna intercedit ſimilitudo, ne dicam ferme omnia ab Ægyptio fonte hauſta mihi videri. A quo, amabo te, annum ſolarem didicit Cæſar, niſi ab Ægyptiis? Unde in Latium invexit, niſi ab Ægypto? Cæſaris itaque annus cum Ægyptius appareat, quis mihi vitio dederit, ſi expreſſam formam ſpectabo, quandoquidem archetypum nuſquam licet invenire? Quo tamen facilius quem hinc adumbravero, pro Ægyptio tibi venditem, teſtes duos fide & antiquita-

te insignes non ab Ægypto, sed a Græcia adducam, quos tibi stipulanti sponsores obsidesque relinquam, ne dolo malo tecum egisse videar. Age itaque, antequam omnia in unum corpus redigantur, singula, quæso, delineamenta recognosce, & a quo principio ducantur, & in quem finem, ante pro tua prudentia cape; difficile enim erit, absolutis omnibus, togatum signum haberi, Ægyptia indutum veste, impositaque tiara. Capitis primum sedes definienda concinne, quod cætera membra moderatur. Caput autem cuinam aptabimus, quod mobile & vagum per omnes articulos errabat? Nullum enim anni principium certum, qui singulis lustris stationem relinquebat, posthabito die qui ex quadrantibus constat; ideo quintus annus ab extremo quarti solaris anni die capiebat exordium. Traditur tamen quoddam initium non anni civilis vel solaris, sed anni quem magnum & canicularem vocant. Huic definita erat sedes Caniculæ exortus, ad quam annus civilis recurrebat, postquam CIↃ CCCCLX. vicies signiferum orbem sol perlustrasset. A Tab. Canicula itaque mane prodeunte, nisi abnuis, principium sumamus. O- XXXIV. ritur autem Ægyptiis Canicula, ut testatur Censorinus, a. d. XIII. cal. Sextil. quo Cæsari prodit, post Solstitium, puto, diebus XXIV., ut Latini observant. Hoc tamen tanquam verum, & certum modo non affirmo, sed, ut Geometræ solent, ut mihi des, postulo: mox confirmabo. Solstitium itaque cum Cæsare a. d. VI. cal. Quint. in Cancri prima parte constituatur. Quo signato, adeamus Plinium de Africa terra scribentem in Berenices & Ptolemaidis urbe bis anno absumi umbram XLV. diebus ante solstitium, totidemque post, & per eos dies XC. in meridiem umbram jaci. IV. igitur id. Majas diebus XLV. ante solstitium VI. cal. Quint. umbra evanescit: deinde per dies XC. in a. d. IV. id. Sextil. quo iterum absumitur, in meridiem vergit. Addit Plinius id fieri in Meroe insula, primum sole XVIII. Tauri partem transeunte, secundum XIV. Leonis. Ideoque IV. id. Maii dies est quo sol XVIII. Tauri partem attingit, & IV. id. Sextil. quo Leonis XIV. Porro cum in partem Tauri XVIII. sol die XIX. pertranseat, & in XIV. Leonis die XV., introitum facit in Taurum VIII. cal. Maii, & in Leonem VI. cal. Sextil. Propterea, perlustrato Tauro diebus XXXII., transibit sol in Geminos VII. cal. Jun. & in Cancrum post dies XXXI. VI. cal. Quint. solstitiali die, a quo ad Leonis principium dies XXXI. pertinent, quot in Cancro sol moratur. A solstitio Nili incrementum incipi Herodotus & alii nos docent. Id evenire Prosper Alpinus observavit (ut in eo volumine quod de rebus Ægyptiis privatim condidit, memoriæ reliquit) circa XV. cal. Quint. nulla habita Gregoriana

anni

TABULA XXXIV.

Annus Solaris Ægyptiacus.



anni emendatione. Idcirco Ægyptiis nunc citius peragitur ſolſtitium, quod nimis quam par erat, intercalationi indulſere.

Quatuor ſignorum principiis conſtitutis, reliqua in ſua quæque ſpatia eodem ordine procedunt. Quare dies Virginis primus VI. cal. Septembr. Libræ VI. cal. Octobr. Scorpionis VII. cal. Nov. Sagittarii VIII. cal. Decembr. Capricorni IX. cal. Januar. Aquarii X. cal. Febr. Piſcium VIII. cal. Mart. & demum Arietis IX. cal. Apr. Ex quo fit, ut in prima ſignorum parte conficiantur cardines: æquinoctium vernum IX. cal. Apr. Autumnale VI. cal. Oct. Bruma IX. cal. Januar. Solſtitium, ut poſui, VI. cal. Quint. quos recepit Cæſar.

Opportunum jam eſt teſtes producere, Eudoxum nimirum atque Euctemonem, ut ſum pollicitus; XVIII. cal. Auguſt. ait Plinius in Ægypto Aquilam mane occidere, Eteſiarumque prodromos incipere. Notam XVIII. in Attica diſciplina rejecimus, & X. ſubſtituimus; quippe poſtridie Euctemoni idem aſtrum deſcendit, & XIII. cal. eaſdem Cæſari Canicula exoritur. Die autem Cancri XXVIII. Euctemoni Aquila occidit. A quo acceperit, ſi quæris, intervallum dierum XXVIII. ab Ægyptio Cancri principio VI. cal. Quint. in a. d. X. cal. Sextil. pertinens indicabit. X. ſimiliter cal. Sextil. prodromi in Ægypto flare incipiunt per dies V., ut numerat Eudoxus; ideoque ſpirant Eteſiæ V. cal. ejuſdem. Quorum tempus Eudoxus in dies L. producit. Ceſſant itaque XVI. cal. Octobr. Plinius me falli non ſinit ſcribendo: XVI. cal. Octobr. Spicam quam tenet Virgo, exoriri matutino in Ægypto, Eteſiaſque deſinere.

Die Leonis XVIII. Delphinus Eudoxo mane occidit. Hoc ſpatium ex a. d. VI. cal. Sextil. quo Leonem in Ægypto ſol ingreditur, id. Sextil. finitur. Diſcrepat Plinius non ſuo, ſed temporis interpretumque vitio: *prid. id. Auguſt. veſpere Ægypto & Cæſari Delphinus occidens ſignificat*. Sed Columella recte idus retinet, quod in Plinio etiam eſſe oportere oſtendi, iterumque (quamvis aperte conſtat) oſtendam. Verum quid fiet illo *veſpere* quod *mane* vel *matutino* procul dubio fuerat; nam mane occidit hoc tempore Delphinus Chaldæis, mane Eudoxo, qui ab Ægyptiis hauſit, mane Columellæ, qui a Cæſare exſcripſit?

Adeunte Virginem ſole in Ægypto VI. cal. Septembr. dies Virginis X. quibus Euctemoni Vindemiator apparet, nonis Septembr. ceſſant. En tibi Plinius: *Vindemiator Ægypto nonis* (Sept.) *exoritur*.

Tranſeamus ad vernum ſignum Arietis, in quem ſol introitum facit IX. cal. April. & die Arietis XIII. nonas April. attingit. Hoc ſpatio

tio Orion incipit Eudoxo veſperi occidere : eodem Ægyptiis , referente Plinio , *nonis* (April.) *Ægypto Orion* , *& gladius ejus incipiunt abſcondi* .

Hoc etiam menſe , auctore Plinio , *XIV. cal. Maji Ægypto Suculæ occidunt veſperi* . Numerum *XIV.* , cum proximus *XVI.* notetur , ut Attica ratio exigit , improbavimus , reſtituta nota XVII. , quam ſolam Plinii locus admittit . Concurrunt dies Arietis XXIII. , quibus Euctemoni Suculæ abſconduntur .

Die Pharmuthi XXV. oriri , nimirum cum ſole , Vergilias memorat Theon , quod in XII. cal. Majas convenit , die Arietis XXVIII. Id notant Chaldæi poſtridie .

IV. non. Quint. *Ægypto Procyon matutino oritur æſtuoſus* . Procynis progreſſio ſecus obſervatur ab Ægyptiis , atque a Chaldæis , & Latinis : illis movetur die Cancri IX. : his XXVII. Verum quod ex eodem Plinio infra exſcripſi , animadvertas velim : *eſt autem maximopere pertinens , ſicut paulo mox docebimus* . Vetus Germanici interpres non : *eſt autem* : ſed : *ad æſtus* a Plinio accepit . Quod ipſe Plinius mox confirmat , ut pollicitus erat , dicens *magnam æſtus cauſam* hoc aſtrum obtinere .

XVII. cal. Jul. gladius Orionis exoritur , *quod Ægypto poſt quatriduum* , videlicet XIV. cal. Quo enim die incipit Eudoxo prodire Orion ? Quo Euctemoni , die Geminorum XXIV. Tranſeunte in Ægypto in Geminos ſole VII. cal. Jun. uterque auctor Ægyptiacum tempus deſignat .

Jam intelligimus Julium annum ab Ægyptio expreſſum , & Græcorum aſtronomiam ab Ægypto ferme totam eſſe . Nunc de reliquis quæ ad tabulam exornandam ſpectant , differamus . Et quando de Caniculæ exortu XIII. cal. Auguſt. conſtat , libet alia ex aliis auctoribus interferere . Die Epiphi menſis XXV. quod tempus cum XIV. cal. Sextil. convenit , Canem Hephæſtion Thebanus oriri tradit . Cum dies a meridie incipiant Ægyptii , mane ejus diei de quo ſcribebam , incidit in a. d. XIII. cal. Sext. matutino tunc exoriente Cane . Ægyptio quoque more accipiendus eſt apud Geminum Doſitheus , cui die Cancri XXIII. Canis in Ægypto ἐφανὴς γίνεται . Putati enim dies XXIII. ab Attico Cancri principio V. cal. Quint. ſed a meridie finiuntur meridie XIII. cal. Sext. mane canicula prodeunte . Audiamus etiam Porphyrium ex Nympharum antro inſuſurrantem : Αἰγυπτίοις δὲ ἀρχὴ τοῦ ἔτους οὐχ ὑδροχόου , ὡς Ῥωμαίοις , ἀλλὰ καρκίνου · Πρὸς γὰρ τῷ καρκίνῳ ἡ Σῶθις , ἣν κυνὸς ἀστέρα οἱ ἕλληνές φασι . Quibus de Aquario falſa refert ; nunquam enim ab Aquario Romanum annum incepiſſe audivi . Cæterum

rum in Cancro oritur Canis, a quo Ægyptius annus magnus inchoatur.

Et quoniam ex a. d. IV. id. Maji in IV. id. Sextil. umbra in meridiem per dies XC. flectitur, & IV. id. Sext. umbra rursus evanescit, postridie autumni initium, redeunte in Septemtrionem umbra, quale Cæsari restituimus, haberem. Neque hoc sine auctore audeo, canente de Nilo Lucano:

contraque incensa Leonis
Ora tument, Cancroque suam torrente Syenem
Imploratus adest, nec campos liberat undis,
Donec in autumnum declinet Phœbus, & umbras
Ostendat Meroe.

At hybernum tempus unde inchoabo? Si Eudoxum sequor, occultantur Vergiliæ, a Scorpionis initio Ægyptiaco ducto spatio idib. Novembr., si Euctemonem, V. id. ejusdem. Sin vero Cæsarem specto, vel Callippum, quem Ægyptiæ disciplinæ minime expertem non negaveris, IV. id. Novemb. die Scorpionis XVI. Hoc in tabula sum sequutus.

Die item Aquarii XVI. Democrito Favonius flare incipit, & tempus existit VII. id. Febr. Quæ si vera judicaveris, intelliges, cur Cæsari dies tertius & vicesimus quatuor temporum sit primus, qui Ægyptiis decimus sextus; anticipant enim Cæsaris signa per dies septem, ut in octavis partibus cardines concludantur. His tamen opponuntur quæ de Iside, & Osiride narrat Plutarchus. Vernum principium ait esse mensis Phamenuthi calendas, quas celebres agunt Aegyptii, & ingressum Osiridis in Lunam vocant. Id tempus anno non vago in V. cal. Mart. producitur, quo Eudoxo Arcturus vesperi prodit, & Hirundo apparet. Ista sane homini Bœotiæ sectæ non valde aliena videntur. Sed Aegyptiam hiemem in dies CVII. portendi est cur dubitem. Quamobrem, his non gravate dimissis, alia videamus.

Si die Tauri XV. fit æstas, cum Cæsaris principio eadem componitur. Mihi hoc potius probari conducibile erat, quam Euctemonis vel Eudoxi intervallum; quoniam æstatem esse habendam, antequam ad summum orbem feratur sol, tu quoque fateberis.

Nonis Januariis Aegypto Sagittam vesperi occidere meminit Plinius, cui non plane assentiri possum, & Aquilam malo, quæ Atticis die Capricorni VII. delabitur, Chaldæis autem ipsis nonis Jan. Profecto Sagitta, ut Hyginus docet, occidit Virginis ortu; ideo Chaldæis se immergit V. cal. Septembr. Neque multi laboris fuit illis qui tot portenta in Plinium induxerunt, Aquilam in Sagittam invertere.

VII.

VII. cal. Maji Ægypto Hœdi exoriuntur, de quibus ſilent Græci.

VIII. id. Majas Ægypto Canis veſperi occultatur ſerius quam in aliis regionibus fieri traditur.

Hæc cum ſcriberem, & circumſpicerem, ne quid prætermitterem, quod hæc anni ratio poſtulare videbatur, ecce occurrit mihi Didymus, cujus libros de re ruſtica Caſſianus Baſſus non exſcripſit, ſed laceravit. Hunc itaque Didymum Aegyptiæ diſciplinæ addictum opinatus ſum, tum quia in Phœnicia degeret, quæ ad Aegyptiacam plagam quodam modo accedit; tum quia quæ ſcripſit, Aegyptiaca apparent. Quæ tamen ſi mavis a Cæſare, non repugno; ſiquidem & Cæſar ab Aegyptiis deprompſit. Præceptum itaque eſt a Dydimo ſerendas Siliquas ἀπὸ τῆς πρὸ Ϛ' καλάνδων Ἰανναρίου ἄχρι τῆς πρὸ δ' καλάνδων Φεβρουαρίου. A Bruma igitur a. d. IX. cal. Januar. ſerenda Siliqua diebus XXXVI. Clarius tamen his brumale tempus definitur: παύσασθαι δὲ ἀμφότερον τῶν σπόρων ταῖς τροπαῖς ταῖς χειμεριναῖς· αἳ εἰσι τῆς πρὸ Ϛ' καλάνδων Ἰανναρίων. At vernum æquinoctium deſignat, cum docet Meſpilum Φυτεύεσθαι ἀπὸ τῆς πρὸ Ϛ' καλάνδων Ἀπριλίων. Cur itaque ſecus in his: μέχρι δὲ ἐαρινῆς ἰσημερίας (σπέρουσι) τουτέστι τῇ πρὸ ὀκτὼ καλάνδων Ἀπριλίων. Non repetam a quibus vitium emanaverit, quod recenter tibi ſignificavi. In altero ſimiliter æquinoctio idem auſi ſunt: πρὸς μὲν κριθὰς ἄρχεσθαι σπείρειν προσῆκον ἀπὸ ἰσημερίας φθινοπωρινῆς, ἥτις πρὸ ὀκτὼ καλάνδων Ὀκτωβρίων. Tritici ſationem incipi ſcribit ἀπὸ πλειάδων δύσεως, ἥτίς ἐστι τῇ πρὸ τεσσάρων νόνων Νοεμβρίου. Si νόνων pro εἰδῶν poſitum emendaveris, Vergiliæ, ut in Cæſaris tabula, atque adeo in Aegyptia, IV. id. Novembr. occultentur. Aſſerit demum Coronam occidere ἐν τοῖς κατὰ Φοινίκην τόποις τῇ πρὸ ἑπτὰ καλάνδων Δεκεμβρίων, quæ Latinis non longe a Vergiliarum occaſu delabitur, a quo celeberrimus vates Tritici ſementim eſſe incipiendam declarat a Democrito edoctus, qui talia, ut Didymus teſtatur, de ſatione ante præceperat:

Ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur,
Gnoſſiaque ardenti decedat ſtella Coronæ,
Debita quam ſulcis committas ſemina.

De Aegyptio anno veteri ſolari habes ſententiæ meæ teſtimonium. Multa prætermiſi; quod de iis prorſus mihi non conſtiterit. Quamvis enim in hoc genere nonnulla conjecturis agantur, ea tamen, ſi recta intelligentia moderentur, aliquod ad veritatem determinandam momentum habere judicamus. Fallaciſſima autem ſuſpicionum irritamenta, quibus imbecilles animi vellicantur, & huc atque illuc novarum rerum ſpecie impelluntur, neque uſquam conſiſtere ſinunt, cur apponerem?

Quæ

Quæ in me nullam vim habere expertus ſum, in te tam acri judicio virum valitura exiſtimarem? An quiſquam apta ad perſuadendum ſe inveniſſe arbitrabitur, quibus ipſe non aſſentiatur penituſque acquieſcat? Cave tamen exiſtimes, quæ ad te ſcripſi, & ſum ſcripturus, perinde a me haberi, atque a te haberi (quod tua eſt humanitas) ſolent. Multa quidem ad pondus, ut ajunt, & menſuram conveniunt: multa levia & inania non ſubſidunt, ſed innatant, & effluunt: multa ad veritatem connituntur, quam tamen ut aſſequantur, magis opto, quam aſſecutura pollicear: immiſcentur demum nonnulla quæ epiſtolarum genus, & mutua inter nos familiaritas, ac benevolentia expoſcunt.

Epiſtolam dum complicabam, ſubit animum oſtendere qua ratione Aegyptius & Chaldaicus annus inter ſe conveniant, mutuoque innexu ſe amplectantur. Prid. non. Sextil. anno Romano prodire matutino Canem oſtendimus, quod Aegyptii die Cancri XXV. obſervant. Quare V. id. Quint. ex Chaldaico principio Aegyptiis ſol in Cancrum fertur, ſolſtitiumque peragit, quod Chaldæi die hinc VIII. conſtituunt. Age, deducantur per annum ſolarem ſigna, ut infra adnotatum vides:

Sol Cancrum adit V. id. Quint. Solſtitium.
Sol Leonem adit. Fidis mane occidit. Autumni initium III. id. Sext.
Sol Virginem adit III. id. Septembr.
Sol Libram adit. Aequinoctium autumni V. id. Octobr.
Sol Nepam adit. Vergiliæ mane occidunt. Hiemis initium IV. id. Novemb.
Sol Sagittarium adit V. id. Decembr.
Sol Capricornum adit. Bruma V. id. Januar.
Sol Aquarium adit. Favonius incipit & Ver VII. id. Febr.
Sol Piſces adit VII. id. Mart.
Sol Arietem adit. Aequinoctium vernum VI. id. April.
Sol Taurum adit. Vergiliæ mane oriuntur. Æſtatis initium VII. id. Maji.
Sol Geminos adit IV. id. Jun.

Tempora itaque quæ ſequiori ætate in Aegypto die ſignorum XVI. acta vidimus, tunc die ſignorum primo agebantur. Eadem vero Chaldæi (ſi tales ſtationes eo ævo temporibus attribuerint) die ſignorum VIII. egerunt; nam a IV. non. Quint. in annum noſtrum ſic digeruntur ſigna.

Sol Cancrum adit IV. non. Quint.
Solſtitium V. id. Quint.

Sol Leonem adit. Canis mane oritur prid. non. Sext.
Autumni initium III. id. Sextil.
Sol Virginem adit prid. non. Sept.
Sol Libram adit IV. non. Octobr.
Aequinoctium autumni V. id. Octobr.
Sol Scorpionem adit III. non. Novembr.
Hiemis initium IV. id. Novembr.
Sol Sagittarium adit IV. non. Decembr.
Sol Capricornum adit cal. Januar.
Bruma VI. id. Januar.
Sol Aquarium adit prid. cal. Febr.
Favonius VII. id. Febr.
Sol Piſces adit VI. non. Mart.
Sol Arietem adit cal. April.
Aequinoctium vernum VI. id. April.
Sol Taurum adit VI. non. Maji.
Aeſtatis initium VII. id. Maji.
Sol Geminos adit III. non. Jun.

Et quoniam ſolari anno digeſtis per utriuſque gentis principia ſignis, quid ſequatur, vidimus: ad Numæ Romanumque annum tranſeamus. Quo anni modo ſigna ita procedunt.

Chaldaica.	Ægyptia.
Sol Cancrum adit IV. non. Quint.	V. id. Quint.
Sol Leonem adit prid. non. Sext.	III. id. Sextil.
Sol Virginem VIII. id. Septembr.	Id. Septembr.
Sol Libram adit non. Octobr.	Prid. id. Octobr.
Sol Scorpionem adit VIII. id. Nov.	Id. Novembr.
Sol Sagittarium adit VIII. id. Dec.	Id. Decembr.
Sol Capricornum adit VII. id. Jan.	XVII. cal. Februar.
Sol Aquarium adit VI. id. Februar.	X. cal. Intercal.
Sol Piſces adit XVII. cal. Marr.	X. cal. Mart.
Sol Arietem adit XVII. cal. April.	X. cal. April.
Sol Taurum adit XV. cal. Maji.	VIII. cal. Maji.
Sol Geminos adit XV. cal. Jun.	VIII. cal. Jun.
Ann. II.	Ann. II.
Sol Cancrum adit XIII. cal. Quint.	VI. cal. Quint.
Sol Leonem adit XIII. cal. Sextil.	VI. cal. Sextil.

Quare

Quare qui Chaldæi ab Aequinoctio verno annum exordiuntur, Arietis principium ſtatuunt XVII. cal. April. Aequinoctium autem X. cal. eaſdem, ut apud Aetium retinetur. A Leonis vero prima parte qui annum auſpicantur, ſi initium capiunt ex a. d. prid. non. Sextil. alterum annum ducunt ex a. d. XIII. cal. Sextil. Illud Chaldæi, Bœotii, Corinthii, Spartani ſecuti ſunt: hoc Aegyptii, ut oſtenſum eſt. Jam liquet ab eodem fonte Chaldaicam & Aegyptiam Aſtronomiam incepiſſe, & totam diſſimilitudinem fieri ex anno quo incipiunt; Chaldæi enim ab impari inchoant, Aegyptii a pari: Propterea annus Chaldæorum LXVII. a Nabonaſſaro erat DIV.; DXII. & DXIX. Nabonaſſari a Chaldæis vocabantur LXXV. ac LXXXIII., ut ex Ptolemæo cum de Chaldaico anno agerem, tibi ſignificavi. Quibus ſimiliter annis eadem ſignorum principia quæ Aegyptiis fuiſſe modo deprendimus, Babylone etiam conſtituta inveniuntur. Poſtquam vero ſolertiori cura cœleſtia contemplanda ſuſceperunt Chaldæi, ab Aegyptiis receſſere animadvertentes ex diſſimili cœli converſione ſibi die citius, quam Ægyptiis cardines perfici, ſtellaſque reverti. Cur vero a Leone ad Arietem anni primordium traduxerint Chaldæi, & quo tempore, & qui (niſi ſi patrium morem ſecutus eſt Aetius, quem Chaldaica regula ejus cives moderabantur) in tanta rerum obſcuritate & hiſtoriæ tenebris quicquam perſpicere nequeo. Sed de Chaldæis ſatis.

Quid tibi de Julio anno videtur? Non convenit cum Aegyptio cardinibus? Non convenit temporibus? Non convenit Caniculæ exortu ſignorumque intervallis? Et dubitabimus adhuc quin totus Aegyptius ſit, quando ex Aegyptiis membris totus conflatur? Ad hæc intercalatio accedit poſt Terminalia appoſita, qua, dum inferiores V. dies menſi demuntur, annus ad CCCLX. contrahitur, ut Aegyptius, dieſque poſt Terminalia tanquam anni ſupplementum habentur, quales & quot in Aegypto, quos hac de cauſa ἐπαγομένας ἡμέρας vocabant, abſoluto anno ſubnectebantur.

De aſtrorum progreſſu & ſignificatione quæ ſcripſerit Cæſar, perpendendum ſubit. Id ad proximas calendas tibi reſervo. Vale.

D. Patavio IX. cal. April. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA XLIV.

De Stellarum ortu & occaſu ipſarumque ſignificatione, quæ Julius Cæſar Græce in publicum uſum emiſit.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

EXſpectabam a te heri literas, quibus de anno Ægyptio quæ ad te recentiſſima epiſtola miſi, certior eſſem. Verum hodie etiam nihil, graviter moleſteque fero; eoque acerbior hæc cura me ſolicitat, quod tuam diligentiam in reſcribendo novi. Summæ me inertiæ damnabis, qui tamdiu diſtuliſſem, quod a te deſiderabatur. Ne valeam ſi nebuloni iſti quicquam commiſiſſem, niſi a te juſſus. Expreſſit etiam non jactantia & garrulitate mira, quibus moleſtiorem, & magis odioſum hominem non cognovi, ſed quod ad tempus tuas literas mihi reddiderat. Quamobrem, ſi reverſus eſt, inveſtiga, & epiſtolam extorque. Interea de Cæſaris aſtronomia commentariolum mittam, quo multa ad Julium & Ægyptium annum pertinentia complectar. Incipiamus a Bruma, a qua in Favonium Cæſari nobilia ſigna ſignificare ſcribit Plinius.

III. cal. Jan. matutino Canis occidit. Quadrat Columella, ſed non undique: *III. cal. Jan. Canicula veſperi occidit.* Illi mane, huic veſperi. Quid præſtat? Mane credo ex veterum ſcriptis; Chaldæis enim cal. Decembr., Eudoxo prid. non. Canis matutino decedit: cunctis autem veſperi extremo Aprili celatur.

Prid. non. Jan. Cæſari matutino exoritur Delphinus. De eodem idem Plinius hæc repetit lib. VIII. *coitus a Delphini exortu ad prid. non. Jan.* Verum *ad* pro *a. d.* erratum habebis.

Nonis Januar. Cæſari & Columellæ Fidis exoritur mane, itemque Ovidio:

Inſtiterint imbres miſſis tibi nubibus atris,
Nonæ ſigna dabunt, exoriente Lyra.

VIII. cal. Febr. ſtella regia appellata Tuber Leonis occidit matutino. Videbis an potior ſit nota *IX.*, quo die Ovidio ſe immergit. Etenim inter Chaldæos hunc motum notari VIII. cal. oſtendimus; qui ſi cum Cæſare convenirent, Plinius, ut ſolet, commemoraſſet. Columella

mella VI. cal. id refert, non ſine vitio. *VI. cal. Feb. Leonis quæ eſt in pectore clara ſtella occidit, nonnunquam ſignificatur hiems bipartita.* Quod ſi tibi de nota *IX.* parum conſtet, atque a Chaldæis malis recedere quam præire, VII. cal. in utroque auctore ſignabis.

Prid. non. Febr. Fidicula Cæſari occidit veſperi.

A Favonio in æquinoctium vernum Cæſari ſignificat XVII. cal. Mart. triduum varie. Germanici interpres exſcripſit *quatriduum varium.* Quod eſt quatriduum decretorium, de quo multa affert Plinius. Veteres quoque editi libri numerum *XVII.* improbant, qui Februario non convenit, & *XIV.* retinent. In Germanici etiam interprete *IV. cal.* extat, prima nota amiſſa; in eodem tamen recte *ſignificant*, nempe ſidera, notatur.

Et VIII. cal. Hirundinis viſu. Crediſne hæc intemerata, & vera? Quidni? Nemo in dubium revocat. At mihi aliud fert animus. Vide igitur quid audeam: *& VIII. Chelidoniæ vocati ab Hirundinis viſu* Cæſari ſignificant. Quis dabit hæc tam longe petita? Aiſne tam longe quæ lib. II. in Plinio continentur? *Favonium*, inquit, *quidam a. d. VII. cal. Mart. Chelidoniam vocant ab Hirundinis viſu, nonnulli vero Ornithiam uno & LXX. die poſt brumam ab adventu avium flantem per dies IX.* Diebus itaque a bruma LX., ut prodit Democritus (ideo *uno & LXX. die* fuit: *uno de LXX.*) Ornithiæ Cæſari ſpirant ex a. d. VIII. cal. Mart. in a. d. IV. non. ejuſdem per dies IX.. At Plinio qui die a Cæſare differt, poſtridie incipiunt, quippe & bruma non IX. cal. Jan. ſed VIII. ſervatur. Antequam Ornithias dimittamus, accipe iterum quod in illis mihi non probatur. Cur enim bis idem *ab Hirundinis viſu: ab adventu avium*. Satis primis de nomine declaratum eſt. Reliqua ex librariorum munere abundant.

Et poſtero die Arcturi exortu veſpertino. Apud Germanici interpretem: *& poſtero die Arcturi exortus veſpertinus* ſcilicet Cæſari ſignificat. Columellæ fit *IX. cal.* Mart. lib. XI.; quod ab Eudoxo deprompſit; Lib. autem II. *VI.* vel *V.* cal. eaſdem. Ubi malo *VII.* vel *VI.*, illud ab Julia aſtronomia, hoc ab Italica, diebus LX. a bruma.

Item III. non. Mart. Cæſar Cancri exortu id fieri obſervavit. Sine hæſitatione *Cancri* in *Equi* eſſe mutandum affirmarem; ſiquidem, in Cancro ſole morante, Cancer oritur, ut ex Callippo indicatum eſt. At Equus tam Columellæ quam Ovidio nonis Martiis attollitur. Non tamen me preterit, ſi hic Columellæ locus cum prioribus excuſis conferatur, quæ ex Aldi licentia reſultant, evaneſcere atque extingui. Editum enim eſt ab antiquis: *IV. non. Martii Equus mane oritur. flatus*

Aqui-

Aquilonii. Quæ igitur interpoſuit Aldus : *Favonius*, *interdum Auſter*, *hiemat*. *Nonis Martiis*, ex eorum induſtria qui vero illudunt, pendent. Quibus remotis, a Callippico initio XI. cal. Mart. ad IV. non. ejuſdem dierum Piſcium XIV. quibus Euctemoni Equus movetur, ſpectat intervallum. Exoriente itaque hoc aſtro, Chelidonias ſpirare Cæſar animadverterat. Hoc in Pſeudoptolemæo Græce invenitur: δ' τῷ φαμενῷθ Καίσαρι χελιδόνιαι πνέυσι ἐπι ἡμέρας δέκα. Convenit tempus quod ſine vitio eſt repertum in Plinio : diſcrepat numerus conſulto ad tegendam fraudem deformatus, quærente auctore falſum, quo verum facilius occultaretur. Ornithias autem dies IX. flare ſcripſit Plinius a Democrito edoctus, & adiecit etiam Septemtrionales ventos impari fere dierum numero deſinere.

Major pars auctorum Vindemiatoris emerſu. III. non. Mart. Ovidio quoque oritur Vindemiator, quo die Euctemoni apparet, flantibus Ornithiis die Piſcium XII. Tribus in eundem diem convenientibus ſcriptoribus, diſſentire Columellam, & quare, inter Callippica enucleavi.

VIII. id. Mart. Aquilonii Piſcis exortu. Germanici interpres *exortus* videlicet ſignificat; oſtendit.

Et poſtero die Orionis. Hujus quoque progreſſio Cæſari ſignificat.

Idibus Martiis Cæſari & Columellæ Nepa occidit, quod (eheu nimis verax) ſibi ferale Cæſar adnotavit.

XVI. cal. April. Milvius apparet; nam Liberalibus Ovidius canit:

Stella Lycaoniam vergit declivis ad Arctos
Milvius, hæc illa nocte videnda venit.

Id ad Cæſarem referam, poſtridie Milvii exortum quem Plinius memorat, Italica ratione ſibi aſſumente. Nunc cognoſce quam nugax fuerit Pſeudoptolemæus Græce editus ſcribendo: κδ' τῷ φαμενῷθ Καίσαρι ἰκτῖνος φαίνεται. Quæ fiunt anno noſtro XIII. cal. Apr. Ex depravato Plinio hauſit, a quo etiam Germanici interpres, etſi modo ſolum *III. cal.* legatur, prima nota extrita, deſumpſit.

XII. cal. Equum occidere matutino. Emendatius Germanici interpretis exemplum opinor: *XII. cal. Equus occidit matutino*. Haud ſecus Columella: *XII. cal. April. Equus occidit mane. Septemtrionales venti*. Quæ ad Italiæ diſciplinam, Auguſtive tabulam pertinere arbitrarer, & pridie eſſe adnotata a Cæſare. Certe Pſeudoptolemæus Leonicenus ex Columella mutuatus eſt: *XIII.* (cal. April.) *Equus occidit matutino*. *Aquilo vel Septemtrio flat*. Accedunt Chaldæi qui Cæſari die ſæpenumero præeunt. His XIV. cal. Apr. Equus delabitur; quamvis mendoſiſſime apud Aetium ſcribatur ἀνατέλλει pro ἀναδύνα, ut diximus.

Calen-

Calendæ Apriles Cæſari ſignificant, quibus, ut in metrum digeſſit Ovidius,

Dum loquor, elatæ metuendus acumine caudæ
Scorpius in virides præcipitatur aquas.

Eodem tempore Columellæ Nepa occidit. Quod dum a Cæſare exiſtimo, idipſum in Plinio deperditum deſidero. Ipſe ſane locus quid depoſcere videtur: *ab eo* (Æquinoctio) *ad Vergiliarum exortum matutinum Cæſari ſignificant. Calend. April. III. non. Apr.* Ut a bruma in Favonium nobilia ſidera Cæſari ſignificant, ita ab æquinoctio verno ad Vergilias. Itaque: *ab eo ad Vergiliarum exortum matutinum Cæſari ſignificant. Cal. April. Scorpius occidit. III. non.* Hoc ſi rejicis, & *cal. Apr.* eximito, quod in Germanici interprete fruſtra inveſtigaveris.

Nonis April. Vergiliæ Cæſari & Chaldæis veſperi occultantur. Poſtridie Columellæ; quippe Cæſar cum Chaldæis conſentit. Porro huc in nonas ab Ægyptio principio dies Arietis XIII. quibus Eudoxo Vergiliæ celantur, duces.

VI. id. (Apr.) *Cæſari ſignificatur imber Libræ occaſu.* Id probat Ovidius, ſi Plinium, nota VI. verſa in VII. emendaveris; tertio enim a nonis die, quo Cæſar in Africa adverſus Jubam victoria potitus fuerat, tale carmen fundit:

Plura locuturi ſubito ſubducimur imbre;
Pendula cœleſtes Libra movebat aquas.

Neque ab hac ſententia Columella, cui Libra occultatur IV. id. Apr. te removeat; hoc enim a Callippo credo.

XV. cal. Maii Cæſari Suculæ occidunt veſperi, continuoque triduo ſignificat. Quod Columellæ XIV. cal. qui pridie ſolem in Taurum tranſire narrat. Significant itaque *continuo quatriduo* (ita enim Germanici interpres in Plinio invenerat) Suculæ; ſiquidem pluvioſum & turbidum cœlum portendunt uſque ad Palilia, quibus ſerenitas redditur, ut ſcribit Plinius, propter urbis natalem diem. Igitur ab occaſu Suculæ ſignificant XV., XIV., XIII., XII. cal. Maii. Quamobrem & Suculis quatriduum decretorium datur.

VIII. cal. Maii Cæſari notatur dies. Germanici interpres *notantur* nempe dies quatuor decretorii ex Caniculæ occaſu, oſtendit.

VI. non. Maii Cæſari Suculæ matutino exoriuntur. Eodem die etiam Columellæ. Sed cur *Sucula cum ſole exoritur?* Quis unquam unam eſſe Hyades tradidit? Congruit vero: *Suculæ cum ſole exoriuntur*, ut Pſeudoptolemæus Leonicenus exſcripſit. Verum enimvero Ovidio quod ipſe ſibi peperit, fruſtra tollere dedecus conabor:

At

At ſimul inducens obſcura crepuſcula noctem,
Pars Hyadum toto de grege nulla latet.

Ad diem quidem convenit, ſed a diluculo ad noctis crepuſcula declinat.

VIII. id. Maii Cæſari Capella pluvialis exoritur.

VII. id. Maii Vergiliæ Cæſari mane oriuntur.

V. id. Maii Cæſari Arcturus occidit matutino. De eodem idem Plinius hæc memorat lib. VIII. *Coitus omnibus ad Arcturi occaſum id eſt a III. id. Majas.* Si de Cæſaris ſententia, erit a. d. V. id. Maii; ſi de Italica ratione, a. d. IV. id. ejuſdem.

III. id. Maii Cæſari Fidicula exoritur. Eadem Columellæ III. id. ſignificat tempeſtatem.

XII. cal. Jun. Capella Cæſari veſperi ſe immergit.

XI. cal. Jun. Cæſari Orionis gladius occidere incipit.

III. non. Jun. Cæſari & Aſſyriæ Aquila veſperi oritur. Id pridie notat Aetius; ideo *IV. non.* quod Germanici interpres confirmat, & ipſe Plinius capite XXIX. Ab Ovidio calendis Aquila producitur; a Columella cal. & IV. non. Eudoxo autem die Geminorum VII. prodit, quod ab Aegyptio principio ad cal. Jun. ſpectat intervallum.

VIII. id. Jun. Arcturus Cæſari matutino occidit: Italiæ VI. Cum VIII. id. Arcturus Chaldæis deſcendat, & Italis VI., VII. id. Cæſari, qui die a Chaldæis in pleriſque differt, quo a Cæſare Italica ratio, celabitur. Porro quod conjectura indicat, auctores confirmant. VII. id. Jun. Columellæ Arcturus occidit; eodem tempore Ovidio, ut hoc teſtatur carmen:

Tertia poſt nonas removere Lycaona Phœbe
Fertur, & a tergo non habet Urſa metum.

Ambobus Quintilios apponito, & demum Germanici interpretem. Cæterum cum Aegyptiis ſol ad Geminos ſcandat VII. cal. Jun. dies Geminorum XIII. quibus Eudoxo hoc ſidus delabitur, in a. d. VII. id. Jun. deſinere colliges.

IV. id. Jun. Cæſari Delphinus veſperi exoritur. Nec aliter Faſtorum auctor, & Columella, Chaldæis ex more pridie referentibus.

XVII. cal. Julii Gladius Orionis Cæſari exoritur. Poſtridie Ovidius Orionem in cœlum tolli canit. Neque id a Cæſare opinabar.

XI. cal. Jun. Orionis Gladius Cæſari occidere incipit. Quibus laudibus tempora illa, quibus iſta nata & adulta ſunt, proſequemur? Ubi ſunt qui Plinium culpare ſolent, & nugatorem habere? Itane vix Orion exortus ad occaſum præcipitatur? At quo tempore? Quo Chaldæis,

dæis, quo Euctemoni, quo Bœotiis, quo Quintiliis, quo Ovidio, quo ipſi Cæſari emergit. Quin Democrito hoc ipſo die quo occidere incipit Cæſari, naſcitur. Quis æquo animo iſta feret, & Plinium obtorto collo ad tortorem non rapiet? Et merito quidem, ſi tam vana & falſa ſcripſiſſet. Verum in quo peccavit? XI. cal. Jul. ὀφιοῦχον Cæſari occidere ſcripſit. Quod Græce expreſſum cum minime intelligeretur, & ſupra haberent: *XI. cal. Orionis Gladius occidere incipit*, ignaviſſimum hominum genus id iterum inculcarunt. Sed quo argumento id probem, ſi me interrogas, Columellæ verbis reſpondebo: *XI. cal. Julii Anguifer qui a Græcis dicitur* ὀφιοῦχος *mane occidit*. At Ovidius eodem die ὀφιοῦχον exorientem facit? Quid ad nos? Haud ignoras in multis quæ ad ſtellarum diſciplinam pertinent, male accipi vates. Verumtamen ſi memoria labitur, non labitur tempore, quo ὀφιοῦχος Cæſari progredi viſus erat.

A Solſtitio ad Fidiculæ occaſum VI. cal. Jul. Cæſari Orion exoritur. Ipſo ſolſtitiali die? Profecto. Nonne Chaldæis & ſolſtitium peragitur, & mane Orion naſcitur eodem tempore? Ovidii etiam in ore non verſatur carmen:

Ecce ſuburbana rediens male ſobrius æde
Ad ſtellas aliquis talia verba jacit.
Zona latet tua nunc, & cras fortaſſe latebit,
Dein erit Orion aſpicienda mihi.
At ſi non eſſet potus, dixiſſet eadem
Venturum tempus ſolſtitiale die.

X. cal. Aug. Cæſari Eteſiarum prodromi incipiunt. Aquila Atticæ matutino occidit. Jam in Atticis indicatum eſt IX. cal. Aug. occidere Aquilam; idcirco IX. item cal. Cæſari prodromi die quinto a Canicula ſpirant. Ceſſant autem XIV. cal. Octobr. exoriente mane Spica; quare perflant diebus LVI., quot ferme Eudoxo.

III. cal. Aug. regia in pectore Leonis ſtella matutino Cæſari immergitur. IV. cal. adnotatur in Columella, cui poſtridie Aquilam occidere deſcribunt. Verumtamen utrunque falſum in Plinio indicabo. Quintilii recte Cæſarem ſequuntur. At *emergit* poſitum a Plinio utraque auctoritate declaratur.

VIII. id. Aug. Arcturus medius Cæſari occidit. Quoties occidit Cæſari Arcturus? Delabitur mane quidem V. id. Maii, veſperi autem VII. id. Jun. Et exoritur toties, veſpertinus VII. cal. Mart. matutinus prid. id. Septembr. Perpendas itaque velim, ſi *Aquarius medius* ſcribere oporteat, de quo Columella: *VII. id. Aug. Aquarius medius occidit. Ne-*

buloſus æſtus. Neque flocci facies Leoniceni ſycophantam ſcribentem: *VII. id. Aug. Orionis medium occultatur, & dies ab Auſtro caliginoſus, & æſtuoſus*. Nuſquam enim in Columella Orionis nomen. Id interſeritur ad occultandam fallaciam. Si *Aquarius medius* a te probatur, & tempus a Columella deſumito.

III. id. Sext. Fidicula Cæſari occidit.

In his intervallis ſignificatur prid. id. Aug. Atticæ Equus oriens, veſpere Ægypto & Cæſari Delphinus occidens. Jam in Attica Aſtronomia expoſitum eſt Equum Euctemoni idib. Aug. prodire, & in Aegyptia ex Eudoxo Delphinum veſperi ſe immergere, quare & Cæſari idibus Delphinus ſe abſcondit veſpertinus. Quibus ſi tibi parum profeciſſe viſus ſum, dabo aliam ex Columella probationem: *Idibus Aug. Delphini occaſus tempeſtatem ſignificat*.

XI. cal. Septembr. Cæſari & Aſſyriæ ſtella quæ Vindemiator appellatur, exoriri mane incipit. Non multis expendendus locus; quandoquidem Aſſyriis naſci V. cal. Vindemiatorem non te latet. At VII. cal. Columellæ? Adde etiam VI., ſi vera Ptolemæus Leonicenus accepit. Ita paulatim a V. cal. ad VII. itum eſt. Sed dic mihi? Probaſne hoc tempore Columellæ Arcturum occidere, qui Chaldæis, Aegyptiis, Bœotiis, Atticis, Cæſari, Quintiliis, atque ipſi Columellæ nonis Sept. prodit matutino? Non per Jovem. Tamen ſcriptum eſt, & vulgo receptum VII. cal. Septembr. exoriri mane Vindemiatorem, & Arcturum incipere occidere. A quo iſta? Prorſus neſcio. Si *occidere* ſuſtuleris, *exoriri* vel *prodire* repoſito, ab Euctemone videntur. Huic enim τῇ ἰ τῆς παρθένου ἡμέρᾳ προτρυγητὴρ φαίνεται, ἐπιτέλλει δὲ καὶ ἀρκτῦρος. Et dies Virginis X. a Chaldaico principio ad V. cal. Septembr. finitur.

V. id. Septembr. Cæſari Capella oritur veſperi, Columellæ VII., Euctemoni autem die Virginis XX. qui ab Aſſyrio initio fiunt VII. id. Hoc die Chaldæis item naſcitur; quare Cæſari poſtridie, videlicet VI. id.

Prid. id. Septembr. Arcturus medius Cæſari prodit. De quo exortu alia traduntur a Plinio, ut lib. XI.: *Gignitur id maxime Arcturi exortu a* (leg. *a. d.*) *prid. id. Septembr.* Item: *Quidam æſtivam mellationem ad Arcturi exortum proferunt; quoniam ad æquinoctium autumni ab eo ſuperſint dies XIV.* Quibus tum Arcturi ortus, tum Aequinoctii ſedes, quam Cæſari reſtituimus, definitur. Quapropter cum lib. II. legeris: *poſt eos rurſus Auſtri frequentes uſque ad ſidus Arcturi quod exoritur XI. diebus ante æquinoctium autumni*, ad illorum normam ſpatium redintegrato. De eodem Arcturo lib. XVIII. hæc item habemus: *Si Delphi-*

phino occidente imbres fuerint, non futuros per Arcturum. In quibus malo ex Germanici interpretis exemplo: *non defuturos per Arcturum*. Exoptarem quoque ut tua prudentia ponderares, an *medius* ob contractam ſcribendi formulam de *matutino* exierit (Arcturus enim unica ſtella conſtans a cœleſtium rerum peritis non diſſecatur, ut ſigna quæ pluribus ſtellis conflantur) an ab imperitis venerit ; quippe Germanici interpres omittit. Reſtat unde exſcripſerit Cæſar, ut inveſtigemus. Die Virginis XX. Euctemoni apparere Arcturum, cum de Atticis ſcribebam, tibi ſignificavi. Hoc ſpatio ex a. d. IX. cal. Septembr. quo ſol Callippo & Quintiliis in Virginem fertur, in a. d. prid. id. Septembr. pervenimus.

XIV. cal. Octobr. Spica quam tenet Virgo, exoritur matutino, Eteſiæ deſinunt Cæſari, & ſignificant. Eodem tempore Spica Columellæ ſurgit. Naſcitur autem Callippo Spica die Virginis XXIV., qui, tranſeunte in Virginem ſole Bœotiis VII. cal. Septembr. cum XIV. cal. Octobr. copulatur.

XI. cal. Octobr. Cæſari commiſſura Piſcium occidens ſignificat. Hac die Columellæ Piſces occidunt mane.

VI. non. Octobr. Atticæ Corona exoritur mane. Aſiæ & Cæſari V. cal. Heniochus occidit matutino. Atticis V. non. Coronam oriri oſtenſum eſt; quare Aſſyriæ & Cæſari IV. non. Heniochus occidit. Quarto ſimiliter non. Oct. Columellæ Auriga occidit mane.

III. non. Octobr. Cæſari Corona exoriri mane incipit. Die Libræ X. prodire Eudoxo Coronam in Bœotiis conjectabam; quod Eudoxi locus fœde amputatus certa ſtatuere non ſinebat. Hi Libræ dies incepti ex a. d. VI. cal. Octobr. tranſeunte Ægyptiis in Libram ſole, III. non. Oct. attingunt. Cæſari Columella eodem tempore Coronam oſtendens aſſentitur.

Pridie non. Oct. Cæſari *Hœdi occidunt veſperi*. In Libra, aſtronomis omnibus conſentientibus, ut Plinius declarat, Hœdi prodeunt, & Chaldæis nonis Octobr. Columellæ autem prid. non. *oriuntur veſpere*. Ideoque, exempto *occidunt*, Plinio vel *prodeunt* reponamus, vel *oriuntur*.

VIII. id. Octobr. Cæſari *fulgens in Corona ſtella oritur*. Convenit Columella.

III. id. Octobr. Cæſari Vergiliæ veſperi oriuntur, Columellæ VI. id. qui III. & prid. id. ejuſdem Coronam totam producit. Numerus igitur in Plinio ſuſpicione non caret, ut meus fert animus ; & malo *VI. id.* quam III. nam hunc diem Columella non admittit, qui tamen Cæſarem ſectatur.

Idibus Octobr. Corona tota Cæſari oritur. Num *prid. id.* ut in Columella?

VI. cal. Novembr. Suculæ Cæſari veſperi oriuntur, quæ Chaldæis XVI. cal. ejuſdem. Germanici interpres affert ex Plinio *XVIII. cal.* Novembr. Quod cum October recuſet, *XVII. cal.* orientur Cæſari cum Bœotiis die Libræ XXII.

Prid. cal. Novembr. Cæſari Arcturus occidit, & Suculæ exoriuntur cum ſole. Arcturi occaſum a quo acceperit, video; at Suculas exoriri cum ſole unde didicerit, non aſſequor. Quin neque Cæſari id attribuo, neque Plinio; Callippo enim prid. cal. Nov. τῇ δ τῦ σκορπίυ τῦ ταύρυ δύνα κεφαλή. Propterea vel *abſconduntur*, vel *occidunt*, non *oriuntur*.

IV. non. Novembr. Arcturus Cæſari occidit veſperi. Adeunte in Ægypto Scorpionem ſole VII. cal. Novembr. dies VIII. quibus latere incipit Eudoxo Arcturus, ad IV. non. Novembr. producuntur.

V. id. Novembr. Gladius Orionis occidere Cæſari incipit. Immergitur Euctemoni Orion die Nepæ XV., quo intervallo Ægyptii a Cæſare adnotatum tempus attingunt.

IV. id. Nov. Vergiliæ mane occidunt. Hiemis initium.

XIV. cal. Jan. Cæſari Aquila exoritur, quæ poſtridie Plinio Italicam rationem ſequenti. Naſcitur vero hoc aſtrum Eudoxo die Sagittarii XXVI., quos ſi ab Ægyptia ſede numerabis, in a. d. XIV. cal. Jan. pervenies.

Hæc de ſtellarum ſignificatione a Cæſare prodita retexebam ex Plinio, cum tuas literas anxie expectarem. Vale.

D. Patavio cal. April. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA XLV.

De Plinii anno ſolari ſive de Tabula Auguſti.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

GRatiſſimæ mihi tuæ literæ fuerunt quas Stephanellius attulit; e veſtigio enim quod tua manu ſcribebantur, gravi morbo te ſolutum cognovi. Id mihi etiam Stephanellius confirmabat. Quare tibi etiam atque etiam gratulor. Sed maximopere rogo ut tuam valetudi-

nem

TABULA XXXV.

Tabula Auguſti ex Plinio Ovidioque.



Sol Capricornum adit XV. cal. Jan.
Bruma VIII. cal. Jan. h. n. VII.
Sol Aquarium adit XVI. cal. Febr.
Favonius ſpirat. Veris initium VI. id. Februar.
Sol Piſces adit XIV. cal. Mart.
Arcturus veſperi oritur. Chelidoniæ incipiunt VII. cal. Mart.
Chelidoniæ ceſſant Prid. non. Mart.
Sol Arietem adit XV. cal. April.
Æquinoctium vernum VIII. cal. Apr. H. n. X.
Sol Taurum adit XIV. cal. Maii.
Vergiliæ mane oriuntur. Subſulanus flat VI. id. Mai.
Sol Geminos adit XIV. cal. Jun.
Sol Cancrum adit XIII. cal. Quint.
Solſtitium VI. cal. Quint. H. d. X.
Prodromi IV. id. Quint.
Procyon oritur mane XVII. cal. Sext.
Sol Leonem adit XIII. cal. Sextil.
Canicula mane exoritur XII. cal. Sext.
Eteſiæ X. cal. Sext.
Fidis occidit mane. Volturnus flat Prid. id. Sextil.
Sol Virginem adit XIII. cal. Sept.
Eteſiæ ceſſant prid. cal. Sept.
Arcturus mane oritur prid. id. Sept.
Sol Libram adit XII. cal. Oct.
Æquinoctium autumni V. cal. oct. H. n. X.
Sol Scorpionem adit XIII. cal. Novembr.
Vergiliæ mane occidunt III. Id. Novembr.
Sol Sagittarium adit XIV. cal. Decembr.

Bruma VIII. cal. Jan. H. d. I.
Favonius VI. id. Febr.

nem in posterum tanti facias, quanti te ab omnibus fieri intellexisti. Jasmini Arabici Flores quos desideras, redeunti Stephanellio, & Veronam petenti tradam. Quod vero ad pristinam scribendi consuetudinem me revocas, parebo libenter; quid enim mihi jucundius quam te per literas veluti præsentem videre & audire, cum quid a te nunquam legam, quin aliqua ex parte melior evadam? Sed quid est? Adhuc memoria tenes quod de Ovidio jam hinc altero mense tibi significaveram? Id mihi prorsus non excidit: tamen, hoc auctore posthabito, ad Plinium necessario revolvar. Etenim post diuturnos labores cum totus in Ovidio essem, & cæcis anfractibus, ac tenebris errarem, hic solus inventus est, qui mihi facem afferret, & a tanta caligine eriperet. Quare si Ovidium penitus perspicere cupis, ante omnia danda est opera, ut Plinium sive ducem sive mavis interpretem suscipias, & tuearis. Plinium itaque tibi præmittam, eumque tuæ humanitati commendo; adhuc enim valetudine infirmus, vulneribus quæ illi lenivi, nondum ad cicatricem perductis, apertum cœlum sustinere nequit, atque in hominum cœtum prodire.

Qui Cæsaris tabulam quam de anno edidit, ex Plinio reparare instituunt, magno in errore versari necesse est, quod omnia ad Cæsarem referunt, ex quibus multa Plinio propria inveniuntur. Alia enim est Cæsaris de anno sententia, alia Plinii de eodem regula; sed utraque tanta similitudine inter se affinis, ut non facile internoscatur, nisi utraque exacto judicio diligentius perpendatur. Quorum alterum in Cæsare pro mea virili cum præstiterim, alterum in Plinio restat. Inquiram itaque primum sitne in Plinio anni forma alia ab Julia: deinde cujus auctoris: tum quid sit, & qua ratione a Cæsarea discriminetur. De primo non est dubitandum; Plinius enim Italicam rationem (ut is appellat) ab Julia aperte secernit .. VIII. id. Jun. Cæsari Arcturum occidere tradit, Italiæ VI. item *Fidiculam VI. id.* Aug. quæ Cæsari III. id. ejusdem latebat. Præterea Plinio sol in Aquarium transit XVI. cal. Febr. quod Cæsari ex Columella prid. contingere adnotavimus. Vernum quoque principium apud Plinium VI. id. Febr. habetur, & æstivum VI. id. Maii, quod Cæsari fit pridie. Extitit igitur alia anni regula præter Juliam, posteriori cura elaborata, & ut verior, ac certior Romæ recepta, quam & Ovidius sequi videtur. Porro ad quos auctores referenda sit, non plane apertum. Augusti imperio vigere cepisse opinor. Quid prohibet suspicari hac usum esse Augustum, cum Julium annum, utpote Ægyptium, Sosigenes ita reformaret, ut Italiæ plagæ conveniret? Etenim æream de anno tabulam ab Augusto in publicum

pro-

prolatam Macrobius memorat, qua faſtos etiam complexum credere licet, dum ſacris diebus alios addidit, ut *Faſt. I.* Ovidius canit:

Cæſaris arma canant alii: nos Cæſaris aras,
Et quoſcunque ſacris addidit ille dies.

Jam vero Soſigenes cœleſtium rerum ea ætate conſultiſſimus annum ſub Julio Cæſare a ſe illuſtratum, *trinis*, ut Plinii verbis dicam, *commentationibus* non correxit? Quid de Ovidio dicemus? Cur ab Julio anno receſſit? Cur Cæſaris de anno edictum tam parvi habuit, ut, eo poſthabito, alium in Auguſti domum mittere auderet? Hæc profecto apud me magni ponderis eſt conjectura, neque ab Auguſto, dum novas de anno leges ſanciret (Julii enim anni emendationem ab Auguſto factam Suetonius refert) ea neglecta quæ vera eſſe conſtabat; neque ab Ovidio celebrata quæ ab Julio Auguſtanoque anno diſcrepabant. Veram autem Plinii & Ovidii Aſtronomiam habitam, & magis quam Juliam Italo cœlo accommodatam magno argumento eſt, quod Juliæ hanc Romani antepoſuere. Cum itaque Auguſti ævo inventa ſit, quid erat, propter quod ab Auguſto annum Julium corrigente repudiaretur? Cur novam tabulam nihil novi complexus edebat, cum Julia extaret? Cur annum emendabat, vera emendandi norma rejecta? Nam quid erat in anno Julio ob pontificum vitium pravum & perverſum emendandum? Intercalatio anticipata narratur. Ea poſthabita, in ſuam rationem annus revertebatur. Quid igitur nova tabula neceſſaria? Jam cernimus anni emendationem ab Auguſto indictam eam eſſe, quam Ovidius & Plinius illuſtrat, quamque nos in tabulam tibi ordinamus; quoniam hominum ſocordia in oblivionem adducitur. Et de Italicæ rationis (ita enim cum Plinio appellabo) auctore ſatis. Eadem quid ſit, & qua differentia ab Julia ſeparetur, deinceps videndum.

Tab. XXXV. Die poſt Juliam temporibus, cardinibus (ſolſtitio excepto quod utrique commune) & pleriſque ſtellarum progreſſionibus exiſtit. Ideoque cum geminas brumæ ſedes aſſerat Columella, prima ad Cæſarem & Aegyptios pertinet, altera VIII. cal. Jan. ad Auguſtum. Propterea ſol in Capricornum tranſitum facit non XVI. cal. Jan., ſed poſtridie. In Aquarium quoque ſol fertur XVI. cal. Febr. a quo ad Favonium VI. id. Febr. dies eſt tertius & viceſimus. De Favonio nonnulla ex Plinio commemorabo. *Ver ergo* (inquit lib. II.) *aperit navigantibus maria, cujus in principio Favonii hibernum molliunt cœlum, ſole Aquarii XXV. obtinente partem. Is dies VI. eſt ante Febr. idus.* Notam *XXV.* eſſe debere *XXIII.* jam indicavi. Idem veris initium repetit libris XV., XVI., & XVIII. Exſcribam quæ lib. XVI. aſſervantur, quippe depravata:

vata : *Primus eſt conceptus flare incipiente vento Favonio circiter fere VI. id. Febr.* In quibus vetuſta exemplaria non *circiter* oſtendunt , ſed *exinde* , & vetuſtiora *ex inde* ; propterea ſuſpicor ſcriptum a Plinio : *ex a. d. fere VI. id. Febr.*

XIV. cal. Mart. ſol ad Piſces aſcendit , quod pridie a Cæſare ſervatur .

VII. cal. Mart. diebus poſt brumam LX., ut lib. XI. Plinius determinat , exoritur veſperi Arcturus , & ſimul Ornithiæ ſpirant per dies IX. Id Cæſar in biduum digeſſerat.

XV. cal. April. ſol in Arietem venit , & VIII. cal. ejuſdem in octava ſigni parte æquinoctium vernum peragit . Per dies igitur XLV. Favonius a bruma , totidemque bruma ab æquinoctio I. diſtat , ut computat Plinius.

XV. cal. April. exoriente in Ariete ſole , Milvius etiam Italiæ oſtenditur .

XII. cal. April. Equus occidit matutino .

XIV. cal. Maji ſol Taurum ingreditur ; ideo die viceſimo tertio Vergiliarum exortum matutinum attingit VI. id. Maji. Hunc terminum in Plinii libris II. & XVIII. ſervatum invenies . At intervallum ab eo ad æquinoctium vernum exſuperat operarum negligentia . Locum tibi ex libro XVIII. proponam : *Ab æquinoctio verno initium æſtatis die XLVIII. Vergiliarum exortus matutinus* ; ſoli enim dies XLVI. habentur.

XIII. cal. Jun. ſol adit Geminos.

VI. id. Jun. Italiæ Arcturus delabitur .

Antequam de Cancro ſcribere pergam , de intervallis , quibus Plinius cardines ſeparat , cognoſcere oportet . Ipſius verba ex lib. XVIII. huc afferam , ut fœda auctoris vulnera perſpicias : *Cardo temporum quadripartita diſtinctione conſtat per incrementa lucis . Augetur hæc a bruma , & æquatur noctibus verno æquinoctio diebus XC. horis tribus . Deinde ſuperat nocles ad ſolſtitium diebus XCIII. horis XII. uſque ad æquinoctium autumni . Et tunc æquata die procedit ex eo ad brumam diebus XXCIX. horis tribus.* Luxne a ſolſtitio in autumnale æquinoctium per totidem dies decreſcit , quot ab æquinoctio primo ad ſolſtitium augetur ? Plinii itaque annus die ſeipſum ſuperat . Non latuit hoc explanatores qui appoſuerunt : *deinde diminuitur uſque ad æquinoctium autumni diebus XCI. horis XII.* Hi cum addant multa , quot tamen dies ad id ſpatium neceſſarii ſunt , non ſatis definiunt . Pauciori-bus , ut mihi quidem videtur , redintegrabitur Plinius : *diebuſque* (cujus reliquiæ *uſque*) *XCII. horis XII. ad æquinoctium autumni.* Non docet

cet Plinius lucem a ſolſtitio in æquinoctium autumni minui, ſed ſuperare noctes per dies XCII. horis XII., ut ab æquinoctio verno ad ſolſtitium ſuperat diebus XCIII. horis XII. Ab æquinoctio in brumam dies diminuitur, & noctibus cedit. His hoc modo compoſitis, primum intervallum a bruma ad æquinoctium vernum dierum XC. horarumque III. tam Plinio quadrat, quam cæteris. Alterum dierum XCIII. horarum XII. Plinio Ovidioque commune diſcrepat ab aſtronomis cæteris, quia his die contrahitur. Hoc uſus ab æquinoctio verno VIII. cal. April. ad ſolſtitialem ſedem VI. cal. Jul. recta quaſi manu ductus pervenies, & hora diei X. ſolſtitium ſignabis.

At ſcriptum eſt a Plinio *VIII. cal. Jul. dies longiſſima, & nox breviſſima ſolſtitium conficiunt*. Item: *ſolſtitium peragi in VIII. parte Cancri, & VIII. cal. Julii diximus*; & de tempeſtatum prænotionibus: *Equidem & ſolſtitium VIII. cal. Jul. in ſimili cauſa duxerim?* Iſta ne ſequar? Sed cur non ſequar? Omnium librorum & interpretum conſenſum, communemque doctorum hominum ſententiam homunculus improbabo? Quid faciam, ut tragice exclamem, quo me vertam?

Hac urget Lupus: hac Canis angit.

Quo veritas me invitat, illinc deterret auctoritas. Veritatem ſpectabo; nam nulla eſt auctoritas, illa dempta. Vulgata tamen quo ſpectent, pro tua diligentia primum perpende. Solſtitium fieri VIII. cal. Jul. in VIII. Cancri parte dicunt. Quare in Cancrum ſol aſcendit XV. cal. eaſdem. Diebus itaque II. Italica ratio Juliam anticipat, quam per diem ab Julia recedere oſtenſum eſt. Sol quoque in Geminis non XXX., aut XXXI. diebus, ſed XXIIX. moratur, & ſolſtitium ab æquinoctio verno diſtat diebus XCI. His itaque & aliis quæ in Plinio vera & integra invenimus, repugnantibus, ego ne ſolſtitii ſedem VIII. cal. Jul. retinebo? Ego leviſſimis hominibus, quorum imprudentia vetera monumenta (neque enim caſus tantum in pleriſque libris de æquinoctio autumni & ſolſtitio conſenſum excudit) inquinata ſunt, tantum tribuam, ut nova pro antiquis, adulterata pro ſinceris, pro veris falſa ſuſcipiam defendenda? Abeat auctoritas iſta, & aliunde patronum ſibi quærat; nunquam enim falſis (quid dicam, te judice?) patrocinabor. Illis itaque neglectis, ſolſtitium VI. cal. Jul. retineamus. Ubi Cæſar conſtituit? Sane. Cur non poſtridie, ut in bruma, & æquinoctio primo, ac verno æſtivoque termino? Id me fugit. In Ovidio ſimiliter inveniemus, poſthabito I. æquinoctio, non poſthabitum ſolſtitium. Vera, credo, illa ratio ita fieri invenit, quæ dies XCIII. horas XII. inter ſolſtitium & veris æquinoctium interponit,

cum

cum Cæſar pridie æquinoctium exorſum XCIV. includat. Tranſeunte igitur in Cancrum ſole XIII. cal. Jul. Geminorum ſignum die coarctatur, & ab æſtatis initio ad ſolſtitium dies XLVII. numerantur.

Venio ad Caniculæ ſidus, quod paucis perſtringere non licet, adeo conturbata ſunt omnia, & latis maculis affecta. De hoc aſtro in Plinio hæc traduntur: *XVI. cal. Auguſt. Aſſyriæ Procyon exoritur. Deinde poſtridie fere ubique confeſſum inter omnes ſidus indicans, quod Canis ortum vocamus, ſole partem primam Leonis ingreſſo. Hoc fit poſt ſolſtitium XXIII. die.* Non ſemel in his peccatum eſt: tria maxima errata video. Falſum eſt XVI. cal. Aug. Aſſyriæ Procynem oriri; Chaldæis enim pridie id. Jul. fieri oſtendimus die Cancri XXVII. Eodem intervallo prodit Cæſari, ut Columella indicat, ſed poſtridie ejus diei, nempe idibus; quoniam in Cancrum ſolem adducit Cæſar poſtridie, quam Chaldæi ſervant. In Germanici interprete deterius exſtat exemplum: *XV. cal. Auguſti Aſſyriis Chiron exoritur.* In Julio quoque Firmico eadem ſtella, quod Græcum nomen Græce ſcribebatur, corrupta eſt: *in Cancri XX. oritur argion.* Purus ab omni labe Manilius, ut in ejus diſciplina tibi enarravi. Non puto te expectare ut Chironem, qui alio tempore exſurgit, tibi probem: Procynem retinebo, ſed non regionem & diem. Tempus ante omnia quod Plinii regula poſcit, eſt ſtatuendum. Die XXVII. Cancri Procyon exoritur mane; idcirco XVII. cal. Auguſt. ut in quibuſdam Plinii libris occurrit. Etenim prima Cancri pars illuſtrari incipit ab hora diurna X., propterea matutina diei viceſimi ſeptimi hora, qua Procyon attollitur, ad XVII. cal. Aug. ſpectat, quamvis pridie inchoetur. Notato tempore, expungam *Aſſyriæ*, & ſubſtituam *Italiæ*. Non mihi imprudenter hoc excidit; auctoritate ducor, quam nemo improbaverit, Plinii, inquam, eadem repetentis: *Rurſus plenilunium nocet a. d. IV. non. Julii, cum Ægypto Canicula exoritur; vel certe XVII.* (ita enim excudit Jacobus Criſpinus) *cal. Aug. cum Italiæ.* His nodis liberati properamus ad reliqua: *Deinde poſtridie fere ubique confeſſum inter omnes ſidus indicans, quod Canis ortum vocamus, ſole partem primam Leonis ingreſſo.* Quidnam hoc eſt? Poſtridie ejus diei quo Procyon naſcitur, orietur Canis? Igitur XVI. cal. Aug. ſol in Leonem tranſitum facit per ſolos dies XXVII. Cancro immoratus? Quis tale portentum in aſtronomiam induxit? Plinius, ut ajunt. Tamen Germanici interpres minus portentoſa refert: *Deinde poſt triduum*, quem, ſi antiquiores aut non pravos libros nactus fuiſſet, *deinde poſt quatriduum*, vel *poſt dies IV.* fuiſſe relaturum puto. Hoc quidem intervallo tangitur Canis exortus

XII. cal. Aug. (quem numerum liber II. ubi de ventis agitur , pro *XV.* repoſcit) pridie veſperi ſole in Leonem tranſeunte . Poſt dies itaque XXIV. a ſolſtitio naſcitur Canis ; Solſtitium enim fit VI. cal. Jul. hora diei X. , atque ex eo die horæ IX. tantum ſubſidunt . Quamobrem XIII. cal. Auguſt. eadem hora dierum XXIV. peragitur intervallum.

Quoniam de Solſtitii & Canis , ac Caniculæ (hoc enim nomine etiam Procynem intelligit Plinius) proprietate , ut hic auctor prodidit, ſummatim dictum eſt : nunc autumnum in Plinio mecum recognoſce ; videbis enim fœde lacerum & divulſum , qui certa ratione digeſtus fuerat , ſedibuſque ſuis attributus & connexus . Neque enim a Varrone & Columella hoc eſt a Cæſare ita diſcrepat Plinius , ut putant , huc & illuc animi levitate fluctuans ; verum die uno ſolum recedendo per eandem intercapedinem omnia finibus ſuis coercet , & moderatur . Sed quo protruſus eſt ? Quo ? In a. d. VI. id. Auguſt. Evolve librum XVIII., & ſpectato : *III. id. Aug. Fidicula occaſu ſuo autumnum inchoat , ut is adnotat : ſed , ut vera ratio id fieri invenit , VI. id. ejuſdem* . Et alio capite : *Extra has cauſas ſunt vinalia altera quæ aguntur a. d. XIII. cal. Septembr. Et Varro a Fidicula incipiente occidere mane determinat , quod vult initium autumni eſſe , & hunc diem tempeſtatibus leniendis eſſe inſtitutum . Nunc Fidicula occidere a. d. VI. id. Auguſt. ſervatur* . Revera dum iſta diligenti cura mecum ipſe revolvo, admirari ſuccurrit quoſdam, qui, cum Plinio multa culpæ & reprenſioni vertiſſent , his pepercerint , ex quibus tam promptum telum habebant . Nihilominus ipſos locus latuit , ut latuit etiam illos qui ad emaculandum Plinium diligentiſſime manum admoverunt. Quorum utrumlibet factum eſſet , facilius mihi ceſſiſſet res ; quia vel quos refellerem haberem , vel quos imitarer . Quid nunc mihi auctor es ? Declinemne iſta , ne adverſus communem receptamque ſententiam ſemper connitar : an , prætermiſſis omnibus , quid ſentio libere pronunciem , atque e tenebris , quod rimatus ſum , proferam in lucem ? Multum quidem hominum judicium me movet , tamen Plinii ſordes & ſqualor magis , qui cum magnam mihi egregio opere attulerit opem , ipſi malo pro mea mediocritate gratiam referre , præſertim multis cum eodem ferram ducentibus . Quapropter autumnum a. d. VI. id. Auguſt. eſſe conſtitutum non a Plinio , verum ab imperito quodam tam certus ſcio , quam me hæc ad te ſcribere . Neque conjecturis motus temere affirmo , tibi præcipue quem ſemper feci maximi . Cæſaris Germanici interpretem adeamus , in quo , quæ a Plinio attuli , tali modo exſcripta

pta inveniemus. *III. id. Auguſt. Fidicula occaſu ſuo autumnum inchoat, aut* (L. *ut is*) *adnotat: ſed vera ratio id fieri invenit pridie idus Auguſt.* Ecce *pridie* pro *VI. id.* quod in Plinio deſideratur. Ecce alienis in ſedibus, quo ab improvida turba ſe ſubduxerat, ſervatum. Ecce, inquam, illud *pridie*, quod, unde in Columellam irrepſiſſet, ſæpe miratus ſum. A Plinio inſititium venit, coque comprendit, ut nonnulla quæ alienas ſedes invadunt. Verum ubi non inſitum, ſed natum erat, poſtquam propagatum fuit, ab radicibus evellitur, & tanquam inutilis ſtipes extra fundum projicitur. Verumtamen aliud in his *& Varro a Fidicula* fovetur vitium. In melioris notæ exemplaribus excuſum eſt: *Varro & a Fidicula*. Quæ ſcripturæ diſſimilitudo quid deperditum oſtendit. Quid autem fuerit, pro certo polliceri ſtultitiæ eſt. Conjectare quod locus non reſpuat, poſſum: *Varro die IX. a Fidicula*. Cum Varroni ex Cæſaris ſententia Fidicula mane occidat III. id. Aug. & Vinalia XIV. cal. Septembr. contingant, occidit Fidis die IX. ante Vinalia. Hinc ex iis quæ ſupra commemorabam, & quæ proxima Varronianis annectuntur: *nunc Fidicula occidere a. d. VI. id. Auguſti ſervatur*: ſuſpicio alia nos moratur, & verſat. Si ex animo vetera emendare liceret, illud *id. Aug.* demerem, expleremque numerum *VI.* in *VIII.* verſum. Quid enim attinet diem qua Fidis occultatur, repetere, cum de intervallo inter Fidiculæ occaſum & Vinalia auctor loquatur? Permitte mihi totum locum ſubjicere noſtra conjectura expolitum: *Extra has cauſas ſunt Vinalia altera quæ aguntur a. d. XIV. cal. Septembr. Varro die IX. a Fidicula incipiente occidere mane determinat, quod vult initium autumni eſſe, & hunc diem feſtum tempeſtatibus leniendis eſſe inſtitutum. Nunc Fidicula occidere a. d. VIII. ſervatur.* Nihil, ſi hoc modo legamus, aliunde arceſſere opus eſt: omnia plana & aperta videntur. Si mihi tantum licere non dabis, vitiatum numerum *VI.*, ſi proxima retineantur, profecto dabis, cum *prid.* eſſe debeat.

Occidente igitur mane Fidicula prid. id. Aug. & autumnum inchoante die Leonis XXIII., ſol Leonem petit XIII. cal. Auguſt. Dices fortaſſe, quid nugas mihi conglutinas? Ex a. d. XIII. cal. Aug. in prid. id. ejuſdem dies eſt quartus & viceſimus. Certe: Sed, ſignum circa primam facem ſole adeunte, diei quadrans ad intervallum ſpectat, &, cum mane pridie id. occidat Fidis, a ſigni initio ad ſtellæ occaſum fiunt dies XXII. horæ XII. Quare dies eſt XXIII.

Nunc haud intempeſtivum eſt ad autumni æquinoctium percurrere. Prius tamen de Virgine, ne extra fines errabunda proſiliat, videndum. Poſt dies Leonis XXXI. noctu ſol in Virginem permeat XIII. cal.

Septembr. eandemque diebus XXX. colluſtrat. Qua circa horam noctis X. relicta, ad æquinoctiale ſidus ſol declinat XII. calend. Octobris. Non igitur, inquies, æquinoctium VIII. cal. Octobr. a Plinio recipis? Non ædepol, neque pluris facio quam ſolſtitium VIII. cal. Jul. quod ex eadem editorum levitate effluxit. V. cal. Octobr. ſtatuo die Libræ octavo, quo a Solſtitio dies XCII. horæ XII. abſolvuntur (quos dies Fidicula occaſu ſuo in dies XLVI., ut in antiquis libris excuſum eſt, per æqua decernit) a Bruma vero XXCIX. cum horis III.

Conſtituto æquinoctio, quæ de Arcturi exortu in Julia tabula commemoravi, ſi ad Italicam normam redigere vis, aſtri progreſſio non prid. id. Sept. ſervanda erit, ſed poſtridie. Neque ſecus de Coronæ exortu ſtatues. Hanc die XI. ab autumnali æquinoctio exorientem in ſerendis frugibus obſervant coloni, ut Plinius teſtatur. Prodit autem Cæſari III. non. Octobr. ideoque Italiæ prid. non. ejuſdem die Libræ X. ut Eudoxo olim naſcebatur. Quare poſtridie ſerendum die poſt æquinoctium XI.

XIII. cal. Novembr. hibernum Scorpionis ſignum ſol ingreditur, & die Scorpionis XXIII., occidentibus mane Vergiliis, hiems ducitur III. id. Novembr. Quod late in Plinio patet, quamvis non ubique ſincerum, ut deinceps exſcribam: *Poſt id æquinoctium* lib. 11. *diebus fere quatuor, & XL. Vergiliarum occaſus hiemem inchoat, quod tempus in III. id. Novembr. incidere conſuevit.* Lib. XVIII. c. XXXI.: *Juſtum vindemiæ tempus ab æquinoctio ad Vergiliarum occaſum dies XLIV.* Quibus intervallum diminuitur. Contra lib. XI. in his: *& ab æquinoctio ad Vergiliarum occaſum diebus XLVIII. plurima ſit Erice*, ultra terminos hiems tranſilit, quia ſoli Bœotiæ in dies XLVIII. ab autumni æquinoctio Vergiliarum occaſus differtur: Latinis & Plinio poſt dies XLV. ſubſedit. Extra ſedem ſimiliter protruditur ſpatium in his quæ proxima leguntur. *Hæc ergo mellatio fine vindemiæ, & Vergiliarum occaſu idibus Novembris fere includitur.* Lib. vero XVII. iterum nimis contrahitur: *Poſt æquinoctium XL. diebus ad Vergiliarum occaſum XIV. ſoli dies ſunt.* Necnon libro proximo: *At ab eo æquinoctio ad brumam Vergiliarum matutinus occaſus hiemem* (inchoat) *die XLIII.* Et deinde ſunt, quæ non diſcreta obſcura fiunt. *Hoc ipſo Vergiliarum occaſu fieri putant. Aliqui ad III. id. Novembr. ut diximus, ſervant.* Clariora evadunt hoc modo: *Hoc ipſo Vergiliarum occaſu fieri putant alii, qui a. d. III. id. Novembr. ut diximus, ſervant.*

Satis de hieme: reliqua in brumam nullo negotio percurram. Nam, ſepo-

ſepoſitis Scorpionis diebus XXIX., Sagittarii tempus erit XIV. calend Decembr. & Capricorni XV. cal. Jan. hora diei I., a quo exordium cepimus, brumamque iterum attingemus VIII. cal. Jan. intervallo dierum XXCIX. hor. III. ab autumnali æquinoctio, a Vergiliarum autem matutino delapſu XLIV.

Anno in ſua tempora cardineſque digeſto, a majori cura ad minorem traducor, inquirendo ſiquid aliud Italicæ rationi accommodatum Plinius adjecerit. Et primum de ventis ſcribere ſuccurrit, qui per æqua interſtitia ſignis annectuntur. Jam Favonium ſpirare die Aquarii tertio & viceſimo diximus. Id omnibus competere per ſingulas intercalationes uno die anticipantibus, rurſumque luſtro ſequenti ordinem ſervantibus Plinius opinatur. Ad Favonium referuntur Ornithiæ iidemque Chelidoniæ, quos a bruma dies LX., ut Eudoxus determinat, Plinio etiam auctore, flare indicatum eſt. Poſt Favonium incipit Subſolanus die Tauri XXIII., exorientibus matutinis Vergiliis, & ineunte æſtate. A ſolſtitio dominantur Eteſiæ: dicam Plinii verbis ad exprimendam auctoritatem: *Ardentiſſimo autem æſtatis tempore exoritur Caniculæ ſidus, ſole primam partem Leonis ingrediente, qui dies XV.* (l. *XII.*) *ante Auguſt. cal. eſt. Hujus exortum diebus octo ferme Aquilones antecedunt quos prodromos appellant. Poſt biduum autem exortus iidem Aquilones conſtantius perflant diebus quadraginta, quos Eteſias vocant.* Prodromi igitur die Cancri XXIII. perflant, ut fert ventorum natura a Plinio propoſita, nimirum IV. id. Jul. Quod tempus definiri a Plinio puto lib. XVI. etſi vitiatum ſpatium nimis contrahatur: *Florere* ait *ſolſtitio Vitem, & quæ paulo ſerius incipit, Oleam: defloreſcere omnia ſeptenis diebus non celerius, quædam tardius, ſed nulla plus bis ſeptenis. Omnia & intra VIII. id. Jul. Eteſiarum præcurſu.* Si Vitis ſolſtitio floret, & paulo poſt Olea: defloreſcunt autem omnia etiam tardioris naturæ non diutius bis ſeptenis diebus, manifeſtum eſt dies XIV. a ſolſtitio non intra VIII. id. Jul. includi, ſed V. id. Porro Oleis ſerotinis, quæ poſt ſolſtitium florent, nonne dieculam ſaltem dabis? Sic omnia defloreſcunt intra IV. id. Jul. Eteſiarum præcurſu. Quare in Columella ubi legitur *VI. id. Jul. Prodromi flare incipiunt*, notam in *IV. id.* vertendam cenſeo; id enim ad Cæſarem, qui poſt Caniculam prodromos die quinto obſervat, non ſpectat. Antecedunt prodromi qui circa horam diurnam tertiam ſpirant, Caniculam diebus VIII. Biduo deinde a Canicula Eteſiæ X. cal. Auguſt. flant in cal. Septembr. Columellæ vero, qui a Callippo accipere videtur, III. cal. Septembr. ceſſant.

De diebus decretoriis quæ reſtant, ne quid oſcitanter ſtatuam, quando

do tot me circumſtant ambages, magna diligentia, & circumſpecto judicio eſt uſus. Hæc cap. XXIIX. & XXIX. lib. XVIII. continentur, de quo nonnulla commemoravi. De reliquis hæc primum in tranſitu animadvertere liceat. *Quæ cum acciderint, vis major appellatur*. Quam præſtat Germanici Interpretis ſcriptura: *quæ cum plenilunio acciderint, vi majori impelluntur*.

De his nunc dicemus a nullo ante nos prodita. Interpres: *de his nunc dicemus quæ ante nos a nullo ſunt prodita*.

Priuſque cauſas reddemus, & capite proximo XXIX.: *duo ſunt præter lunarem, pauciſque cœli locis conſtant*. Interpres: *Prius cauſas reddemus eorum quæ ſunt præter lunarem, & quæ paucis cœli locis conſtant*.

Namque Vergiliæ privatim attinent ad fructus. Interpres: *Namque Vergiliæ primatum tenent ad fructus*; quoniam prima æſtate oriuntur, quo tempore arborum plurimæ aut florent, aut fructum oſtendere incipiunt.

Ipſe circulus fertur per Sagittarium atque Geminos ſolis centro bis æquinoctialem circulum ſecans. Interpres: *ſolis centrum infra æquinoctialem circulum ſecans*. Eadem Joannes Spira primus in Plinio excudit.

Et quoniam eorum commiſſuras, ut ait Plinius, hinc Aquila obtinet, hinc Canicula, de utriuſque affectionibus differendum eſt. Aquilam ſcribit commemoraſſe a. d. XIII. cal. Jan. Italiæ exoriri. Non memini id in Plinio alibi legiſſe, qui ſtellarum diſciplinam ex a. d. III. cal. Jan. auſpicatur. Hieme tradit florere Amygdalam, exoriente Aquila.

IIII. non. Jun. iterum Aquila exoritur veſperi decretorio die florentibus Oleis, Vitibuſque, ſi plenilunium in eum incidat. Hoc ad Cæſarem pertinet: quod vero cap. XXVII., *III. non.* ſervatur, ad Italicam rationem; ideo ſcriptores ex hoc loco illum depravarunt, & viciſſim; nam cap. XXVII. de iis quæ conſtituit Cæſar, verba facit, capite autem XXIX. de iis quæ Italica ratio.

Rurſus plenilunium nocet XIII. cal. Auguſt. cum Aquila occidit uſque in X. cal. ejuſdem. Et lib. VIII. de Ovium fœtura: *Coitus omnibus ad Arcturi occaſum, id eſt a III. id. Majas ad Aquilæ occaſum X. cal. Auguſt.* Etenim ſi de iis quæ diſſimili modo narrantur, eſt cur dubitemus, Aquilam Plinio vel X. cal. Auguſt. vel XIII. occidere non recipio plane. Ut verum pateat, ſatis erit, quæ de hoc ſidere memorat Columella, huc afferre, & pro noſtra diligentia perpendere, accuratiuſque animo intueri. *VI. cal. Aug. Aquila exoritur*. Quibus vitium ineſſe non negaveris; quod vel *conditur*, vel *abſconditur*, vel *celatur*, vel quid

item

item legendum, quod Aquilam occidere declaret. Propterea Pſeudoptolemæus Leonicenus, qui ad occultandum mendacium quæ a Columella ſumit, miſcet, VII. cal. Auguſt. Aquilam occidere, non oriri exſcribit. Sed quid aliunde argumenta peto, ſcribente iterum Columella III. cal. Auguſt. Aquilam occidere? Neque nos moveat, quod Aquilæ occaſus bis parvo intervallo repetatur. Occidit enim per quatriduum, propterea uterque terminus definitur. Quare V. cal. non VI. aut VII., & *prid. cal.* non III. Id non animadvertentes correctores primum Aquilæ occaſum in exortum immutarunt. Occidit etiam Plinio per quatriduum, nempe IV. cal. Aug. in cal. eaſdem. Attamen non alienam laudem in his mihi attribuo: exemplaria Parmæ prodita ſibi vindicant; ibi enim excuſum eſt: *item IV. cal. Aug. cum Aquila occidit uſque in calendas eaſdem*. Hæc cum legeris ſi a ratione haud aliena exiſtimaveris, tuum erit & fœturæ locum ad idem tempus revocare.

Interea alterum fœturæ terminum perſequamur. VI. id. Majas Cæſari Arcturum mane occidere vidimus. Plinio igitur poſtridie. Non nugas agimus, ſcribente de decretoriis diebus eodem auctore: *Quoniam earum conceptus exortu Vergiliarum incipit a. d. VI. id. Maii, ut docuimus. Aliud hoc quatriduum eſt, quod neque rore ſordere velint; exhorrent enim frigidum ſidus Arcturi poſtridie occidens*. Qua de cauſa V. id. Mai. mane Arcturus celatur. Illa etiam ab omnibus vitii damnata prætermittenda non ſunt: *quod neque rore ſordere velint*; *exhorrent*, quæ in antiquis editionibus hoc modo leguntur: *quod neque rore ſorbi de velim*; *exhaurit*. In Recanatii tamen codice Venetiis melius ordinata inveni: *quod neque rore ſorbide velim*; *exhaurit*. Pintianus Plinii commentator locum purgare coactus eſt in hanc ſententiam: *quod neque rura herbida velim, exurit*. Verum (dicam libere quod ſentio) quid morboſius? Rura menſe Majo, quo cuncta & nata & adulta, & quam maxime herbida ſunt, ne herbida ſint vota ſuſcipere? Quid aliud hoc ſignificat quam omnium frugum ſterilitatem expetere? Adde, Plinium de Oleis Vitibuſque loqui, quas herbidas nemo proprie appellaverit. Quare videto num veteri ſcripturæ inhærentes Plinii ſententiam aſſequi poſſimus ſcribendo: *quod neque rore ſorbido velim*; *exhaurit*. Quippe conſtat, & Plinius confirmat roſcida tantum ſideratione infeſtari; ideo quatriduum illud cum nubibus noctu precatur, cum in nube, ut ait Plinius, non cadant rores.

Ab Aquila ad Caniculam veniamus, quo nomine Procynem & Canem Plinius miſcet, ut indicatum eſt, & confundit. De exortu Procynis qui fit XVII. cal. Aug. jam dictum eſt, item de Canis emerſu

qui

qui in prima Leonis parte notatur, XII. cal. ejuſdem. Supereſt Canis occaſus, qui extremo Aprili definitur hoc modo: *Sed vera cauſa eſt, quod poſt dies undeviginti ab æquinoctio verno per id quatriduum varia gentium obſervatione in IV. cal. Maii Canis occidit, ſidus & per ſe vehemens, & cui præoccidere Caniculam neceſſe ſit.* VII. cal. Mai. ipſis Robigalibus Ovidio occidiſſe Canem autumo, qui nunc aliorum culpa exoritur:

Sex ubi quæ reſtant, luces Aprilis habebit,
In medio curſu tempora veris erunt.
Et fruſtra pecudem quæres Athamantidos Helles,
Signaque dant imbres, exoriturque Canis.

Fortaſſe *egeriturque* erat, ut in IV. *Triſt. egeriturque dolor* ſcribit; ſic Canis ejicitur nempe imprecationibus; ideo

Pro Cane ſidereo Canis hic imponitur aris.

Immergetur itaque Canis & Plinio VII. cal. Maii in IV. cal. eaſdem per quatriduum. Adhuc tamen intervallum ab Æquinoctio diſcrepat. In Recanatii Codice adnotavi *unum viginti*, ex quo *unum triginta*, ut viſum etiam Petavio, poteris conſtituere.

Antequam epiſtolæ clauſulam addam, non alienum erit referre quæ Flavius Vegetius in lib. *de re militari* memoriæ reliquit a Plinio, ut exiſtimo, excerpta. De navigandi itaque opportunitate ſcribit: *Phœnitæ decurſu ideſt poſt ortum Plejadum a die VI. cal. Juniarum uſque ad Arcturi exortum id eſt in diem XVIII. cal. Octobrium ut ſecura navigatio creditur, quia æſtatis beneficio ventorum acerbitas mitigatur.* Alia his non longe poſita videbis, quæ, etſi vitiata, vitii tamen clarius illa coarguunt: *Ex die igitur III. id. Novembr. uſque in diem VI. iduum Martiarum maria clauduntur.* Si *Martiarum in Majarum immutaveris*, Vergiliarum exortum a. d. VI. id. Mai., occaſum vero a. d. III. id. Novembr. cum Plinio habebis. Tutam enim navigationem inter Plejadum exortum matutinum, & Arcturum Vegetius promittit, quæ poſt hoc tempus, videlicet ex a. d. XVIII. cal. Octobr. (Idibus enim Sept. Plinio oritur Arcturus) in a. d. III. id. Novembr. incerta eſt & periculoſa. Delapſis vero mane Vergiliis in ipſarum exortum matutinum omnino non navigatur. Quare *VI. cal. Jun.* fuerat *VI. id. Maii*. De quo nolito mirari: majora invenimus peccata, ubi minime errandum erat, connectente ſeſe in ſua tempora rerum ordine. Quid igitur mirum ubi nullus aderat admonitor, erratum? At prima: *Phœnitæ decurſu id eſt poſt ortum Plejadum?* Non arbitror te immutaturum *Phœnitæ* cum Turnebo in *Pharmuthi*, aut cum Petro Scriverio in *Pauni*. Cur enim barbara

men-

menſium nomina recipias? Cur tempori non congruentia, *Pharmuthi* VI. cal. April. incipiente, Pauni VII. cal. Jun. Sed tu, inquies, quid reponis creta vel carbone notandum? Non differam, quid ſuſpicer, adiicere. *Phœniciæ decurſu*, hoc eſt ceſſante vento Phœnicia vel *Phœnita*, quem Plinius media regione inter ortum brumalem & meridiem ſpirare affirmat. Aut hoc modo: *Phœniciæ* vel *Phœnices decurſus is eſt poſt ortum Plejadum*. Quis ignorat quanta excelluerint navigandi ſcientia Phœnices? Quod igitur fit a Phœnicibus navigandi peritiſſimis, id in exemplum adducit Vegetius. Tu tamen, quæſo, tuo judicio ſubleva, ne errem, ſi quando uſuvenerit, ut hunc locum publice enunciem. Interea fac valeas.

D. Patavio VI. cal. Jun. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA XLVI.

Calendarium Ruſticum Farneſianum; Calendarium quo Ovidii faſtos illuſtrant; Calendarium Magni Conſtantini tempore expreſſum habitum; libros qui inſcribuntur de re medica Largi Deſignatiani, Plinii, Priſciani, Sorani Epheſii, eſſe monumenta, tam nullius pretii, quam ſordidæ & barbaræ origmis.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

PRoximæ tuæ literæ, quas a tabellariis pridie Fabarias calendas accepi, te quam optime valere ſignificant; ideo mirifice hoc nuncio ſum lætatus. Quid de Auguſti & Plinii tabula? Omnia ſcribis non perinde a te eſſe habita, ac ſcripſeram. Aiſne omnia? At verebar ne quid ſecus. Nunc profecto ad reliqua ſubeunda me paratiorem habebis; nam magnus ſtimulus ſive ex tua humanitate, ſive ex tuo judicio accedit. Quod addis te vereri vel maxime nequid offenſionis afferat monumentum illud quod *Calendarium Ruſticum Farneſianum* vocant, omnium ore celebratum, ubi cardines in calendarum VIII. deſcribuntur, non eſt cur tam ſolicite lapidem extimeſcas. Imo lapidem, inquies, in quo neque librarii neque interpretis manu quicquam addi vel demi pot-

eſt . At ſcalptura poteſt, & (quod maximum eſt) inveterata , & ab omnibus recepta opinio. Numquid ſi tibi veteris monumenti daretur copia , in quo ſcriptum eſſet Julium annum dierum eſſe CCCL. , continuo non exclamares maximum in notis erratum , legendumque CCCLXV.? Cur tam præcipiti judicio vetuſtam memoriam damnares ? Quod vel optime calles illum annum dies CCCLXV. complexum. At, ſi in eodem lapide legiſſes VI. cal. Jul. ſolſtitium, imperaſſeſne Scalptori ut notas adderet atque expleret numerum, ut eſſet VIII. cal.? Nullo modo ; quoniam ratione perſuaſum comprobatumque habes, eam eſſe ſolſtitii legitimam ſedem . Quod igitur tibi , abdicatis præjudiciis , optimum ſincerumque conſtat, id in alium , cujus animo minime recens opinio inſederit cardines fuiſſe in VIII. calend. , ſi incidiſſet , e veſtigio damnatum immutatumque videres. Nunc quem mihi dabis qui hoc non cenſeat , non foveat , non ſequatur , totiſque viribus non defendat ? Cum itaque unus ſit omnium talis ſenſus , una doctrina , una vox, ex iſtis fuiſſe neceſſe eſt , quiſquis ad lapidem illum manum admoverit , quos communis labes invaſerat , penituſque occupaverat . Igitur ſiquid ſecus ac probabat , invenit , ſiquid dubium , ſiquid , ut fieri ſolet, vetuſtate corruptum , cenſeſne ea fide in exemplum poſuiſſe , ut extabat , cum vitiatum , mancum , falſumque crederet ; an potius in id quod fuiſſe quondam pro certo habebat, ac verum opinabatur, immutaſſe? Fac tamen firmo magnoque animo ſis: nihil ex hoc monumento ad tabulas noſtras infirmandas naſcetur. Cur, amabo te? Quia neque vetus, neque legitimum opinor , & , quod magis miraberis , iners , ignavum, barbarum. Principio jam tenes quo tempore , quove menſe apud Latinos a ſole XII. ſigna colluſtrarentur; quæque anni temporibus , quæque eſſent cardinibus attributa. In hoc monumento præpoſtero ordine menſe Januario ſol non in Aquario, ſed in Capricorno deſcribitur ; Februario non in Piſcibus , ſed in Aquario ; Martio in Piſcibus , poſthabito Ariete . Idcirco cum ex vitiatis Plinii exemplaribus cardines omnes in VIII. cal. deſumantur eſſe , æquinoctia non Arietem , aut Libram, ſed Piſces ac Virginem: Solſtitium Geminos, non Cancrum, permeante ſole, contingunt , bruma demum per Sagittarium eodem aſtro tranſeunte , quam ex communi aſtronomorum ſententia ſibi attribuit Capricornus. De Martio ſcriptum eſt:

Æquinoctium
VIII. cal. April.
Sol Piſcibus.

De Junio:

So-

Solis inſtitium
VIII. cal. Jul.
Sol Geminis.

De Septembri:

Æquinoct.
VIII. cal. Octob.
Sol Virgine.

De Decembri.

Sol Sagitt.
Tutel Veſtæ
Hiemis initium
Sive tropæ
Chimerin.

Quid tibi de iſta nova Urania videtur? Quo cœlo delapſa? Quid de hiemis initio? Cum brumali cardine quam appoſite copulatur? Quid de interpretatione: *Hiemis initium ſive tropæ Chimerin.*, tanquam brumæ proprium nomen in Latio non eſſet? Verum quibus laudibus aliud commentum proſequemur, quo, ut diligentiores eſſent coloni, atque agro colendo diutius vacarent, dies naturales hora longiores inducuntur? In Januario notatur:

Dies hor. VIIII. s. Nox Hor. XV. s.

In Februario:

Dies hor. X. s. Nox hor. XIV. s.

In Martio:

Dies hor. XII. s. Nox hor. XII. s.

Næ tibi ſtrenuus paterfamiliæ, & ſedulus ſuarum rationum curator monumenti auctor videtur, qui talia excogitavit. Propterea neque Aldum, neque alios qui tam pulchrum ornamentum auctori dempſerunt, intra ſolis modum rationemque dies rediguntes, unquam laudabo. Verumtamen mittamus cœleſtia, quibus ſi operam dare diligentius voluiſſet inventor, Hipparchum, Ptolemæumque ac Soſigenem longe poſt ſe reliquiſſet.

De re ruſtica videndum, qua nihil inveniri, aut excogitari poteſt hoc in monumento perfectius. Quamobrem, ſi vis optimum agricolam cito fieri, accipe quæ menſe Julio in agro peragenda ſunt:

Meſſes
Hordiariæ
Et Fabar.

Valeat Columella qui hoc menſe, & extremo Junio Fabam eſſe con-

terendam atque Ordeum docet , & Junio metendum . Valeant agricolæ qui Ordeum, quod ante cæteras fruges ad maturitatem decurrit , circa idus Junias & ſæpe præcocius legunt . Valeat priſca religio quæ fabarias calendas Junias nuncupavit , quibus ſacris Faba matura adhibebatur . Percipe etiam quæ menſe Auguſto villico tuo committas facienda :

Meſſes
Frumentar
Item
Triticar.

His tamen hæreo , niſi me harum rerum imperitum hinc expedias . Dic quæſo , mi Andrea , quid iſtæ meſſes *Frumentariæ* quæ a *Triticariis* diſtinguuntur , ſibi velint ? Ordeum & Fabam jam lectam in area vidimus: Milium Panicumque non eodem tempore quo Triticum , perfici ſolent ; quippe neque eodem ſidere terræ committuntur . Triticum etiam , in quo culmus ſpicam effert , a Latinis eſſe Frumentum accepimus. Verum quid effutio? De novis frugibus fortaſſe loquitur auctor, quæ in vulgum non ſeruntur; quoniam antiquorum Triticum, & quod per univerſam Italiam nunc colitur , Junio menſe demetitur maturum . Minima enim cunctatio damnoſa ſemper cenſetur , cum grandines ac nimbi repentini contingere ſoleant ; præterea Formicæ grana depopulentur . Meſſis igitur in Sextilem differenda , ut inanem ſtipulam colligamus? Hinc ſuſpicatus ſum ex Germania novæ agricolationis informatorem veniſſe , ubi ob aeris inclementiam menſe Auguſto demetitur Triticum.

At illud menſe ſimiliter Sextili peragendum: *Palus parat* . Quid ad Meſſem pali ? Numquid Auguſto menſe etiam vineæ putandæ pedandæque ? Attamen otiantibus colonis id erat mandandum , ut omnia cum maturare eſt opus, parata ad ordinandam Vitem haberent, non æſtu ac labore feſſis ac pene fractis , ut in Triticea meſſe , quæ maximum totius anni opus habetur, non ſolum quod ardentiſſimo ſidere peragitur , verum etiam quod feſtinanter, & ſine intermiſſione in id incumbitur.

Tranſeamus ad alios menſes . Menſe Septembri *Poma legunt* . Quæ poma? Fici , an nuces Juglandes, & Græcæ? nam mala, Pira hiberna, Sorba , Meſpila , Zizypha , Octobri , peracta vindemia, de arbore deſcendunt . Nihilominus a noſtro auctore poſt lecta poma Uva ſervatur Octobri. De percipiendis fructibus , frugibuſque hanc ſummam habeto.

Nunc de arborum cultu: Menſe Februario

Vi-

Vinearum
Superficium
Colitur

Timet egregius agricola ne lædantur radices, dum fodiuntur vineæ; ideo ſarcula eſſe ſuſpendenda, & ſummum ſolum radendum præcepit. Ignava itaque atque iners priſca ætas, quæ ſæpius per annum vineas alte fodiebat. Menſe Martio:

Vineæ &
Pedamina
In Paſtino
Putantur

Vineas putari novi: *putari pedamina in paſtino* prorſus ignoro. Tu ſi uſquam id fieri vidiſti, accipe me, obſecro, ruſticæ iſtius diſciplinæ diſcipulum. Attamen de iis quæ in fundo recte atque opportune facienda ſunt, ſatis.

Sequitur tertium de religione & ſacris. Menſe Januario:

Sacrificant
Dis
Penatibus.

Penates tantum colere novus pontifex otiantibus colonis permittit. At Jano & Carmentæ, quorum ſacra vetuſtiſſima præterit, cur ex antiquo ritu facere agricolis interdicit? Menſe Januario:

Cara cognato

Ex quibus pontificalibus libris id hauſtum? Ex quibus? Ab Ovidio (quis crederet?) atque ab hoc carmine:

Proxima cognati dixere Chariſtia cari,
Et venit ad ſocios turba propinqua deos.

Ex *caris cognatis* inauditum ſacrum inſtitutum eſt. Menſe Martio:

Iſidis navigium.

Præclare. Si enim colonis terræ proventus minus reſpondeat, ſarculo in remum verſo, naucleri fient; ideo Iſidis navi prius bene precantur. At, inquies, in Faſtis Iſidis navigium celebrari auctor eſt Lactantius Firmianus. Quidni? Ab hoc igitur accepit Calendarii repertor, præſertim Firmiano in Græcis an in Romanis faſtis id contingere non enarrante.

Sacrum. Mamurio

Ex quo fonte? Ex quo *Mamuralia*, quibus nebulo alius Romanas ferias inquinavit. At Matronalia, Megaleſia, Tubiluſtrium ad colonos pertinuiſſe non viſa ſunt; quippe omittuntur. Menſe Aprili:

Sa-

Sacrum
Phariæ
item
Serapia

Cur barbara ſolum, patriis & vetuſtioribus rejectis, inter faſtos recipiuntur? Ubi enim Cerealia; ubi Fordicidia; ubi Robigalia; ubi Floralia, quæ ad agriculturam maxime ſpectant? Ubi Palilia? Ne Palæ quidem armentarium colonum ſacrificare ſinit, & natalem urbis diem feſtum agere? Et de ſacris & feriis hactenus.

Supereſt ut Latini ſermonis elegantiam ex eodem marmore contemplemur. Quod paucis exequar; nam *ſolis inſtitium* pro *ſolſtitium*, *Triticariæ*, *ſuperficium*, *ſcrobatio arborum*, cujus generis & ſeculi fuerit auctor, aperte demonſtrant. Et dubitabis adhuc, quin falſum ſit monumentum, in quo ferme omnia falſa, inania, vana, barbara, non rei, non tempori, non rationi congruentia primo obtutu inveniuntur? At inter Latinæ linguæ theſauros reconditur? Quid ad nos? Nobiſne auctoribus? Certe nos ad quiſquilias & ſordida barbariæ recrementa ſeponendum exiſtimamus. Sed age: vis locum inſpicere, ex quo erutum eſt, & ubi excultum? Perge mecum. Apud Bedam ubi de temporis regula agitur, ſcriptum eſt ſolem in Aquarium tranſire XV. cal. Febr., in Piſces XV. cal. Mart., in Arietem XV. cal. April. & ſic deinceps in omnia ſigna XV. cal. ingrediente ſole. Qua de cauſa cardines omnes in octavis item calendarum, & in octavis ſignorum partibus ſervantur. Ovidii quoque *Calendarium* inter præclaras antiquitatis Romanæ memorias excellit, in quo eandem aſtronomiam videre licet, nempe XV. cal. Febr. ſolem in Aquarium remeare, XV. cal. Mart. in Piſces, XV. cal. Maii in Taurum, XV. cal. Jun. in Geminos, XV. cal. Jul. in Cancrum. De Ariete tantum notatur operarum vitio: *XI. cal. Apr. ſol Ariet.* Necnon æquinoctium I. VIII. cal. Apr. ſolſtitium VIII. cal. Jul. Quo tempore floruit iſta anni ratio? Quo illa Bedæ, quo illa *Calendarii Ambroſiani*, quæ paucis abhinc annis in lucem prodiit. Hæc ſimili regula delectata XV. cal. ſolem in ſigna evocat, & VIII. cal. in cardines promittit. Quid de Divo Iſidoro putas? Eadem profitetur. Ex hujuſmodi itaque fontibus, ſive potius aſtronomiæ cœno effoſſum eſt Ruſticum monumentum, & floribus quos illa ætas ferebat, ſubinde ornatum pro certo habeto. Numquid cardines in VIII. cal. non ſervantur, & octavas ſignorum partes (etſi principia appoſita non ſint) non repoſcunt? Cur, inquies, Theſauris adjiciuntur e cloacis eruta? Quia humanum genus, ut alios decipere ſtudet, ita facile ſe decipi patitur.

Sed

Sed hinc, ubi alienus odor tibi rugas in fronte fortaſſe contraxit, recedamus, ut pulcherrimo vetuſtatis ſigno te recreem lætitiaque perfundam.

Ecce tibi ad dexteram pervetuſtum monumentum, quod *Calendarium* inſcribitur *magni Conſtantini temporibus* expreſſum. De iſto dubitare caveto: vera ſervat, & quæque temporibus ſuis quam optime aptat. X. cal. Febr. ſol in Aquarium tranſit, X. cal. Mart. in Piſces, XVI. cal. April. in Arietem. Ex qua, quæſo, plaga novus iſte aſtronomus deſcendit? Cur? Quia Aquario dies XXVIII., Piſcibus XXV. attribuit. Sine, quæſo: XIV. cal. Maii ſol in Taurum tranſit, XIII. cal. Jan. in Geminos, XVII. cal. Jul. in Cancrum. Ergo Geminis dies XXVI.? Quid de ſolſtitio? VII. cal. Jul. ſignatur. In qua Cancri parte? In XI. Pro Jupiter! Accipe reliqua. Cancro immoratur ſol diebus XXXII., Leoni XXX., Virgini XXXIV., Libræ XXX., Scorpioni XXXI., Sagittario XXIX., & Capricorno XXXVI. In eodem tamen nonnulla ex Plinio agnoſcimus; quin ab eodem jam vitiato XVI. cal. Aug. ſolem in Leonem tranſire. Feſti quoque dies qui nuſquam habiti ſunt, hic ſacri fiunt, ut *Tiberinalia*, ut *Juvenalia*, ut *Mamuralia*, ut *Peloſia*, ut *Generalia*. Hilaria etiam iterantur, & Quirinalia. Parentalia vero a Feralibus & Chariſtiis diſtinguuntur. De reliquis noli curioſius inquirere; nihil fingi poteſt a vero magis alienum, nihilque ineptius.

Abeamus hinc, quod jam moræ pudet. Et quando tam illiberaliter in Jovis cella, hoc eſt inter ferias & ſacra accepti ſumus, dum tibi ſtomachus componitur, in bibliotheca ſedeamus. Quatuor ſcriptores qui cum Latinis Medicis vagantur, pervolvendi ſunt, ſi forte ad annum illuſtrandum quid liceat proferre. Largium Deſignatianum primum evolvam, in quo omnia inconcinno ordine miſceri & perturbari videmus. Vernum æquinoctium VIII. cal. April. & brumam VIII. cal. Januar. a Plinio mutuatur, ſolſtitium ſimiliter ab eodem jam depravato VIII. cal. Jul.; autumni vero æquinoctium VI. cal. Octobr. a Columella. Ab hoc etiam Plejadum occaſum matutinum IV. id. Novembr. accepit, & exortum ab Ovidio prid. id. Maii. Quamobrem ſi unquam tabulam diſcoloribus ceris variam, atque ex diſſimilibus animalibus inducta membra referentem ſpectaſti,

ut turpiter atrum
deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne,

ex hoc exemplo anni ſpeciem, crede mihi, fingit Deſignatianus iſte, dum ex pluribus atque inter ſe diſſidentibus ſcriptoribus partes colligit, atque in unam jungit formam.

Pro-

Proximus Pſeudoplinius (ſic enim potius dicendus , quam Plinius) ſolſtitio & bruma a Deſignatiano , Priſcianoque (qui tertius eſt auctor) non differt ; utroque autem æquinoctio VI. cal. conſtituto ad Priſcianum proximus venit , & autumnali etiam ad Deſignatianum , quamvis vernum (mendaces enim in ſententia non permanent) ad VIII. cal. ſubinde adducat . Porro æſtatis principium IV. id. Maii adnotat, quod Priſcianus ſtatuit eſſe prid. id. ejuſdem; itemque Deſignatianus ; hiemis vero VI. id. Novembr. occidentibus Priſciano Vergiliis IV. id. eaſdem.

Quartus Soranus Epheſius inſcribitur , qui nova quædam in aſtronomiam induxiſſe invenitur ; omiſſis enim cardinibus, anni tempora VIII. id. Febr., Maii, Auguſt., & Novembr. eſſe definit.

Hæc itaque literarum monſtra (in quibus te diutius ſum moratus , quam ipſorum ſordes patiebantur) quæ ſub alieno nomine res ab antiquis temporibus prave detortas in lucem proferre auſa ſunt, quantum a priſca anni forma differunt, tantum ad barbaram, inanem, falſamque doctrinam accedunt. Quapropter horum auctoritate utatur qui velit, & hinc ad anni Romani , Julianique vel Auguſti emendationem normam dirigat, libellamque deſumat. Tantum enim a vero receſſerit, quantum iſti ab eo nomine, ætate, & doctrina quæ titulo mentiuntur, removentur. Vale.

D. Patavio IV. Non. Jun. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA XLVII.

De Ovidii Faſtis ex Auguſti tabula , Eudoxo , aliiſque.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

ANtequam obſignatis , ut ajunt , tabellis mecum ageres , quod de Ovidii Faſtis me eſſe tibi ſcripturum ſignificaveram, has literas ex a. d. V. id. ad te dabam , quibus fidem meam abſolverem , & tuis placitis ac mandatis obtemperarem . Miſi etiam proximis diebus epiſtolam , qua in te eam opinionem , quæ de Plinio omnibus minime recens penitus inhæſit, paululum convellerem, & paratiorem ad ea quæ de Ovidio eram ſcripturus, te haberem. Etenim Ovidium , propterea quod

quod Julium Cæſarem laudibus apud Auguſtum exornavit, cum ita ſibi conſulere opinaretur, faſtorum extitiſſe auctorem, eoſdemque Julia ratione temperaſſe quis non dicit, & conſtantiſſime tuetur? Id vero ſimillimum apparet, cum omni aſſentationis artificio totam Auguſti domum proſequatur. His dum aſſentior, & in commune erratum cæca mente rapior, ſcis quos mihi vates exhibuerit ludos? Jam levitatis meæ, vel potius morbi & inſaniæ pudet. Jam tot lucubrationum pœnitentia animum exulcerat, atque aſſiduo morſu retractat. Quid dicam? Niſi mihi Plinius manum injeciſſet, & ab illis cogitationibus traduxiſſet ad alias, adhuc illis, tanquam infelix Prometheus ſaxo, fortaſſe adhærerem. Ut primum reſipui, & nimiæ credulitatis patuere illecebræ & doli, gratias habui maximas Plinio, qui me a tanta amentia liberaſſet. Quapropter qui mihi dux in rectam extitit, quique vatis penetralia oſtendit, eum tibi præmiſi melioris ſententiæ moderatorem & magiſtrum. Hunc Ovidius modo ſubſequitur, qui veluti peregrinus & alienus ne in veſtibulo diu ſubſiſtat præſertim a te arceſſitus, rogo.

Faſtorum partem alteram vetuſtate nobis ereptam plerique opinati ſunt, quoniam duodecim, non ſex volumina ſcripſit, cum Romæ degebat, ut carmine *ad Auguſtum* declaratur:

Sex ego Faſtorum ſcripſi, totidemque libellos,
Cumque ſuo finem menſe volumen habet.
Idque tuo nuper ſcriptum ſub nomine, Cæſar,
Et tibi ſacratum ſors mea rupit opus.

Quibus tamen extremam manum ante exilium non addidiſſe, ex eodem carmine cognoſcimus. Expolivit igitur exul, & retractavit fortaſſe quædam, ſuperinducto Germanici titulo, cum prius opus Auguſto inſcripſiſſet. Ecce tibi querulas voces in *Faſt.* IV.:

Sulmonis gelidi patriæ, Germanice, noſtræ.
Me miſerum Scythico quam procul illa loco eſt.

Ut igitur ſex volumina perfeciſſe indicio eſt, quod in poſteros transmiſſa ſunt, & omnium manu teruntur: ita reliqua abſoluta, quis pro certo affirmaverit? Quare, hoc toto quæſtionis genere relicto, in quo vaticinari atque inſanire viderer plura ſcribendo, de auctoribus, quos imitatur vates, inquiramus. Quatuor præcipuos commemorabo: Cæſarem, Euctemonem, Eudoxum, & reformatæ aſtronomiæ tabulam, de qua in Plinio quid ſentirem ex proximis literis quas VI. cal. ad te dedi, intellexiſti. A Cæſare & ab Euctemone necnon ab Eudoxo ac Bœotiis aſtrorum concurſiones ſumit: temporum autem vices ab Eudoxo. Anni cardines Auguſti tabulæ dabis. Sunt tamen in duodecim ſi-

gnis diſcrimina quædam, quorum fons in abſtruſo jacet; neque mihi diligentius inquirenti caput licuit reperire. Nonnihil etiam vatis indiligentiæ attribuendum videtur, quippe cœleſtium rerum diſciplina minime laudatur.

Principio III. non. Jan. Cancer veſperi occidit, ut hoc carmen ſignificat:

Ergo ubi nox aderit venturis tertia nonis,
Sparſaque cœleſti rore madebit humus:
Oblipedis fruſtra quærentur brachia Cancri,
Præceps occiduas ille ſubibit aquas.

Eodem die occidit Columellæ. A qua aſtronomia petitum id ſit; num a Cæſare, an a Callippo, in tanta ſcriptorum calamitate, librorumque interitu aſſequi nequeo. At Lyræ exortum nonis Januar. eſſe a Cæſare, ut audiſti, conſtat; nam V. id. Jan. Delphinum oriri unde hauſerit vates, in incerto relinquam. Agonalibus itaque peractis hoc carmen annectit:

Interea Delphin clarum ſuper æquora ſidus
Tollitur, & patriis exerit ora vadis.
Poſtera lux hiemem medio diſcrimine ſignat;
Æquaque præteritæ quæ ſuperabit, erit.

Tab. XXXVI. Si forte expetis ſcire, unde media hiems in Ovidium pervenerit, habeo quid neque firmum, neque conſtans, probabile tamen. Jam proximo vere, cum hoc ipſum in anno Romano quærebamus, a Caniculæ occaſu, Aetio homine Aſſyriæ ſectæ duce, triginta ſeptem dies, quibus frigus in ſummam hiemem intenditur, ad mediam deduxi. Hoc dat ſpecimen Eudoxus quoque, cui die Sagittarii XII. Canis occidit matutino III. non. Decembr. Ab hoc termino in a. d. IV. id. Januar. dies XXXVII. numerantur. Quare conjicere non diſplicet, Eudoxum qui alterum finem a Chaldæis acceperit, alterum quoque accepiſſe; præſertim cum tam multa ab eodem fonte in ſuas ſegetes derivaverit. Ideo media hiems fiet Eudoxo die XX. Capricorni. Hæc ſi utroque pollice laudaveris, non eſt cur mediæ hiemis auctorem alium ab Eudoxo in Ovidio quæramus.

Tranſire ſolem in Aquarium conſtituit Cæſar XVII. cal. Febr. Plinius ex Auguſti tabula poſtridie, quam ſequitur vates. Nam XVII. cal. Febr. templi quod Furius Camillus Concordiæ dedicaverat, peracta hiſtoria, canit:

Hæc ubi tranſierint, Capricorno, Phœbe, relicto,
Per Juvenis curres ſigna regentis aquas.
Septimus hinc oriens, cum ſe demerſerit undis,

Ful-

TABULA XXXVI.

Ovidii Faſti ex Tabula Auguſti atque ex Eudoxo.



Sol Capricornum adit XV. cal. Januar.
Bruma VIII. cal. Januar. H. N. VII.
Media hiems IV. id. Januar.
Sol Aquarium adit XVI. cal. Febr.
Veris initium V. id. Februar.
Sol Piſces adit XIV. cal. Mart.
Sol Arietem adit XV. cal. Apr.
Æquinoctium vernum VIII. cal. Apr. H. N. X.
Sol Taurum adit XIII. cal. April.
Medium ver VII. cal. Maji.
Vergiliæ oriuntur. Æſtatis initium prid. id. Maii.
Sol Geminos adit XIII. cal. Jun.
Sol Cancrum adit XIIII. cal. Quint.
Solſtitium VI. cal. Quint. H. D. X.
Sol Leonem adit XIII. cal. Sextil.
Canicula mane oritur XII. cal. Sextil.
Fidicula mane occidit XIIX. cal. Septembr.
Sol Virginem adit XIII. cal. Septembr.
Sol Libram adit XII. cal. Oct.
Æquinoctium autumni V. cal. Octobr. H. N. X.
Sol Scorpionem adit XIII. cal. Novembr.
Vergiliæ mane occidunt prid. id. Novembr.
Sol Sagittarium adit XIV. cal. Decembr.

Bruma VIII. cal. Januar. H. D. I.
Veris initium V. id. Februar.

Fulgebit toto jam Lyra nulla polo.

De Lyra autem Columella ſcribit : *XI. Febr. Fidicula veſperi occidit, dies pluvius. IX. cal. Febr. ex occaſu priſtini ſideris ſignificat tempeſtatem ; interdum etiam tempeſtas.* Quæ extrema vel abjicienda tanquam ex margine, vel *tempeſtas* in *temperiem* mutanda. Deinde notam XI. malo cum Ovidio *X.* Ad X. vero cal. Febr. diès II. Aquarii, ut Bœotii ſtatuunt, pertinent, quo termino a Gemino tantum adnotatum eſt : Δημοκρίτῳ ἄλοχος χειμών. Ex quibus ſuſpicari ſuccurrit quid deperditum, & fortaſſe quod Ovidius meminit ; ex ἀκρόνυχος enim negligentia ſcribentis fit facile ἄλοχος. Adde etiam ex iis quæ pauca de Democrito traduntur, pleraque citius Democrito permeare quam Eudoxo, ut retuli. Et propterea non eſſe abſonum credere Democrito per dies IX. celerius contingere Fidiculæ occaſum, cui citius etiam per dies VIII. quam Eudoxo, exoritur. Quæ ſi vera aſſequimur, fit priſtinus Fidiculæ occaſus IX. cal. Febr. qui pridie contingit:

Sidere ab hoc, ignis, venienti nocte, Leonis
Qui micat in medio pectore, merſus erit.

De quo aſtro quando ea probas quæ cal. April. ad te ſcripſi, quid amplius quæram ?

Primo acto Faſtor. libro ad ſecundum, hoc eſt ad Februarium venio, cujus calendis

Sæpe graves pluvias adopertus nubibus æther
Concitat.

Die Aquarii XI. occidente veſperi Lyra, Eudoxo pluvia ſignificatur. Dies convenit. Sed cur ab Ovidio poſthabita Lyra ? Sane quo die aſtrum occidit, cernitur; non enim occideret. Ideo vates poſtridie ejus diei deſinere occidere canit, quia tota latet:

Proximus Heſperias Titan abiturus in undas
Gemmea purpureis cum juga demet equis:
Illa nocte aliquis tollens ad ſidera vultum,
Dicet, ubi eſt hodie, quæ Lyra fulſit heri?
Dumque Lyram quærit, medii quoque terga Leonis
In liquidas ſubito merſa notabit aquas.

Columellæ cal. cum Eudoxo occultari Fidis incipit; III. autem non. Febr. Fidis tota, & Leo medius occidit, quæ ab Ovidio accepit; idcirco etiam tempus *IV. non.* Columellæ apponendum eſt.

III. non. Febr. Ovidio Delphinus veſperi occidit, IV. enim nonas ſic loquitur:

Quem modo cælatum ſtellis Delphina videbas,

Is fugiet viſus nocte ſequente tuos.

Ad quos auctores referam, non video; quoniam id referendi defuit Gemino cura. Nonis Februariis:

Jam puer Idæus media tenus eminet alvo,
Et liquidas, miſto nectare, fundit aquas.
En etiam ſiquis Boream horrere ſolebat,
Gaudeat, a Zephyris mitior aura venit.

A Callippo vates deduxit, cui die Aquarii XVII. ὑδροχόῳ μέσῳ κνατέλλει, ζέφυρῳ πνεῖ. Ab utroque Columella ſumpſit.

Quintus ab æquoreis nitidum jubar extulit undis
Lucifer, & primi tempora veris erunt.

Hoc verno principio differt Ovidius a Latinis; & id ad Eudoxum pertinere crediderim die Aquarii XIX. ſignatum, quo ſpatio hiems ſimiliter Eudoxo inchoatur. Hac ratione Ver a bruma diſtat diebus XLVI.

Tertia nox veniet, cuſtodem protinus Urſæ
Aſpicies geminos exeruiſſe pedes.

Fit III. id. Februar. Quod Ovidio, deficiente veterum aſtronomia, relinquo.

Continuata loco tria ſidera Corvus & Anguis
Et medius Crater inter utrumque latent.
Idibus illa latent, oriuntur nocte ſequenti.

Unum commemorat Columella, hoc eſt Craterem XVI. cal. Mart. oriri. Anticipandi cauſa fuiſſe videtur, XV. cal. Febr. in Piſces prodeunte ſole.

XIV. cal. Mart.

Jam levis obliqua ſubſedit Aquarius urna,
Proximus æthereos excipe, Piſcis, equos.

VI. cal. Mart. advenit Hirundo ipſo Regifugii die, cujus originem cum expoſuiſſet Ovidius, continuato carmine ſcribit:

Fallimur? An veris prænuncia venit Hirundo,
Et metuit nequa verſa recurrat hiems?

Num me objurgabis, ſi hoc ad Eudoxum retulero? Appoſite tamen convenit dies Piſcium IV. quo Eudoxus Hirundinem advenire tradit. Convenit etiam intervallum dierum XV. a vere V. id. Febr. ut auctor eſt Hippocrates.

Hac ratione ad III. librum, & ad III. menſem Martium ventum eſt.

Tertia nox de menſe ſuos ubi moverit ortus,

Con-

Conditus e geminis Piſcibus alter erit.
Nam duo ſunt, Auſtris hic eſt, Aquilonibus ille
Proximus, a vento nomen uterque tenet.

Occidere hoc tempore quo oriuntur, Piſces imperite traditum eſt: cujus culpa ubi reſideat, in Ovidione, an in librariis, poſito *conditus* pro *proditus*, ignoro.

Cum croceis rorare genis Tithonia conjunx
Ceperit, & quintæ tempora lucis aget,
Sive eſt Arctophylax, ſive eſt piger ille Bootes,
Mergetur, viſus effugietque tuos.
At non effugiet Vindemitor.

III. non. Mart. oriri Euctemoni veſperi Arcturum, & Vindemiatorem apparere in Atticis ſcripſimus. Id accepit Ovidius, ſed oſcitanter accepit, dum condi Arcturum canit.

Nonis Martiis.

Jamque ubi cæruleum variabunt ſidera cœlum,
Suſpice, Gorgonei colla videbis Equi.

Neque caret macula Euctemon, cui nonis Martiis ἵππου ἐωὸυ δύνει. Opinor enim, ut tibi in Atticis ſcripſi, fuiſſe ἐπιτέλλει; ab hoc enim ſumpſit Ovidius.

Poſtridie

Protinus aſpicies venienti nocte Coronam
Gnoſſida.

Quod auctor a Piſcium principio ex a. d. XVI. cal. Mart. computat; quippe τῇ κά τῶν ἰχθύων Εὐδόξῳ στέφανος ἀκρόνυχος ἐπιτέλλει.

Sed ad idus properamus; exinde enim

Poſtera cum teneras aurora refecerit herbas,
Scorpius a prima parte videndus erit.

Quæ ſi ſcire cupimus, unde ſint petita, Geminum adeamus ſcribentem: τῇ τῶν ἰχθύων Εὐκτήμονι τὸ σκορπίου οἱ πρῶτοι ἀστέρες δύνουσι. Tot dies a XIV. cal. Mart. ubi Ovidius Piſcibus principium dedit, ad XVII. cal. April. colliguntur.

Liberalia proxima ſequuntur, & Liberalibus

Stella Lycaoniam vergit declivis ad Arcton
Milvius, hæc illa nocte videnda venit.

De quo in Cæſaris tabula, quid ſentiam, habes. Carmina tamen quæ alias commemoravi, repetenda eſſe reor, ut tota Ovidii aſtronomia in unum corpus digeratur.

Poſt dies XXX. quos Piſcibus attribuunt, ut illa ætas maxime probabat,

babat, XV. cal. April. ſol in Arietem introitum habet. Hoc in Ovidio non perſpicue diſcernitur; nam de extremis Quinquatribus X. cal. April. canit:

Summa dies e quinque tubas luſtrare canoras
Admonet, & forti ſacrificare Deæ.
Nunc potes ad ſolem ſublato dicere vultu,
Hic here Phryxeæ vellera preſſit Ovis.

Igitur XI. cal. April. ad Arietem ſol tranſit. Quod ut declinemus, veteri conſuetudine Quinquatria ſunt accipienda, cum uno die finirentur, ut ex Varrone & Feſto indicavi. Quod etiam oſtendit M. Tullius dum Cornificio ſcribit, Quinquatribus ejus cauſam frequenti ſenatu non invita Minerva egiſſe. Si enim per quinque dies acta eſſent Quinquatria, quiſnam ex illis intelligendus? Ovidius itaque Auguſto obſequens, cujus opera Quinquatria amplificata exiſtimo, per dies V. celebrat, ſed priſco gentis more unum habet, & illo Arietis initium definit. Quapropter in antiqua marmorea tabula, cujus exemplum a Grutero & ab aliis auctoribus affertur, Quinquatria XIV. cal. April. tantum notantur, quod ille dies Quinquatribus legitimus eſſet, & tanquam ſolus. Sed ecce alia ambages ex hoc carmine:

Tres ubi luciferos veniens præmiſerit Eos,
Tempora nocturnis æqua diurna feret.

Si a Tubiluſtrio ex a. d. X. cal. April. trium dierum ſpatium metimur, pridie in Arietem ſol tranſeunte, æquinoctium peragetur non in octava ſigni parte, ut apud Latinos ſine ullo diſcrimine viguit opinio, ſed in quinta: ſin autem a primis Quinquatribus ex a. d. XIV. cal. April. æquinoctium habendum XI. cal. ejuſdem. Quod aperte falſum, cum VIII. cal. ab Ovidio conſtituatur, ubi certa æquinoctialis ſedes. Quamnam igitur dabimus Carminis interpretationem, ut auctorem ab reprenſione liberemus? Nonnulli ut tale incommodum declinent, hos tres dies a Tubiluſtrio numerant. Verum attende quid ſequatur. Dum æquinoctium in quinta Arietis parte vitant, protrudunt in nonam, XV. cal. Apr. ad Arietem ſolem adducentes. Qua igitur via ab his vadis & fluctibus emergemus? Facili & plana, ſi me audies; quoniam levi macula affectum fuiſſe carmen puto, & primum verſum defluxiſſe ex illo:

Sex ubi luciferos veniens præmiſerit Eos.

Prima voce immutata, reliqua in unum concurrunt, & quadrant intervalla; quod ſex dies a Quinquatribus primis in a. d. VIII. cal. April. ſpectant, ubi etiam Plinius æquinoctii ſedem fixit in octava ſigni parte, die a Cæſaris æquinoctio recedendo.

Ad

Ad quartum Faſtorum volumen, & ad Aprilem accedamus. Itaque calendis

Dum loquor, elatæ metuendus acumine caudæ
Scorpius in virides præcipitatur aquas.

Calendis item April. Columellæ Nepa occidit. Poſtridie

Plejades incipiunt humeros relevare paternos,
Quæ ſeptem dici, ſex tamen eſſe ſolent.

Tempus tibi oſtendet vel Euctemon ab Ægyptio æquinoctio, vel Eudoxus, & Democritus a Callippico.

VII. id. April.

Plura locuturi ſubito ſubducimur imbre,
Pendula cœleſtes Libra movebat aquas.

Id a Cæſare eſſe indicavi. Eodem die Ovidio

Enſifer Orion æquore merſus erit.

XVI. cal. Maj. Suculæ celantur, ut hoc carmen oſtendit:

Sed jam præteritas ubi quartus lucifer idus
Reſpicit, hac Hyades Dorida nocte tenent.

Ab Euctemone acceptum eſt.

XIII. cal. Maji

E duce lanigeri pecoris qui perdidit Hellen,
Sol abit, egreſſo victima major adeſt.
Vacca ſit, an Taurus non eſt cognoſcere promptum.

Quare Arieti dies XXXII. præter aliorum inſtitutum vates largitur.

Sex ubi quæ reſtant, luces Aprilis habebit,
In medio curſu tempora veris erunt.
Et fruſtra pecudem quæres Athamantidos Helles.
Signaque dant imbres, exoriturque Canis.

IX. cal. Majas adeunte in Bœotia Taurum ſole, dies Tauri III. fit VII. cal. ejuſdem, quo medium ver fuiſſe Eudoxo puto, poſtridie Cane ſe veſperi occultante. Ab hoc tempus inter ver & æſtatem qualitate medium incipit computari. Quapropter, ſi hæc vera conjectando recipimus, ab Eudoxo in Ovidii faſtos medium ver emanavit, a quo media etiam hiems venit. Cæterum vati noſtro non laudi dabis in Tauro occidere Arietem, qui Callippo in prima Libræ parte incipit condi, & in tertia Arietis, hoc eſt eo ipſo die a Bœotio principio, quo medium ver ſignatur, exoriri, niſi carmen emendaveris ſcribendo:

Nec fruſtra pecudem quæres Athamantidos Helles.

Neque Canem prodire hoc tempore ſines; ſed noſtræ opinioni, quam tibi notam fecimus, indulgens repones.

ege-

egeriturque Canis.

Hactenus de Aprili : Maji cura ſubit. Et primum

Ab Jove ſurgat opus, prima mihi nocte videnda
Stella eſt in cunas officioſa Jovis.

Non obſcure percipimus Capram cal. Majis oriri eſſe deſumptum ab Eudoxo, cui die Tauri IX. naſcitur. Quod ſpatium in cal. Majas ab exordio Bœotio protenditur.

VI. non. Maji Argeſtes flare incipiunt, & Suculæ exoriuntur, quod ad Cæſarem retuli.

Nocte minus quarta promet ſua ſidera Chiron
Semivir, & flavi corpore miſtus equi.

V. etiam non. Maji Columellæ Centaurus totus apparet. Pergit vates:

Hunc Lyra curva ſequi cuperet, ſed idonea nondum
Eſt via : nox aptum tertia tempus erit.

III. non. Maji Lyra veſperi oritur, Chaldæis pridie.

Scorpius in cœlo cum eras luceſcere nonas
Dicimus, a media parte videndus erit.

Prid. ſimiliter non. Maji Columellæ Nepa medius occidit.

V. id. Maji occidit Orion, cujus delapſum mediis Lemuribus hoc carmen determinat:

Quorum ſi mediis Bœoton Oriona quæres,
Falſus eris, ſigni cauſa canenda mihi eſt.

Tum ad orientem mane pridie id. Maji converſus, inquit:

Plejadas aſpicies omnes, totumque ſororum
Agmen, ubi ante idus nox erit una ſuper.
Tunc mihi non dubiis auctoribus incipit æſtas,
Et tepidi finem tempora veris habent.

Ex quo vates didicerit, Eudoxi tabula oſtendit. Idem dies nempe

Idibus ora prior ſtellantia tollere Taurum
Indicat.

XIII. cal. Jun. relicto poſt dies XXXI. Tauro, ſol in Geminos fertur. En tibi auctor, ut clare computat:

At mihi pande, precor, multo meliora petenti
In Geminos ex quo tempore Phœbus eat.
Cum totidem de menſe dies ſupereſſe videbis,
Quot ſunt Herculei facta laboris, ait.

XII. cal. Jun. poſtridie ingreſſus ſolis in Geminos

Nocte ſequente diem Canis Erigonius exit.

Quo

Quo carmine decipiaris, ut interpretes ſolent, cave. Exit enim Canis de aſpectu, non oritur: ut homo exit qui fato cedit, & dies exit qui elabitur. Quid plura? Attici, a quibus certe vates ſumit, ita memoriæ mandarunt.

Quinto ab occiduo Cane die VIII. cal. Jun. veſperi

Grata Jovis fulvæ roſtra videbis avis.

Quæ ad conſtitutum diem Athenis huc advolavit, ubi Euctemoni die Tauri XXXI. veſperi cernitur oriens.

Auferet ex oculis veniens aurora Booten,
Continuaque die ſidus Hyantis erit.

Utraque die Tauri XXXII. VII. cal. Jun. apud Euctemonem contingunt, ab Ovidii explanatoribus indocte in biduum digeſta.

His V. menſi finem imponimus. Reſtat Junius, cujus calendis

Oritur magni præpes adunca Jovis.

Aquila ſurgit Columellæ cal. Jun. & poſtridie.

Poſtera lux Hyadas Taurinæ cornua frontis
Evocat, & multa terra madeſcit aqua.

Sucularum exortum a quibus auctor ſumpſerit, nulla ad nos demiſſa notitia declarat. Pluviam fieri Democrito die Geminorum X. viſum eſt, quod IV. non. Jun. contingere oſtendi.

Tertia poſt nonas removere Lycaona Phœbe
Fertur, & a tergo non habet Urſa metum.

VII. item id. Jun. Cæſari & Columellæ Arcturum occidere ad te ſcripſi.

Poſtridie Cerealium IV. id. Jun.

Navita quippe ſedens Delphina videbimus, inquit,
Humida cum pulſo nox erit orta die.

Id a Cæſare patet, & Cæſarem exſcripſiſſe ab Eudoxo, cui die Geminorum XVIII. Delphinus prima face emergit, pariter manifeſtum.

Ab idibus Juniis

Tertia nox veniet, qua tu, Dodoni Thyene,
Stabis Agenorei fronte videnda Bovis.

XVII. itaque cal. Jul. Suculæ cernuntur.

At pater Heliadum radios ubi tinxerit undis,
Et cinget geminos ſtella ſerena polos,
Tollet humo validos proles Hyriea lacertos,
Continua Delphin nocte videndus erit.

Cum Orion Eudoxo die Geminorum XXIV. exoriatur XVI. cal. Jul. quo tempore refert Ovidius, non dubium eſt Bœotium tempus Orio-

ni ab auctore definitum. Delphinum vero eadem nocte manifestari a quo vates didicerit, non invenio.

XIV. cal. Jul. sol in Cancrum remeare traditur. Hic alia atque alia dissensio, diem Geminis subducit, XXIX. tantum relictis, & solstitium in nonam signi partem præter receptam Latinorum regulam promittit. Proferam versus quibus id probatur, ne quid sine exemplo ad te mittam.

Jam sex & totidem luces de mense supersunt,
Huic unum numero tu tamen adde diem.
Sol abit e Geminis, & Cancri signa rubescunt.

Labitur memoria egregius scriptor, & ex patria consuetudine cum XIII. cal. Jul. in animo haberet, dies XIII. accepit, qui XII. erant. Nam sine dubio hoc die solem in Cancrum transire oportet, tum ut intervallum a solstitio in æquinoctium I. dierum XCIII. hor. XII. constet, tum etiam ut solstitium in octava Cancri parte retineatur. Quæ ut clarius cognoscas, diem quo Fortunæ Fortis celebritas habebatur, ante oculos positum perpende:

Quam cito venerunt Fortunæ Fortis honores.
Post septem luces Junius actus erit.

VIII. igitur cal. Jul. hoc ipso Fortunæ festo de solstitio, & de Orione, qui, ut Cæsar & Chaldæi statuunt, ipso solstitiali tempore oriebatur, hæc sunt carmina:

Ecce suburbana rediens male sobrius æde
Ad stellas aliquis talia verba jacit:
Zona latet tua nunc, & cras fortasse latebit,
Dein erit, Orion, aspicienda mihi.
At si non esset potus, dixisset eadem
Venturum tempus solstitiale die.

Huc usque præcipua & maxime necessaria quæ ad cœlestem Ovidii annum pertinere visa sunt, perpendimus. Si reliqua sex Fastorum volumina aut perfeciset Vates, aut ab eodem perfecta, & absoluta fortuna servasset, fidentius de tota re tibi scriberem, quam nunc conjecturis & suspicionibus ductus conabor adumbrare. Cum duo summa in Ovidio & Plinio sint eadem, vernum nimirum æquinoctium & solstitium in eadem signorum parte, æquoque dierum XCIII. hor. XII. separata discrimine, videre visus sum eandem anni rationem ab Ovidio fastis comprensam, quam in Plinio indicavi. Quod de cardinibus maxime accipiendum volo; temporum enim vicibus a Latinis vates dissentit, Eudoxum secutus. Quare brumam peragi VIII. cal. Jan. & transire solem

lem in Capricornum XV. cal. Jan. ab Ovidii regula non abhorret. Intervallum quoque dierum XC. hor. III. a bruma ad æquinoctium I. conveniet. Quid enim Latinis & Chaldæis magis commune, quam Capricorno dies XXX. assignare, & in octava Capricorni parte agere brumam? Jam tres Cardines in Ovidio habemus, Plinii exemplo, & in Latio recepto ordine usi. Quartus restat, quem facile attinges a bruma diebus XXCIX. hor. III., a solstitio XCII. hor. XII. deductis. Quo spatio inter se conveniunt, signabis. Conveniunt autem V. cal. Octobr. ubi Plinii æquinoctium autumnale collocatur.

Venio ad anni tempora astrorumque insignium motus, quæ si ab Eudoxo in Ovidium emanasse receperis, ut ea quæ sex primis voluminibus contexuntur, profecto emanarunt, quod vetustas absumpsit, reparare connitar. Jam neminem, nisi si quis veritati illuserit, veris sedem æstatisque principium ab Eudoxo esse inficiaturum opinor. Quid ergo prohibet autumnum hiememque ab eodem fonte revocare? Occidit Eudoxo Fidicula XVIII. cal. Septembr. die Leonis XXII., immergetur quoque eodem tempore Ovidio, autumnumque præbebit. Et cum Canicula mane prodeat Plinio XII. cal. August., nascetur simul nostro vati, quod Italica ratio poscere invenitur. Necnon Procyon exorietur cum Plinio ex eadem regula XVII. cal. Jul. Prætermittamne Etesias, qui per Caniculares dies spirant, an huc ab Eudoxo exscribam? Præteribo sane, quando Chelidonias Chelidoniarumque prodromos noster auctor verno prætermisit. Siquid horum tibi usu venerit, vel ab Eudoxi, vel a Plinii tabulis mutuaberis. Interea quo die de Leone abeat sol, Virginemque ingrediatur, ex Plinio determinabo XIII. cal. Septembr.; nullam enim video causam qua ab Italica ratione Augustive tabula recedam. Pridie igitur id. Septembr. cum Cæsare, quo Eudoxo pertinent dies Virginis XIX., mane orietur Arcturus. XII. cal. Octobr. subsidente Virgine, sol in Libram transit, & octavam Libræ partem præmittens æquinoctium autumni, dabit V. cal. eadem. Porro, Libræ diebus XXX. signatis, Scorpionem XIII. cal. Novembr. metabimur. Prid. id. Novembr. Vergiliæ Eudoxo mane occultantur. Tale hiemis principium in Ovidio quis repudiaverit? Post dies XXIX. proximum Sagittarii signum sol subit ex a. d. XIV. cal. Decembr. In quo diebus XXX. assumptis, ad brumalem Capricornum devertit XV. cal. Januar. quo Ovidii annus cum fastis claudebatur.

Habes de Ovidii fastis ad id, quod, te auctore, suscepimus, quæ visa sunt pertinere. Plura si desideras, Plinius, Eudoxus, Euctemon præbebunt. Nolui ego iis refertiorem epistolam mittere, de quibus

conjicere quidem licet, ſed dubitare multo magis. Satis mihi ſuperque erit, ſi his quæ in tabulam conjeci, tantum tribueris, quantum homini magis ab animo & voluntate, quam ab ingenio & viribus ad omnia difficilia, & dura tuo nomine ſubeunda parato eſſe tribuendum videbis. Vale.

D. Patavio V. id. Jun. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA XLVIII.

De Ptolemæi libro falſo hoc nomine prodito, qui inſcribitur φάσις ἀπλάνων ἐπισημασίων.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

LIteras tuas idibus datas quas Marco ſervo meo tradidiſti, accepi poſtridie mane, ſtatimque reſcribendum putavi. Quæris in his, cur Ptolemæi liber qui titulo φάσις ἀπλάνων ἐπισημασίων (de quibus librum contextum eſſe a Ptolemæo Suidas nos certiores facit) circumfertur, ſincerus & legitimus mihi non videatur. Multa ſunt quæ me ſecus ſentire, ac ſolebam, cogunt; nec dubitationem meam præſertim quod ad rem, quam tracto, vel maxime ſpectat, accuratius nunc tibi referre ſuperſedebo. Principio quid eſt a Ptolemæo probatiſſimo ſcriptore magis alienum, quam ab ea ſententia, quam ſemel atque iterum probaverit, deſciſcere, & ad aliam traduci? Perpendit, repetitis obſervationibus, quo anni articulo ſolſtitium, quo autumni æquinoctium peragereturr, aſſecutuſque eſt pro ſua diligentia hoc die menſis Thoth XXIX. confici: illud Epiphi I., quæ ex a. d. IV. cal. Septembr. incepto per Thoth anno, VI. cal. Octobr. æquinoctium, VII. cal. Julias ſolſtitium oſtendunt. At in iſto Libello ſolſtitium quidem non reperitur; quia triceſimus menſis Pachon dies quaſi vetuſtate eliſus non appoſitus eſt. Ad eum tamen diem, & ad VIII. cal. Jul. ſolſtitialem cardinem pertinuiſſe nemo non videt. Æquinoctium vero die XXVIII. Thoth, ſive VII. cal. Octobr. notatur. Scio quid dices: prioris hæc ſunt curæ: meliora invenit poſtea: retractavit vetera. Eſto. Verumtamen quæ Callippi, Eudoxi, Euctemonis, Democriti nomine prætexuit, cur ab auctorum ſignis non derivat, aut ab iis ſaltem, quæ tunc ipſe ut vera intuebatur?

tur? Certe hoc genere nihil tam perverſum, tam præpoſterum, tam devium dici aut fingi poteſt. XI. cal. Apr. æquinoctium vernum habendum docet in prima Arietis parte, quod prid. fit ex Callippi ſententia. Alterutrum igitur reſpicere debebat, dum ſcripſit: τῇ λ΄ τῆ φαμενωθ καλλίππῳ ὑετὸς ἢ νιφετός. Quæ a Gemino accepit; nam Callippo die Arietis III., exoriente Ariete, ὑετὸς ἢ νιφετός. Cur igitur neque a Callippi æquinoctio, neque a ſuo, ſed a Columellæ & Cæſaris numerat, & a X. cal. April. in VII. cal. ejuſdem ſignificationem protrahit? Porro de ſolſtitio haud abſimilia cognoſcere licet. XII. cal. Sextil. Eudoxo, ut ex Gemino oſtenſum eſt, incipiunt Eteſiæ, quos ſycophanta iſte in diem Epiphi XXIX. ſive in a. d. X. cal. ejuſdem producit. Sed ex quo tempore hi venti in Ægypto ſpirare ſolent? Ex quo? XI. cal. Aug. die Epiphi XXVIII. Abeat itaque Plinius qui X. cal. Aug. Ægyptiis Prodromos flare, & poſt dies V. Eteſias ſcribit. Quid vero illa: Εὐκτήμονι χειμὼν κατὰ θάλασσαν, quæ, incipientibus Eteſiis XI. cal. Sextil. concludit? Iſta ſane die Cancri XXVIII., & IX. cal. Aug. in Attica ratione fieri eſt oſtenſum. A quo itaque initio progreditur impoſtor? Quæ de Eudoxo affert, ex a. d. VI. cal. Jul., quæ de Euctemone ex a. d. VII. cal. eaſdem. Hoc pacto ſuum ſolſtitium poſthabuit, & alienum immiſcuit ac perturbavit. De æquinoctio autumni, & de Libræ ſigno nihil quod ad conſarcinandum mendacium ex Gemino decerptum ſit, inveniebam. In proximo tamen Virginis ſidere tenetur; inſeruit enim quæ ex alio principio quam ex a. d. VII. cal. Octobr. ubi æquinoctium fixerat, æquinoctialem ſedem petitam eſſe aperte ſub oculos ponunt. Etenim, cum ſol dies XXX. quot inter æquinoctium VII. cal. Octobr. & VII. cal. Septembr. intercedunt, Virgini attribuat, VII. cal. Septembr. Virginem adit, nebuloni autem noſtro V. cal. ejuſdem, a quo dies Virginis V. quibus Callippo Eteſiæ ceſſant, in cal. Septembr. derivat. Quamobrem V. etiam cal. Octob. æquinoctiale tempus erit. Hac ratione neque id quod conſtituit, ſervat, neque aliena ſpectat; Callippi enim intervallum III. cal. Sept. finitur. Verumtamen de Eteſiis alia interponere refert, quo auctoris impudentiam clarius internoſcas. Die primo Thoth, qui, ut dicebam, IV. cal. Sept. inchoatur, exponit Eudoxo deſinere Eteſias: cui profecto exciderat XI. cal. Auguſt. Eteſiarum initium de Eudoxi ſcripto conſtituiſſe. Propterea cum per dies LV. durent, ab illo initio XVIII. cal. Octobr. ceſſant. Sin autem IV. cal. Septembr. finiuntur, III. non. Quint. incipiunt ſpirare. Sed ſinamus iſta tanquam aliena ſine reprenſione effluere. Patria & ab eodem obſervata perpendamus. Die Thoth

III.,

III., nimirum prid. cal. Septembr. ab Ægypto recedere Eteſias docet, quos in a. d. XVI. cal. Octobr. exoriente Spica, diſtulit Plinius. Ex his tamen diceret quis:

Nec ſatis ad objurgandum cauſæ.

Plinius vetera, & aliena memorat: hic nova, propria, & per ſe cognita penituſque perſpecta. Quare ad alia tranſeundum. Ad brumam hæc pertinent: τῇ δ' τῆ Τυβὶ Δημοκρίτῳ νότῳ ὡς τὰ πολλά, quæ ex Gemino retuli lacunis intercepta, & divulſa: Δημοκρίτῳ νότῳ πνεῖ. ὡς ἐπιτέλλει. Quid tibi de hominis calliditate videtur? Ut belle hiulca & lacera membra farcit, & redintegrat! Tamen non vides quantæ antiquitatis ſit auctor, qui dum Democritum, Metrodorum, Euctemonem, Eudoxum atque alios laudat, neque ſincerum Geminum invenire potuit, neque ad Geminum emendandum Democritum? Viſne, etiam iſtud ejus inertiæ largiamur? Quid huic loco faciemus integro apud Geminum: τῇ ι τῆς παρδένου Εὐδόξῳ ὑετὸς, βρονταὶ, ἀνεμῳ μέγας πνεῖ, vitiato ad tegendam fraudem a Nebulone: τῇ ζ' τῆ δὼδ Εὐδόξῳ ὑετὸς, βρονταὶ, ἀνεμῳ μεταπίπτον? Quid illi τῇ ι τῶν διδύμων Δημοκρίτῳ ὕδωρ γίνεται, de quo præclare noſter: τῇ δ' τῆ Παυνὶ Δημοκρίτῳ ὕδωρ ἐπὶ γῆ? Timebat ne pluvia dum aſtris vacabat, ſibi pallium madefaceret; ideo in humum deſcendere juſſit. De utroque loco & de aliis illi viderint quibus actio de dolo malo, & de adulterio apud prætorem competit. Nobis ſatis erit oſtendiſſe quantum & quam inæqualiter a propoſitis ſignis aberratum ſit.

Ad anni tempora nunc te revoco, & huc ex Gemino de vere adduco Democrito incipere Favonium die Aquarii XVI. nimirum VIII. id. Febr. quod noſter Pſeudoptolemæus in V. id. traducit die Mechir XV., treſque amplius dies hibernos Democrito de ſuo penu largitur. Callippum vero, cui Favonius ſpirat nonis Febr. ad idem Democriti tempus revocat & cohibet; credo Bœotios inter ſe diſſentire non placuiſſe. In Cæſarem quoque largitor extitit; quo enim tardius imperator ex hibernis moveret, tribus diebus hiemem longiorem fecit, & non VII. id. Febr. ſed IV. id. Favonium evocavit. Aiſne IV. id.? Sane: τῇ ις' τῆ Μεχὶρ Καίσαρι καὶ Μητροδώρῳ ἐαρ ἀρχή. ζέφυρος ἄρχεται πνεῖν. Verum de primo tempore ſatis. Sequitur ſecundum quod Eudoxus inchoat die Tauri XXII. prid. id. Maii. Id homini haud opportunum viſum eſt. Dies IV. verno adiecit, & die Pachon XXIII. non ex Eudoxi Geminique commentariis, non ex matutino Vergiliarum exortu, aut alio ſtellarum motu, ſed de præclara illa aſtronomia quam in Calendario Farneſiano attigi, ubi illa tempora Geminorum principium

pium ſervabant, XV. cal. Jun. æſtivos dies excitavit. Neque ſatis fuit æſtatem ab uno fine coarctare; altero quoque amputavit, dieſque æſtivi temporis XVII. egregius aſtronomus dempſit. Etenim cum æſtas Eudoxo ceſſaret die Leonis XXII., autumnuſque inciperet XVIII. cal. Septembr. IV. cal. Aug. τῇ ἑ τῦ Μεσορὶ eſſe Eudoxo ὀπώρας ἀρχὼ decrevit. Subit ex diviſione temporum hiems, de qua optimum artis effectorem & magiſtrum audiamus: τῇ ιζ' τῦ Ἀθὶρ χειμῶνος ἀρχή, καὶ σημαίνει Εὔδοξος. Eadem poſtridie repetit. Ab Eudoxo hiemem inchoari occidentibus mane Vergiliis die Scorpionis XIX. prid. id. Novembr. notum eſt: cur igitur poſthabitum principium, & in biduum divulſum, quod unum eſſe debere nemo non fatebitur? Quid vero illud *Eudoxo ſignificat*? Si ab inferis excitaretur Eudoxus, diceret ſibi non Aquilones, non frigora, ſed impudentiam, vecordiam, mendacium ſignificare. Quod mihi ſine νεκρομαντίᾳ non ſignificat tantum, ſed aperte demonſtrat.

De anni præcipuis partibus paulo verboſius retuli, quam auctoris indignitas poſtulare videbatur. De reliquis ſingillatim non ſcribam; quid enim primum reprobem, aut quid deinceps? Commemorabone ſtellarum converſiones pluribus diebus tam indocte atque imprudenter, quam ſtulte dementerque effictas? An evolvam horarum XIII., XIV., XV. notas, quibus totam aſtrorum rationem permiſcet? Dicam fortaſſe de Ægyptiorum menſibus, & cum noſtris recte compoſitos probabo? Quid de tot ſcriptoribus quos recenſet? Habueritne eorum libros, aut habere finxerit, inquiram, quando præter Geminum, quem dum excerpit, ſilentio præterit, neminem alium ex illis, quorum opera extincta ſunt, ei notum conſtat? Si de omnibus eſſet ſcribendum, non epiſtolam, ſed ingens volumen, quod non vitioſa nuce emeres, mitterem; ſiquidem in hoc libro nihil præter morbum & vitium invenio. De veteri Aſtronomia, annorumque ratione ſatis multa me quæſiviſſe ſentio.

Vive, vale: ſiquid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti: ſi non, his utere mecum.

D. Patavio XVIII. cal. Quint. CIↃ IↃCC XXXV.

EPI-

EPISTOLA XLIX.

Explicatur, emendaturque Varronis lib. II. de re pecuaria in caput V.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

EX longinqua peregrinatione domum, id eſt ad Varronianam villam reverſus, antequam ad montana loca, ut inſtituti noſtri mos eſt, proficiſcar, quod in II. & III. Varronis libros, quos de re pecuaria, & de villaticis paſtionibus condidit, commentatus ſum, ut habeas, curabo. Itaque nunc pecuaria orſus in caput V. excurram. Et primum te in veſtibulo ſiſtam, dum iſta ratione atque animo luſtremus:

Itaque in qua terra culturam agri docuerunt paſtores progeniem ſuam qui condiderunt urbem. Quibus ſi *dii* immiſceatur, ſententiam cognitu faciliorem habebis. *Itaque in qua terra culturam agri dii docuerunt paſtores progeniem ſuam*. Id imitatus eſt Columella lib. I. hoc exemplo: *Itaque in hoc Latio, & Saturnia terra, ubi dii cultus agrorum progeniem ſuam docuerunt*. Quis enim ignorat agriculturam a Saturno Italis traditam? Quis item Saturni ſanguine ortos Romulum & Remum, quos paſtoriciam vitam ſecutos eſſe accepimus?

Coloni ut ea quæ in agricultura naſcantur, e terra fructum faciant: contra paſtoris ut ea quæ nata ex pecore. Ab his vetuſta diſcrepant: *coloni ea quæ in agricultura factum, ut naſcerentur e terra: contra paſtoris ea quæ nacta ex pecore*. Quæ quamvis utique vitioſa, facilius tamen medicam manum admittunt: *coloni ea quæ in agricultura faciunt, ut ſperentur e terra: contra paſtoris ea*. Hæc in pauciora contrahit Columella lib. VI. *Ille* (agricola) *fructum e terra ſperet: hic* (paſtor) *e pecore*.

Quarum quoniam ſocietas inter ſe magna; propterea quod pabulum in fundo compaſcere, quam vendere plerunque magis expedit domino fundi, & ſtercoratio ad fructus terreſtres aptiſſima. Antiqui excuſi libri: *Quarum inter ſe conſocietas magna*, nimirum: *quarum inter ſe cum ſocietas magna*. Totum locum accepit Columella hoc modo: *Sed in his tam diſcordantibus votis eſt tamen quædam ſocietas, atque conjunctio, quoniam & pabulum e fundo plerunque domeſticis pecoribus magis quam alienis de-*

paſce-

paſcere ex uſu ſit, & copioſa ſtercoratione quæ contingit e gregibus, terreſtres fructus exuberare.

E queis quoniam de agricultura librum Fundaniæ uxori propter ejus fundum feci, tibi, Niger Turrani noſter, qui. Deeſſe quid opinor, nimirum *hunc tibi, Niger.* Haud abſimili modo locutus eſt Varro lib. de L. L. VI.: *Quare inſtitutis ſex libris quemadmodum rebus Latina nomina eſſent impoſita ad uſum noſtrum, e queis tres ſcripſi P. Septimio qui mihi fuit Quæſtor: tres tibi, quorum hic eſt tertius.* Item lib. III. de R. R. *tres libros inſtitui, e queis duo ſcripſi, primum ad Fundaniam uxorem de agricultura: ſecundum de pecuaria ad Turranium Nigrum; qui reliquus eſt tertius, de villaticis fructibus, in hoc ad te mitto.* Hac ratione omnia clariora, quæ, illa voce ſubducta, obſcura & perturbata jacent, ratus ſum fore, ut infra in exemplum exſcribam: *E queis quoniam de agricultura librum Fundaniæ uxori propter ejus fundum feci; hunc tibi, Niger Turrani noſter, qui vehementer delectaris pecore; propterea quod te empturientem in Campos Macros ad mercatum adducunt crebro pedes, quo facilius ſumptibus multa poſcentibus miniſtres. Quod eo facilius faciam, quod & ipſe pecuarias habui grandes, in Appulia oviarias, & in Reatino equarias. Qua de re pecuaria breviter ac ſummatim percurram ex ſermonibus noſtris collatis cum iis qui pecuarias habuerunt in Epeiro magnas, tum cum piratico bello inter Delum & Siciliam Græciæ claſſibus præeſſem. Incipiam hinc.* Non me fallit Victorii opinio, qui: *qua de re pecuaria* cenſebat fuiſſe: *Quare de pecuaria.* Ego vetera malo, quibus breviter hac de re Turranio ſe acturum ſignificat, quo legentis animum magis attentum paret. Erunt etiam qui putent *qua* idem eſſe ac *qua ratione*, ut vates uſurpat.

Qua facere id poſſis, noſtram nunc accipe mentem.

Quoniam in pecuariis, inquit Varro, uſum habeo, idcirco de re pecuaria breviter tibi ſcribam. *Siciliam* quoque in *Ciliciam*, ut opinabatur Fulvius Urſinus, nunquam immutarem; Scimus enim ex Appiano Alexandrino Siculum & Jonium mare piratico bello Varroni fuiſſe demandatum. Quod etiam ex ipſo Varrone intelligimus; quo enim pacto in Epiro de pecuaria ſermones habuiſſet, in Ciliciam delatus?

Ad caput I. venio, ubi ex Victorii caſtigatione legitur: *qui eſtis Epirotici pecuarii athletæ remunereminі nos.* Optimus liber: *qui eſtis pecuri athietæ remune reminos.* Propterea ex iſto *pecuri* cur *Epirotici pecuarii* fecerit, non percipio. Mihi ſatis videtur retinendum: *qui eſtis pecuris athletæ.* Etenim neque Varro qui primus loquitur, ſe Epiroticum fingit; neque Scropha qui ſubinde concludens de reliquis & potiſſimum

de Attico qui in Epiro pecuarias magnas alebat, ait: *nunc rursus vos reddite nobis o Epeirotæ.*

Ad cibum enim lacte & caseum adhibitum; ad corpus vestitum & pelles attulerunt. Numquid ad corpus lac etiam, & caseum non pertinent? Cibo enim alimur, vestibus tegimur. Quare siquis *corpus* eximeret, cibus ad vestitum responderet, & utrunque ad corpus spectaret. Quoniam autem non modo pellibus, sed etiam lana uti solemus, siquidem, ut adiicit Varro capite proximo, *fructum Ovis e lana ad vestimentum* percipimus, lana quoque esset addenda: videlicet: *ad cibum enim lacte & caseum adhibitum; ad vestitum lanam & pelles attulerunt.* Hoc tibi ex Crescentio probabo qui ex Varrone exscripsit: *Ad cibum enim lac & caseum competunt, ad vestitum vero pelles & lana.* Sed maximum probationis pondus affert Columella Ovium commoda lib. VII. hoc modo commendans: *Nam id* (pecus ovile) *præcipue nos contra frigoris violentiam* (pellibus) *protegit, corporibusque nostris liberaliora præbet velamina* (e lana scil.). *Tum etiam casei lactisque abundantia non solum agrestes saturat, sed etiam elegantium mensas jucundis & numerosis dapibus exornat.*

Ut oppidum in Græcia ἵππιον ἄργος. Hoc oppidum in Italia a Diomede esse conditum, & primum Argos Hippium appellatum, mox Argyripam lib. III. Plinius testatur. De hoc etiam celeberrimus vates:

Vidimus, o cives, Diomedem, Argivaque castra,
Atque iter emensi casus superavimus omnes,
Contigimusque manum qua concidit Ilia tellus.
Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis
Victor Gargani condebat Iapygis agris.

Quare scribendum: *oppidum in magna Græcia.*

Non idem quod multa etiam nunc ex veteri instituto Bubus & Ovibus dicitur? Ignorare videtur Varro omnia suis recipiens, *multæ* originem, ut modo Bos, modo Ovis esset. A Græcia venit, ut alia atque alia. Solon enim, ut refert Plutarchus, lege præscripserat, qui Lupum interficeret, drachmas V. acciperet; qui Lupam, unam. Sed pro pecuniæ caritate illi Bos dabatur, huic Ovis. Quis etiam inter Latinos non dixerit, memoriæque reliquerit, negantibus Romanæ juventuti finitimis connubia, raptas a Romanis Sabinas virgines summa parentum indignatione, ex quo bellum inter Sabinos & Romanos exarsit? At si Plutarchum de Lycurgi legibus, & Lacedæmonum institutis scribentem legeris, videbis consuevisse Spartanos, non pactis nuptiis, virgines impuberes in matrimonium collocare, sed adultas & maturas concedere rapien-

piendas. Quid igitur mirum eam consuetudinem fuisse Sabinis qui Lacedæmonio sanguine orti erant, & Spartana colonia habebantur? Quod indicium etiam præbet vox *Thalassium* in nuptiis ab illo ævo retenta, qua virginem ad lanificium, hoc est ad matris familiæ officium adduci indicabant. *Inde factum* (dicam Plinii verbis) *ut nubentes virgines comitaretur colus compta, & fusus cum stamine*. Quapropter siquis Spartanos mores, & Sabinos quoque intuebitur, minus injuriosum in parentes Sabinarum raptum habebit, cum illorum instituta imitati Romani qui & finitimi erant, & Græco sanguine creati, tum etiam eorum multi Peloponnesii quos Evander ex Arcadia in ea loca incolas adduxerat, connubia ea ratione qua lex Sabina jubebat, adepti sint, quamvis inter cives id tantum licuisse sinamus. Verum, ut ad *multam* redeam, hoc nomine *unum* significari a prima ætate de L. L. scribit Varro, seque a rusticis adhuc usurpatum audisse. Quapropter cum dicto non audienti indiceretur pœna, multa Bos, & multa Ovis nempe unus Bos & una Ovis indicebatur, ex qua consuetudine *multa* solum in usu remansit.

Et quod æs antiquissimum quod est flatum pecore, pecore est notatum. Sequendos esse in his antiquos impressos libros opinor: *& quod æs antiquissimum quod est flatum, pecore est notatum.* Quod institutum a Servio rege emanavit; hic enim primus, ut memorat Plinius, Ovis Bovisque effigie æs signavit.

In emptione alias stipulandum statim esse e valetudinario, alias e sano pecore, alias e neutro. Vetusta scriptura: *alias stipulandum statim, alias e sano pecore.* Quare illud *e valetudinario* Aldo, qui primus eo Varronem exornavit, relinquamus. Quis enim pecus *e valetudinario* emerit? Quod enim de Capris: *quas*, ut ait Varro, *sanas sanus nemo promittit*, suspicari potes, id ex his: *alias e neutro* accipitur.

Quod morbosum pecus, & vitiosum, & quando non valet, sæpe magna gregem afficit calamitate. Quis ista quibus ter id exprimitur, *morbosum, vitiosum, & quando non valet* probaverit, præsertim cum ex antiqua editione dissimilia habeamus: *& quoniam non valet, sæpe magna adficiuntur calamitate?* In utroque etiam Florentino codice hoc amplius: *quod morbosum pecus est vitiosum*, videlicet quod morbosum pecus vitia & morbos aliis inferit, atque immiscet, ac sæpe totum ovile dum non valet, corrumpit. Neque verbum *adficiuntur* quod in cunctis exemplaribus Victorius legit, nos morari debet scientes pecus nomen (ut Grammatici vocant) *collectivum* posse cum eodem commode copulari.

Signa sunt, ut eorum. Scriberem pro *eorum Ecorum* veteri scriptura,

ſive noſtro more *Equorum*; ab Equis enim exemplum ſumit.

Qui ſive ex æſtu ſive e labore febrem habent. Quæ ab Aldo ſunt, & ab omnibus poſt Aldum recepta & probata, prioribus impreſſis libris diſcrepantibus: *qui ſine labore febrem habent*. Ab his Victoriani codices paululum recedunt: *qui ſi e labore febrem habent*. Quæ magis probarem; quoniam unius tantum febris curatio traditur, cum aliam exigat quæ ex nimio æſtu, aliam quæ ex immoderato labore exiſtit.

Et item cibo ſuſtinetur. Cum viderem Columellam, Vegetium, Abſyrtum jubentes primis diebus febriens pecus cibo eſſe abſtinendum, id ipſum in Varronem recipiebam. Nunc aliud mihi ſert animus; nihil enim eſſe immutandum puto. Siquidem Equum, qui e labore febre corripitur, cibo ſuſtineri expedit; quippe laborando vires exhauriuntur.

Ne frigus cædat. Sitienti aqua tepida datur. Multi ediderunt *cedat*. At Creſcentius pro *frigus*, *frigidus*; & mox pro *tepida aqua*, *frigida*. Porro quod ad *frigidus* ſpectat, tanquam vitium repudio; in Creſcentii enim interpretationibus Vernaculis extat vera ſententia: *e gli ſi pone alcuna coſa addoſſo, acciò non ſia percoſſo dal freddo*. De *aqua* vero *frigida* non ita certum & perſpicuum videtur, quamvis Columella, Vegetius, Didymus eandem febrienti pecori commendent. Varronianam enim receptam vocem *tepida* tuetur Abſyrtus. Quapropter in re dubia non tanti mihi eſt Creſcentius, ut a communi ſcriptura deſciſcam.

Quot rejiculæ ſint alienandæ in delectu *quotannis* faciendo conſiderare debet pater familiæ; nobis autem animadvertendum eſt quid ſit *rejiculæ*. In cunctis manu ſcriptis libris *quot epulæ* reperit Victorius, quod mihi nunc quidem obſoletum, quondam tamen optimæ notæ videtur fuiſſe verbum. *Quot epulæ*, videlicet quot agni & verveces pingues ad epulas ſint vendendi; quoniam inutilia ſolum armenta gregeſque quæ vili diſtrahuntur, alienare, non ſtrenui eſt patrisfamiliæ. Vidi etiam Laurentium ſcripſiſſe: *Poll. epulæ Oves præpingues*. In Catone quoque *delicula armenta*, *deliculas Oves*, ut Victorius de optimis libris deprompſit, in *rejicula* & *rejiculas* immutant librarii, neſcientes quid *deliculum* eſſet. *Delicula* autem armenta Oveſque corpora ſelecta ſunt atque opima a *deleco*, quo pro *delego* vetuſtiſſimi utebantur. Porro *delicos* Porcos vocat Varro, qui a mamma depulſi jam lactentes non dicuntur.

Hactenus in univerſum de re pecuaria diſſeruit Varro; nunc capite II. peculiaria referre inſtituit, & de Ovibus continuato ordine; nam

Has primum oportet bonas emere. Quæ ita ab ætate ſi neque vetulæ ſunt, neque mere agnæ. De his nunc aliud mihi cedit judicium, ac

ſupe-

ſuperioribus annis ſolebat. *Quæ ita ab ætate* (ſunt) *ſi neque vetulæ ſunt, neque meræ agnæ*. Bonas itaque & idoneas eſſe Oves tradit Varro, primum quæ ætate bona, deinde (quod ſtatim exequitur) quæ bona forma parantur, ut de Suibus: *Qui ſuum gregem vult habere idoneum, eligere oportet primum bona ætate, ſecundo bona forma*. Et de Pavonibus: *hi ad greges conſtituendos parantur bona ætate, & bona forma*.

Ventrem quoque ut habeant piloſum. Itaque quæ id non haberent, majores noſtri apicas appellabant, ac rejiciebant. Vetuſtiſſima exemplaria: *Itaque quo id non habent*, videlicet: quoniam id non haberent, ut Tullianum illud: *non quo quicquam metueret, aut ſuſpicaretur*. Animadvertas deinde, num *apicas* a Græco ἄτρικας veniat, & *atricas* ſcribendum ſit: an corrupte *apicas*. Equidem a majoribus, ideſt a priſcis civibus id uſurpatum indicat Varro, non a ruſticis qui vocabula detorquent & vitiant.

Notæ eligendi Arietis ſunt: *ravis oculis lana opertis auribus amplis, pectore*. Urſinus *amplis* in *amplo* corrigit, & diſtinguit: *ravis oculis, lana opertis auribus, amplo pectore*. Quæ valde probo: verumtamen *ampli* ex Politiano mallem; quid enim prohibet credere *amplis* & hoc *ample* veteribus in uſum fuiſſe? Certe maxima eſt codicis auctoritas. Præterea antiquiſſimi Tuſci, ut mihi Cl. Gorius ſignificat, non *ples* ſcribebant in Eugubinis tabulis, pro *plures?* Igitur ab hoc *amplis*, & multitudinis numero *ampleſ*.

Quod recte ſanum eſt extra luſcam, ſurdam, minam ideſt ventre glabro. Apicas Oves dici ſupra poſuit Varro, quæ ſine lana ventrem gerunt. Cur hic alia voce idem oſtendit? Quid reſpondeam? Aliud eſſe Ovem *apicam*, aliud *minam* credo; nam apicæ etiam in magno grege ſcrutantis ad oculos facile patent. Ideo in emptione non excipiuntur. Quid ergo *mina* de qua ſtipulando cavetur? Fortaſſe ut in Boum genere quæ ſterilis Vacca, Taura dicitur: ita inter Oves quæ ventrem non fert, *mina*, quam paſtores *ſterpa* dicunt tanquam inutilem, & de grege extirpandam. Equidem Columella in emendis Ovibus expreſſe nos monet Ovem *majorem trima, dente minacem, ſterilemque* repudiandas eſſe. De *mina* voce ludit Strabax apud Plautum in *Trucul.*

Poſt illuc veni quam advenit,
Si diis placet ad villam, argentum meo qui debebat patri,
Qui Oveis Tarentinas erat mercatus de patre: quærit patrem.
Dico eſſe in urbe. Interrogo quid eum velit. Homo crumenam
Sibi de collo detraxit: minas viginti mihi dat. Accipio lubens.

Condo

Condo in crumenam. Ille abit. Ego propere minas Oveis
In crumena hac in urbem detuli.

In Feſto *minam* mammam eſſe videmus exſuccam atque exilem ; quod infructuoſi uteri argumentum præbet. Si vera rati ſimus, illud quidem : *ideſt ventre glabro* additamentum habebis.

Primum providendum. Quibus Creſcentius præponit : *de paſtione* ; incipit enim : *De paſtione : primum providendum eſt*. Quod minime contemno ; nam *de paſtione*, *fœtura*, *nutricatu*, *ſanitate* ordine ſe dicturum pollicitus eſt Varro. Ad quæ non prius aggreditur, quam aliquid præmittat, ut : *quod ad fœturam*, *quæ dicam* : *in nutricatu*, *cum parere ceperunt* : *de ſanitate*, *ſunt multa* : *de forma*, *Ovem* : *de forma videndum*, *ut ſint firmæ* : *de numero*, *in centum Sues*, *decem*. Quare etiam hoc in loco ubi propoſiti ordinis ratio ſic exigit, neceſſaria formula illa cenſenda eſt.

Ubi ſtent, *ſolum oportet eſſe eruderatum*, *& proclivum*. Cum ovile non modo eruderatum eſſe debeat, & proclivum, verum etiam virgultis, paleis, ſtramentiſve ſtratum ; quo mollius quieſcat pecus, & purius ſit, nonnulla hujuſmodi a Varrone poſita ipſa res fert ; quippe neceſſaria. Equidem Creſcentius in lib. IX. ita Varronem tranſcripſit : *Ubi ſtent locum oportet eſſe virgultis*, *aut paleis aut aliis ſtraminibus ſtratum atque declivum*. Quid horum fuiſſe in Varrone non inficiaberis. Id quoque ex iis quæ mox commemorabo, tam certum erit, quam quod certiſſimum. Cato ſimiliter, ac Columella idem confirmant ; ille enim Ovibus Bubuſque diligenter eſſe ſubſternendum monet, &, deficientibus ſtramentis, legendam in eam rem frondem Iligneam, Ebulum, Cicutam, Ulvamque inculcat : hic vero ſtabulantibus Ovibus ſemper quam aridiſſimis filicibus vel culmis ſtabula conſtrata ſint, curat, ne quis humor ſubſiſtat. Propterea expedit, ut vatis dicam modis :

Et multa duram ſtipula filicumque manipli
Sternere ſubter humum.

Ut everri facile poſſit, *ac fieri purum* ; *non enim ſolum ea uligo lanam corrumpit Ovium*, *ſed etiam ungulas*, *ac ſcabras fieri cogit*. Quid *ea uligo* præceſſiſſe indicat, ad quod referatur. Ex Creſcentio ſententiam ita conjicio : *ut everri facile poſſit*, *ac fieri ab urina purum* ; *non enim ſolum ea uligo*. Creſcentius autem hoc modo : *ut mundari ac fieri purum ab urinæ humiditate facile poſſit*. Id Varro in ſequentibus declarat docens ſtabula facienda lapide ſtrata, *necubi in ſtabulo urina conſiſtat*. Quod monitum bis repetit Columella lib. I. & VII.

Cum aliquot dies ſteterunt, *ſubjicere oportet virgulta alia*. Quæ aperte

te demonſtrant, ut paulo ante tibi indicabam, locum illum *ubi ſtent* eſſe depravatum; nam *virgulta alia* aliquid jam prius ſtratum oſtendunt. Quod vitium cum animadverteretur, conati ſunt tollere edendo *virgulta & alia*, ut Aldus, Parvus, Junta, Gymnicus. Verum Creſcentius propius ad Varronis ſententiam accedit, hæc ſervans: *Cum aliquot dies ſteterint, ſubjicere oportet alia virgulta, vel paleas*. Solent autem paſtores ter aut quater per ſingulos menſes Ovibus paleas, aut ſtramenta, vel virgulta ſubjicere, ob eas non ſolum cauſas quas Varro commemorat, ſed etiam quo major ſtercoris copia fiat. Idque crebrius verno faciunt; quod tunc ovile pecus teneras virgas, herbaſque paſcitur, & purgatur. Cæterum iſtud *virgulta* in Politiani codice ſcriptum eſt *virculta*; hoc autem vel a *vi* cum *r* finali & *colo*, vel ab *hir* vola manus quo utitur Lucilius apud M. Tullium, aſpiratione in *u* verſa; quippe virgulta putantur, atque, ut recta ſurgant, in diverſa flectuntur. Quare hominum manu culta.

Contra illæ in ſaltibus quæ paſcuntur, & a tectis abſunt longe, portant ſecum crates aut retia, quibus cohortes in ſolitudine faciant cæteraque utenſilia. Ex veteri ſcribendi ratione vitiata & perturbata omnia duco. Scribebatur: *contra illei* (ideo in Politiano *ille* reſtat, *i* ſubducto) *in ſaltibus quei paſcuntur*, qualia multa in Varrone de L. L. adhuc retinentur. Ad hanc paſtorum conſuetudinem reſpexiſſe videtur Virgilius, dum III. *Georg.* hæc verſibus eſt complexus:

omnia ſecum
Armentarius Afer agit tectumque laremque,
Armaque, Amycleumque Canem Creſſamque pharetram.

Sole exorto puto propellunt. Potius: *ſole exorto potum propellunt*, ſive ex veteri ſcriptura: *putum*, ceu: *Cungrum, funtes, frundes*, *Acherunte* pro *Congrum, frontes, frondes, Acheronte*. Quod divinus vates ut multa alia a Varrone accepit:

Luciferi primo cum ſidere frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
Et ros in tenera pecori gratiſſimus herba.
Inde ubi quarta ſitim cœli collegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbuſta Cicadæ,
Ad puteos, aut alta greges ad ſtagna jubeto
Currentem Ilignis potare canalibus undam.

Nemeſianus item ab utroque hoc carmen deduxit:

Sed ante diem pecus exeat, humida dulces
Efficit aura cibos, quotieſque, fugentibus Euris,

Fri-

Frigida nocturno tanguntur paſcua rore,
Et matutinæ lucent in gramine guttæ.
Ut ſimul argutæ nemus increpuere Cicadæ,
Ad fontem compelle greges.

Peracta paſcendi regula, ad fœturam deſcendit Varro, de qua hæc: *Cum omnes conceperunt, rurſus Arietes ſecernendi: ita factis prægnantibus, quod ſunt moleſti, obſunt.* Sæpenumero opinatus ſum: *ita factis prægnantibus* e margine petitum, & meæ ſuſpicioni plurimum indulſit Creſcentius ſcribendo: *Ut ait Varro, cum Oves conceperint, Arietes ſecernendi ſunt, qui cum ſunt moleſti, obſunt.* Idem Varro de ſuillo pecore hæc tantum: *Cum omnes conceperunt, rurſus ſegregant Verres.* Quamobrem tuam de hoc loco ſententiam fac ſciam.

Relinquitur de numero. Nonnulla in his vetuſtate eſſe deperdita exiſtimabam; quod nihil de Arietum numero traderetur. Nec muto ſententiam. Perneceſſarium enim eſt ſcire quot fœminæ ad ſingulos Arietes parandæ ſint. Attamen non multæ eſt induſtriæ ex his quæ de Caprino genere connectit auctor, de Ovibus conjecturam facere: *De maribus*, inquit, *& fœminis idem fere diſcrimen, ut alii ad denas Capras ſingulos parent Hircos, ut ego: alii etiam ad XV., ut Menas: nonnulli etiam, ut Murrius, ad XX.* Præterea extremo actu ubi de paſtorum numero agitur, Varro ad Atticum, qui de Ovium cultura diſſeruit, converſus, *ſeptingenarii*, ait, *greges mei: tu, opinor, octingenarios habuiſti, nec tamen, ut nos, Arietum decimam partem.* Quapropter Atticus ſecus ac Varro de Arietum numero conſtituerat. Hoc propterea eſſe amiſſum ratus ſum.

Extremum capitis eſt: *ne minus habeamus in centenas Oves hirtas ſingulos homines; in pellitas binos.* Jenſonius hæc duo *pellitas binos* tali pacto excudit: *Capræ binos.* Eadem Politianus in optimo libro invenit *captæ binos* hoc eſt *captas binos*; nam Oves pellibus tectæ impeditæ ſunt, & plane captæ. Ideoque diligentiorem curam expoſcunt.

Tranſeo nunc ad caput III. & ad Caprarum cultum; de quarum lacte quod apud vos in optimum caſeum quale nuper mihi miſiſti, cogitur, hoc primum accipe: *ut & lac multum, & pingue habeant proportione.* Extremum *proportione* Varroni minime attribuendum puto, ſed interpretibus reſervo. Eodem etiam Creſcentius caret, qui cætera deprompſit. Hoc amplius & *lacte* pro *lac* malo.

In Sauracti Fiſcello. Separandum eſt: *In Sauracti, Fiſcello*; duo enim ſunt montes, quorum primus *Soracte* & *Soractis* quoque appellatur.

Qua

Qua ratione Capræ & quo jure emantur, nunc indicabo: *Illas Capras hodie recte esse, & bibere posse*. Quibus tamen hæc formula, me opinante, censeri potest melior: *Illasce Capras hodie recte esse, & bibere posse*; qua Varro de Ovibus: *Illasce Oves qua de re agitur*; qua de Suibus: *Illasce Sues sanas esse*; qua de Bubus: *Illosce Boves sanos esse*; qua demum de indomitis pecudibus utitur: *Illosce Juvencos sanos recte*.

Studiose enim de agrestibus fruticibus pascuntur, atque in locis cultis virculta carpunt. Profecto nemo animi integer in culta loca Capras inigit, quarum dens satis venenum existimatur esse.

Pascuntur vero silvas & summa Lycæi,
Horrentesque rubos, & amantes ardua dumos.

Propterea *in locis incultis* scripsit Varro habendas esse Capras, quibus, ut de opilione subjicit, *rupes ac silvæ ad pabulandum cordi*.

Desistente autumno exigunt a grege in campos Hircos in caprilia. Quæ vitio depravantur, neque recte distinguuntur. Autumo germana fuisse: *Desistente autumno, exigunt gregem in campos, Hircos in caprilia*. Extremo enim autumno de saltibus & alpestribus jugis in campos grex Caprilis revocatur, atque Hirci qui seorsum a Capris pascebantur, ne fœminas inirent, easque summa hieme parere cogerent, intra fœminarum septa ad admissuram reducuntur.

Sed quis e portu post Italico prodit, ac de Suillo pecore expedit? Videlicet quis post nos, quos Epiroticos vocatis, e portu Italico prodit (Italia enim porcorum cultura insignis) & de Suillo genere narrat? Quibus a Capris ad Sues sermonem convertit, unde IV. caput inchoatur.

Boni seminis Sues animadvertuntur a facie, & progenie, & regione cœli. Quid e *regione cœli?* In qua cœli plaga istæ formosæ sues nascuntur? Cuinam igitur in mentem venerit adjicere *cœli*, si his e *regione* intelligit Varro *potius ex iis locis ubi nascuntur, amplas, quam exilis* esse parandas?

Sus Græce dicitur ὗς olim Thysus. Coaluit *Thysus* ex duabus vocibus θῦς ὗς; nam Sus antiquitus in Græcia dictus θῦς, ut ex Clemente & Athenæo accepimus, cui ab imperitis apposita interpretatione ὗς, ex utroque evasit monstrum *Thysus*.

De magnitudine Gallicarum succidiarum Cato scribit his verbis: In Italia in scrobes terna aut quaterna millia aulia succidia. Vere sus usque adeo pinguitudine crescere solet, ut se ipsa staus sustinere non possit, neque progredi usquam. Itaque eas, si quis quo trajicere vult, in

ploſtrum imponit. De quibus multi multa ſcripſerunt, & plures ſcripturos eſſe credo. Adeo tamen perturbata ſunt omnia & vitiata, ut de emendatione deſperandum ſit. Cato de Gallicis ſuccidiis ipſarumque magnitudine ſcripſit: his de Italicis refertur, & de numero. Quapropter Urſinus *in Italia* vertit *in Gallia*, atque *in ſcrobes* in *verres*, quod alii in *Inſubreis* mutant. Mihi, quamvis non veram ſpondeam, non inutilis tamen viſa iſta lectio: *In Gallia Inſubres terna aut quaterna millia lautia ſuccidia habere. Sus uſque adeo*. Illud enim *vere* quo Creſcentius privatur, ex *habere* relictum videtur. At, inquies, ubi ſuccidiarum magnitudo? Numerus declarat, ut apud M. Tullium in *Rull.* fructus copia *magnitudo* appellatur. Idem Orator pro *Roſcio Amer. æris alieni magnitudinem* dicit; quod in plurima nomina diffundebatur.

Et quod matres aſpernantur. Non Suculæ matres aſpernantur, ſed Suculas matres; quod propter lactis exiguitatem, dum nimium mammas preſſant, ipſas dentibus fauciant. Ideo fortaſſe ſcribendum: *Et quod matres eos aſpernantur*, ſive: *eos ſpernantur*. Creſcentius hoc modo retulit: *Porci nati hieme fiunt exiles propter frigora, & quia matres aſpernantur eos*. A Varrone etiam Florentinus eadem accepit: τὰ δὲ τικτόμενα διὰ χειμῶν@ λεπόθηλα (ſive λεπόθυμα) γίνεται διὰ τὼ δυσκρασίαν τᾶ ἀέρ@, καὶ τὸ μὴ μεταλαμβάνειν γάλακτος ἱκανῶς τῶν μετέρων αὐτὰ διωθυμένων, διὰ τὸ τὰς θηλὰς ἐπανιζάσας γάλακτ@ βίᾳ θλιβομένας ὑπὸ τῶν ὀδόντων ἑλκῆθαι.

Scroſa in ſua quæque hara ſuos alat oportet Porcos, quo alienos aſpernantur. Aſſentior Scaligero, ut alieni ſeparentur: non aſſentior, ut eos Scroſa ab ſe ſejungat. Quare ex veteri ſcriptura hæc tibi laudabo: *quo alienei ſpernantur*. Hoc ipſum ſubulco præcipit Columella, & ſedulo monet: *nequis ſub nutrice aliena educetur; nam facillime Porci, ſi evaſerint haram, miſcent ſe, & Scroſa cum decubuit, æque alieno ac ſuo præbet ubera*.

Quotieſcunque haras ſubulcus purgat, toties arenam injicere oportet, aut quid aliud quod exugat humorem, in ſingulas injicere debet. Quid extrema ſibi volunt *in ſingulas injicere debet*? Vereor, ne ea injecerint librarii. Certe Aldus ejuſque aſſectatores ea eximunt. Quorum tamen auctoritas parvi habenda. Creſcentio magis moveor, qui illis utique caret.

In eorum fœtu Scrofæ bis die ut bibant, curant, lactis cauſa. Antiqui Codices varii: *in eorum potu, pecu, petu*. Immutarem vel: *in eorum fotu*, hoc eſt in Porcorum nutrimento; nam *fovere* pro *nutrire* uſurpatum a veteribus notum eſt: vel: *in eorum fetu* a *petu* Politiani pro *fœtu*.

Cum

Cum creverunt, cupiunt ſequi matrem paſtum : domique ſecernunt a matribus. Antiqua exemplaria Victoriana : *cum creverunt, capiuntur ſequi matrem paſtum.* Propter quod *capiuntur* idem atque *impediuntur*. Nonius : *capere, implicare, impedire.* M. Tullius in *Verrem : non ceperunt, ſed adduxerunt eam onere ſuo plane captam atque depreſſam.* Hinc *mente* vel *oculis captos* dicimus, qui mentis oculorumque officio impediuntur. Oves ſimiliter pellibus tectas *captas* appellat Varro; quia ſic opertæ implicantur illiganturque. Qua de cauſa cum creverunt Porci, impediuntur ſequi matrem paſtum, eoſque ſecernunt a matre, & ſeparatos paſcunt.

Ut deſiderium ferre poſſint parentis, quod decem diebus aſſequuntur. Subulcus debet conſuefacere omnia ut faciant ad bucinam. Hæc vulgo & approbantur, & recipiuntur. Codices Victoriani, Cæſenas, necnon Jenſoniani libri *nutrices* apponunt juxta *parentis*. Quod extra ſedem proſiluit; in codice enim quo Creſcentius uſus fuerat, hæc tantum extitiſſe autumo quæ tranſcripſit : *ac ſeorſum paſcunt. Nutrices ſubulcus aſſuefacere debet.* Quamobrem, quæ interjiciuntur ex aliis libris reſtitutis, *parentis* ad *nutrices* applicarunt. Hæc tamen utut ſe habeant, *nutrices* ad *ſubulcus* profecto ſpectat; matres enim quæ longius paſtum progrediuntur, ad bucinam primæ ut conveniant, curant, a quibus Porci omnia facillime diſcunt. Porro pervetuſtum bucinæ uſum ad porculationem fuiſſe in Italia memorat Polybius Hiſt. lib. XII. &, clangente bucina, longe & late diſperſos Sues ad ſubulcum congregari.

Ideo ad XII. convenire dicuntur. Creſcentius : *ideoque ad bucinam convenire dicuntur*, quod etiam Urſinus ex antiquis libris oſtendit. Quid vero *dicuntur?* Jubentur, ſicut illi quibus dies dicitur, certa die ad Judicem præſto eſſe jubentur. Hanc verbi proprietatem retinet Terentius in *Andr.* dum ſcribit :

Sed dico tibi
Ne temere facias.

Eandem ſequitur Ovidius *Triſt.* III. canendo :

Eſt fuga dicta mihi : non eſt fuga dicta libellis.

Greges majores inæquabiles habent. Vide, quæſo, quid melius, *majoreſne* (quod in utroque Florentino codice *majorum* eſt) an *majalium*. Nam ex Sue tres parantur greges : Suum quo continentur Scrofæ & Verres : Majalium qui ſunt Porci caſtrati : Porcorum qui nondum propter ætatem caſtrati. De primo ſic Varro : *in centum Sues decem Verres ſatis eſſe putant; quidam etiam hinc demunt.* De tertio : *Porcorum gregem alii duplicant : alii etiam majorem faciunt.* Secundus ergo evaneſcit,

neſcit, niſi ſi legamus: *greges Majalium inæquabiles* (ſive ut in antiquis, *inæquales*) *habent*. *Sed ego modicum puto centenarium*. *Aliquot majores faciunt, ita ut ter quinquagenos habeant*.

Habes de minori pecore quid in Varronem conjecerim: De majori reſtat, quod cras cogito. Vale.

D. Patavio XIV. cal. Quintil. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA L.

Emendatur explicaturque Varronis lib. II. de R. R. a capite V. ad extrema.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

CUm XIV. cal. Quint. literas ad te dediſſem, quibus primam Varronianæ pecuariæ partem noſtris conjecturis perſtrinxeram, factum eſt hoc triduo, ut aſſiduis occupationibus ab altera avocarer. Equidem homini philoſophiæ addicto populi frequentia & nundinis nihil moleſtius. Itaque XI. cal. ſummo mane ad id quod tibi ſum pollicitus, redeo, &, ut præſtem curabo. Quare de majori pecore primum, deinde de iis quæ pecoris gratia parantur, atque ex pecore percipiuntur.

Principio ex Bubula ſtipula hoc indico exiguum ſane, ideo ob exiguitatem ab aliis prætermiſſum & neglectum: *narra iſti*, *inquit*. Hic enim & alibi unico *r* ſcribendum eſt *naro* (unde *gnarus*, *ignarus*) quod proprium Varroni Vellius Longus attribuebat, cum id vetuſtiſſimis omnibus ſit commune ſemivocales non geminantibus.

Ut ſint hæ pecudes ætate potius, *ad fructus ferendos integræ*, *quam jam expertæ*. Vetus lectio: *quam jam exparte*. Quod arbitror *expartes*; quia ſimplicium vocales in compoſitis non immutari a veteribus oſtendi. Ideo *expars* pro *expers*, quod etiam ex *gloſſis* Philoxeni affertur: *expars ἄμοιρος*.

De optimi Bovis ſignis præceptum eſt primum, ſi ſit *oculis magnis & nigris*. Ita Columella Boves probat qui ſunt *oculis nigris & patentibus*. In Florentino, qui Varroniana Græce interpretatur, legitur *μελανοφθάλμους*, quod in nonnullis codicibus in *μεγαλοφθάλμους* immutatur. Tamen utrunque eſſe neceſſarium ex Columella & Varrone intelligis.

Con-

Compreſſis malis, ſubſimiſve, gibberi ſpina leniter remiſſa, apertis naribus, labris ſubnigris, cervicibus craſſis, ac longis. Quid tibi inter partes quæ circa os jacent, inſerta ſpina videtur? Non dabis id exſcribentibus vitio? Ego non hæſitans ratus ſum hoc ordine commemorata fuiſſe a Varrone: *compreſſis malis, ſubſimiſve, apertis naribus, labris ſubnigris, gibberi ſpina leniter remiſſa, cervicibus craſſis.* Quod ſi rejicis (in vicinia enim ſedem ſervavi) adnecte caudæ; nam ſpina tam cum cervice, quam cum cauda committitur. Sed illud potius eſſe etiam ex te conjicio.

A collo palearibus demiſſis, corpore amplo, bene coſtatos, latis humeris. In Jenſonio hæc ſolum: *a collo, corpore amplo, demiſſo, bene conſtato, latis humeris.* Sed Politianus alio modo ex laudato toties codice exſcribit: *a collo corpore apoleo demiſſo: bene coſtatos.* Liber autem S. Reparatæ: *a collo corpore a poleo demiſſa bene coſtatos.* Quibus vulgata praviſſima declarantur. Quid ergo *corpore apoleo?* Fortaſſe *corpore apaleo* vel *apalo* ab ἄπαλος, quoniam Palear quod ſola cute conſtat, molle eſt corpus. Et *bene coſtatos* quod Florentinus ὠστέρνους appellat.

Nec cujus ungulæ divaricent. Hoc in antiquo Politiani libro *divarent*, quod a *varo* deſcendit, unde *varus* reſtat.

Et cujus ungues ſint leves & pares. Florentinus: τὰς ὄνυχας τελείας καὶ ἴσας. Hic igitur *perfectas*: ille *leves*. Sed depravatur Florentinus. Scribendum itaque τὰς ὄνυχάς τε λείας καὶ ἴσας. Sic in utroque idem.

Corium attactu non aſperum ac durum. Jenſonius *corium attractu* excudit. Hoc Florentinus Βύρσαν ἁφῇ vocat, quod perperam Latinæ conſuetudini reddunt: *pelle ad tactum molli*; nam ἁφὴς quod facile contrectatur, indicat. Non me latet Columella qui ſcribit: *tactu corporis molliſſimo*; verum ibidem mallem quoque *tractu*.

Scire autem refert præcipuum eſſe in Bubus bonitatis ſignum corium molle & plicatile; imo ſanitatis; ideoque illi, quibus induratur, & ad tractum contumax fit, morbum oſtendunt quem Coriaginem dicunt.

Expoſitis notis quibus optimi Boves cognoſcuntur, addam in veteribus libris non *caudam* ſcribi, ſed *codam*, ut *Plotus*, pro *Plautus*, *codex* pro *caudex*. De qua ſcribendi norma plura miſi. *Coda* pro *cauda* uſum Varronem teſtatur Nonius, a quo ſupereſt: *Canis ſine coda*. Hinc nos morem tenemus.

Reſtat coloris quo parandi Boves probatio: *colore potiſſimum nigro, dein robeo, tertio heluo, quarto albo. Molliſſimus enim hic, ut duriſſimus primus. De mediis duobus prior quam poſterior, in eo prior; utri-*

que

que pluris quam nigri & albi. Boves nigri coloris cæteris præſtare, albi vero molliſſimos eſſe cum Varro conſtituat, cur in extremis in diverſa abit helvum & rubeum colores nigro anteponens? Neque enim de nigro & albo vario ſuſpicari poſſumus; ſiquidem cum optimus ſit niger, peſſimus albus, ex utroque temperatura conſtat. Quid igitur deeſſe puto, videlicet *utrique ad labores pluris quam nigri, & albi*; quod, ut ait Plinius, *nigri coloris candidive ad laborem damnantur*. Quapropter ad gregem parandum, & ad fructum, optimus erit color niger, deinde rubeus, mox helvus, infimæ notæ albus. Ad labores vero rubeus & helvus nigrum & album antecellunt. Idcirco Columella Boves, qui ad aratrum vel plauſtrum emuntur, colore rubeo vel fuſco probat.

Contra jugatorii Liguſtici. Scilicet cuncti Boves qui ad opus parantur, jugatorii non ſunt? His itaque dimiſſis, revocanda ſunt vetuſta: *contra nugatori Liguſti*.

Hoc ſecundum aſtri exortum facio quod Græci vocant λύραν, Fidem noſtri. Tum denique Tauros in gregem redigo. III. id. Maii Cæſari & Columellæ Fidicula exoritur, a quo ad veſpertinum Delphini exortum dies XXVIII. pertinent.

Maxime idoneum tempus ad concipiendum a Delphini exortu uſque ad dies XL., aut paulo plus. Emergit Cæſari & Columellæ Delphinus veſperi IV. id. Jun. propterea dierum XL. intervallum XIV. cal. Sextil. finitur, poſtridie mane Canicula exoriente. Hinc accepit Plinius: *coitus a Delphini exortu ad prid. non. Januarii diebus XXX., aliquibus & autumno*. Quæ vitiis infecit vetuſtas; ideoque, cum Plinius Auguſti rationem ſequatur, ſcribendum: *coitus a Delphini exortu a. d. III. id. Jun. diebus XL., aliquibus & autumno*, videlicet uſque in matutinum Fidiculæ occaſum ex a. d. prid. id. Sextil.

De quibus admirandum ſcriptum inveni, exemptis teſticulis, ſi ſtatim admiſeris, concipere. Quid mirum, cum genitura jam parata ſeminalibus veſiculis contineatur?

Æſtate ad aquam appellendum bis, hieme ſemel. Reciperem a Politiano *appellandum*; voce enim ad omnia bubulci Boves moderantur. Vociferando dum diſperſæ paſcuntur Vaccæ, ad mulctram cogunt; ſimiliter ad potum invitant, ac potantes ſibilo allectant.

Secundum ſtabula pabulum ſervari oportet integrum, quod egredientes deguſtare poſſint. Antiquum exemplar *regredientes* oſtendit. Primum enim cum Vaccas e bubili producunt, ad aquas appellant; Deinde paſcere ſinunt circa ſtabulum, ut redintegrentur, & tædium deponant.

Ca-

Caſtrare non oportet ante bimatum; quod difficulter, ſi aliter feceris; ſe recipiunt. Qui autem poſtea caſtrantur, duri & inutiles fiunt. Creſcentius: *ſi ante feceris.* Quod non abſonum puto; ut enim *ante* præmittitur, ita *poſtea* ſequitur.

Item ut in reliquis gregibus pecuariis delectus quotannis habendus, & reicolæ (ſic in utroque Florentino codice *reiculæ* ſcriptum) *reiiciundæ, quod locum occupant earum quæ ferre poſſunt fructus.* Iſtud *reiculæ* jam alibi improbavi, neque hic æquo animo fero. Quare viſne rediculis jocemur? En, pro *& reicolæ*, *toricolæ*, ſive *toreicolæ*, quod Tauræ utero ſteriles Tauros (unde nomen) confectari ſolent. Quapropter in delectu faciendo etiam Columella inculcat *tauras quæ locum fœcundarum occupant, ablegandas, aut aratro domandas.* Quod a Varrone deſumptum eſſe non inficior.

Numerus de Tauris & Vaccis ſic habendus, ut in ſexaginta unus ſit anniculus, alter bimus. Quidam habent aut minorem, aut majorem numerum gregum. Nam apud eum duo Tauri in ſeptuaginta matribus ſunt. Numerum gregum alius facit alium. His profecto quid vitii ſubeſt; Antea enim Vaccius dicebat: *Habeo Tauros totidem, quot Atticus ad matrices LXX. duo unum anniculum, alterum bimum.* Numerus itaque LX., in quo Tauri duo anniculus alter, alter bimus, ille eſt quem Vaccio atque Attico communem facit Varro, quod etiam Creſcentius confirmat afferens tradidiſſe Varronem duos Tauros matricibus LX. ſufficere. Quare uterque locus ubi ſcriptum eſt LXX., vel *ſeptuaginta* vitiatus habendus, ſed diſſimili ratione; primus enim LX. erat, ſingulis Tauris Vaccas XXX. aſſignans: ſecundum nullum fuiſſe credo, ſed interpoſitum a librariis ex margine, ubi adnotabatur *apud eum*, nempe Vaccium loquentem fuiſſe in ſeptuaginta Vaccis Tauros duos. Quapropter iſta: *quidam habent aut minorem, aut majorem numerum gregum. Nam apud eum duo Tauri in ſeptuaginta matribus ſunt* inſititia credo; Illa enim hæc: *numerum gregum alius facit alium* explanabant: hæc numerum, & Vaccii ſententiam, ſed jam depravatam, ut indicavi.

Atticus centumviginti habet. Optimus Victorii codex: *centaurium viginti;* Urſini autem liber: *centum vicenum.* Num: *centenarium vicenum?*

Poſthabito capite VI., & Aſinorum cura, in quo nihil invenio quod mea induſtria melius tibi remittam, ad Equos veniamus.

Ætas cognoſcitur Equorum, & fere omnium, qui ungulas indiviſas habent, & etiam cornutarum. Hæc in vulgum ab omnibus editoribus producta. Paulo ſecius Creſcentius: *Ætas cognoſcitur Equorum & fere omnium quæ ungulas indiviſas habent, & etiam cornuta ſunt.* Sed extre-

ma

ma alio loco: *& etiam cornutorum*. Quibus ſimilia in Geoponicis Græce commentatus eſt Abſyrtus. Porro quid *cornutarum* nomine indicet Varro, non ita perſpicuum eſt, ut videtur. Etenim ſi de iis tantum animalibus quæ in fronte cornua gerunt, ſuſpicio ſit, ut de Bubus, Cervis, & ſimilibus, hæc quidem ungulas minime indiviſas habent, verum diviſas. Sin vero de iis quæ cornu carent, atque ungues dividunt, ut de Sue, & Cane, quorum ætas ex dentibus quoque cognoſcitur, neque cornutorum voce, neque eorum cenſu quæ ungulas indiviſas ferunt, comprenduntur. Quid ergo reſtat, niſi ut ungulas cornu dicamus? De Equis quidem non canit Virgilius:

Unde etiam templo Triviæ luciſque ſacratis
Cornipedes arcentur Equi?

Item:

cavatque
Tellurem, & ſolido graviter ſonat ungula cornu?

Non canit Horatius in Satyr.

Ut cum carceribus miſſos rapit ungula currus,
Inſtat Equis auriga ſuos vincentibus?

De eodem Silius Italicus:

jam nullis curſibus inſtat
Prendere cornipedis.

Et de Bubus Cato: *Boves ne pedes ſubterant, priuſquam in viam quoquam ages, pice liquida cornua infima unguito*. Et Columella: *ac pice liquida cum oleo vel axungia cornua ejus linuntur*. De Capris ſimiliter ſive de Fauno Ovidius:

Cornipedi Fauno, cæſa de more Capella,
Venit ad exiguas turba vocata dapes.

Quare armentorum, quorum ætas per dentes exploratur, duas quaſi claſſes conſtituit Varro, primam in qua Equi, Aſini, Muli quæ ungulas indiviſas gerunt: ſecundam cornutorum in qua Boves, Capræ, Sues, Oves, Canes quæ ungulas in bina veluti cornua diſtinguunt.

His majores qui ſunt, intelligi negant poſſe, præterquam cum dentes ſunt facti brocchi, & ſupercilia cana, & ſub ea lacunæ, ex obſervatu dicunt eum Equum habere annos ſexdecim. Invenio qui de Equi annis dubitant, & decem ſcribere oportere rentur, tradente Columella, Equis decimo anno tempora cavari incipere, & ſupercilia plerunque caneſcere, ac dentes prominere. Sed tamen cur ex Varrone Columellam non emendant potius, quam contra? A Varrone non exſcripſit etiam Plinius quod lib. XI. contexuit: *Abſumpta hac obſervatione, ſenectus in Equis*,

Equis, & cæteris veterinis intelligitur dentium brocchitate, ſuperciliorum canitie, & circa ea lacunis, cum fere XVI. annorum exiſtimantur?

Forma eſſe oportet magnitudine modica, quod nec vaſtos nec minutos decet eſſe. Equas clunibus & ventribus latis. Cum duo in unoquoque Animalis genere ſpectentur, mas & fœmina, de Equa quæ poſui, memorat Varro; de Equo ſive mare, quæ ſequuntur: *Equos ad admiſſuram quos velis habere, legere oportet amplo corpore, formoſos.* Quare: *eſſe oportet magnitudine modica; quoniam nec vaſtas nec minutas decet eſſe Equas, clunibus.* Ita Abſyrtus in *Georg.* τὰς δηλείας ἵππους, ἐξ ὧν πολυτροφήσομεν, εἶναι χρὴ εὐπαγεῖς, καὶ μέγεθος ἐχέσας ἱκανὸν, καὶ ὡραίας ἰδεῖν πλάτος τε ἔχειν ἐν τοῖς μέρεσι τὰς κοιλίας κατὰ τὰς λαγόνας. Necnon Creſcentius ex Varrone item: *quia nec vaſtas nec exiles decet eſſe Equas, clunibus & ventribus latis.*

Cruribus rectis & æqualibus, genibus rotundis, ne magnis, nec introrſum ſpectantibus. Aldus primus ex Columella apud quem legitur: *tereti genu, parvoque, neque introrſum ſpectanti*, locum deformatum edidit, qui in antiquis libris impreſſis, & in Cæſenate codice alio modo ſtabat: *cruribus rectis, æqualibus, introverſis, potius figurata, genibus rotundis, nec magnis.* Quid vero hinc nos? Nugas fortaſſe: *cruribus rectis, æqualibus, non introverſeis, potius figura alta* (hoc eſt, alta ſtatura, ut de figura ſcribit Cicero) *genibus rotundis, ne magnis.* Etenim cum genu ad crus pertineat, ſi crus non introrſum vergit, neque illud. Eadem de cauſa cum pes ſit alterum cruris extremum, de Vaccæ forma Varro refert, ut ſit *pedibus non latis, neque ingredientibus qui diſplodantur.* Quod potius de genibus erat dicendum. Diſploduntur autem pedes qui ad exteriora flectuntur: ſic Canes laudat Varro *cruribus rectis, & potius varis quam vatiis, pedibus magnis & altis qui ingredienti ei diſplodantur.* Hac de cauſa plotus homo dicitur, qualis Plautus appellatus eſt, cujus pedes naturæ vitio extrorſum vergunt. Quod in iis arte fit, qui chorum ducunt. Hinc cecinit *Æneid.* VI. Vates:

Pars pedibus plaudunt choreas.

niſi enim pedes diſplodantur, veloci motu vibrari nequeunt. Plauti ſimiliter appellantur Canes, ut memorat Feſtus, non propter aures, ut ipſe opinatur, flaccidas & languidas, ſed ex pedibus qui diſploduntur. Qui natat, brachia quoque diſplodit, dum dextrorſum, & ſiniſtrorſum agitat,

Vitreaſque natatu
Plaudit aquas,

ut Statii utar metro. Plaudere inde ortum eſt, quod qui lætitiam o-

ſtendit, brachia diducit, & deinde manus inter ſe pulſat, ſtrepitumque edit. Id ad alia transfertur, propterea

Lybico molles plauduntur pectine telæ,

cum textor ad ſingulos radii ductus pectine ſubtemina denſat & conſtipat. Sic diſploia ſonat veſica, quæ aeris plena compreſſa ad latera cum impetu diſrumpitur, diſploditurque. Sed ad noſtrum penſum redeamus. Ad alterum, *potius figura alta*, quod pertinet, Columella Equos probante, *ſi ſint æqualibus atque altis, rectiſque cruribus*, id non prætermiſſum a Varrone exiſtimabam; quin, ut Boves in quibus crurum brevitas laudatur, *cruribus potius minoribus* probat, ita Equorum crura *potius figura alta* probaſſe haud incongruum credebam.

Poſtquam quibus partibus & ſignis Equorum pulchritudo & præſtantia cognoſceretur, pro ſua diligentia commemoravit Varro, cur in extremis poſuit: *corpore multo?* Neſcio quid mihi ex librariis atque interpretibus ſubolet, præſertim cum de Equorum magnitudine prima fuerit cura, & legendos *amplo corpore formoſoſque* præceperit.

Nunc ubi nobiles, & de quibus regionibus commendentur, accipe: *In Græcia Theſſalici Equi a terra Appuli, ab Roſea Roſeani*. In quibus hæc audemus: *In Græcia Theſſalici Equi: a terra Appulia Appuli, ab Roſea Roſeani*.

Generoſi quoque ſeminii indicium dat pullus, ſi *cum flumen trave-hundum, gregi in primis prægreditur*. Num *traviundum* ab antiquo *travio*, quo bis utitur Lucretius?

Emptio Equina ſimilis fere ac Boum. Alia eſt *ſimilis* ſcriptura in Politiano, nempe *ſimulis*, a quo Plautinum *ſimulter*:

Exoſſabo eum ſimulter, ut Murænam cocus.

Ab eodem *ſimulo* qui ſe extrinſecus ſimilem fingit & componit.

Ad Equinam fœturam venio, quam tibi non paucis expediam. E qua hoc primum: *Horum fœturæ initium admiſſionis facere oportet ab æquinoctio verno ad ſolſtitium*. Quis non videt *fœturæ* atque *admiſſionis* eſſe idem? Titulus erat, ſed Varronianus, nempe: *de horum fœtura. Initium admiſſionis*. Ut de Canibus: *De fœtura. Principium admittendi*. De Bubus: *Propter fœturam hæc ſervare ſoleo. Ante admiſſuram.*

Admittere oportet cum tempus anni venerit, bis in die mane & veſpere. Peroriga enim appellatur quiſquis admittit. Politiani liber & Victorii: *Peroriga miſit appellatur quiqui admittit*. Quæ recte Joſephus Scaliger in antiquam formam redegit: *Perorigam. Is ita appellatur*. Attamen *Perorigam* emaculatum non dabis, de quo iterum Varro: *Et eum capite obvoluto peroriga adduxiſſet*. Et capite proximo: *iidem ut in-*

eant

eant Equas, perorigas curamus. In primo itaque & tertio loco ex duobus *per origam* & *per origas* unum concrevit ; & hinc ex ſecundo *peroriga*. Quæ quo facilius intelligas, commemorare expedit ex qua origine exiſtat *origa*, atque etiam ex qua *auriga*. Hoc quidem de *aurea* (hoc erat frenum) fit, & ab *jugo* ſive ab *ago* ; nam *aureas*, ut ait Feſtus, *dicebant frenos quibus Equorum aures religantur*. Sed *quibus* redigo in *qui ad*, ut alibi probat ipſe Feſtus : *aurea dicebatur frenum quod ad aures Equorum religabatur*. Verum *origa* ab *oria* ſive *orea* (quod item aliud freni genus) cum *jugo* vel *ago* copulatur. Et *orea* frenum, quo Equorum ora coercebantur. Cato in *Orig. Equos reſpondit : oreas mihi inde : tibi cape flagellum*. Cœlius pro ſe apud populum : *Equuſque mihi ſub feminibus occiſus erat : oreas detraho, inſpectante Stetinio*. Qui igitur per frenum *auream* Equum moderabatur, *aurigam* vocabant, qui per *oream* frenum, *origam*.

Alternis qui admittunt, diuturniores Equos, & meliores pullos fieri dicunt. Videtur *Equas* ſcribendum ; quod auctor ſimilitudine declarat. *Itaque ut reſtibiles ſegetes eſſent exuctiores, ſic quotannis quæ prægnates fiant*. Id docet Columella : id Palladius repetit. Unde id Varro didicerit, ſi Ariſtotelem adibis, cognoſces. Similiter ex antiquis monumentis certior eris, veteribus in uſu fuiſſe *prægnas*, *prægnatem*, *prægnatibus*, *prægnates*, ut in Varrone a Politiano repertum eſt.

Ne ungulas comburat ſtercus, cavendum. Jenſoniani libri : *ne ungulas commuttet ſtercus, cavebit*. In optimo Victoriano : *ne ungulas commurat ſtercus, tenebat*. Quænam ſequemur ? Vetuſtiſſima quidem *tenebat* in *tenebis* mutato, videlicet *prohibebis*, ut in hoc Virgilii :

Texendæ ſepes, & pecus omne tenendum.

vel *defendes*, ut in alio Virgiliano carmine :

Stabat pro templo, & Capitolia celſa tenebat.

Illud etiam *commurat* alio ſimillimo exemplo ex veteri lapide poſſumus confirmare :

Pectus. malum. commurat. ſuum.

Quibus omnibus addatur Columellæ auctoritas : *providendumque ne ſtercore* (leg. *ſtercus*) *ungulas adurat*.

Ab eo tempore mediocriter exercendum. Multa ſuper hoc loco ſcripſi, quæ nunc præteribo. Cum enim diligentius Varronem perpenderem, animadverti, antequam Equus dometur, farragine eſſe purgandum præceptum a Varrone : deinde obiiciendum Ordeum per dies XIV. ab eo tempore inſtruere oportere ad eas res, ad quas quiſque aptum vult habere. Domandi principium eſſe, ſi mediocriter exerceatur. Quare de

indomito Equo id accipiendum eſt, non de domito.

Demptis enim teſticulis fiunt quietiores, & ideo quod ſemine carent, ii canterii appellati. Quæ male interpuncta vitiantur: Opportunius hoc modo: *Demptis enim teſticulis fiunt quietiores; ideo quod ſemine carent. Ii canterii appellati* (ſive cum Jenſonio *appellantur*) *ut in Subus majales, in Gallis Gallinaceis Capi*. Canterius enim e Græcia venit. Quietiores autem fiunt Equi; quod ſemine privantur, propter quod eximuntur teſtes.

His Equorum cultum abſolvam. Nec quid ex extremo capite eſſe exemptum, ut olim, ſuſpicor; nonam enim partem quæ ad numerum refertur, quamvis ſuo loco non redditam, tum ex principio habemus: quo traditum eſt ad ſingulos admiſſarios denas fœminas eſſe parandas; cum Modius Equicolus tot mares, quot fœminas habere ſoleret; tum etiam ex iis quæ de paſtoribus narrat, quibus Equarum gregem quinquagenarium recenſet. Propterea ad caput VIII. deſcendam, ubi Muli. De quibus hoc primum tibi animadvertendum trado.

Uterque eorum ad uſum utilis, partu fructus neuter. Sunt tamen qui edunt: *partu, fructu, ventre*, & peſſime Jenſonius: *partus, fructus venter*. Mallem: *partu, fructu neuter*; quippe in gregibus quædam partu tantum rem domini augent, ut Equi, Aſini, Sues: quædam partu & fructu, ut Oves, Boves, & Capræ, quæ præter ſobolem, lac etiam præbent, & Oves inſuper lanam. Muli itaque atque Hinni ab utroque genere differunt; quia neque pariunt, neque lac præbent, aut lanam.

Matri ſuppoſititiæ quoque inſerviunt quo Equa ad miniſterium lactis cibum pullo præbere poſſit. Quid opus addere *Equa*, quo inelegans ſermo evadit? Aptius haberem *æqua*, hoc eſt parem ad lactis miniſterium.

Hic ita eductus a trimo poteſt admitti; neque enim aſpernantur propter conſuetudinem Equinam. Depravatum *aſpernantur*; deterius: *eum aſpernantur* quod Aldo placuit. Etenim ad Equas nequaquam id ſpectat, ſed ad Aſinum, quem hac de cauſa Equæ alendum ſubmittunt; *nam ſic nutritus*, ut Columellæ verbis dicam, *admiſſarius Equas diligere condiſcit.* Reponendum itaque *aſpernatur* ex Jenſonii editione.

De Aſinis quam ampliſſimum, formoſiſſimumque poſſunt, eligunt. Principes editiones: *De Aſinis quemque ampliſſimum, & formoſiſſimum quem poſſunt, eligunt*. Hæc meliora nobis qui veteribus magis delectamur, ſed tali modo: *De Aſinis quemque ampliſſimum & formoſiſſimum quam poſſunt, eligunt.*

Quos emimus item ut Equos, ſtipulamurque in emendo, ac facimus in accipiendo idem quod dictum eſt in Equis. Quæ obſcura, & alienis immiſta

miſta eſſe propter hominum inertiam credo. Nam *que in emendo* ex margine (ubi notabatur : *Quæ in emendo eſſent attendenda*) irrepſit. Id ſi eximas, plana & aperta reliqua fiunt : *Quos emimus, item, ut Equos, ſtipulamur, ac facimus in accipiundo idem, quod dictum eſt in Equis.*

Hæc me Reatino auctore probares mihi, inquit, niſi. Diſtinguendum hac ratione : *Hæc, me Reatino auctore, probares, inquit mihi, niſi.* Tu nimirum Varro, mea auctoritate quod ſum Reatinus, ubi maximi & pulcherrimi procreantur Aſini, & Muli, adductus hæc probares, niſi domi eſſes inſtructus ; quoniam Equarum greges habes, & Mulorum juga vendidiſti.

Hinnus qui appellatur, eſt ex Equo & Aſina, minor quam Mulus, corpore. Certe utroque parente Aſino Hinnus fuit, qui primus *ex Equo & Aſina* Varronem degenerem fecit. Non docuerat, o fatue, Varro, quid erat Hinnus, ſcribendo : *Mulos atque Hinnos bigeneres eſſe atque inſititios, non ſuopte genere ab radicibus. Ex Equa enim & Aſino fieri Mulum* : contra *ex Equo & Aſina Hinnum ?* Quid erat cur eadem in vicinia collocata repeterentur ? Quare ſatis : *Hinnus qui appellatur, eſt minor quam Mulus, corpore.*

Alterum quod de Hinnis in vulgatis libris coarguerem, inveniebam : *Hoſce item, ut Equulos, & educant, & alunt* ; quandoquidem vetuſta *educunt* magis probamus. *Educo* autem, *educis* ad idem notandum accipitur, ac natos alendos ſtatuere. Eodem ſignificatu interpretaberis quæ ſupra leguntur : ut *eductus a trimo poteſt admitti*, ut *Mulum aut Mulam nutricantes educamus*, ut mox de Canibus : *quod molliori cubili facilius educantur* ; nam veteres excuſi libri : *educuntur*. Quod Nonius comprobat cum dicit : *educere extra trahere, educare nutrire*. Virgilius etiam ſimplex *duco* uſurpat, de Capris canendo :

Atque ipſæ memores redeunt in tecta, ſuoſque
Ducunt.

Id in homine *tollere* dicunt, ut Terentius :

Quidquid peperiſſet, decrevêrunt tollere.

Et M. Tullius ex veteri poeta :

Puerum primus Priamo qui foret
Poſt illa natus tempora, hunc ſi tolleret,
Eum eſſe exitium Trojæ, peſtem Pergamo.

Quoniam recenter nati homines pedibus non utuntur, ideo ipſos tollimus, ut nos vernaculo more uſurpamus *allevare*. At in brutis animantibus *educere* potius, quia non tolluntur, ſed educuntur in locum

ubi

ubi ali & nutriri ſolent. Hinc & in homine qui pedibus uti poterat, adhibetur, ut in hoc Terentiano metro:

Ego hunc majorem adoptavi mihi,
Eduxi a parvolo.

Hoc eſt eduxi a patre ad me parvulum, cum mihi alendum decreviſſem.

Atque his de minori & majori pecore commemoratis, ea ſubiiciam quæ ad Canes & paſtores attinent, & demum quæ ad lac & tonſuram, propter quæ illa probantur, & coluntur. In Canum tractatu hoc invenio, ad ea quæ docentur, minime pertinens, neque etiam totum ad Varronem: *In ſuillo pecore tamen ſunt quæ ſe vindicent, Sues, Verres, Majales, Scrofæ.* Videtur *Sues* inſititium; non enim Sues omnes, nempe qui minores natu ſunt, ſe defendunt, verum majores, ut *Verres, Majales, Scrofæ.* Quippe ſi cunctos intelligeret Varro, exceptionem non faceret: *in ſuillo pecore tamen ſunt quæ ſe vindicent.*

Cum duo Canum genera conſtituerit Varro, *unum venaticum & pertinet ad feras beſtias ac ſilveſtres*, depravatus ſive potius (ut in pleriſque vitiatis evenit) a communi ſenſu remotus cum in antiquis exemplaribus eſſet locus, amputantes corrupta interpretes aſſecuti ſunt, ut ſententiam haberent neque integram, neque Varronianam. Vetus ſcriptura ex Victorii codice: *unum venaticum & pertinet, ad feras beſtibus aſſilveſtribus aſſilveſtres.* Quam ex Cæſenate codice ita mihi exſcripſerunt: *pertinet ad feras beſtias ac ſilveſtribus ad ſilveſtres.* In illis diſcrepat Politianus ultimo verbo *aſſilveſtris*, S. autem Reparatæ liber *beſtiis*. Ex his tam vitiatis ſiquid conglutinem, inſanire tibi videbor. Tamen quid prohibet experiri, & ſpeciem ac formam aliquam de illis reliquiis adumbrare? Fortaſſe meo exemplo tu diligentius in id incumbes. Ita agam, nihil niſi meras nugas proferens: *& pertinent ad feras* (ſive *ferai*) *veſtibulas ſilveſtribus aſſi luſtreis.* Ut enim domeſticus Canis pertinet ad domus veſtibulum cuſtodiæ cauſa, ita venaticus ad ferarum veſtibulum. Opinor enim ſcriptum *veſtibulas* ſequioris generis; propterea quod a vulgari conſuetudine erat remotum, repudiatum a librariis, & male detortum. *Aſſi* quoque a vulgi captu receſſit. Verum ut *aſſas* nutrices appellatas eſſe ait Nonius, quæ pueris nutriendis adſint, & ab illis nunquam divellantur: ita *aſſi* Canes qui aſſidui luſtra ferarum ac veſtibula inveſtigant.

Ab his tricis ad alia tum ævo tum hominum vitio perturbata, & longe a priſtina forma traducta oculos converte, mecumque perpende: *P. Auſidius Pontianus Amiterninus cum greges Ovium emiſſet in Umbria ulti-*

ultima, quibus gregibus ſine paſtoribus Canes acceſſiſſent, paſtores ut deducerent in Metapontinos ſaltus & Heracleæ emporium: inde cum domum rediſſent qui ad locum deduxerant, e deſiderio hominum. Quæ interpretum induſtria ficta & compta ac mendaciis involuta ex antiquis libris declarabo. Hæc enim videtur auctoris ſententia: P. Auſidius Pontianus cum Ovium greges in Umbria ultima emeret, ſtipulatus eſt, ut gregibus ſine paſtoribus accederent Canes: præterea ut paſtores ad Metapontinos ſaltus greges deducerent, & clam inde ſe ſubducerent, ne Canes paſtoribus addicti eos ſequerentur. Quo facto, & domum paſtoribus reverſis, paucis poſt diebus Canes ſua ſponte in Umbriam ad paſtores redierunt. Quare illud *Heracleæ emporium* ex ingenio defluxit; quippe aliud pecus in ſaltus ad paſcendum deducere, aliud ad mercatum, ut iterum veneat. Nunc ex antiquis exemplaribus Varroniana proferamus: *Paſtores ut dedurent* (quod accipio *dedurarent* cujus generis eſt illud de Ovibus *quo id non habent*, pro non *haberent*) *in Metapontinos ſaltus, & traclepere. Inde.* Sed *traclepere* fuit *tracleperent.* Porro *clepere* non modo clam rapere ſignificat, ut in M. Tullio *de Deorum natura* hi verſus oſtendunt:

Agnum inter pecudes aurea clarum coma
Quondam Thyeſtem clepere auſum eſſe e regia.

verum etiam furtim ſe ſubducere, ut Varro de L. L. ex Lucilio declarat: *ibi ab rebus clepſere foro.* Idem apud Græcos κλέπτω, unde in Latium *clepſo* emanavit, ut Syneſ. *Epiſt.* κλέψας σεαυτὸν ἀπὸ τῶν δημοσίων. *Traclepo* autem, ut *trado, traduco, traluceo* pro *tranſclepo, tranſdo, tranſduco, transluceo.* Verbum quoque *dedurent* ſive *dedurarent*, ut in antiquis habemus, magis præſtat, quam vulgare *deducerent*; illud enim plurimum elegantiæ oſtendit, quod *durare, perſeverare, permanere* ſignificat, ut Terentius adhibet:

Non hic durare quiſquam poteſt.

& alibi: *Sancte adjurat*
Non poſſe apud vos, Pamphilo ſe abſente perdurare.

Ideoque cautum eſt in emptione, ut paſtores *dedurarent* in Metapontinos ſaltus, videlicet, ut eſſe perſeverarent cum grege ad ſaltus. Verum de Umbris Canibus expedit Gratium *de venatione* canentem audire:

At fugit adverſos idem quos repperit hoſtes
Umber, quanta fides, utinam & ſolertia naris
Tanta foret, virtus & tantum vellet in armis.

Sequitur quartum de emptione. Fit alterius. Codices atque Jenſonia-

na

na editio: *Sed quod quarum de emptione fit alterius*. Quare: *Sed (quod quartum de emptione) fit alterius*.

Paſcitur enim e culina & oſſibus. Probatiſſimum Victorii exemplar pro *e culina*, *e curia* ſervat: a quo non valde diſerepat Cæſenas: *e viria*; neque Venetum: *ecuria*. Verum *e curia* optimum; nam *curiam* cœnaculum appellabant veteres Romani, ut prodit Dionyſius Halicarnaſſeus *Antiq. Rom.* lib. II., quem locum huc tibi apponam: Καὶ συνεστιῶντο καπὶ τὰς ἑορτὰς ἐπὶ τῆς φρατριακῆς ἑστίας· ἑστιατόριον γὰρ ἦν κατεσκευασμένον ἑκάστῃ φρατρίᾳ· καὶ σὺν αὐτῷ καθωσιοῦτό τις ὥσπερ ἐν τοῖς ἑλληνικοῖς πρυτανείοις, ἑστία κοινὴ τῶν φρατερικῶν: ὄνομα δὲ τοῖς ἑστιατορίοις ἦν, ὥσπερ ταῖς φρατριαῖς, κουρία, καὶ μέχρις ἡμῶν ἔτω καλοῦνται.

Ut alligari poſſint, primum levibus vinclis. Repoſuit ex antiquis libris *vinclis* Victorius, prius enim edebatur *numellis*. Illud & Cæſenas codex confirmat, necnon Creſcentius: *levibus vinculis*. Pariter Fronto in *Geopon.* Δεσμοῖς δὲ συνεδέζεσι, τὸ μὲν πρῶτον ἰμάντι.

Quidam nucibus Græcis in aqua tritis perungunt aures, & inter digitos; quod Muſcæ, & Ricini, & Pulices ſoleant (ſi hoc unguine non ſis uſus) ea exulcerare. Eadem Fronto ex Varrone Græce enunciat: περιχρίουσι δὲ τὰς σκύλακας ἀμυγδάλης πικρὰς μετὰ ὕδατος τετριμένης περὶ τὰ ὦτα, καὶ τὰ μεταξὺ τῶν δακτύλων, ἵνα μήτε μυῖαι προσκαθίζωσι ἕλκοποιοῦσαι, μήτε κρότωνες, ἢ φθεῖρες θλίβωσι. Eadem Columella: *Fere autem per æſtatem ſic Muſcis aures Canum exulcerantur, ſæpe ut totas amittant. Quod ne fiat, amaris nucibus contritis linienda ſunt*. Et deinde: *Hoc eodem medicamine contacti Ricini decidunt*. Demum: *Pulicoſæ Cani remedia ſunt*. Qua de cauſa reſtituendum eſt Varroni *amaris*, & Frontoni pro φθεῖρες ψύλλοι; nam Pulices tum a Varrone, tum a Columella nominantur. Præterea Pedes Canibus infeſtos eſſe non videmus. *Amaris* autem *Nucibus* Amygdala eademque nux Græca accipitur, quod genus inter nuces amarum tantum gignere ad hoc tempus ſciebam.

Et, ſi alter indeſinenter æger eſt, ne ſine Cane grex ſit. In Creſcentio: *& ſi alter æger eſt, ne ſine Cane grex ſit*. Omittitur *deſinenter*; quod ea etiam ætate depravatus erat locus, qualem prodidit Victorius: *& ſi alter videm fiter æger eſt*. Id expedire conatus eſt Joſephus Scaliger: *& ſi alter itidem uter æger eſt*. Sed deterius Popma: *& ſi alter quidem fœtura æger eſt*; quot enim morbis conflictantur Canes præter fœturam? Nos quoque in his lufimus: *& ſi alter quidem ficret æger, ne*; Certe jam vitiatis fuiſſe ſubnexum *eſt* facile dabis. Poſtea Florentia accepi pro *indeſinenter* ex Politiani manu *vidè fiter*: ex codice S. Reparatæ: *vidèfiter*. Quod quis conjiceret: *& ſi alter videlicet æger eſt*.

His

His Canum hiſtoria & nutricatus finiuntur : De paſtoribus qui pecoris gratia parantur, continuo agendum.

Qui paſcunt, eos cogere oportet in paſtione diem totum eſſe, paſcere communiter. Vellem hoc modo: *Qui paſcunt eo, cogere.* Atque eo nempe loco, ut in ſaltibus, in callibus, montaniſque vallibus (de quibus locis cum proxime præponantur, intelligit Varro) ubi totum diem paſcunt; quod æſtu non moleſtantur greges. Nam qui in campis ac ſummiſſis collibus, expedit

Æſtibus at mediis umbroſam exquirere vallem,
Sicubi magna Jovis antiquo robore Quercus
Ingentes tendat ramos, aut ſicubi nigrum
Ilicibus crebris ſacra nemus accubet umbra.

Aut ſi in jure ceſſit, cui potuit cedere. Vetuſtæ editiones ; *aut ſi in jure cui ceſſit, potuit cedere.* Victorianus autem codex : *aut ſi in jure ceſſit cui potius cedere*, nempe : *aut ſi in jure ceſſit, cui pote* (vel *potis*) *jus cedere*: vel : *aut ſi in jure cui ceſſit, pote ius cedere.*

Cibus eorum debet eſſe interdiu ſeparatim uniuſcujuſque gregis. Vetuſtiſſima Victoriana : *uniuſcujuſque giſve gregis.* In Veneto exemplari *giſves.* Quod interpretor fuiſſe : *uniuſcujuſque cis ulſve gregis*, vel pro *cis gis* propter *c* & *g* affinitatem. In memoriam enim revocare potes quoties in Alpibus paſtores vidimus citra atque ultra gregem ſeparatim eſſe excubando. Nam, ſi in unum locum ad cibum capiendum congregarentur, ex inſidiis erumperet Lupus, & lautam cœnam ſibi pararet. Habeo etiam ex Politiano *interdius*, quod item apud Plautum pro *interdiu* invenitur.

De nutricatu hoc dico, eaſdem fere & nutrices & matres. Tremellius ſimul aſpicit ad me, & ut te audii dicere, inquit, cum in Liburniam veniſſes. In Victorii codice *Tremellius* omittitur, & pro illo : *ſemel ſimul aſpicit* extat. Itaque has dictiones perturbatas, & alteram etiam vitiatam autumo. Quare ſic deſidero: *eaſdem fere & nutrices & matres ſimul. Tremellius aſpicit ad me.*

Quæ oſtenderent fœtas noſtras quæ in conopeis jacent dies aliquot, eſſe levuncidas, & contemnendas. Vitium fatentur omnes in *levuncidas.* Victorianum fuit *L ejuncidas*; ideo, L inſititio abjecto, remanet *ejuncidas*, ſive *juncidas*, ut mox uſurpatum credo a politioribus. Ita apud veteres ipſumque Varronem in iis libris, in quibus omne antiquitatis decus extinctum non eſt : *eidus*, *eidem*, *heic*, *hei* pro *idus*, *idem*, *hic*, *hi*.

Quæ de Illyricis mulieribus ſubjicit Varro, nemo mihi perſuaſerit ;

talia ad nos perveniſſe, qualia ille ſcripſerit: *Necnon etiam hoc: quas virgines ibi appellant nonnunquam annorum XX., quibus mos eorum non denegavit ante nuptias ut ſuccumberent quibus vellent, & incomitatis ut vagari liceret & filios habere.* Sententiam enim ita ſuſpendi vides, ut cum ad extrema ventum eſt, quid amplius expectes. Levi tamen immutatione perficitur oratio: *& incomitatas ut vagari* (ſive *vagari ut*) *liberet, & filios habere.*

Quæ ad valitudinem pertinent hominum ad pecoris. Jenſonius *ac pecoris;* ideo *ad* Aldinum.

In Gregibus Ovium ſed magnis quos milliarios faciunt quidam, facilius de ſumma hominum detrahere poſſunt, quam de minoribus. Quæ a vetuſtis libris vitii inſimulantur; ibi enim: *Greges ovium ſed magnum.* In quibus *magnum* pro *magnarum*, ut idem Varro apud Nonium: *Gallum, invidum, cadum, medimnum*, pro *Gallorum, invidorum, cadorum, medimnorum.* Et M. Tullius in *Orat.* ex veteri inſtituto. *Patris mei meum factum pudet. Conſilium ſocii, augurium atque extum interpretes*, & alia plura ad eundem modum qui refert. *Magnum* autem idem ac *multum*, ut in Virgilio:

Ac veluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio.

Ita *magnum natu* appellat Livius ex annorum numero. Ad hæc addas velim quæ de Gallicis ſuccidiis ad te ex Varrone miſi. Itaque greges Ovium, ſed magnum hoc eſt multorum capitum facilius de ſumma paſtorum detrahere poſſunt.

Ad ultimum actum ventum eſt, ad fructum ſcilicet pecoris extraordinarium, de quo Varro: *ut prædictum eſt de lacte in eo & tonſura lanæ. Eſt omnium rerum quas cibi cauſa capimus.* Quid, inquies, *in eo? Caſeo* fuiſſe exiſtimo; de lacte enim, caſeo, & tonſura ordine tractat Varro. Et de lacte in his: *eſt omnium rerum* (lac) *quas cibi cauſa capimus, maxime alibile.* De caſeo: *ex hoc lacte caſei qui fiunt.* De tonſura: *de tonſura Ovium primum animadverto.* Quæ cuncta ſibi explicanda initio propoſuerat auctor dicens: *ſi exigere mavis ſine Mularum fœtura & nutricatu numerum octoginta & unum, eſt qui expleas duplicem iſtam lacunam, quod extraordinariæ fructuum ſpecies duæ accedunt magnæ, quarum una eſt tonſura, quod Oves ac Capras detondent, aut vellunt: altera quæ latius patet, eſt de lacte & caſeo.* Quid vero cenſeam de voce *lacte*, quæ in altero membro a Commelino & Gryphio non edita eſt, ſine qua multa intelligi non poſſunt, paucis tibi exponam. Cum poſt *& tonſura* alteri periodo adjectum ſit *lanæ*,

quod

quod inutile videtur, neque non inusitatum Varroni, qui scribit: *quarum una est tonsura: de tonsura Ovium: tonsuræ tempus*, credere licet ex *lacte* esse *lanæ* depravatum. Depurabitur itaque Varro scribendo: *ut prædictum est de lacte, caseo, & tonsura. Lacte, ait, omnium rerum quas cibali causa capimus*. De *est* vero *ait* constituo; nam necessaria videtur Cossinii persona quæ progrediatur actumque absolvat. *Cibali* vero sive *cibili* pro *cibi* vetus est in codicibus scriptura.

Hinc de lactis natura differit Varro, quod alibile maxime ovillum, & caprinum; & quod purgat equinum, tum asininum, deinde bubulum, demum caprinum. *Sed horum sunt discrimina quædam, & a pastionibus, & a pecudum natura, & a multu. A pastionibus quod fit ab Ordeo, & stipula & omnino arido & firmo cibo pecude pasta, id alibile. Ad perpurgandum id quod ab viridi pascuo*. Quare a pastionibus duo discrimina facit, primum cujus natura ignoratur, si *id alibile* quod in nullis codicibus reperitur, sustuleris: alterum pertinet ad perpurgandum. Quid ergo de primo? Hoc quidem magis ad alendum spectat, quam ad purgandum; quoniam ex aridis & firmis herbis fit. Idcirco ad primum genus refertur. Propterea *illud* vel *primum* aut I. potest desiderari.

Alterum genus quod ad perpurgandum *id quod ab viridi pascuo, & eo magis fluxe ex herba quæ ipsa sumpta perpurgare corpora nostra solet*. Lac itaque quod fit ab Ordeo & arido fœno pecude pasta, nutrit: contra quod a tenera herba, eoque magis si nobis ipsa sumpta alvum subducit, purgat. Porro in Victorii & Politiani libro *id quod a viridi pascuo erat: ea quæ avuridipas*. In Vaticanis vero codicibus *ea quæ auridipas*. Sed optime in S. Reparatæ exemplari: *ea quæ a viridi pastu*. Id confirmat Dioscorides περὶ γάλακτος: τὸ ἀπὸ χλωρᾶς νομῆς μᾶλλόν ἐστι μαλακτικὸν κοιλίας. Hoc si Scaliger & Popma animadvertissent, nunquam scripsissent ex *viridi pascuo* intelligi Hibiscum ex illo Virgilii:

Hædorumque gregem viridi compellere Hibisco.

De virga enim pastorali canit vates, & quia tenelli Hœdi, tenera herba utitur, apta tamen, quippe lenta. Quod alio carmine significat Maro:

Hæc sat erit, Divæ, vestrum cecinisse poetam,
Dum sedet, & gracili fiscellam texit Hibisco.

Porro quæ restant, expendenda: *fluxe ex herba*. Id in utroque Florentino codice: *fuisse ex herba*. Victorius exscripsit *si usse ex herba*. De quibus subducto *s*, optima erit lectio Ursino etiam probata: *si usæ*

(pecudes pabulo) *ex herba* . De hac re ſcribentem Theophraſtum περὶ φυτῶν IX. audiamus: Διὸ καὶ οἵγε ἀρκάδες ἐώδασιν ἀντὶ τῶ φαρμακοποτῶν , γαλακποποτῶν περὶ τὸ ἔαρ · ὅταν οἱ ὀποὶ μάλιτα τῶν πιάτων φύλλων ἀκμάζωσιν · τότε γὰρ φαρμακωδέςατον τὸ γάλα . Πίνεσι δὲ τὸ βόειον · δοκῆ γὰρ πολυνομώτατον καὶ πανφαγώτατον πάντων ὁ βῦς · φύεται δὲ παρὰ αὐτοῖς ὅτε ἐλλέβορ& ἀμφότερ&. Ex quibus Plinius Latinis reddit: *tradunt Arcades quidem non medicaminibus uti , ſed lacte circa ver ; quoniam tunc maxime ſuccis herbæ turgeant , medicenturque ubera paſcuis . Bibunt autem Vaccinum ; quoniam Boves omnivoræ fere ſunt in herbis*. Nunc illud *fluxe* & *fuiſſe* mihi in memoriam revocat, quod de Varrone apud Soſipatrum memini legiſſe : *Varro* , inquit , *in Aſia fulaxe ex ſpinu alba præfertur , quod purgationis cauſa adhibetur* . Quid iſtud eſſet *fulaxe* , nunquam aſſequi potui. Videbatur mihi modo de lacte ſcripſiſſe Varro quod in Aſia excelleret ad purgandum, ſi Vaccæ uſæ eſſent cibo ex ſpina alba . Sed conjectore opus eſt . Igitur ad te defero . De lacte quod a paſtionibus , ſatis . Alterum diſcrimen a pecudum natura , de quo nihil ad te mittam.

Quare de tertio : *a mulgendo atque ortu optimum eſt id quod neque emunctum longe abeſt a mulſo , neque a partu continuo eſt ſumptum* . Inter quæ inſertum eſſe Aldina manu *emunctum* clare cognoſcimus, ſi antiquas editiones ſpectemus ; ubi, pro illo , *enim* . Quod tamen inutile habendum.

Caſeum facere incipiunt a Vergiliis vernis exortis ad æſtivas Vergilias : Verno tempore occultari veſperi Vergilias omnes qui de ſtellarum diſciplina ſcriptores ſuperſunt , fatentur . Et Cæſari quidem , quem ſequi ſolet Varro , nonis April. immerguntur . Ab hac itaque die in a. d. VII. id. Mai. latent per dies XXXIV. , Bœotiis autem per dies XL. , quos conficiendo caſeo aſſignat Varro . Propterea : *a Vergiliis vernis ad exortas Vergilias æſtivas* .

Lactis duobus congiis addunt coagulum magnitudine Oleæ . Prima excuſa & Victoriani codices : *lactis duos congios* . Ex quo emendavit Victorius : *in lactis duos congios* . Hoc Cæſenas liber confirmat, ubi legitur : *ſit lactis duos congios* , *ſit* ex *in* depravato .

Mammæ enim rumis ſive rumæ , ut ante dicebant , a rumi , & inde dicuntur ſubrumi agni lactentes a lacte . Perobſcurus & interpretum tricis perturbatus locus . Jenſonius ediderat : *mammæ enim rumis ſive ruminare , ut ante dicebant* . Eadem de probato libro Victorius & Politianus afferunt , ſed pro *rumis rumus* , ut in Veneto codice , & Florentino ad S. Reparatæ ſcribitur . Qua ratione Varroniana hinc expediemus ? Non

mo-

moleſte, ſi me audis: *Mammæ enim rumeis ſive rumina*, &, *ut ante dicebant*, *a rumi etiam dicuntur ſubrumi agni lactentes*. De *rumeis* (ex quo *rumus* in codicibus) antiqua ſcriptura patet: de altero *rumina* indicabo ex Plinio quid ſit, qui hanc hiſtoriam ſive potius fabulam ſic exponit: *colitur Ficus in foro ipſo ac comitio Romæ nata, fulguribus ibi conditis. Magiſque ob memoriam ejus quæ nutrix Romuli & Remi conditoris appellata; quoniam ſub ea inventa eſt Lupa infantibus præbens rumen (ita vocabant mammam) miraculo ex ære juxta dicato.* Itaque *ruminare* ex *rumina* atque & coaluit. Ad cujus emendationem Venetus codex propius quam cæteri, accedit: *ruminare & ut ante dicebant*. Cæſenas vero: *ruminatæ, ut ante*. Addit Varro: *ut ante dicebant*; de ea enim re locutus erat Scroſa. Quid vero de extremo *Lacte?* Abiicies, ſi ſapis, cum Scaligero; nam inepta agni lactentis interpretatio videtur. Cæterum a *rumen* dea *Rumna*, non *Rumia*; nam ſupra in Varrone ubi vulgo eſt: *apud divæ Rumiæ ſacellum*, Politianus invenit vetuſtum *Rumnia*, inverſis extremis literis pro *Rumnai*. Hoc ex *Rumina* contrahitur, de quo ex Varrone Nonius: *Hiſce manibus lacte fit, non vino; Cuninæ propter cunas, Ruminæ propter rumas.*

Quin aſpergi ſolent ſales, melior foſſilis quam marinus. Diſſentit antiquus codex, ut ex Politiano relatum eſt mihi: *Qua ſpargi ſolent ſales, meliorem foſſilis*. Hoc eſt: *qua* terrarum parte, ſive ubi in caſei conditura ſale uti ſolent. Sed de *meliorem?* Autumo fuiſſe: *melior erit*.

Omnino tonſores in Italia primum veniſſe ex Sicilia dicuntur. Hoc extremum in eodem codice *dicunt*, quod ab antiquis etiam Jenſonius exſcripſit. Id ea quæ ſequuntur, comprobant: *Eoſque adduxiſſe P. Licinium Menam*, videlicet *dicunt*.

Illi hoc: *Neque ab hoc quod mutaret Coſſinius*. Quid: *illi hoc?* Fortaſſe hoc ſatis; idcirco conticuit Coſſinius. Et nos *hoc* ſic utamur, epiſtolæ finem cum libro imponendo. Vale.

D. Patavio XI. cal. Quint. CIↃ IↃCC XXXV.

EPI-

EPISTOLA LI.

Explicatur, emendaturque Varronis liber III. de villaticis paſtionibus a primo capite in caput XII.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

MUlta in Varrone noſtro me illuſtraſſe, & ad antiquum nitorem redegiſſe cum ſcribas, non mihi, ſed antiquitati, cujus ergo connitimur, gratulor. Tamen ſero nati ſumus, non modo meſſe ſublata, ſed etiam ſpicilegio ferme confecto. Ideo ea fere reſtant, quæ alii deſpectui habuere. His nos minutatim inveſtigandis & legendis operam & ſtudium damus. Supereſt de R. R. liber tertius qui de villaticis paſtionibus agit. In hoc itaque quod non probabo, ſcribam, ab his initio ducto:

Quod tempus ſi referas ad illud principium quo agri coli ſunt cepti, atque in caſis & tuguriis habitabant, nec murus nec porta quid eſſet, ſciebant. Plura pono, quo citius veterem ſcripturam confirmem. Illud enim *agri coli* apud Politianum & Jenſonium junctim legitur *agricolæ* qui in caſis & tuguriis habitabant.

Quod a ruſticis Romanis alebantur, & in bello ab his tuebantur. Codices Victoriani Politianique ac Cæſenas: *& in bello ab iis alebantur.* Vetuſtæ autem editiones: *ab his tuebantur & alebantur.* Ratus ſum utrunque eſſe neceſſarium; nam in pace a ruſticis hominibus P. R. alebatur: in bello quoque ruſticorum labore & defendebatur, &, jam collectis in pace frugibus, alebatur.

Nam lingua priſca & in Græcia Aeoleis Beotii ſine afflatu vocant collis tebas. Ante Victorium edebatur *æolis tebas.* Vitioſe ſane, ſed vitium ex priſca ſcriptura *colis* ſive *coleis* unico L originem traxit.

Qui poſtea creverunt, peculia diviſerunt. Jenſonius: *quæ poſtea*, & refertur ad *peculia*; nam primo propter paupertatem indiſcretas opes habebant; eaſdem mox auctas diviſerunt.

Vis potius villæ publicæ utamur umbra, quam privati candidati tabella dimidiata ædificemus nobis. Quos de hoc loco commentantes vidi, neſcio quid de candidatorum diverſoriis & tabernaculis inducere animadver-

madverti, cum Varro de tabella quæ ad ferenda ſuffragia populo præbebatur, feſtive jocetur. Hanc enim attollentes contra ſolem, exigua umbra oculos a ſole defendebant, ut nos, extenſis pileis, ſolemus; ideo ædificabant ſibi, quoniam ſibi umbram procurabant, non parata utebantur.

Malum conſilium conſultori eſt peſſimum. Priſca edita *eſſe* pro *eſt*. De hoc A. Gellius loquitur lib. IV., & a Græco iſto Heſiodi verſu deduxit:

ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Recipis nos, inquit, in tuum ornithona, ubi ſedes inter avos? Abjiciendum alterum membrum: *ubi ſedes inter aves* exiſtimo; nam ubi ὀρνιθῶν, ibi aves. Sed etiam ſcribendum ὀρνιθῶνα Græce credo, ut ipſe Varro contra ſuæ ætatis mores exprobrabat, quod Romani Græca potius, quam patria nomina uſurparent.

Tua, inquit, hæc in campo Martio extremo utilis, & non deliciis ſumptuoſior quam omnes omnium Reatinæ: tum & oblita tabulis eſt pictis, nec minus ſignis ornata. Ad mea veſtigium ubi ſit nullum Lyſippi aut Antiphylli, ſed crebra ſatoris & paſtoris. Hoc modo ordinata concinnius mittam, pauculis immutatis: *Tua, inquit, hæc in campo Martio extremo utilis, & non deliciis ſumptuoſior quam omnes omnium Reatinæ, tam & oblita tabulis eſt pictis, nec minus ſignis ornata: an mea veſtigium ubi ſit nullum Liſyppu aut Antiphyllu, ſed crebra ſartoris, & paſtoris?* Verum cur audeam mutare *ſatoris* in *ſartoris* nolito mirari. *Sartoris* ſcripſit Varro, ut refert Politianus, *ſatoris* interpretes & operæ ignaviſſimæ. Cum enim ad unum fundum ſatis ſit fator unus, aut alter (neque enim valde magnus Axii fundus, cum jugerum *cc* eſſet) cur villam crebram *ſatoris* faciunt, eoque veritati illudunt?

Ego vero non recuſo, vel hodie ex iſta paſtione crebro. Opinor eſſe diſtinguendum hoc pacto: *Ego vero non recuſo vel hodie, atque ex iſta paſtione crebro*. Nimirum: ego vel hodie te ad cœnam recipiam, & crebro propter paſtionis utilitatem quam me doces, vocabo in poſterum.

Ac vim formamque ejus expone, Merula, non gravate.

Primum, inquit, dominum ſcientem eſſe oportet earum rerum. Videbis num aptius ita ordinanda ſint: *ejus expone. Merula non gravate primum, inquit, dominum ſcientem*. Non aliter Varro alio loco: *Ille non gravatus primum, inquit*. Merulæ itaque perſona ad rationis villaticæ paſtionis diſciplinam ingreditur Varro, & tria ſumma genera conſtituit, ὀρνιθῶνας nempe, Leporaria, Piſcinas. Primum, ubi aves incluſæ nutriun-

triuntur; alterum, *non ea ubi tritavi noſtri dicebant, ubi ſoliti Lepores ſint, ſed omnia ſepta afficta villæ*. In quibus *ubi ſoliti*, an : *ubi ſoli* fuiſſe cenſebam, ut mox: *neque ſolum Lepores eo* (leporario) *includuntur ſilva*. Niſi ſi verbum *paſci* ſubintelligas; ut ſæpe veteres. Plautus *Ciſt.*

Viris cum ſuis prædicant nos ſolere,
Suas pellices eſſe ajunt.

ſolere, nempe ſuccumbere. Terentius *Andr.*

Quod vulgus ſervorum ſolet,

facere videlicet. Catullus de *Acme*.

Non eſt ſana puella, nec rogate
Qualis ſit, ſolet hæc imaginoſum.

Pati ſcilicet.

Quæ tuorum ſervorum diligentia tuearis in fœtura ad partus, & nata nutricare ſaginareque in macellum ut perveniant. Prima formis edita : *nutricere ſagineſque*. At vetuſta codicum : *nutricare ſaginiſque*. Jenſoniana igitur meliora, ſi pro *perveniant*, *perviant* ex utroque Florentino codice ſumas, & *pervient* ſubſtituas, unde *pervius*, atque ejuſdem generis verba *devio*, *obvio* ſuperſunt.

Quæ palatum ſuave domini paravit, ut tecta majora habeant, quam tum habebant tutas villas. Certior fio Florentia ex Politiano *donum* extare, non *domini*, quod coniicio *domnum* pro *dominorum*, ut ſequentia *habeant* & *habebunt* repoſcunt. A *domnus donno* originem habet. Dantes *Inf.*

Queſti parevame maeſtro e donno.

Ab eodem *donna* nempe domina. Vil. lib. IV. : *la quale regnava in Toſcana, & in Lombardia, e quaſi di tutto fu donna*. Dantes *Purg.*

Ahi ſerva Italia di dolor hoſtello,
Nave ſenza nocchier in gran tempeſta,
Non donna di provincie, ma bordello.

Si enim late ibi diffuſa aqua & inquinatur facilius, & bibitur inutilius; & ex eis caduca quæ abundat, per fiſtulam exire, ne luto aves laborent. Damnabat in his Urſinus *quæ abundat* tanquam τῦ *caduca* interpretationem. Mihi contra *caduca* ſuſpectum eſt, quo ſublato, congrua eſt ſententia. At illis exemptis, ad quid referatur *caduca* non apertum eſt, & perſpicuum.

Diebus viginti antequam quis tollere vult Turdos, largius dat cibum quod plus ponit, & farre ſubtiliore incipit alere. Ratus ſum qui *largius dat cibum*, & qui *plus ponit*, idem agere, & propterea alterutrum ſu-

per-

pervacare. Neque tamen ab Aldo, Parvo, Junta, Gymnico meliora habemus: *largius dat cibum, & aquæ plus ponit*; quoniam *in hoc tectum aquam venire oportet per fistulam*. Ideo semper largius exhibetur. Non contemnenda omnino protulit Jensonius: *largius dat cibumque plus ponit*, quæ utique in Veneto codice vidi. Verumtamen omnium optime Crescentius: *Diebus viginti antequam tollere vult Turdos, largius det cibum, & farre subtiliore incipit alere*. Quapropter *quod plus ponit* aberat ab eo libro, ex quo exscribebat Crescentius. Profecto additamentum videtur.

In hoc tecto caveaque tabulata habeant aliquot ad perticæ supplementum. Contra hoc aviarium est aliud minus, in quo quæ mortuæ ibi sunt aves, ut domino numerum reddat, curator servare solet. Quantas turbas inter interpretes hic locus excitaverit, notum tibi esse existimo; propter quod, ut soleo, præteribo. Sane perobscurus est, & lenociniis interpolatus fucatusque. Quid doceat Varro, percipere quodammodo videor, nimirum: fiat veluti cella in cavea ad portam, in qua aviarius mortuas aves servet. Hac igitur ratione ex veteri scriptura Victoriana: *In hoc tecto caviis quæ caviis tabulata habeant aliquot adportat subplementum*, quod indicat Varro, tibi adumbrare tentabo: *In hoc tecto cavieisque caviæ tabulata habeant aliquot ad portai* (Politianus *ad portæ*) *subplementum contra hoc. Aviarius quæ mortuæ ibi sunt aves, ut domino numerum reddat, solet ibidem servare*. Primum *cavia* pro *cavea* recepi, ut *tinia, nausia, vinia, hederacia* pro *tinea, nausea, vinea, hederacea* Catonem & Varronem scripsisse indicatum est. Ex illo *caviares* hostiæ, & *caviæ* pars hostiæ ad lumbos recisa, quæ, quoniam pro collegio pontificum ponebatur in sacrificio, opima habenda est, ex pecude in caulis opipare alta. Ab eodem *Gabbia* vernaculum descendit, quod pro avium cavea, & pro bestiarum vivario adhibetur vulgo. Ex *aviarium aviarius* restitui; quippe *curator* tam codices, quam prima excusa carent. Ideoque Aldum id curasse credo. Reliqua autem: *est aliud minus* abieci, quod neque Jensonius, neque codices Cæsenas, Venetus, atque uterque Florentinus ostendunt. Ex margine enim recepta videntur; ibi namque adnotabatur esse minus aliud aviarium, de quo continuo agit Varro, *secluforiumque* appellat.

Statim in fœnus des licebit. Tum mihi, tu dic illud alterum genus. Vetera exemplaria formis impressa, vel manu exarata: *licebit multum: dic illud alterum*. Legerem itaque: *licebit. Mihi tum, dic illud*.

Absoluta Turdorum sagina, de Varroniana villa sequitur, ex qua duo parva & levia ad te mitto, primum: *intermediis arbusculis humili-*

bus, ex quo *intermediis* Jenſonius, Cæſenaſque liber, & Politianus rejiciunt, exhibentes *promediis*, quamvis diſiunctum Politianus *pro mediis* ſcribat. Igitur ut *promiſcuus*, ita *promedius*.

Alterum: *ac piſciculi ultro ac citro commeant*. Ultimo diſſentit Politianus, qui ex antiquo monumento exſcribit: *commetant*. Id a veteribus uſurpatum Nonius ex Nævio teſtatur: *Cur ad lupam noſtram tam multi crebro commetant Lupi?*

A Caſini villa tranſit Varro ad Pavonum culturam, de qua iſta ſunt magno interpretum ſtudio agitata: *qui ſecus ſiquid diceres de iis gentilitatis cauſa, fortaſſe ante eum duceret ſerram*. Codices Victoriani & Venetus: *fortaſſe ante cum duceret*. Itaque *ante* ex proximis conflatur: *fortaſſean tecum duceret ſerram*. Saſerna apud Nonium: *Quod fortaſſean ex voluntate ſua ſumma cum claritudine celeriter confeciſſet*. L. Attius *Antenorid. Fortaſſean ſint quos hic non meret metus*. Quare & capite XVI. ubi de Apibus: *Quod*, inquit Varro, *fortaſſe an tibi ſatis ſit, Axi*, legito: *fortaſſean*. Ita alibi, ſi occurrit.

Ex iis M. Aufidius Lurco ſupra ſexagena millia nummum in anno dicitur capere. Pro *ſupra* in primis excuſis s. invenitur, nimirum ſeſtertium. Aldus repoſuit H. s. quem Parvus & Gymnicus ſecuti ſunt. Id confirmat Plinius, & patet hac ratione. Cum ſeſtertius quarta pars denarii habeatur, denarii L. quot ſinguli Pavones venibant, exhibent C C ſeſtertios. Itaque ex grege centenario ſeſtertium vicena millia. At Lurco ex ſingulis Pavonibus ternos pullos non exigebat? Quare ſeſtertium ſexagena millia. Denique in Cæſenate exemplari non *numum* ſcribitur ſed *minimum*.

Primus hos Q. Hortenſius augurali adiiciali cœna dicitur poſuiſſe. Quod potius factum tam luxurioſi quam ſeveri boni viri laudabant. Aliud his indicat Varro, aliud indicare videtur, ſi indiligenter legamus. Ait hoc factum potius luxurioſi nepotis, quam ſeveri hominis & frugi fuiſſe a bonis viris, ita mores ferebant, laudatum. Sed *boni viri ἰρονικῶς*. Tamen qui ad iſta illuſtranda manum admovere, tam a luxurioſis quam a ſeveris civibus id probatum ſcribunt. Quare, ut omnis dubitatio tollatur, ita ſunt accipienda: Quod factum tam luxurioſi potius quam ſeveri boni viri laudabant. Eadem obſcuritate involvitur Macrobii exemplar: *Quod potius factum tam luxurioſe quam ſevere boni viri laudabant*.

Ad Columbas veniamus: *quæ fœtæ ſunt, in certum locum ut diſcluſum ab aliis vete habeant quo transferantur, & quo foras evocare poſſint matres*. Scriberem: *quæ feræ*, quod in S. Reparatæ libro eſt *fetæ*; cur enim

nim *fœtæ* ſeparandæ quæ per ſingulos ferme menſes, dempto intervallo a bruma ad vernum æquinoctium, fœtant? Quare *feræ* quæ placidioribus dum ſunt moleſtæ, obſunt. Præcinit mihi Creſcentius a Varrone exſcribens: *qui ſunt nimis feri & bellicoſi, ut alios lædant, exinde removeas, & in alium locum ſecretum ab aliis ſeponas.* Poſtea in Varroniano Veneto codice legi: *quæ ſunt fere.* Hoc amplius ex vetuſtis editionibus Politianoque *habeat* pro *habeant* reſcriberem, quod ad paſtorem ſpectat. Vellem quoque ut mihi liceret *poſſint* in *poſſit* mutare, necnon in Columellæ lib. VIII. ubi extat: *nec minus in agros emittant matrices*, legere *emittat*. Etenim paſtor contriſtatas aves, & diuturna cuſtodia quaſi ſeneſcentes ad apricationem foras evocat, atque emittit.

Altera de cauſa propter illicium; ipſæ propter pullos quos habent, utique redeunt. Qui vetera interpretanda ſuſcipit, non ſe, hoc eſt ſententiam ſuam ſpectare & tueri debet, ſed veritatem. Ideo non me pœnitet pudetque a priſtino ſenſu recedere, & poſthabito *pullitiem* quod potius quam *illicium* olim habueram, *inlicium* amplecti. Hoc autem tam in Veneto codice, quam in Politiani ſcripto reperitur.

Quoad poſſunt immittendum in περιστερεῶνας ætate bona, parandum neque pullos, neque vetulas. Separanda hoc modo: *περιστερεῶνας. Ætate bona parandum, neque pullos, neque vetulas.*

Ut Columbis genere proximæ Turtures, ita Columbis Turturum cultum & farcturam annectit Varro. De harum aviario hæc traduntur: *a ſummo ad cameram ad ſemipedem, æque latum ac mutulus a pariete extare poteſt.* De quibus nihil ſcriberem, niſi vitii ſuſpicionem Columella præberet pleraque a Varrone de Turturibus ſumens. Ait mutulos ad lineam per parietem eſſe defigendos, imponendaſque mutulis tegeticulas cannabinas, ut Varro, ſed addit prætendenda eſſe retia quibus aves prohibeantur volare; quoniam id infarcturæ detrahit. Hoc igitur in Varrone, utpote neceſſarium, deſidero. Sed ubi hujus veſtigium? Nuſquam quidem. Attamen inveniemus, ſi hoc modo legere licebit: *a ſummo ad cameram ad ſemipedem rete latum ac mutulus, a pariete extare poteſt.* Nimirum ab infimo ordine ad cameram expanſum rete ad ſemipedem a pariete diſtat, quo ſpatio extra parietem eminet mutulus.

De Turturum farctura: *Ad ſaginandum appoſitiſſimum tempus circiter meſſem. Etenim matres eorum tunc optimæ ſunt, cum pulli plurimi gignuntur, qui ad farcturam meliores.* Cur optimæ ſunt matres, cum plurimi pulli gignuntur? Primum in ſeptis Turtures ob fœturam non aluntur, ut expreſſe ſignificat Columella; propter quod Varro neque de

Turturum fœtura, neque de pullis alendis agit, ut de Columbis & Pavonibus facit. Deinde plures quam geminos neque pariunt, neque educunt. Demum cum pullos nutriunt, non optimæ sunt matres, sed macerrimæ. Tolluntur hæ turbæ, una particula immutata: *Tunc pulli plurimi gignuntur, qui ad farcturam meliores.* Legitur itaque tempus circa messem, quo matres jam effœtæ cito glisçunt, & pulli adulti inveniuntur ad farcturam aptiores.

Pergamus hinc in cohortem, ut Gallinas spectemus. Harum cultum sic auspicatur Varro: *Axius, ego quæ requiro farsuræ assuræ membra de Palumbis, de Gallinis dic sodes, Merula.* Videtur legendum: *Axius: egoque* (ex primis editis) *requiro assaturæ assæ membra palumbis, de Gallinis dic, sodes, Merula.* Videlicet & ego etiam in Palumbis assaturam assam malo quam alio modo, quod in Gallinis proprium, de Gallinis nutriendis narra mihi, Merula. Hunc locum ut sic exponerem, de quo alia atque alia tradiderunt interpretes, veteris scripturæ vestigiis inhærenti lucem mihi præbuit Apicius lib. *de re culinaria* VII., ubi in titulo *assaturæ* legitur: *assaturam assam a furno simplicem sale plurimo consperſam cum melle inferes.* In quibus tamen *simplicem* abiicerem; nam *assa* & simplex idem. Porro ante *Palumbis* exemptum *de* nolito mirari; eo enim uterque Florentinus codex privatur.

Quibus signis optimæ Gallinæ comparandæ sint, describit Varro, inter quæ monet, ut eligantur *crista crecta, ampla.* Hoc in *amplas* ex Politiano immutarem, & ad Gallinarum amplitudinem referrem, de qua, ut in unoquoque genere solet, nihil præmiserat Varro. Id imitatus est Columella in hanc sententiam: *rectis rutulisque cristis, albis auribus, & sub hac specie quam ampliſſimæ.*

Contra singulas perticas in parietc exculpta sint cubilia earum. Vetustissimus Politiani codex pro *exculpta excluſa*, nempe ædificator dum parietem replet, locum relinquat pro Gallinarum cubili; ideo excluſa extra parietis corpus, non tamen extra parietem eminentia. Hoc tamen Varronis monitum improbat Columella: quoniam ita *crassos parietes ædificare non convenit, ut exciſa per ordinem Gallinarum cubilia recipiant.* Hic *exciſa* a parietis corpore: ille *excluſa.*

Quod pulices & cætera nasci solent quæ Gallinam conquiescere non patiuntur. Pedum genus Gallinis proprium eas maxime infestat, non Pulices. Quare *Pedes*, de quibus iterum Varro: *a collo corum crebro eligendi Pedes.* Ex Varrone vitium Columellam invasit de eadem re scribentem; *nam Pulicibus aliisque similibus animalibus replentur.* In quibus opto vel *Pedibus* vel *Pediculis.*

Qui

Qui (*ut hoc intelligant*) *concutiunt errare quod in eis vitales venas confundunt*. Vetus lectio : *quod inanes vitales venas confundunt*. Quæ quamvis & recepta a primis editoribus, & codicum Victorii, ac Cæſenatis auctoritate comprobata, præterea, ſiquid in hac re video, Varroniana, a pleriſque in dubium revocantur. Quis tamen ignorat, vaſa in ſuis primordiis eſſe animantibus inania (quod ipſa prius explicantur, deinde humor per ea impellitur) tum quæ inania, infirmiora eſſe, & facilius confundi ac conturbari quam ſucci plena? Venetum exemplar exhibet *cinanes* hoc eſt priſca ſcriptura *einaneis*. Florentinus Græce reddit : τὸ ἐν αὐτοῖς ζοτικόν. Plinius Varronianam ſententiam ſic exponit : *concuti vero* (ova) *experimento vetant ; quoniam non gignant confuſis vitalibus venis*. Confunduntur autem, quia inanes ſunt venæ.

Objiciendum pullis diebus XV. primis mane ſubjecto pulvere (*ne roſtris noceat terra dura*) *polentam mixtam cum Naſturtii ſemine, & aqua aliquanto ante facta intrita, ne tum denique in eorum corpore turgeſcat aqua prohibendum*. Alia alio tempore de hoc loco conjectaveram: nunc mihi potiora ſubdam : *& aqua aliquando ante tactam & vino, ne tum denique*. Ad *polentam* igitur *tactam* pertinet, cujus interpretatio *intrita* deformata eſt ex *& vino*. Eodem verbo utitur Varro de Anſeribus agens : *Quod ea aqua tacta etiam cum eſt arida, fit viridis*. Et de Cocleis: *Locus is melior quem & non coquit ſol, & tangit ros*. Vinum quoque addendum erat, ut Græce in Geoponicis ex Varrone deſumitur : τροφὴν δὲ πρῶτον λαμβάνει ἐπὶ ἡμέρας ιέ ἄλφιτα μετὰ καρδάμου σπέρματος σὺν οἴνῳ βρεχέντα ὕδατι.

Et quoniam nihil vel exiguum in nobiliſſimo ſcriptore prætermittendum eſt quominus pro noſtro captu in priſcum decus reddatur, notabo *in mari Tuſco* eſſe debere *in mare Tuſco*, ſcribente Chariſio, Varronem uti ſolere *mare* non *mari*.

Hæ noviſſimæ in triclinium ganearium introierunt e culina propter faſtidium hominum. Antiqua ſcriptura : *Genanium*, & *Genavium* pro *ganearium* Aldino. *Genavium* ex duabus dictionibus conflatum puto, harum altera integra *avium ;* alterius autem reliquiæ *gen* ſuperſunt. Hanc ſuſpicari licet fuiſſe *alienigenarum*. Quod ex Plinio comprobatur. *Quæ noviſſimæ ſunt peregrinarum avium in menſas receptæ propter ingratum virus*.

Nunc de Anſeribus : *nec æque fit manſuetum*. Vetera magis Varroniana : *neque æque fit inconſuetum*. Quod item Venetum exemplar oſtendit.

Saliunt fere in aqua, inungentur in flumen aut piſcinam. Politianus

inun-

inunguentur. Num : *exin unguentur in flumen aut piſcinam*. Jocatur Varro ſuo more, quod Anſeres a coitu ſolent ſe in aquam immergere, & veluti luſtrare. Quod etiam Ariſtoteles, a quo Varro ſumit, lib. de *Anim.* VI. indicavit.

In queis non includant plus vicenos pullos. Elegantior vetus lectio : *in quæ non inducant*. Inducere autem inigere. *In quæ*, nempe in cellas quæ ſupra terram parantur ; aut in ſpeluncas quæ ſubtus. Paulo poſt : *Anſeres paſcunt in humidis locis, ubi pabulum ferunt, quod aliquem fructum ferat*. Cum Anſeres ſata omnia *& morſu lædant, & ſtercore*, quos fructus a ſatis, ubi paſcunt Anſeres, ſuſcepturi ſimus, non video. Quod non latuit Varronem, qui mox de ſerendo Intubo ſcribit : *folia ejus decarpentes dant, ne ſi in eo inegerint, ubi naſcitur, aut obterendo perdant, aut ipſi cruditate pereant*. Quare *&* pro *ubi*, ut in primis excuſis eſt, magis convenire cenſemus, ſeparantes : *Anſeres paſcunt in humidis locis. Et pabulum ferunt*.

De Anatibus : *Pabulum iis datur Triticum, Ordeum, vinacei, uvæ*. Extremum expungendum opinor ; quis enim tam amens uvis Anates nutriet ? Vinacea quidem tam a Varrone, quam a Columella, Palladio, Plinio, & Didymo Anatibus commendantur, non uvæ. Si abjicere nolis, adde : *vinacei ex uva*, ut de Porcis locutum eſſe Varronem video : *dari ſolent vinacea ac ſcopi ex uva*.

De primo Villaticæ paſtionis actu, ut propoſuit Varro, hanc ſummam confeci. De ſecundo & tertio VIII. cal. ſpero, niſi quid novi. Fac valeas.

D. Patavio X. cal. Quint. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA LII.

Explicatur emendaturque Varronis lib. III. de villaticis paſtionibus a capite XII. ad extrema.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

QUæ VIII. cal. Quintil. præſtanda tibi eram pollicitus, tertio die poſt ſuſcipere cogor eorum opera, qua ſæpe illiberaliter exerceor. Hos fructus mala merx rependit ; ideo ſi Ἀριστοτέλης ἀριστᾷ, ὃ-

παν

ων δοκῇ φιλίππῳ, mihi ex aliorum arbitrio literis vacandum eſt. Quare properamus, ut iſtis plagis ſolutus liber pauliſper in Alpes excurram, ubi ἀρίστῳ Διογένης, ὅταν Διογένει δοκῇ.

Ad actum II. villæ affictícium nuper Varronem reliquimus. Hinc evocemus, ut nobis dubia explanet, & primum de Leporibus hæc: *Hos quoque nuper inſtitutum ut ſaginarent pleraque, cum exceptos e Leporario concludunt in caviis*. Hæc in Macrobio leges, ubi etiam *ſaginarentur*, quod in antiquis Varronianis editis item excuſum eſt. Sed *pleraque* in Macrobio non leges; neque mirum; monitum enim cujuſdam videtur, cui Leporum ſagina in omnibus non ſucceſſerat. Perpendes etiam ſuperiora: *quatuor enim modo intromiſit in leporarium, brevi ſolet repleri*. Primæ editiones *intromiſſis*, quod autumo *intromiſis* unico *ſ*; quippe veteribus *ſ* non geminabatur.

Quod eum Aeoles Bœotii λέπορα appellabant. Antiqui libri: *Æolis & bonum leporum appellabant*. Ex quibus videto quid conjiciam: *Quod eum Æoleis Sicanum Leporum* ſive σικανὸν λέπορα *appellabant*. Id Varro indicat de L. L. *Lepus*, inquit, *quod e Siculis quidem Græci dicunt λέπορα. A Roma quod orti Siculi, ut annales veteres noſtri dicunt, fortaſſe hinc illuc tulerunt, & hic reliquerunt hoc nomen*. Quare cum Siculi λέπορα appellarent, Æolii σικάνον λέτορα vocarunt.

Cuniculi dicti ab eo quod ſub terra cuniculos ipſi facere ſoleant. Flavius Caper *de verbis dubiis* hoc tradit: *Varro Cuniculum hoc: alii hunc*. Certe hoc loco in Varrone modo *ſimilis* vocatur, modo *humile*; ideoque illud librariis attribuendum cenſeo; hoc Varroni.

De Apris duo ſunt quibus te paucis morabor: primum: *Scis, inquam, Axi*. Quod Aldo remitto. Prima excuſa: *Scis inquam Agri, Axi*. Quæ puto legenda: *Scis, inquit Appius, Axi*; Appius enim de leporario verba fecit, & de Apris quoque dixiſſe indicium facit capitis proximi principium: *Axius: tuas partes, inquit, ſublevavit Appius, o Merula noſter*. Quamobrem, ut quis eſſet qui de Apris loquebatur, intelligeretur, illa eſſe interpoſita credo.

Alterum: *Quintus Orphea vocari juſſit*. Quod Aldinum. Jenſonius hoc modo: *Apud quod Orphea vocari juſſit*, ſcilicet *apud* pro *ad* triclinium.

De Cocleis: *nam & valde amplæ ſunt, quamquam ex Africa, quæ vocantur ſolitannæ*. Ordinabis hoc modo: *nam & valde amplæ ſunt quamquam ex Africa, quæ vocantur ſolitannæ*. Deinde *ita ut in eas LXXX. quadrantes conjici poſſint*. Quibus pro *conjici* antiquum verbum a Politiano proditum *coici* reponerem, hoc eſt *cogi* ex veterum orthographia.

De

De glirario : *Quibus in tenebris cum cumulatim positum est in doleis ; fiunt pingues*. Victoriana : *Quibus in tenebris cumularim positum est*. Scilicet : *Quibus in tenebris cum asatim positum est*. Qui de operculo imponendo multa tradunt, si ad tenebras respexerint, jam clausos esse Glires atque operculatos fatebuntur. Larga itaque manu ad Glirium saginam ponenda sunt cibaria ; ideo præcedunt : *in hoc dolium addunt glandem, aut nuces juglandes, aut castaneam*.

Ad Apes, quarum cultum tibi etiam cordi esse scio, pervenimus, de quibus multa tibi scribam. *Merula, ut cætera fecit, ἰσοῤῥικῶς quæ sequi meliturgi soleant, demonstrabit*. Primum Aldum invenio qui ἰσοῤῥικῶς, aut e cœno recepit, aut excogitavit, cum antea ederetur *hylisicus*, quod in Ursini codice erat ὑλικῶς. Hoc autem maxime quadrat ; Appius enim ἰσοῤῥικῶς loquitur : Merula de materia ipsa sive de arte. Pari ordine lib. II. : *ego vero, inquam, dicam dumtaxat, quod est ἰσοῤῥικὸν, de duabus rebus primis quæ accepi, de origine & dignitate : de tertia parte ubi est de arte, Scrofa suscipiet*.

Ubi non resonent imagines ; hic enim sonus harum fugæ causa existimatur esse. Procerum esse oportet. Vetustiora edita & uterque Florentinus codex ac Venetus *causa* carent ; quo subducto, adhuc perfectus sermo existit. Deinde : *Procerum esse oportet aere temperato*. Primæ editiones : *Præterea procerum esse*. Venetus liber & Florentinus uterque *procerum* tantum, ut Cæsenas *præterea*. In tanta scripturæ varietate anceps sum quid sit conjiciendum. Equidem *procerum* tanta codicum fide confirmatum damnare non audeo, quis enim eo locum significari neget, ubi cera colligitur & paratur ? De Apum sede certe Varro ibi loquitur, *ut spectet potissimum ad hibernos ortus*. Neque tamen rejiciendum *præterea* antiquum item, &, quamvis non necessarium, non inutile.

Ocymum, Cyperum, Medica. Nemo Cyperum ad mellificium commendat ; quoniam huic flos nullus præter filamenta Apibus non apta. Propterea neque apud Jensonium reperitur, neque apud Crescentium qui reliqua a Varrone desumit. Cæsenas vero codex inter Ocymum & Medicam medium *Apium* statuit Apibus gratissimum. Siquis tamen *Cyperum* retinendum statuat, *Cypiron* legat, quod est Gladiolus, ut exponit Plinius. Quin etiam id Georgius Alexandrinus in Varrone reperisse videtur, quod non *Cyperum*, sed *Cypiron* commemoravit. Porro Gladiolus ob flores ad mel non inutilis inter stirpes Apibus inservientes tam a Columella quam a Palladio recensetur.

Etenim ab æquinoctio verno florere incipit, & permanet ad alterum æquinoctium autumni. Vel *alterum* abundat, vel *autumni*.

Alvos

Alvos ubi ſint. Primam vocem repudiat Victorius ; *quomodo enim*, inquit, *debuit eo verbo uti, antequam vim illius expoſuiſſet* ? Attamen ſupra uſus fuerat : *extra oſtium alvei obturant omnia*. Verum, eo remoto, proxima cui adnectemus : *ex viminibus rotundas : alii fictiles, quadratas, longas, latas* ?

Vitiles ſimo bubulo oblinunt intus & extra, ne aſperitate abſterreantur. Etſi doctiſſimorum virorum auctoritatem ſemper vereri ſoleam, tamen aliquando veritatis determinandæ ſtudio ab eadem recedere cogor, ceu nunc Victoriana, reponendo ex primis editis *fictiles*, quod ſupra ex alio Varronis loco commemoravi, pro *vitiles*. Fictilia enim aſpera quidem & dura, niſi ſimo bubulo obliniantur, gluten quo favi ſuſpenduntur, reſpuunt. Hac de cauſa qui alvos ex ligno conficiunt, intus impolitas relinquunt, quo facilius committantur favi. Contra vitilia ſimo extrinſecus tota ſtipanda ſunt, non ob aſperitatem, ſed ad aerem prohibendum. Intus ſimo non tanguntur.

Sed ſi tranſituræ ſunt Apes, ea Apiaſtro perfricanda. Extremum, ut in Jenſonio & Cæſenate exemplari, melius *perfricandum*. *Ea* autem pro *eo*, ut *qua*, *quaad* pro *quo*, & *quoad*.

Ne cum animadverterint aut inopiam eſſe habuiſſe dicantur, aut cum ſunt Apes morbidæ propter primores vernos paſtus. Ab his vetuſtiſſima differunt : *aut inopiam eſſe habuiſſe dicitis ait cum*. Præcipiente ſupra Varrone, ſi Apes de alvo in alvum in eodem loco ſunt tranſituræ, quid ſit faciendum : nunc quid præſtandum & obſervandum, cum minime ſint tranſituræ, doceri credo ; quia aut fame vexatas, aut morbo laborantes conſtat non eſſe traducendas. Hinc legerem : *næ* ſive *nam cum animadverterint aut inopiam eſſe* (eſſe pro *edendi* vel *eſcæ*) *habuiſſe, devitant* ; *aut cum ſunt*. Sin vero prima edita reparare malueris quæ ſunt : *aut inopiam eſcæ habuiſſe dicatur, aut*, verſo *dicatur* in *vitatur*, omnia plana ſequentur.

Neque quæ afferuntur ad quatuor res faciendas, propolim, erithacem, favum, mel, ex iiſdem omnibus rebus carpere dicuntur. Malo ex primis editis *dicunt*, quam Aldinum *dicuntur*. Ideo *dicunt* ſimplex miniſterium præberi e malo Punico : duplex ex Faba, atque Apiaſtro : triplex ex Nuce Græca, & Lapſana.

Necnon etiam aliud diſcrimen ſequantur in carptura, aut eas ſequatur ; ut in melle. Significare videtur Varro, quod, etſi Apes diſcrimina ſervent, dum ſuccos carpunt, cum alium ad erithacem ſeponant, alium ad mel, alium ad favos, alium ad propolim, tamen alia diſcrimina contingunt in iiſdem rebus quas ſecernebant, ut in melle quod

ex alia re liquidum fit, ex alia ſpiſſum. Propterea: *necnon etiam aliud diſcrimen ſequantur in carptura, aliud eas ſequatur* (vel *ſequitur*) *ut in melle.*

Quod ex alia re faciunt liquidum mel, ut ex Siſere flore. Diligentiores Varronis interpretes ex *Siſaræ* legunt, & duplici via exponunt; alii *Siſaram*, ut in Eubœa olim vocabant, eſſe Ericem tradunt, Plinii teſtimonio; alii *Siſaram Siſer* credunt, & Paſtinacæ generi adjiciunt. Quas profecto ſtirpes Apibus inſervire fatemur, verum mel quod ex his paratur, eſſe liquidum, id pernegamus. De primo ita Plinius lib. XI.: *tertium genus mellis minime probatum ſilveſtre, quod Ericeum vocant. Convehitur poſt primos autumni imbres, cum Erice ſola floret in ſilvis, ob id arenoſo ſimile.* Id etiam ex ipſius Erices natura declaratur. Componitur Erice, floſque ejus, cui in re medica primus datur honor, partibus ſalinis, tenuioribus, & ad motum maxime aptis, quibus ſumpta viſcerum infarctus tollunt, obſtantia expellunt, medentur calculoſis, ac craſſis lentiſque ſuccis laborantes juvant. Quapropter ad illarum ſtirpium quæ magis aqua quam ſalibus conflantur, claſſem nequaquam revocanda eſt Erice. Verum contra iis adjicienda quæ minimis, ſed maxime mobilibus principiis conſtant, quale habetur Origanum, Serpullum, Thymum, Majorana, Ros marinus. At mel quod de hujuſmodi ſtirpibus carpitur, quis liquidum dixerit? Spiſſum profecto & denſum; denſat enim & ſpiſſat ſal. Porro quibus rationibus eorum qui Ericem ſive Siſaram introducunt, ſententia infirmatur; eorum item opinio refellitur qui Siſer in ſcenam admittunt, & Paſtinacam putant. Aliud quidem eſt Siſer, aliud Paſtinaca. Quod tamen non moror. Ultro id iis largimur, qui ſæpenumero de illis diſputant, quæ maxime ignorant, atque habent in poſtremis. Illud ſolummodo explanandum arripio, neque ex Paſtinacis, neque ex Siſere, ſive, ut malunt, Siſara liquidi mellis carpturam fieri. Aromaticæ enim hæ ſtirpes, ſalibuſque quam plurimis compoſitæ, ut Thymum & Apiaſtrum, quidquid mel præbent, ſpiſſum præbent, & denſum. Quare ad eas ſtirpes devolvimur, quæ aqueo humore abundant, ceu Faba, Lens, Medica, Cytiſus, Piſum quas Apibus quoque commendant. Hujuſmodi flores peculiari naturæ conſilio aptiſſima ad ſervandum humorem forma præditi ſunt: præterea ut leguminum conditio fert, inter omnes ſuccoſiores aquoſioreſque liquidum mel exhibere poſſunt. Hinc legumina omnia damnata in cibis; quippe ob nimiam aquæ copiam inflationem intereanorumque diſtentionem inducunt. Et hac de cauſa Fabam Pythagorica ſententia improbatam videmus; ſiquidem ut legumen inflat, mentemque

per-

perturbat. Nunc ex Creſcentio Varroniani loci caſtigationem adducam: *Item ex alia re faciunt liquidum mel, ut ex Ciceris flore.* Quæ in vernaculum ſermonem Franciſcus Sanſovinus ita reddit: *Et d' una coſa fanno mel liquido, come del fior del cece.* Hæc ſi diligenter attendantur, non defenſorem modo, verum etiam approbatorem invenire poſſunt. Quibus ſi forte minime acquieſcis, aliud legumen ſubſtituam *Ciceræ* nempe ex Politiani ſcriptura *ſiſeræ*. Eſt autem *Cicera* ex Lathyri genere, quam Columella & Palladius deſcribunt, eandemque antiquum nomen hic ſervare non ignoras, cum vulgo in gracili ſegete, collinoque arvo ſeratur.

Cibi pars quod potio, & ea iis aqua liquida, unde bibant, eſſe oportet, eamque propinquam. Eadem ſic tibi exſcribam: *cibi pars quod potio, & ea iis aquam liquidam, unde bibant, eſſe oportet, eamque propinquam.* Nam Apibus mel cibus, & potus. *Et ea* velut *& eo* pro *ideo*, ut Terentius *Eun.*

Eone ferox, quia habes imperium in belluas?

Plautus *Aulul.*

Eo dico, ne me theſauros reperiſſe cenſeas.

Aquam vero *liquidam* tum ex Creſcentio accepi, tum ex illo *eamque propinquam* conjeci.

In quæ addunt lanam purpuream. Melius *lanam perpuram*; nam omnia coloribus fucata Apibus contraria. Columella confirmat: *quibus liquoribus mundam lanam imbuere oportebit.* Quid? Creſcentius apud Varronem id nactus erat; ſcribit enim: *alii aquam mulſam, ut ſit prope, curant, in quæ addunt lanam puram.*

Eximendorum favorum ſignum ſumunt ex ipſis, cum plenas alvos habent, & cum illos germinaverint, ex Apibus. Quibus veteres codices diſſimiles. Victorianus enim: *ſumunt ex ipſis viris alvos habeat, vem congerminarit.* Eadem in S. Reparatæ libro præter *nem* pro *vem*. Politiani autem lectio: *ſumunt ex ipſis viris alvos habent nem congerminaverint: conjecturam capiunt.* At Cæſenas exemplar: *ſumunt ex ipſis curis alvos habeat, nam cum germinarit.* Venetum demum: *ſumunt ex ipſis viri ſalvos habeat nem congerminarit.* Quæ quamvis vitiata, meliora tamen quam quæ Aldus ac Parvus ſecuti ſunt. Nunc videndum qua via antiqua reparare poſſimus. Itaque illud *viris* vel *curis* cum Popma lego *furis* vel *fureis*; quippe ex Fucis, quos *fures* appellat Varro, maturæ mellationis ſignum eſſe capiendum tam Columella, quam Palladius oſtendunt. Hinc pergentes reliqua ſic adumbrare poſſumus: *fureis ſi alvos habeat; nam cum germinarit, ex Apibus conjecturam capiunt,*

piunt, ſi intus faciunt bombum. Vel hoc modo: *fureis alvos habeatne; nam cum germinarit.*

Et cum introeunt, ac foras trepidant. Separanda ſunt: *Et cum intro eunt ac foras, trepidant.* Videlicet: intro ac foras volitant feſtinantes; nam *trepidant* pro *feſtinant*, ut Virgilius in *Georg.*

Tum trepidæ inter ſe coeunt, pennisque coruſcant.

& *Æneid.* XII.:

Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves.

Horatius item *Carm.* II.:

Cujus octavum trepidavit ætas
Claudere luſtrum.

Et ſi opercula alvi cum remota ſint, favorum foramina obducta videntur mellis membranis. Manu exarati libri ab his diſcrepant; Victorii & Politiani: *& ſi opercula alvum cum remoreiſſi:* Cæſenas: *& ſi opercula alvi cum remoreiſſi*: Venetus: *& ſi opercula alvi cum remoreiſſi.* Ego opinatus ſum hoc modo legendum eſſe: *& opercula alvum cum remoreis, ſi favorum.* Quæ poſtea S. Reparatæ codice confirmari video; ibi enim: *& ſi opercula alvum cum remoreis ſi favorum.* In his primum *ſi* abundat; quippe appoſitum, poſtquam *ſi* ante *favorum* τῷ *remoreis* adhæſit. *Remoreis* autem vel *remoris* pro *removeris*, quod in alio minoris vetuſtatis libro invenit Politianus. At *alvum* pro *alvorum* tenes. Pro *mellis* vero *membranis* exſcripſit Creſcentius: *quaſi membranis*, idque interpretatur Sanſovinus: *quaſi coperti da una pellicina.* Non abſimili voce utitur Columella: *Ergo cum rixam Fucorum & Apium ſæpius committi videris, adapertas alvos inſpicies, ut, ſive ſemipleni favi ſint, differantur, ſive jam liquore completi, ut ſuperpoſitis ceris tanquam operculis obliti, demetantur.*

Si vero alvus non fit fertilis, ubi quid eximatur. Prima formis excuſa: *ſive alvis. Non fit fertilis, niſi quid eximatur.* Cæſenas vero liber: *ſive alvulis non ſit fertilis, niſi quid eximatur.* Hinc legendum credo: *ſane alvos non fit fertilis, niſi quid eximatur.* Non dempto melle, inertes fiunt Apes.

Exemtio cum eſt major neque univerſam neque palam facere oportet. Sæpe ſuſpicatus ſum, & adhuc ſuſpicor *major* inſititium eſſe: ſatis *exemtio cum eſt*, nempe cum eximendum eſt. *Univerſam* quoque primæ editiones improbant ſervantes *numeroſam*, quod ad partes X., de quibus locutus erat Varro, refertur.

Et prope apponendum bene olentium herbarum maxime Apiaſtrum & Thymum. Redintegrantur iſta in Creſcentio; qui ſumpſit: *& prope apponen-*

ponendum aliquid bene olentium herbarum, maxime Apiaſtrum & Thymum.

Promum e die quam maxime tempeſtate bona. Rectius: *Promundum quam*, ut *colligendum eas*, *reponendum.*

Deinde concutiendum leviter, ut manu non tangas, & ponendæ in ſole. Vetera edita: *leviter ipſo vaſe*, quæ etiam Cæſenas exemplar exhibet. Politianus autem ex optimo libro: *Leviter ipſo vaſo* ab antiquo *vaſum*; ex altero: *leviter ipſum vas*, quæ de S. Reparatæ libro utique accepi. Autumo itaque vel integrum eſſe ex Politiani manu locum; vel legendum *leviter ipſas vaſo.* Creſcentius pleraque tranſcripſit, nonnulla tamen mendoſa; quorum commemoratio non inutilis videbitur: *& concutiendum leviter vas, & Apes manu ne tangas, & ponendum in ſole.* Ex his *ponendum* reciperem; quoniam toties eadem formula hic utitur Varro. Id in Vaticanis codicibus *ponendo*, fortaſſe veteri ſcriptura *ponendom.*

Relinquitur tertius actus de piſcinis, de quo exigua quædam ſubnectam, & primum: *ac cepti ſunt a præcone renuntiari.* Hoc in optimo exemplari *recinii*, ſed cum duobus *ii*, ut longæ vocales inter veteres notabantur, ceu *mariinus* in antiquis monumentis.

Quod cum piſcinarum genera duo dulcium & ſalſarum: alterum apud plebem, & ſine fructu, ubi lymphæ aquam piſcinis noſtris miniſtrant. Arbitror: *& ſine ſumptu*; quoniam maritimæ *ædificantur magno, ſecundo implentur magno, tertio aluntur magno.*

Non mirum, uno tempore enim memini hunc Cæſari duo millia Muræ-narum mutua dediſſe in pondus. Cur antiquiora edita poſthabentur: *ſex millia*, quæ Plinius confirmat & Macrobius?

Quis contra maritimas non ex piſcinis ſingulis plures conjunctas habet? Pluris nam ut Pauſias. Jenſoniani libri, Cæſenaſque exemplar & Venetum: *conjunctas habet pluris? Nam ut Pauſias.*

Nam ut Pauſias & cæteri pictores ejuſdem generis loculatas magnas habent arculas, ubi diſcolores ſint ceræ, ſic hi loculatas habent piſcinas. Jure ac merito *magnas* Urſinus rejecit; *τῷ arculas* enim non convenit. Id tamen arbitror extra ſedem jacere, & quondam ad *loculatas piſcinas* pertinuiſſe. Animadvertere quoque oportet ſitne *arculas* retinendum, an vetus excuſum *areolas* ſive *areulas* reſtituendum, cum pictores loculatis arculis utantur ad reponendos colores, tabellis ſive areolis ad pingendum.

Neque ſatis erat eum non paſci piſcinis, niſi eos ipſe paſceret ultro. Quod compreſſis labris mecum meditor, viſne proferam? En tibi: *non paſci piſcibus, niſi eos.*

Sed

Sed de hac portentosa piscinarum luxuria videamus alia: *ut architecto permiserit, ut suam pecuniam consumeret*. Vetus & communis codicum lectio: *vel ut suam*. Ubi *vel* idem atque *etiam* capitur, quo Terentius usus:

vel hoc quis non credat?

Quo Virgilius

vel Priamo miseranda manus.

Hæc cum scriberem, atque animadverterem, numquid ex Varrone scribendum relinqueretur, afferuntur mihi Venetiis IV. R. R. exemplaria Lipsiæ prodita, & ab egregio viro Casparo Fritschio dono missa, quorum unum affabre compactum cum epistola tradam tabellariis, ut quàm citissime habeas, & summum ornamentum tuæ bibliothecæ imponas. Vale.

Dabam Patavio VI. cal. Quintil. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA LIII.

De Lipsiensi Rusticorum Scriptorum editione, & de fragmento, falso Gargilii Martialis titulo nuper prodito.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

IN longinquas Alpes jam iter suscipienti, ut nuperrima mea epistola IV. cal. Quintil. tibi significavi, redditæ mihi sunt tuæ literæ, quibus de Lipsiensi Rusticorum Scriptorum editione gravius quam natura tua fert, dolebas, & nonnihil tibi commotum esse stomachum hoc pharmaco mecum querebaris. Quod secus atque exoptabam, tibi contigisse, graviter molesteque fero. Sed vide quid inter me & te intersit: tu quasi heluo totum ad librum te dedisti, jejuno animo: ego qui jampridem multa mente præceperam, eademque ex communi fama futura mihi proposueram, ita paratus accessi, ut pleraque qualia prospexeram, invenirem. Itaque res rustica apud me anceps fuerat, quippe Germanus homo de iis quæ apud Italos in usu sunt, haud secus scribere valet, atque Italus de cerevisia conficienda, aut de Brassica Germanico jure condienda. Adde eum qui politioribus literis vacans, multis præterea officiis, occupationibus, publicisque inuneribus implicitus tetri-

tetricum ruris ſtudium aut noſcere non potuit, aut contempſit. Tamen multa quæ agriculturam adjuvant, nactus ſum, quamvis librum ſubſultim evolverim. Non me fugit editorum diligentiam nonnunquam deſiderari poſſe; nam emendatiorem, utpote ex aliis exſcriptam, me quoque ſperaſſe fatebor. Quis tamen operarum aut editorum vitia Geſnero reprenſioni vertere poterit? Quamvis enim hujuſmodi errata Victorio culpæ aſſignentur, quæ, non curante editiones Victorio, in poſterioribus editionibus inveniuntur, nihilominus nunquam ob aliena menda Geſnero rem ruſticam excudendam curanti quicquam detractum velim; ſummæ enim imprudentiæ eſt, ſummæque injuriæ id alicui inculpato objicere, in quo tu frequentius peccare potes. Eadem operarum negligentia animadverſionum tituli contrahuntur, aut immutantur, quo factum eſt ut pleraque evaneſcant. In Victorianis hoc præcipuum habeto. Quod, ut exemplo pateat, cum edidiſſet Victorius: *Faculas ruſtarias X.* hic relatum eſt *ruſcarias* tantum. Similiter: *Aceris frondem iligneam: & Viti ſicca alligato* cum Victorio principia eſſent, Lipſienſes operæ alia fecere: *Acus, frondem iligneam: & viri ſicca alligato*. Necnon hæc item Victoriana argumenta: *quam privati candidati tabella dum ita: Terra ad ea obruenda pulvinos fieri: Itaque in Vejis, ut in Papinia*: illæ ita reddunt: *Tabella dimidiata: Terra adruenda: Itaque in iis*. De noſtris vero ut conjecturam habeas, ex duobus præſtabo. Scripſeram ex Columellæ lib. XII. cap. IV. de condiendis herbis: *Quoniam fere maturis atque trimeſtribus conſummatis ſationibus*, eaque ex veteribus editionibus comprobaveram. Quid cenſes mihi ab operis attributum? Vitiatis me illaquearunt, atque ita ſcribentem induxerunt: *Vere maturis atque trimeſtribus: vera lectio*; quaſi *vere* ab Aldo proditum, & in iſta editione retentum ego unquam approbaſſem, cum priſcum *fere* eſſe revocandum oſtendiſſem. In Palladii autem libro I. cum Aldinas editiones contemptui habuiſſem, in quibus legitur: *neque gelu, neque nebula, neque alio malo poſſit noceri*, & primos editores laudaſſem qui exhibent: *neque aliquo animali poſſit noceri*, idque ex Africani libris exſcriptum oſtendiſſem, negandi particula poſthabita, vitii me laudatorem fecere, ut hinc reprenſionis anſa arriperetur.

Quapropter procul a vero eſſe exiſtimo, quod tu ſuſpicaris, Geſnerum, huc & illuc nequis ex Italia caput exereret, concurſando, operi excudendo minus vacare potuiſſe: verum, eodem gravioribus ſtudiis, & occupationibus interpellato, auctores vitiatos eſſe & corruptos opinor; vir enim literarum humanitate imbutus quid fama, quid officium, quid hominum expectatio, quid poſteritas a ſe poſcebant, ignorare non poterat.

rat. Sed esto, ut scribis, nostra ut abdita essent, neque lucem, si fieri posset, aspicerent, qua potuit diligentia curavit. Huc atque illuc dispersit inhonora atque abscondidit. Tabulas ipsarumque explicationes eo animo distribuit, ut non nostra, sed Gesneriana existimarentur. Nonnulla itaque præmisit, deinde nostra annexuit nullo intervallo aut indice separata. Quamobrem qui meum nomen in extremis legerit, id a nobis tantum; reliqua sine nomine a Gesnero prodita reputabit. De suis vero nihil, nisi ampla forma, & magnifice exornatum edendum sivit. Tum a magno illo rustico apparatu, quæ a nobis restituta sunt ad rusticos auctores intelligendos maxime attinentia, rejecit; ubi enim *seges* ut nos explicavimus; ubi *arvum*; ubi *origa* & *auriga*; ubi *focus* & *foculus*; ubi *capiuntur* prisca significatione, & *præcipio*; ubi *fictores* & reliqua a *fico* pro *feco*; ubi *ferarius*; ubi *articularius*; ubi *curia* pro *cœnaculo*; ubi tot alia? Cur posthabuit, quæris? Hæc omnia quæ tu diligentissime collegisti, a me in compendium redacta, quanti sint momenti, facile ostendam. Ut Italiæ decus, inquis, demeret Gesnerus, adderetque Germaniæ, nos depressit, abiecitque inhonoros & dispersit: suos autem seque extulit, & in sublimi collocavit. Credisne tam emotæ mentis esse Gesnerum, ut nos homunculos quicquam ad Italiæ ornamentum conferre arbitretur; aut, nobis extra lucem remotis, Germaniam illustriorem futuram speret? Hoc si dabis (quod nullo modo inficiari potes) pueri est credere quæ ex te commemoravimus, ad Gesnerum pertinere. Nos enim Italiæ particula sumus, & quamvis pro virili connitamur, ne præstantissimæ parenti dedecus simus, tamen veremur maxime, ne nos genuisse aliquando se pudeat pigeatque. Ergo, nobis inter tenebras positis, minus Italiæ gloria renidebit? Nobis prostratis, ab antiqua literarum & laudis possessione dejicietur? Quapropter nemo sanus in nos velut degenerem sobolem arma ferat: adversus duces, & imperatores, strenuosque milites quos plurimos enixa est Italia atque enitetur, generosi animi est copias ducere & pugnare, veramque existimationem, non nostris amputatis argumentis, posthabitis voculis, lucubratiunculis neglectis, sed, illis subactis, sibi comparare. Quare vel casus, vel incuria cudit, quæ modo referebam.

Eadem de causa antiquarum lectionum multa posthabita videmus; ideoque cum ea quæ Politianus ex antiquissimis libris exscripserat, utilissima sint, cognituque maximopere necessaria, XC. prætermissa ex cap. II. libri secundi Columellæ vir præstanti ingenio & moribus ornatus Hieronymus Lagomarsinius, collatis Lipsiensibus cum Politiani libro, ad nos scribit.

Sed

Sed ad ea quæ graviora exiſtimas, veniamus. Nemini, inquis, perſuadere poterit Geſnerus, ea ſe inveniſſe, primumque excogitaſſe quæ a te Lipſiam miſſa inter manus habebat. Quis enim ante te de Creſcentio in illa re ſomniavit unquam? Quis de Catonis libro? Catoniana omnia eſſent, an contra, a quo eſt ante te oſtenſum? Quis de Columellæ volumine *de arboribus* inſcripto ea quæ tu collegiſti, meditatus eſt? Tu quidem, mi Andrea, harum rerum minus aptus judex quæſitorque videris, quia amanter magis quam ſevere cauſam pendis. Nemini quidem quæ memoras, poſſe perſuadere, Geſnerum ſe inveniſſe, quorum auctor in ejus domo verſabatur, libenter tibi concedam. Attamen quod tu excogitaſti, cur me quoque poſſe comminiſci negabis? Quibus tamen occurris; ſi enim, ais, hæc contra receptam opinionem valerent, quod Homerus, Pindarus, Virgilius, Horatius in poeticis præſtitit; quod Plato, Empedocles, Democritus, Ariſtoteles, Carteſius in phyſicis; quod Hipparchus, Ptolemæus, Tichon, Galilæus, Copernicus Caſſinus in cœleſti diſciplina; quod denique quiſque in unaquaque ſcientia & arte vel invenit, vel expolivit, ea omnia præſtaret Geſnerus.

Urges deinde gravius, ut tuis verbis reddam. *Cum itaque tanta excelleret divinandi vi, ut hominum cogitationes præſciret, & prænoſceret, præter illa quæ leviter perſtrinxi, alia etiam pro ſua humanitate a te ſumpſit non mutua quidem, ſed ut propria, tuo dempto nomine, quæ tu imprudens Lipſiam miſeras, ceu in Catone illa quæ incipiunt: argumenta: trimeſtrem: Harundinem diſponito: mutat, exprimat: ſiquid contuſum: diſſunapiter.* Quibus addas, ſi vis, in Columella: *relaxa humo: reſecato: Seſama quæ rigantur, maturius.* De quibus omnibus non perinde ſentio, ac de cæteris, eaque ſcribæ indiligentiæ & ſocordiæ, non Geſnero aſſignes, velim.

At etiam in nos dicaculus evaſit, noſtraque ejus fidei tradita & commiſſa ut ederentur, temere habuit, immiſcuit, dictis perſtrinxit & carpſit, eorum vim infirmare & diſſolvere conatus; quod nemo ſuſpicatus eſſet; quia ſacra & intemerata eſſe oportebat. Adde quæ literis officioque impetrata erant; haud enim ignoras quanto ſtudio & contentione enixi ſunt, ut quid ſibi mitteremus. Vereor itaque, ne huic uni fortaſſe poſſit Geſnerus reprenſioni ſuccumbere. Etenim de iis quæ excuſa in publicum uſum emittuntur, quiſque veritatis gratia ſcribere ſine famæ detrimento poteſt, cum illa quæ ab amicis veniunt, propter editionem expetita, non propter reprenſionem miſſa religioſe & ſancte habenda ſint, & potius illi reddere ac remittere a quo accepimus, debeamus, quam verbo carpere dictoque lædere. Quod ſi inofficioſum videbatur,

batur, de dubiis & obſcuris, aut non neceſſariis, ad me ſcribere quid vetabat, præſertim cum viverem, atque ejus voluntati abunde ſatisfacere poſſem? Hæc tamen nos noſtris moribus pendimus & exiſtimamus. Sed non omnis tellus omnia gignit. Nonne videmus alia in alia regione atque alia in conſuetudine eſſe? Mos patrius virginibus Gallicis & Belgicis non denegat hoſpites & amicos paternos oſculo excipere, quod apud nos nefas habetur. Contra mulieres & virgines noſtræ in conviviis cum hoſpitibus ſedent honeſte, quod Turcicis ita interdictum eſt, ut ne in via quidem conſpici a viris poſſint, aut ſalutari. Fieri itaque poteſt, ut quod noſtra inſtituta rejiciunt & averſantur, quorumdam mores non improbent. Quapropter quæ excuſari & defendi hac de cauſa poſſunt, accuſare deſinamus; præſertim quia modeſte & circumſpecta mente noſtra perpenduntur. Nam illud etiam quod tu ſumme injuriosum ducis, dum ſcribit quodam loco Geſnerus noſtros de veteri anno commentariolos a ſe deſiderari, alio addit ſe neſcire quid poſt Scaligerum & Petavium de cæleſti ratione veteri annorumque regula ſit ſcribendum, inter beneficia habeo, & amplector; vir enim ſummæ prudentiæ altique ſpiritus proſpexiſſe videtur, quam anceps & difficilis eſſet de hac materia tractatio, cui ſi dicto audiens fuiſſem, minus nugarum a nobis haberes.

Quod vero de Gargilii Martialis fragmento ſcribis, repetam tuis verbis: *Quod ne dea quidem Cloacina in ſua ara coli vellet, inter præclara antiquitatis monumenta verſabitur?* Pergis deinde: *Quid in eo primum improbem, & quid deinceps? Illiuſne levitatem qui Gargilii Martialis titulum inſcripſit; an vecordiam, qui commentariis illuſtrandum curavit; an improbitatem, qui ſpecioſo nomine juventutem decepit; an ſtultitiam, qui tantum flagitium diu latere exiſtimavit? Non enim Gargilii Martialis, aut politioris cujuſdam ſcriptoris reliquiæ, ſed barbariæ purgamentum, quod ea quoque quæ de Catone exſcripta ſunt, fœdiſſime commaculavit.* Quæ cui exprobres, non percipio; Geſnero, non puto; nec potes; ſiquidem in eos conferenda omnia ſunt, qui rei Ruſticæ editionem hoc cœno ornatam jam diu polliciti ſunt, edendumque id ipſum juſſerunt. Novi enim editorum mores, & quam magnificis pollicitationibus emptorem invitent, teneo; ideoque ſine ulla dubitatione tibi aſſerere audeo, inter Latinos Rei Ruſticæ ſcriptores fuiſſe hujuſmodi quiſquilias prodituras, quamvis ad hoc opus Geſnerus manum non admoviſſet. Nam de *Calendario Ruſtico Farneſiano* quid miramur, ſi tanquam germanum, & antiquum conjunxit? Quot alii ſummi nominis auctores ab eodem decepti ſunt, & quotidie decipiuntur?

Hæc

Hæc ſunt præcipua quæ tibi gravia & moleſta viſa: quæ tamen me nihil ſolicitum habent. Ut primum philoſophiæ ſtudio me addixi, & hominum mores penitus inſpexi, ita me inſtitui & compoſui, ut quæ extrinſecus mihi contingerent, ad me pertinere non exiſtimarem. Odi propterea altercationes & lites, & ab omni jurgio me averti; quoniam cum ingenuis viris, tum maxime philoſophis id alienum eſſe ſtatuebam. Quamobrem nihil eſt in hoc opere quod me contriſtet, aut de quo gravius querar; & ſiquid eſt quod acerbe feram, id propter maculas nonnullas quibus ruſticum opus afficitur, mihi contingit. Verumtamen ſperare licet non diu in hoc ſtatu futurum.

Addam tamen nonnulla, ne ab omni reprenſione Geſnerum mordicus vindicem (mortalium enim nemo inculpatus atque irreprenſus vivit) & ne judicio tuo, quod ſemper facio plurimi, pondus ſubducam, in quibus male accipi poteſt, me incaſſum in ejus defenſionem connitente. Scriptum eſt a Columella libro I. c. VIII. *auctoritatem detrahere ad imperium*, quod malebam *ab imperio*, vel *de imperio* Tulliana ad Leptam miſſa imitatus: *quantum de illo libro, tantumdem de mei judicii fama detrahatur*. Detrahitur autem de imperio auctoritas propter villici adoleſcentiam, cui majores natu ſervi parere dedignantur. Quid ad hæc noſter Geſnerus? Nihil immutare oportet, inquit, quoniam *auctoritas ad imperium imperandi eſt, ut Canes ad venandum*. Quare Canes ad venandum, & Boves ad arandum, necnon arma ad pugnandum detrahere recte dicemus, ſi auctoritatem ad imperium detrahere, & quid ad librum, aut ad judicii famam demere Geſnero conſtat. Ego vero cum a majoribus acceperim auctoritatem ad imperium conferre, ut Canes vel Boves ad venandum, aut arandum parari vel inſtrui, hoc in ejus laude ducere nequeo.

Ad librum III. tranſeamus. Cum in ſeminario denſius, quam Julius Atticus ſolebat, malleolos Columella deponeret, propterea quia multi cultorum negligentia, cœlique ariditate depereunt, ex quorum *interitu* qui comprendunt, rareſcunt, iſtud *interitu* exiſtimabat Geſnerus eſſe vertendum in *interſitu* aut *interjectu*. *Nam*, ait, *ubi manu quædam ſeruntur, impedimento ſunt, ne invaleſcant aliæ herbæ*. Hæc docto viro excidiſſe nollem; dicet quis: O terque quaterque beati agricolæ iſti qui ſtirpes manu pangunt, quorum ſata nullis herbis contriſtabuntur! Quam optarem ex hujuſmodi hominum genere, iſtaque diſciplina ut aliqua mihi daretur copia; noſtri enim cultores, etſi manu in ſerendo utantur, & toto anno runcando & ſarriendo, ne inutiles herbæ incrementum capiant, laborent, tamen parum proficiunt; quippe noxiæ herbæ non prohiben-

hibentur, niſi in fœnili aut tabulato ſeminarium conſtituatur.

Invito quoque animo hæc ex libro V. cap. IX. commemoro: *Quidam melius exiſtimant oculis* (taleas oleagineas) *excolere*, quæ ſine vitio eſſe Geſnerus affirmat. Idcirco, urgebit aliquis, in malleolis deponendis adhibenda eſt manus, ut prohibeantur herbæ: in oleagineis taleis oculi præſtant. Cæci itaque ab oliveto abigendi ſunt. Quid ad hæc reſpondere poſſumus, præſertim cum in promptu ſit, & ante oculos emendatio? Cum tradidiſſet Columella taleas totas ita eſſe humo immergendas, ut terra quatuor digitos alte ſuperveniret, addidit, quoſdam melius exiſtimare qui totas non occultant. Quapropter: *Quidam melius exiſtimant oculis extollere*, nempe oculis ſubiicere non totas depreſſas, ut ſine indicibus colantur.

Nequam quoque mallem prætermiſſum a Geſnero, quam eo modo confirmatum. *Nequam*, inquit, *ſarmentum ſterile*; quod per translationem ſignificare nemo non fatebitur; alias quis ſtirpem *nequam*, id eſt malam dixerit, niſi ſterilem intelligat atque infœcundam? Nunc auctoritatem qua illuſtrat, attende: *Sic nequam hoſtum Catonis & Varronis habuimus*. Igitur *hoſtum* ſive *hauſtum* infœcundum & ſterile, & cum hauſtum de oleo dicatur, oleum etiam infœcundum habendum eſt.

Habes de *nequam* quid in Geſnero exoptem: nunc tu viciſſim quid ſibi velit *alteras deponere*, mihi inveſtigato enodatoque. Animadverteram jam diu in Columella lib. V. c. X. hæc: *Primo vere antequam germinent, arbores deponito*, eſſe ſeparanda tali ratione: *primo* ——— *germinent arbores, deponito*. Tum *primo* ex lib. *de Arboribus* fuiſſe *ramos* ſuſpicatus fueram, quòd poſtea ex Politiani ſcripto confirmari intellexi; ſic enim in antiquo libro locus inventus eſt: *removeret aquam germinant*, nempe: *ramos vere, antequam germinent arbores, deponito*. Quid ad hæc Geſnerus? *Liceat*, inquit, *nobis etiam paulo mitiorem huic loco medicinam circumſpicere*. Itaque *alteras* pro *arbores* ſubſtituto, omnia in antiquum ſtatum redigi opinabatur. Attamen cui iſtud *alteras* annectendum eſt, aut quo accipiendum ſignificatu? *Arbores*, ſcribit Columella, *ac ſemina cum radicibus autumno ſerito, hoc eſt circa calendas & idus Octobris*: *ramos* (hoc eſt ſemina ſine radicibus) *vere, antequam germinent arbores, deponito*. Quibus congruit ſententia. At verſo *arbores* in *alteras*, quid ſit *deponere alteras*, niſi tu me quid adiuvas, omnino ignoro.

Capite etiam inſequenti cum legeretur: *at, ſi teneram Ulmum maritaveris, novam ſufferet*, cumque iſtud *novam* improbatum rejectumque videret, ſubſtituit aliunde petita: *onus nupta non ſufferet*, nimirum: Vitis

Ulmum

Ulmum ſuſtinere non valebit. Ideo Vitis, quæ cum ſit trunco ramiſque infirma, arbori apponitur, ut ab eadem ſuſtineatur, arbores fulcire & firmare debet? Dicet tamen quis: nuptam eſſe Ulmum. Ergo arbores Vitibus nubent? Hæc a tali viro probari vix in animum inducere poſſum, cum mendum nullo negotio tolli poſſit legenti: *noxam ſufferet*; ſiquidem arbor novella novella Vite cum maritatur, dum Vitis citius creſcit, quam arbor, hæc Vitis pondere aut necatur, aut ita affligitur, ut retorreſcat. Quare *arbores* (ut Plinii verba uſurpem) *maritare niſi validas inimicum, enecante veloci Vitium incremento.*

Minori quoque laude dignus videtur Geſnerus, cum agrum ſpurcum ſqualidum eſſe docet; quod *humida terra eadem graminoſa, ſicca eadem ſqualida.* Ex quo cognoſcimus agrum ſpurcum, ſive ſqualidum graminoſo opponi. Et quoniam in ſicca terra (qualis eſt fundus tuus in Sabuletis, ubi Graminum quæ de ſegete effodienda & legenda jufſeras, ingentes acervos comburi vidi) lætiſſimum Gramen procreatur, ſolum ſiccum ſqualidum ſimul, ſpurcum, graminoſum, atque adeo humidum habendum eſt.

Quid? Cum actorem alium a villico in eo Columellæ loco conſtituit, ubi de villico tantum agitur, & ea quæ villico attribuerat Cato, Catonis ferme verbis referuntur, ut: *ne villicus ſit ambulator: ne terminos egrediatur: ne negotietur ſibi, pecuniamque domini occupet: hæc enim negotiatio curam villici avocat.* Ubi igitur actoris perſona alia a villico? Ex quo ſervorum genere? Cui rei addicta? Quo officio prædita, & a quo conſtituta?

Jam vero *ſementim* a *ſatione* non diſtinguit, & hoc ad omnes ſtirpes pertinere cenſet: illud frumentis proprium reſervat, atque hæc ex libro II. in exemplum adducit: *Nam quæ limoſa verſantur arva, toto anno deſinunt poſſe tractari, nec ſunt habilia ſementi, aut occationi, aut ſationi.* Pravum eſſe locum non vidiſſe quis crederet, poſito *ſationi* pro *ſarritioni* ſive *ſartioni*? Namque ſemen ſparſum primum cooperitur, deinde occatur, denique natum ſarritur.

De porculatione tamen minus miramur; talia enim viro politioribus literis addicto noſcere aut ignorare quis laudi aut vituperationi dabit? Præcipit Columella libro VII. Sues jejuno ventre in paſcua non eſſe inigendas, *utique vere dum adhuc lactant. Viridia pabula Suibus plerunque nocent.* Contra Geſnerus *lactant* cum *pabula* conjungit, quia, ut addit, vere Sues porcos lacte non nutriunt. Quod non ita eſt firmum, ut cenſetur. Tradit Columella anniculam Suem non improbe concipere, ſed iniri debere menſe Februario, ut opportuno tempore

&

& uterum ferat, & pariat. At bimas, trimas, quadrimas parere vere neque Columella negat, neque quotidianus noſtri temporis uſus recuſat. Quis etiam ignorat quæ ſcribit Varro, porcos ſcilicet natos hieme fieri exiles propter frigora & lactis exiguitatem? Igitur cum annuus Suum fructus bifariam ſeparetur, curandum eſt, ut vere atque autumno naſcantur. Sed eſto: annicula Sus Februario menſe initur: parit ergo poſt quatuor menſes, nempe Junio; binis menſibus porcos nutrit, Junio nempe & Quintili. Superſunt in ver menſes ſex. Non dabis primiparæ matri, natis ab ubere amotis, menſtruam vacationem, præſertim cum hæc ad calculos non ſint ita revocanda, ut partus & fœturæ dies definitos, qui præteriri non poſſint, aſſignemus? Marem igitur rurſus Septembri menſe patiatur, enitetur propterea Februario. Quare Februario ideſt vere natos lactat. Porro de ſtirpibus lactentibus quæ ex Propertio, Virgilio, Ovidio, Plinioque affert Geſnerus, ita ſunt dividenda, ut aliæ proprie lacteſcere dicantur, ut Spica, Lactuca, Dens Leonis, Hieracium, Tithymallus; quæ quoniam non modo vere, ſed & æſtate & autumno atque etiam hieme, ſi perennent, lac effundunt, in ſuſpicionem non veniunt: aliæ figurate lactentes vocentur, hoc eſt nutriantur, ut Ovidius hoc carmine appellat:

Sata vere novo teneris lactentia ſulcis.

Quibus demas vitium, velim, *fibris* pro *ſulcis* ſubſtituto. Hoc item modo non accipi herbas a Columella *viridia* oſtendit, & *immatura*, quibus ſtirpes lactentes & tenellæ abunde declarantur. Erunt tamen qui de verbo *lactant* quod primus in Columellam tranſtulit Jenſonius, dubitent, cum in duobus codicibus Politiani ſcribatur *lanctiunt* & *laciunt*, in Goeſiano *lauciunt*, in Lipſienſi *lanciunt*, dum ſcilicet pabula adhuc tenera *laucinant* avideque ingurgitant, ut Apes Tithymalli atque Ulmi flores avidius carpendo in alvi proluviem incidunt.

In XI. quoque libro vitiato Politiani codice deceptus novum verbum *vervagere* & *vervagendi*, quod nuſquam invenitur, aut inveniri poteſt (nam vervactum unde originem duxerit, abunde præceptum eſt) Columellæ addere non dubitavit. Scilicet Politianus exſcripſit: uliginoſos & mediocris habitus campos *ſub æſtate veru agendos?* Fatentur omnes: tamen hic non poſteros monuit, ſe utique errata & prava non prætermiſiſſe? Annon optima erat Columellæ ſententia: *ſub æſtate vereve agendi* ideſt tractandi, ut in publicum uſum diu viguit? Quæ etiam, ſi libet Politiani ſcripturam ſequi, hoc modo ſtabit: *ſub æſtatem vervè agendi*; quoniam vernum tempus ab hujuſmodi terræ molitione non eſt rejiciendum, præcipiente libro II. Columella uliginoſos agros proſcindi

ſcindi debere *poſt idus menſis* Aprilis, hoc eſt extremo vere.

Sed mirari iterum ſuccurrit, cur depravatis denuo adhæreat? Exſcriptum a Politiano ex Catone offenderat: *ubi quinque vindemiæ eſſe poſſint*, vitioſe poſthabito numero V. qui primus fuerat. Quod ex Victorio declaratur. Hic enim ex eodem codice ex quo Politianus, hanc notam V. qua Aldi & Juntæ editiones, quibus utebatur Victorius, privantur, deprompſit, & ſuo loco primam repoſuit Catoni. Etenim quis permiſerit tot dolia eſſe paranda, in quibus quinque annorum vindemiæ condantur, & pro doliorum magnitudine vinariam cellam ædificandam? Id Catoni nequaquam, qui vendacem patremfamiliæ eſſe oportere tradit, & pro agri modo villæ aream amplectendam ſtatuit. In alterum annum ſæpe expedit vinum ſervare, ſi vilitas eſt; ſed cum nova vindemia urget, vel vili diſtrahendum eſt, ut pendens condamus.

Sunt alia hujus generis quæ perſequi neque otium erat, neque voluntas; quanto enim libentius ea ſpecto & ſuſpicio quæ laudibus exornare geſtio, tanto gravius & moleſtius ea retracto, quæ ab auctoris dignitate remota videntur. Cæterum ut ab hujuſmodi cogitationibus te abducam, Jaſmini Arabici baccas hodie ex arbore lectas mitto. Te belle curatum, cum ex Alpibus rediero, fac inveniam. Vale.

Dabam Patavio Prid. cal. Sextil. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA LIV.

Columellæ liber I. emendatur, illuſtraturque.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

EX literis quas III. non. Septembr. per tabellarios ad te miſeram, intellexiſti, poſthabito illuſtrandi Columellæ officio, ad alia ſtudium atque operam me tranſtuliſſe, tum ne aliorum placita improbando refellendoque tempus tererem, tum etiam ne mala pro bonis amplecterer, iis præſidiis quæ ex vetuſtis codicibus repetenda erant, deſtitutus. Ad hæc acceſſerat recepta jam tum, Alpes cum peterem, opinio, qua omnia, quæ, te jubente, ſuſceperam, perfecta & pro mea mediocritate conſummata eſſe mihi perſuaſeram; quandoquidem ſiquid

ex

ex Columella vel Palladio ſupererat, id ex Lipſienſibus commentariis opportunius ſumere poteras. Nunc quaſi a publicis & privatis actionibus vacem, otioque iners affluam atque exuberem, ut ad Columellam curam diligentiamque traducam, rogas. Numquid ignoras in proximum menſem, ut autumnalium ſtirpium naturam ad Alpium radices inveſtigem, profectionem me inſtituere, & quidquid otioli forte interceſſerit, in re herbaria libentius inſumere malle, quam agriculturæ vacando inter interpretum librariorumque ſordes conterere? Tale proficiſcenti viaticum tribuis? Hanc occupato vacationem paras? Hæc quidem te non fugiunt, qui & occupationes meas fateris, & eaſdem ut pauliſper ſeponam, exoras. Quin etiam reſici animum, & recreari rerum varietate ſubjicis, & hoc conſilio me a gravioribus ſtudiis interpellare, ut inter leviora conquieſcam. Tibi igitur leve opus videtur, omnique moleſtia vacuum cum operis atque interpretibus colluctari? Ego certe inter Alpium cautes montiumque aſperitates libentiori animo verſor, neque eſt ulla tam ardua atque intractabilis regio, ubi eſſe me potius non exoptem, quam domi veteres memorias perluſtrantem, vel aſſentando gratiam ab interpretibus quærere; vel eorum placita atque audaciam confutando totam congerronum turbam in me commovere. Quare dum me a naturæ contemplatione ad hujuſmodi otium & quietem revocas, moleſtiſſimo labore implicas, inque maximas anguſtias adducis. Verumtamen verane tibi narrari vis, qui jamdudum animum tuum perſpexi? Ut ab inſtituto itinere me avertas, noviſque diſcriminibus eripias, magno operi adjicis, cum certus ſis, ante me hiemem domi occupaturam, quam tot voluminibus diſcutiendis finem imponam. Huc amor animuſque tuus ſpectat: huc tuæ literæ & mandata me ducunt.

Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me
Deponas, lethumque ſinas pro laude paciſci.

Quamquam per culta loca iter facienti nullum ferme imminet periculum niſi ſua culpa: in aſperis atque inhoſpitalibus tantum omen timerem. Quare bono animo eſto. Jube mihi revertenti ut apud te focula ferveant mature, quando abeunti tam dure obſonas. Ego interea utrunque quod deſideras, curabo. Ante diſceſſum meum de Columella quæ noverim, perſcribam; in itinere autem omnia circumſpiciam, quo magis eſuriens ad te veniam. Quare, quoniam properandum eſt, de Columella ſtatim videamus, ſed hac lege: noſtra Lipſiæ prodita prætermittantur. Antiquis tamen lectionibus Lipſiæ editis ſic utar, ut Goeſianis maximum pondus attribuam, ſummamque auctoritatem. Aldo vero magnam dicam impingam, eundemque ad te judicem, non

pro

pro meritis, ſed, ut potero, exornatum mittam. Exordiar itaque ex præfatione, atque ex his.

Quod neque fas exiſtimare humi naturam quam primus ille mundi genitor perpetua fœcunditate donavit, quaſi quodam morbo ſterilitate affectam, neque prudentis credere, tellurem quæ divinam & æternam juventutem ſortita communis omnium parens dicta ſit, quia & cuncta peperit ſemper, & deinceps paritura ſit, velut hominem conſenuiſſe. Cum jam faſtidio ac contemptui eſſet Romanis res ruſtica, quod divitiis & luxu affluentes in otio potius & deſidia langueſcere malebant, quam in agro operi vacantes mollia deliciis, & libidinibus reſoluta corpora exercitationibus laboribuſque firmare, ne a majorum inſtituto ignavia, & ſocordia declinaſſe viderentur, terræ infœcunditatem, cœli frugibus genitalem ſpiritum contrarium, atque immutatam priſtinam naturæ ergo mortales benignitatem culpabant. Ideo tanquam cœleſti injuria repulſi, incultos agros ſeris ac pecudibus depaſcendos ac proculcandos; villaticas vero rationes quas optimus quiſque paterfamiliæ adminiſtrare optime ſolebat, tractandas lacerandaſque ignaviſſimis mancipiis relinquebant. Hujus itaque erroris cauſam, ſive potius excuſationis fallaciam ut aperiret Columella, antequam de arte ipſa ageret, publicæ perſuaſioni occurrendum judicavit; quod nemo tam animi impos invenitur, qui ſtudium atque operam in id quod communi deſperatione deſertum ſit atque abjectum, impendere velit. Non immutatum igitur cœli ſtatum, non effœtum vetuſtate ſolum, non conſenuiſſe rerum omnium parentem, aut aliam eſſe, quam quæ ſemper fuerat, & futura eſt, cum perpetua virtute divinitus prædita ſit, quod per ſe veram rationem intuenti ſatis clarum & manifeſtum eſt, demonſtrat. Ex iis hæc ſunt quæ prima propoſuit, quibus primum naturam tanquam quoddam principium, quod cuncta circumundique digeſta & diffuſa amplectitur, & fovet; deinde tellurem quæ eorum quæ in noſtro orbe fiunt, parens habetur, contemplatur. Cur quæ diſcreta ſunt, & diſtincta, confunduntur ab Aldo, & miſcentur? Cur naturam quæ in immenſum patet, & promittitur, terræ finibus concludit? Numquid *humi natura* alia eſt ac *tellus?* Idem igitur bis inculcatur. Hoc primum ab Aldo excogitatum, & receptum vulgo rejiciendum opinor, repetendumque cenſeo tam a primis impreſſis, quam a manu exaratis Politiani & Goeſii libris pro *humi naturam*, *rerum naturam*. Sequuntur:

Nec *poſt hæc reor intemperantia cœli nobis iſta, ſed noſtro potius accidere vitio, qui rem ruſticam peſſimo cuique ſervorum veluti carnifici noxæ dedimus, quam majorum noſtrorum optimus quiſque optime tractave-*

rit. In his item Aldus a veteribus editionibus declinavit; nam ante *optime* omisit *&*, quod sententiæ vim & lumen addit; præterea *intemperantia* ex *violentia* constituit. Hoc autem cur ausus? Antiquum esse in Columella *violentia* non testantur primi editores, qui a codicibus id acceperunt? Non confirmant Goesii & Politiani exemplaria, id ipsum dum servant? At improprium est? Quid est, amabo, *violentia*, nisi *major vis?* Ergo Plinio ea quæ in cœlo atque adeo in aere fiunt, vi majori attribuere licuit, Columellæ eadem violentiæ assignare non licebit? *Ante omnia* (inquit Plinius libro XVIII.) *duo esse genera cœlestis injuriæ meminisse debemus: unum quod tempestates vocamus, in quibus grandines, procellæ, cæteraque similia intelliguntur; quæ cum acciderint vi majori impelluntur*, sive, ut vulgo editum est, *vis major appellatur*. Equidem, si quicquam violenter contingit, quid ventis, quorum (dicam Plinii verbis) *& tonitruum & fulminum jactus violentiæ plerique assignant*, quid procellis, quid turbinibus, quid tonitruis fulminibusque violentius? Tamen putasne me esse sanum qui a Plinio præsidium peto, quod domi, idest apud Columellam habetur? Ait enim c. VII. in hæc verba: *Nisi si cœli major vis, aut prædonum incessit*. Quare *cœli violentia* & *cœli major vis* nonne de iis quæ in aere generantur, dicuntur. Vetera itaque antiquitate & exemplo confirmata repetamus. Quin extremum *tractaverit* a Goesiano exemplari admoniti in *tractaverat* vertendum censemus; quippe jamdiu mos ille colendi per senatores agros obsoleverat.

Verumtamen majori prudentia, ne veri specie fallamur, in proximis opus videtur. *Atqui ego satis mirari non possum, quid ita dicendi cupidi seligant oratorem, cujus imitentur eloquentiam, mensuram, & numerorum modum rimantes; placitæ disciplinæ consectentur magistrum, vocis & cantus modulatorem, nec minus corporis gesticulatorem scrupulosissime requirant saltationis ac musicæ rationis studiosi*. De quibus mihi attentius cogitanti ista: *placitæ disciplinæ consectentur magistrum* otiosa, atque aliena videri solent, & cujusdam monitum esse qui in libri ora, quemque disciplinæ qua delectatur, magistrum consectari, adnotaverat. Ædepol neque cum anterioribus connectuntur, neque cum insequentibus copulantur; nam qui dicendi cupidi sunt, oratorem cujus imitentur eloquentiam, mensuram, & numerorum modum rimantes, seligunt: saltationi autem & musicæ rationis studiosi vocis & cantus modulatorem, nec minus corporis gesticulatorem scrupulosissime requirunt.

Paulo infra habemus: *cum etiam si prædictarum artium professoribus civitas egeret, tamen sicut apud priscos florere posset respublica. Nam*

sine

ſine ludicris artibus, atque etiam ſine cauſidicis olim ſatis felices fuere, futuræque ſunt urbes. Quanto itaque antiqua & vera ſequentibus rectius eſt, exempto *nam* quo primi impreſſi libri carent, ab Aldo interpoſito, atque *ut* ante *olim* conſtituto, tali ratione diſtinguere: *cum etiamſi prædictarum artium profeſſoribus civitas egeret, tamen, ſicut apud priſcos, florere poſſet reſpublica ſine ludicris artibus, atque etiam ſine cauſidicis, ut olim ſatis felices fuere, futuræque ſunt urbes.* Etenim ſine oratoribus, muſicis, & corporis geſticulatoribus bene civitatis ſtatus conſtituitur, publicaque res adminiſtratur.

Supereſt ea pars quæ ad agriculturam ſpectat; hæc ſive cum illis collata, ſive per ſe expenſa utiliſſima & maxime neceſſaria exiſtimatur; quippe *ſine agricultoribus nec conſiſtere mortales, nec ali poſſe manifeſtum eſt. Quo magis prodigii ſimile eſt, quod accidit, ut res corporibus noſtris, vitæque utilitati maxime convenieus, minimam uſque in hoc tempus conſummationem haberet.* Quibus, verſo priſco excuſo *minime* in *minimam*, auctorem repugnantia ſcribentem Aldus induxit; Columella enim nullam eſſe agriculturæ perfectionem expreſſe declarat, cum dicit: *ſolam rem ruſticam, quæ ſine dubitatione proxima, & quaſi conſanguinea ſapientiæ eſt, tam diſcentibus egere, quam magiſtris.* Illud etiam *agricultoribus* diſtinguere *agri cultoribus* expedit, ut capite I. *agrorum cultori* recte ſeparatur.

Hoc, quantulumcunque eſt, niſi ſupervacaneum exiſtimaveris, poteris in vicinia hæc etiam perpendere: *niſi æquius exiſtimamus cepiſſe prædam ex militia, quæ nobis nihil ſine ſanguine & cladibus alienis affert.* Cum Mars communis ſit, nullaque fere incruenta victoria, eo gravius eſt bellum, & magis deteſtandum, quod præda nobis non contingit ſine ſanguine & cladibus non modo hoſtium, ſed etiam noſtrorum. Ideoque codex Lipſienſis mihi in hoc magis probatur, qui rejicit *alienis*. Nam prædam cepiſſe ex hoſtibus juſtitiæ non adverſatur; quiſque enim ſe ſuaque naturæ inſtituto tueri debet; eoſque potius ſpoliare qui nobis inſidiantur, quam ab iiſdem ſpoliari quid vetat?

Ex omnibus minimis, maximis, mediocribuſque ad te quæ ſcribo, hoc infra adnotatum quamvis minimum deſpectui ne habeas, quod ex unius literæ immutatione pendeat: *ſiquem deſideramus agricolam, quemque deſcribimus.* Etenim capite II. agricolam inſtruere, & qualis eſſe debeat, incipit Columella docere: igitur non hoc loco, ſed ibi *deſcribemus*. Hoc erat propter quod te ſum moratus a primis editoribus admonitus.

Perpenſis in univerſum omnibus, quæ ſibi res ruſtica aſſumit, ne

artis amplitudine a discendo studiosi deterreantur, eos ita hortatur Columella, ut ad proximum vel tertium locum contendant, si summum fastigium in agricultura obtinere desperent; quoniam in eo quoque gradu cum laude atque existimatione florebunt. Utitur autem primum vatum atque oratorum exemplo, quorum ingenia propter desperationem ad inertiam devoluta non sunt, quamvis præteritorum virorum aut præsentium famam & gloriam se assecuturos non viderent. De his itaque hæc: *Nec Brutum, aut Cælium, Pollionemve cum Messala & Catulo deterruere ab eloquentiæ studio fulmina illa Ciceronis*. Duo in his ab Aldo in aliud versa invenio: primum *nec* ex antiquo impresso *non*, quod *num* fuisse credo (interrogandi enim indice ista cum proximis scribenda sunt) alterum *Catulo* ex *Calvo*, quod non modo priscorum editorum, sed & codicum tam Politiani quam Goesii fide ab interitu vindicatum habemus. Hic autem C. Licinius Calvus qui Ciceronis ætate vixit, de quo idem M. Tullius in libro qui inscribitur *Brutus*, loquitur; de quo item Quinctilianus libro X. eundemque post J. Cæsarem, & Cœlium laudat. Quin etiam idem scriptor libro XII. hos omnes oratores quos Columella celebrat, hoc ordine, aliis interpositis, recenset: *Tum*, inquit, *deinde efflorescat non multum inter se distantium temporum oratorum ingens proventus; Hinc enim vim Cæsaris, indolem Cælii, subtilitatem Callidii, gravitatem Bruti, acumen Sulpicii, acerbitatem Cassii, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalæ, sanctitatem Calvi reperiemus*.

Venio nunc ad caput I. quo rei rusticæ scriptores auctor numerat Varronem imitatus, & continuo hæc tibi perpendenda trado: *Cætera non dissimulanda erunt agrorum cultori præcepta rusticationis, quæ cum plurima tradiderunt Pœni ex Africa scriptores, multa tamen ab his falso prodita coarguunt nostri coloni*. Quis putaverit ita obscurum fuisse Romæ *Pœni* nomen, ut ubi gentium esset, declarari oporteret? Proculdubio id notius erat Romanis, quam Athenienſibus Vespertiliones. Cur igitur additur declaratio *ex Africa scriptores?* Cur addatur, teneo, scilicet propter summam vecordiam: a quo autem ignoro. Hoc tantum affirmare non verebor, a Columella nequaquam. Quare, his quisquiliis abjectis, ad caput II. transeamus, quo optimi fundi magis optanda quam invenienda traduntur signa. Horum primatum nos cum multis aquæ perenni damus, de qua item Columellam ita præcipientem audire expedit. *Tum rivos decurrentes in prata & hortos & salicta vivæ aquæ salientes demittant*. Dicet aliquis, quid in his veritati perspicuitatique derogat? Istud *vivæ* quo veritas involvitur, tegiturque, id

enim

enim in Goesiano & Lipsiensi codicibus *villæque* scriptum est. Propterea, quoniam ad villam vel maxime necessaria perducenda est aqua, opinari est id fuisse *villasque aquæ salientes demittant*, sive melius, *emittant*, ut proditum est ab Jensonio. Quod libentius nobis concedes, si ea quæ capite V. commemorantur, inspexeris. *Sit*, inquit auctor, *vel intra villam, vel extrinsecus inductus fons perennis*; deinde, multis posthabitis, *cæterum ad æstuum temperandos calores & amœnitatem locorum plurimum conferunt salientes rivi, quos, si conditio loci patitur, qualescunque dummodo dulces utique perducendos in villam censeo*. Porro si in his Columellæ verba malueris, quam Aldina, pro *æstuum* vel *æstivos* a primis impressis libris sumito, vel melius ex Politiani Goesiique exemplis *æstatum*.

Quibus perspectis, obiicitur in hoc loco ingens quæstio, quam, dum tibi propono, & quid sentiam, addo, velim tua prudentia ita mihi expedias, ut quæ ob vetustatem minus plane cognosco, aperta, prona, & manifesta mihi constituas. De *vetereto* quod in probatæ antiquitatis libris non hoc tantum capite apud Columellam reperitur, inter peritos rerum Romanarum interpretes geminam video esse sententiam: alii quidem esse operarum erratum putant; alii idem ac vervactum existimant. Mihi omnia in disquisitionem revocanti, diligenterque perpendenti ut legitima & vetus visa est dictio, ita aliud, ac vervactum. Hoc autem quibus signis cognoscere, & statuere solemus, ex eodem Columella videamus. Scribit lib. II. Fabæ modios IV. vel VI. in vetereto cum seritur, duas bubulcorum operas detinere; at in restibili arvo unam. Si veteretum vervactum est, cum vervactum sit arvum vere proscissum, veteretum quoque verno proscissum habendum est. Quod igitur proscissum est, iterandum deinde, tum tertiandum, mox, jacto semine, in liras redigendum. At quot operis jugerum proscinditur? Nonne duabus, auctore Columella? Quot satum liratur? Quadrante operæ. Cur ergo jugerum (nam Fabæ modii IV., ut censebat Tremellius, vel VI., ut Columella, jugerum occupant) in vetereto operis duabus conseritur Faba? Si ea seges per ver arata erat, cur tot operis seritur, quot proscinditur? Exploratum itaque est veteretum vernali tempore non esse aratro subactum; ideoque non vervactum dicendum. Sed neque restibili terra; quod in restibili una opera Fabæ satio jugeratim peragitur. Veteretum propterea arvum neque vere aratum, neque anno anteriori autumno, aut sub hiemem satum; quippe restibile hoc nomine vocaretur. Quid tandem? Quod ab opere diu cessavit, vel in pabulum submissum ad Medicæ cultum, vel in pratum sepositum, vel etiam

iam coloni ſocordia, aut terræ macie neglectum. Quamobrem, quoniam ſenio velut effœtum inaratum jacuit, veteretum. Merito igitur operis initio conquerebatur Columella minores fructus ea ætate patrifamiliæ *ampliſſima vetereta* conferre, quam antiquis ſeptena illa jugera Liciniana; quoniam contra leges aut ex ſegetibus prata fecerunt, aut eaſdem proculcandas pecudibus, & depopulandas ac vaſtandas feris derelinquebant. Quapropter quod per aliquod tempus aratum non eſt, *veteretum*: idem aratum & cultum a novando *novale*. Idcirco Columella lib. III. cum ad ponendam vineam ſilveſtrem agrum, nimirum veteretum maxime probaret, poſteaquam id arvum ſentibus atque arboribus eſſe extricandum, atque inferius ſolum effodiendum, & in fermentum congerendum monuiſſet, ſubdidit: *ubi pura novalia, & arboribus erunt libera*, conferi oportere. Quid? Libro XI. non ſcribit inter ſolſtitium Eteſiarumque prodromos proſciſſum vervactum optime iterari, & ſilveſtrem agrum, decreſcente luna, exſtirpari utiliſſime? Aliud igitur vervactum, quod vere proſciſſum eſt; aliud ſilveſtris ager, hoc eſt veteretum, qui, dum illud iteratur, cultu ſubigitur, ac renovatur. Sed cur adhuc te moror quaſi dubitatione implicatum? Non vidimus optime ſeri Fabam in vetereto? Eandem præcipit auctor libro XI. *ante idus Novembr. occatam habeas quam pinguiſſimo, & novo loco*. En tibi veteretum poſt culturam dici *novum locum*, videlicet *novale*, ut dixi. Porro cum Varro I. R. R. volumine tradat multum intereſſe utrum *in rudi terra*, *an in ea ſeras*, *quæ quotannis obſita ſit*, *quæ vocatur reſtibilis*, *an in vervacto*, *quæ interdum requievit*, quid tibi videtur *rudis terra*, niſi *veteretum*?

Annectuntur *vetereto* iſta: *Tanta quidem Curius Dentatus, quem paulo ante retulimus, proſpero ductu parta victoria, ob eximiam virtutem deferente populo præmii nomine quinquaginta ſoli jugera, ſupra conſularem triumphalemque fortunam putavit eſſe, repudiatoque publico munere popularí, hac plebeja menſura contentus fuit*. Quæ redintegrantur, dictione *ſatis* poſt *putavit* ævo detrita, ſed in Goeſiano libro ſervata, itemque *ac* adnexa *plebeja*, atque in *hac* a Manutio aucta: antiquitus tali ratione ordinata credere eſt: *Tanta quidem —— ob eximiam virtutem deferente populo præmii nomine D ſoli jugera, ſupra conſularem triumphalemque fortunam putavit ſatis eſſe, repudiatoque publico munere, popularí ac plebeja menſura contentus fuit*. Quod egregium facinus, habita concione, ut in literas retulit Plinius, verbis illuſtravit afferens *pernicioſum intelligi civem, cui ſeptem jugera non eſſent ſatis*. Notam porro D veriorem, ut aliis viſum, quam *L* vel *quinquaginta*, nos quoque opinati ſu-

ſumus; ſiquidem, cum per legem Liciniam D jugera poſſidere civi Romano liceret, nec minus quam alii cives colebant, Curio a populo attributum eſſe credendum eſt, nec plus quam lex ſinebat. Id vitium etiam in ſequentibus: *criminoſum fuiſſe ſenatori ſupra quinquaginta jugera poſſediſſe* animadverſum ab aliis quoque fatemur.

Ad fundi modum hæc etiam ſpectant, quibus præpotentium immoderatam libidinem reprendit: *qui poſſident fines gentium, quos ne circuire equis quidem valent, ſed proculcandos pecudibus, & vaſtandos ac populandos feris derelinquunt*. In quibus attende Aldina: *circuire equis quidem valent*, iis quæ in primis impreſſis libris, & codicibus, ubi hoc modo: *circuire quoque valent*, aſſervantur, diſſimilia; ideoque ut novitia, ita minus apta. Nam occupare latifundia quæ pedibus non facile circuire poſſis, non multum a vero videtur alienum; ſed eadem equitando circumdare non valere hebetis obtuſique cordis eſt tam ſcribere, quam opinari. Quibus ſubnectere alia ab eodem Aldo addita protinus refert: *ac populandos*. Hæc minime neceſſaria, dum a primis excuſis libris, & manu exaratis Goeſii & Politiani abſunt, Aldum auctorem agnoſcunt.

De fundi modo ſatis: de ejus inſpectione & villæ ſitu agitur deinceps cap. IV. Ibi Virgilianum carmen laudatur hoc exemplo:

Ventos & varium cœli prædiſcere morem
Cura ſit, ac patrios cultuſque habituſque locorum.

Quod non ſolum apud Columellam, verum etiam in Virgilii editionibus quas perpendi, vitiatur; incertum enim quod eſt, & *varium*, prædiſci & cognoſci nulla ratione poteſt. Quamobrem ex antiquis libris tam formis quam manu impreſſis *proprium* reponamus.

Alterum in eodem capite propter exilitatem facile contemnendum libentius prætermitterem, niſi Columellæ placitum aliud ex eodem redderetur. De univerſali fundi cultura hæc in cunctis impreſſis circumferuntur: *ſimul attentando poſſeſſor efficit, ut in id formetur, quod maxime præſtare poſſit*. Ultimum membrum ad agri reditum referri nemo non videt, proximis tamen diſſentientibus: *ea res etiam feraciſſimos agros utiliores reddit*. Congruunt autem, & eleganti ordine cum ſuperioribus annectuntur, ſi ex Goeſiano libro ſcribatur *præſtari*, nempe quod maxime fieri poſſit.

De villæ poſitione hæc traduntur: *atque areæ idem tantum complectatur, quod ait Cato, quantum ne villa fundum quærat, neve fundus villam*. Quoties hæc animo admovi, toties villa mihi viſa eſt in prava membra eſſe confuſa; neque enim *idem* ex antiquo excuſo *ædem* ab Aldo

do converſum convenire exiſtimabam ; neque in *ædem* acquieſcebam : Cum itaque ancipiti mente multa agitarem , & in omnibus fruſtra ſuſcipi laborem viderem, obtulit ſe mihi *pedem* quod Politianus & Goeſius ex veteribus memoriis deprompſerant , idque , utroque excuſo rejecto , libenter ſum amplexus . Porro quid ſit *pes* in architectura , & quid *pedem ponere*, cum fundamenta inſtituimus , ex Varrone de L. L. ſcribente , necnon ex Senecæ libro qui *de tranquillitate animi* titulum fert, declaratur.

Additur de regionis ſalubritate , ut in ſaluberrima parte ædificium ponamus. *Petatur igitur aer calore & frigore temperatus, quem fere medius obtinet collis , quod neque depreſſus hieme pruinis torpet, aut torret æſtate vaporibus*. In his quoque, ſi ad veteres editores , & ad codices Goeſianum & Medicæum reſpexeris, Manutium facile cognoſces . Antiqua ſcriptura: *qui fere medios obtinet colles, quod neque depreſſus hieme pruinis torpet, aut torretur æſtate vaporibus*. Propter quod ſi vetera Aldo mutare ex ingenio quis conceſſerit , depravare certe non dabit ; ſiquidem *torret* vitium eſt ; quia aer vaporibus accenditur & torretur , ut M. Tullius *ardore ſolis torreri* ſcribit . At aer eſt qui habitatores torret? Scilicet ſi vaporibus accendatur , hoc eſt torreatur. Ideoque qui Aldi patrocinium adverſus Urſinum, atque adeo Columellam ſuſcipit,

Interdicto huic omne adimat jus
Prætor, & ad ſanos abeat tutela propinquos.

Eandem fortunam paſſa ſunt quæ ex capite V. continuo deſumam . Poſtquam enim ædificatorem monuiſſet Columella, ut vallem, & proximam paludem , nec minus junctam militarem viam vitaret , quod illa hominum pecudumque corporibus gravia peſtifero ſpiritu morbos creant, hæc prætereuntium rapinis , & hoſpitum aſſiduis diverticulis rem familiarem infeſtant, concluſionem hanc poſuit: *Propter quæ cenſeo ejuſmodi vitare incommoda , villamque nec in via , nec peſtilenti loco , ſed procul & editiore ſitu condere, ut frons*. In quibus ſi, quantum vetera exprimenti liceret, Aldus perpendiſſet, &, non quid melius ſibi videretur , ſed quid verum , hoc eſt , quid ab antiquis proditum erat, ſpectaſſet , ejus potius prudentiæ judicium cum laude expenderem, quam intemperantiam audaciamque improbarem. Numquid falſo dolemus? Scriptum eſt in primis excuſis, & non excuſis etiam libris in hanc rationem: *villamque nec in via, nec alio procul editiore ſitu condere, ſic ut*. Quæ levi immutatione in priſtinam formam rediguntur : *villamque nec in via , ſed alio procul editiore ſitu condere, ſic ut*. Qui enim procul a via militari ædificat , ejus incommoda devitat : qui vero in ſublimi , noxios ſtagnan-

gnantium aquarum halitus non timet. Cur igitur aliena, inutilia, falſa immiſcuit Aldus?

Reſtant alia quæ caput V. ſordibus aſpergunt, ceu: *Sed & profultura, & ſubſtructione ſungentur adverſus ea, quæ mox, ſi forte villam prolatare libuerit, ad ſuperiorem partem applicabuntur*. Jubet auctor villam condentibus, ut ab inferiore parte ædificii pedem ſtatuant, quo firmius a ſuperiore nova extructio applicetur. Quare non *ad ſuperiorem partem applicabuntur*, verum, ut in Goeſiano libro, *de ſuperiore* ad inferiorem. Proxima etiam conſideremus: *nam novum cum veteri adſtruitur, rimoſoque recens ædificium quaſi ſurgenti reluctans oneri cedit*. Quid hic redundet, etiam me tacente, puto te intelligere; *novum enim*, & *recens* idem eſt; ſed illud ab Aldo, prioribus impreſſis poſthabentibus. At *rimoſoque* quo auctore exiſtit? Ineptiſſimo quidem ſcriba. Nam quis tam excors veteri rimoſoque ædificio novum applicabit? Recte igitur Lipſienſis codex tale abſurdum evitat. Quid enim amplius legentes deſideramus: *Nam, cum veteri adſtruitur recens ædificium, quaſi ſurgenti reluctans oneri cedit*?

De villæ ſitu & ſtructura quæ minus congrua viſa ſunt, tibi attentiore cura hæc exiſtimanda tradebam: de ejus partibus quæ capite VI. circumſcribuntur, hæc addam: *Domitis armentis duplicia bubilia ſint, hiberna atque æſtiva; cæteris autem pecoribus quæ intra villam eſſe convenit, ex parte tecta loca, ex parte ſub dio parietibus altis circumſepta, ut illic per hiemem, hic per æſtatem ſine violentia ferarum conquieſcant*. Ergo tam Bubus quam cæteris pecoribus domitis duplicia ſtabula paranda ſunt. Non quadrat itaque *bubilia*: nec mirum; ab Aldo enim eſt, codicibus, & primis impreſſis *bubulo* exhibentibus. Etenim, cum præmiſerit auctor pecudibus fieri oportere ſtabula, quæ neque frigore, neque calore infeſtarentur, addidit: *domitis armentis duplicia: bubulo ſint hibernacula atque æſtiva*. Verum, inquies, unde tibi effoſſum *hibernacula* pro *hiberna*? Ex codice Goeſiano; haud enim neſcis *hibernacula* eam domus partem ubi hieme habitatur, a Vitruvio appellari. Quod non animadvertens Aldus & quæ præcedunt: *urbana rurſus in hiberna & æſtiva ſic digerantur*, in Columella depravavit, cum in primis impreſſis (nec ſecus ex codicibus Lipſiæ & Politiani affertur) *hibernacula eſſet*. De ſtabulis igitur etiam *hibernacula* dicuntur, itemque *æſtiva*; quod utique egregio metro Georgicorum ſcriptor retexuit:

Quam multæ pecudum peſtes, nec ſingula morbi
Corpora corripiunt, ſed tota æſtiva repente
Spemque, gregemque ſimul cunctamque ab origine gentem.

De bubilibus hoc etiam tibi non ſubtraham : *Lata bubilia eſſe oportebit pedes decem, vel minime novem, quæ menſura ad procumbendum pecus, ac jugario ad circumeundum laxa miniſteria præbeat.* Quamvis pueri ſit cognoſcere *bubilia* eſſe *cubilia* ſcribendum, tamen in Lipſienſi codice id retentum videmus. Equidem bubilia tam anguſta & contracta nemo ædificat, neque uſui eſſent, ſi ædificarentur. Atqui ſi tam clarus locus declaratione eget, ex Palladio dabimus exſcribente: *octo pedes ad ſpatium ſtandi ſingulis Boum paribus abundare, & in porrectione XV.* Neque latitudo ped. XV. te ancipitem reddat; binis enim Bubus ea paratur, non ſingulis, de quibus loquitur Columella.

Ad vetera quæ de apothecis traduntur, tam formis quam calamo expreſſa, dum ſimiliter me converto: *quoniam vina celerius vetuſteſcunt, quæ fumo quodam genere præcoquem maturitatem trahunt*, continuo Aldinorum: *quæ fumi quodam tenore præcoquem*, me piget tædetque. Illa autem *quodam genere præcoquem* tanquam quodammodo præcoquem accipio.

Neque his ſolis ruſticæ villæ membra depurantur; nam de ſterquilinio alia in recentioris memoriæ libris edita ſunt: *& extructum pavitumque ſolum habeat, ne humorem tranſmittant*; alia ab antiquioribus editionibus prodita habemus: *& extructum pavimentumque ſolo ne habeat.* His tamen magis probanda protulit codex Goeſianus: *pavimentumque ſola habeat*; quippe una appoſita litera, priſtinum nitorem recipere mihi viſa ſunt: *& extructum pavimentumque ſola habeant, ne humorem tranſmittant.* Ignoraſſe autem Aldum ſuſpicor, cum *pavimentum* in *pavitum* verteret, *pavimentum* non modo ſolum paviculis denſatum, ſed etiam materiam, ex qua fit, hoc nomine ſignificare. Quod tamen Columella iterum hoc capite declarat docendo: *pavimenta teſtacea quæ pro aqua receperint amurcam miſtam calci & arenæ, ſuperſterni, & magna vi paviculis inculcari atque expoliri.* Palladius quoque lib. I. ſolum omne bipedis ſterni jubet, vel minoribus laterculis, *quos, ſuffuſo teſtaceo pavimento, debemus imprimere.* Idem ad ſoli ſtructuram & ſoliditatem ſuperfundi *teſtacea pavimenta*, & deinde marmora collocari oportere eodem libro docet.

Ad ſterquilinium hæc etiam referuntur ab eodem Aldo hac forma expreſſa: *periti ruſtici quidquid ovilibus ſtabuliſque converſum progeſſerunt, ſuperpoſitis virgeis cratibus tegunt, nec areſcere ventis ſinunt, aut ſolis incurſu patiuntur exuri.* Quæ ex codice Lipſienſi, antiquiſque editoribus, a quibus, omni artificio remoto, pura ac naturali decore ornata habemus, fucata oſtenduntur: *Periti —— ſuperpoſitis virgis tegunt, nec areſcere ſolis incurſu patiuntur.* Nec plura ex Varrone, quem imi-

imitatus eſt Columella, exſcribenda erant: *Sterquilinium*, inquit Varro, *melius illud cujus latera & ſummum virgis ac fronde vindicatum a ſole.* Ubi igitur virgea crates? Ubi venti? Ubi ſolis uſtio?

In extremo quoque capite reprenſionis notam vitare & cavere poterat Aldus, niſi a priſcis editionibus aberrans diſſimilia expreſſiſſet: *omnis ſtercorata colluvies, cohortis, balineorum, & oleis expreſſa amurcæ ſanies influere* debent, quo pomariis oleribuſque locum deſtinaveris. Antiquiſſimi itaque præcepti nos memores, quo docetur tam diligenter eſſe amurcam quam oleum, condenda ollis, educto Aldino *oleis*, primum excuſum *ollis* reponamus, cum tradat etiam Columella amurcæ recrementum, quod dum illa defæcatur, in ollis ſubſidet, arboribus lætandis, hortenſibuſque herbis eſſe perutile.

Ad caput IX. jam tempeſtivum eſt tranſire, verum obiter prius te monitum volo, *nubilarium* quod propter ſubitaneos imbres areæ ſolet applicari, eſſe in Politiani & Goeſii exemplaribus *nubilar*, itemque libro II. cap. XXI. in Lipſienſi codice, & primis forma impreſſis. Quapropter *nubilarium* ex Columella prodire ille ſolum mihi perſuadere poterit, qui meliora & antiquiora teſtimonia protulerit.

De iis jam dicamus quæ propriam patriſfamiliæ diligentiam prudentiamque deſiderant. Inter prima autem cum ſervi attendendi ſint; de his ſingillatim agens Columella, quibus operibus quis corporis aut animi habitus attribuendus ſit, declarat. In magiſtris, inquit, eligendis potius ſedulitas & frugalitas, quam *corporis ſtatura roburque*, ſpectanda ſunt; quia hæc plus conferunt, quam illa. Quæro a te quid cauſæ fuit, ob quam *ſtatura* nobis Aldus excuderet? Non ſatis erat antiquum *ſtatus*, quod ex Goeſiano libro etiam affertur? Aldus igitur, cum omnia in veteri agricultura ſibi licere exiſtimaret, non ſolum Columellæ ſententias evertit, & alias atque alias fixit & refixit, ſed & verba plurima miſcuit, atque ex animi libidine immutavit. Idcirco etiam capite IIX. cum in antiquis *panis potioniſque probitatem*, Goeſii & Politiani libris confirmatum, ſcriberetur, in *panis potioniſque bonitatem* vertere non dubitavit. Nec minus paulo poſt ab Jenſonio proditum *pedumque tegumina* (quod Goeſii cura mox clarius evaſit) tanquam vitium repudiavit, quamvis apud Livium invenire potuiſſet, & *tegmina* ſuffixit.

Quibus in tranſitu animadverſis, ad patriſfamiliæ officia redeamus. Poſt magiſtrorum electionem de bubulco propria refert Columella: *Bubulco*, ait, *quamvis neceſſaria, non tamen ſatis eſt indoles mentis, niſi eam vaſtitas vocis, & habitus metuendus pecudibus efficit.* Prima ex per-

vetuſto libro ita reddidit Politianus: *Bubulco quo quamvis*. Videlicet; ut reor, *Bubulcoque, quamvis*.

Monet deinde agricolas auctor, ne opera familiæ confundantur: *nam id minime conducit agricolæ, ſeu quia nemo ſuum proprium aliquod eſſe opus credit; ſeu quia cum enixus eſt, non ſuo, ſed communi officio proficit; ideoque labori multum ſe ſubtrahit*. In his quoque egregium ejuſdem Manutii facinus contemplator; *Ideoque* enim & *liberque* quanam ſcripturæ ſimilitudine, aut ſignificationis ſocietate inter ſe conveniunt? Nulla per Jovem: tamen ex antiquo impreſſo *liberque* efformatum fidenter *ideoque* repoſuit, cum *libenterque* propter ſcribendi contractionem potius ſignificare videretur.

At vero iſta proxima: *propter quod ſeparandi ſunt aratores a vinitoribus, & vinitores ab aratoribus, iique a mediaſtinis* tam in excuſis libris, quam in pleriſque manu delineatis fœde confuſa vetuſtiorem corruptorem nacta ſunt. Tria ſervorum genera cum hoc loco proponat Columella, aratorum, mediaſtinorum, & vinitorum, hæc *& vinitores ab aratoribus*, quæ utique Politiani codex rejecit, vacare facile concedes, quibus remotis, perfecta fit ſententia hoc modo: *aratores a vinitoribus, iique a mediaſtinis*.

De primo volumine hæc erant quæ tibi perſcriberem. Cras alia meditor. Fac valeas.

D. Patavio VIII. id. Septemb. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA LV.

Emendatur illuſtraturque Columellæ liber II. in caput XIII.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

HEſternis literis de iis ſcripſimus quæ primo volumine contenta veluti principia futuris agricolis præcipiuntur: nunc artis præcipua & magis propria videnda. Columella itaque capite I. ut jam repudiatam eorum ſententiam qui terram ævo conſeneſcere atque effœtam reddi diuturno partu opinabantur, certiori argumento falſitatis coargueret,

ret, cur inculta loca quæ vetereta appellari declaravi, ex agrefti recens habitu in fegetem redacta frugibus exuberent, & deinde fæpius fubacta & fata minus præbeant, oftendit, rationemque affert, non quod requietior fit humus, & juvenili præftet robore, *magno fœnore ceffationis colono* refpondere, fed quia plurimorum annorum frondibus & herbis recreverit, & largiori alimento fuerit tanquam fimo faturata. Quæri poteft ex his quæ a Columella exfcripfi, *magno fœnore ceffationis*, qui fiat, ut Aldinum *ceffationis* antiquo impreffo *ceffatorum*, aut Goefiano *fatorum* par videatur? Vidit certe Aldus *ceffatorum* non convenire, fed deperditum effe *temporum* fortaffe non vidit, & Ovidium in *Metam. ceffata tempora* canere non advertit. Nam de Goefiano facilior eft conjectura cogitanti prima in dictione omiffa, ut in aliis vocibus fieri in eo codice perpendimus.

Atque de his quæ agricolam minus adjuvant, fatis: venio in rem præfentem, ad caput, inquam, II., quo de terra, & de iis quæ aut fequi debeat colonus, aut evitare, fufius differitur: *Sed nunc potius uberioris foli meminerimus, cujus demonftranda eft duplex ratio, culti & filveftris*. Quis Aldinum *ratio* non rejecerit, cum ex libris Politiani & Goefii, prifcifque editoribus *tractatio* habeamus, videlicet qua ratione cultus ager tractandus eft, & qua incultus? Cujus bina genera novimus, ficci atque humidi. Si humidus, foffis humor inutilis exficcetur vel cæcis vel patentibus. *Ubi folutior humus eft aliquæ fiunt patentes, quædam etiam obcæcantur: ita ut in patentes ora hiantia cæcarum competant: fed & patentes latius, & apertas fumma parte declivefque, & ad folum coarctatas, imbricibus fupinis, fimiles facere conveniet*. Vifne ifta breviori fed germano modulo complectamur, rejectis Aldinis? Ex vetuftis editoribus accipe: *quædam etiam obcæcantur, ita ut in eas ora hiantium foffarum competant. Sed latius apertas fumma parte, declivefque*. Nam docuerat Columella apertas foffas hianti ore cum cæcis convenire debere, quo facilius aqua exonerentur. Aldus contra, cæcas quæ totæ latent, in apertas facit hiare. De cæcis item fulcis non abfimilia commentus eft. Jubente enim Columella in principio atque exitu foffæ inftar ponticulorum bina faxa conftitui, quæ ripam fuftineant, *ne præcludatur humoris illapfus atque exitus*, Aldus fic depravanda exiftimavit: *ne præcludatur humoris illapfu, atque exitu*. Foffa igitur permeante humore, præcludetur. Cur ergo aquæ recipiendæ & remittendæ paratur? Verumtamen, ne femper de Aldo fcribam, funt alia ante Aldum vitiata, ut de Filice hæc: *quoniam intra biennium fæpius convulfa moriuntur*. Etenim circumpofita: *Filicis exftirpatio*: *Filicem fationibus interi-*

mi:

mi: naſcentem falce decidas: *abſumitur*; potius *convulſa moritur* poſcunt, quam *convulſa moriuntur*. Nec inania, aut falſa opinamur; *moritur* affert Politianus, non *moriuntur*.

Quæ expediendi rudis agri rationem continebant, cum tradiderit Columella, pinguis & frumentis habilis arvi ſigna ſtatim propoſuit, nimirum *dulcedinem ſoli propriam*, *herbarum & arborum proventum*, *nigrum colorem vel cinereum*. *De cæteris ambigo*; *de colore ſatis admirari non poſſum*, *cum alios*, *tum Cornelium Celſum non ſolum agricolationis*, *ſed univerſæ naturæ prudentem virum*, *ſic & ſententia & viſu deerraſſe*. De omnibus igitur tanquam incertis & dubiis notis auctor ambigit. Et merito quidem talia ex vulgatis ſuſpicamur, quamquam colorem tantum in incerto relinquat, cum *nihil* ex Goeſiano codice repetendum abſit; quod ita connectebatur: *Nihil de cæteris ambigo*: *de colore ſatis admirari non poſſum*. Hoc modo duo ſigna vera fatetur: de colore dubitat, qui bonitatis incertum indicium præbet. Poſſum quoque illa, niſi tenuioris curæ exiſtimes, *cum alios*, *tum Cornelium Celſum* per Politianum tibi pleniora reddere hoc pacto: *tum alios*, *tum etiam Cornelium Celſum*.

Poſt hæc ad prima ſigna reverſus Columella, qua via terræ pinguitudo dulcedoque explorari & cognoſci poſſit, demonſtrat: *nam perexigua conſpergitur aqua glæba*, *manuque ſubigitur*, *ac ſi glutinoſa eſt*, *& quovis leviſſimo tactu preſſa inhæreſcit*,

Et picis in modum ad digitos lenteſcit habendo,

ut ait Virgilius; *eademque illiſa humo non diſſipatur*, *ea res admonet nos ineſſe tali materiæ naturalem ſuccum*, *& pinguedinem*. Cur iſta tibi commemorem, fortaſſe miraberis; quippe per ſe clara & perſpicua judicantur, propterea quod nemo adhuc inventus eſt, qui quidquam in his reprenderet. Fatemur: verum quot homines, ut ajunt, tot placita. Minori pulchritudine nobilis terrarum orbis eſſet, ſi quiſque eadem cogitaret, eademque conſectaretur. Dum in diverſa rapimur, & quemquem ſua ducit libido, innumeræ rerum ſpecies ex tam diſſimili & varia humani ingenii perceptione naſcuntur, cum, amentibus etiam remotis, mundanam ſcenam minus jucundam, minuſque decoram futuram videamus. Quare nolito mirari, ſi ſecus ac cæteri, de hoc loco judicem. Tria oſtendam quibus non admodum delector, primum eſt particula *ac*, quæ in antiquis impreſſis *at* fuerat; idque in *ea* verterem. Alterum *quovis* in Goeſianum *quamvis* mutarem, quod paulo infra Columella iterum adhibet dicens terram ſolutam *quamvis leviſſimo dente moveri ſatis eſſe*. Tertium Aldinum *ea res*, ſive Jenſonianum

quæ

quæ res demerem, & abjicerem. Aiſne? Abjiceres? Cur non? adnotationem fuiſſe in margine poſitam priſca impreſſa non declarant: *quæ res admonent nos*, nimirum de terræ pinguedine?

Explorata ſoli quod colere deſtinamus, qualitate, de arandi diſciplina præcepta addit Columella. *Quare*, inquit, *antiquiſſimi fere omnes formam hujus operis conſcripſere, quam velut ſcita legemque in proſcindendis agris ſequantur agricolæ*. Quonam morbo & ſenſuum omnium ſtupore captos Columellæ editores dicemus, qui Aldina iſta adeo perverſa, & a vero aberrantia approbarunt & receperunt, cum in antiquis Jenſonianis quanto meliora & certiora, tanto magis Aldinis diſſimilia & diſcrepantia haberent? Numquid fallimur? Numquid hæc ſimilitudine aliqua cum Aldinis componuntur: *Quare antiquiſſimum eſt formam hujus operis conſcribere?* Ubi, o boni viri, antiquiſſimi iſti, de quibus ſilet Columella, qui hujus operis formam tradidere? Quo nunc profecti ſunt? Ubi latent? Summe neceſſarium eſt, inquit Columella, curioſe & ſcite agricolas docere, quo maxime modo Boves in opera jugatos habere oporteat; qua diligentia bubulcus arare debeat; qua Boves cum ab aratro disjunxerit, curare; tum quibus temporibus ſubigenda ſint arva, & qualia perſcribere; quibus item iterari, quibus lirari ac ſeminari, & quo frugum genere expediat, recenſere. Quæ qua prudentia maximopere opportunum eſſe proſpexit, ut docerentur, pari cura atque arte peregit & perfecit. Neque tamen cum multa pertractet quicquam refert, quod ab antiquis memoriæ proditum fuerit, longoque uſu colonis probatum. Vereor, mi Andrea, ne plura quam mihi propoſitum in hujus materiæ diſquiſitione a te eſt, videar tibi de iſta forma collegiſſe. Tamen quid aliud fieri oportebat, quando vel Aldus qui talia invenit, aut ab aliis excogitata promulgavit; vel Jenſonius qui de veteribus ſinceræ fidei monumentis ab Aldinis quidem diverſa, ſed veritati, hoc eſt Columellæ ſcriptis conſentanea deprompſit, ignaviſſimus dicendus erat, & habendus? Adhæreamus itaque antiquis quouſque licet, eos in cœno qui nova ſectantur, relinquentes.

Inter ea quæ agricolis arva proſcindentibus exequenda commemorat Columella, multa de bubulci officiis complectitur, ceu ne Boves arando per cornua illigentur; quoniam qui Boves ita revinciunt & vexant, ſolum *minoribus aratris moliuntur, qui non valent alte perfoſſam novalium terram reſcindere; quod cum fit, omnibus virentibus plurimum confert*. Eſt aliquid eadem ad Goeſiani codicis imaginem referre: *quia non valent alte perfoſſam novalium terram reſcindere: quod cum fit, omnibus virentibus plurimum confertur*. Qui itaque Boves per cornua cum

jugo

jugo conjungunt, minoribus aratris uti coguntur; quoniam profunde a majore aratro perfoſſam terram reſcindere ſuſtollere & reſupinare non valent. Eadem macula hæc libri IV. inficiuntur: *Quod quidem non fit in traduce, qui a materno ſuſtinetur ubere*. Rationem affert Columella cur in traduce ſuperior Vitis non reſecetur; *quia*, ait, materno alimento, cum ſtirpi adhæreat, ſuſtentatur. Diviſit itaque Aldus *qui a* quod in primis impreſſis, & Goeſianis copulatur. Hæc aperta ſunt & plana: illud autem *confertur* quod etiam in primis excuſis legitur, cur approbem, dicam, ſimulque id illuſtrabo. Priſcarum editionum necnon Politiani & Goeſii codicum auctoritate & fide, quæ mihi pro centum millibus Aldis, Aldique ſectatoribus quotquot ſunt aut fuerunt, ſunt, plurimum moveor, atque ad vulgata quamvis ſententiam abſolvant, rejicienda impellor; deinde cum primigeniam verbi *confero* ſignificationem mente percipio, non video, *hoc*, exempli cauſa, *mihi confert*, & *hoc mihi confertur*, qua alia ratione inter ſe differant, niſi quia in altero quod mihi utile eſt, non declaratur, cum in altero ſignificetur. Imperfecta itaque, & detruncata ſententia eſt: *hoc mihi confert*, cujuſmodi multa ab antiquis habemus, quæ perficitur & redintegratur, cum dicimus, *hoc mihi opes auxilium pecuniam confert*: item *hoc mihi plurimum confert*. Age: immutentur caſus: *ab hoc mihi plurimum confertur*, ſive *a bubulcis profunde ſolum proſcindentibus plurimum omnibus virentibus confertur*.

Sed hæc quæ neque tuæ ſapientiæ, neque noſtri inſtituti eſſe videntur, ita ſuſcipias velim, ut intelligas nihil eſſe faſtidioſe habendum, quod optimæ vetuſtatis libri nobis reliquerunt. Reliqua in hoc capite, quibus extrema optimorum interpretum manus nondum exhibita eſt, commodius perſequamur. *Igitur in opere Boves arcte junctos habere convenit, quo ſpecioſius ingrediantur ſublimes, & elatis capitibus, ac minus colla eorum labefactentur, jugumque melius aptum cervicibus inſidat*. Non providi Bubulci eſt *arcte* junctos Boves in opere habere, ut placuit Aldo, ſed *apte*, vel *arte*, ut impreſſum eſt ab antiquis. Præceps in vitium abiit Aldus, cum apud Plinium libro XVIII. hæc prava inveniſſet: *Araturos Boves quam arctiſſime jungi oportere*, prava, inquam, *quam arctiſſime* pro *quam aptiſſime*. Deinde, cum traderet Celſus impenſas reformidans, minora aratra eſſe paranda, & minori aratro utendum, addit Columella ignoraſſe Celſum *plus eſſe reditum in ubertate frugum, quam ſtipendii, ſi majora mercemur armenta*. De hac voce *ſtipendii* dubitaſſe me fateor: nunc omni dubitatione exſolvor, cum in Lipſienſi codice id eſſe *impendii* ſignificetur.

Admo-

Admonet poſt hæc bubulcum auctor, cum arando Boves ad arborem venerint, ut eos fortiter retineat, & retardet, ne *Bos extremo jugo truncum delibet, ramumque deplantet*. Quamvis non ignorem Varronem ſcribere Agnum membrum delibare, tamen *delibare truncum* neque recte dici, neque proprie exiſtimo, cum arbor radicibus valide firmata de ſede moveri, aut luxari facile non poſſit. Quod arbori maxime cavendum eſt, quodque frequentius contingit, corticis læſio eſt; ideo ne *truncum delibret* potius ſcribere, niſi alia mens tibi ſit, cogito.

Cum ventum erit ad verſuram, in priorem partem jugum propellat, & Boves inhibeat, ut colla eorum refrigeſcant, quæ celeriter conflagrant, niſi aſſidue refrigerentur. Quanta auctoritate iſtud *refrigerentur* inter Columelliana hoc loco vigeat, & per omnia volumina circumferatur, priſcum impreſſum *ſtringantur* oſtendit. Ergo id quoque Aldinum? Ita cenſendum; ab Aldo enim in Columella legi cepit. Attamen non integrum Jenſonianum *ſtringantur* arbitror, cum ex Goeſio detectum ſit *reſtringantur*, quod eſt reſolvantur, vel relaxentur, ut Lucretius indicat:

Proptereaque ſolere vias reſtringere noſtris
Senſibus, introituque ſuo perrumpere corpus.

Ut Plautus in Captivis:

Ne Canem quidem irritantem voluit quiſquam imitarier,
Saltem, ſi non arriderent, dentes ut reſtringerent.

Ut Ovidius *Metamorph.* XII.

Quid me meminiſſe malorum
Cogis, & obductos annis reſtringere luctus?

Hinc etiam cognoſces, quod paulo ante ſcribebam, ſi *arcte* jugati eſſent Boves, qua ratione jugum in priorem partem propelleretur, ut Boum colla refrigeſcant.

Abſolutis bubulci officiis, quid in unoquoque arvo ſervandum ſit, cum aramus aut ſerimus, perſcribit Columella, ſtatuitque uliginoſos campos eſſe poſt idus Aprilis proſcindendos. *Quo tempore*, inquit, *cum arati fuerint diebus interpoſitis circa ſolſtitium, quod eſt nonum vel octavum calend. Julias, iteratos eſſe oportebit, ac deinde circa Septembris calendas tertiatos*. Quæ ſcriptores inanes opiniones tenaciter tuendo vitiis involvunt, hæc nunc nos eximamus. De ſolſtitii tamen ſede cum ad te tam multa ſcripſerim, quicquam amplius non addam; conſtat enim eſſe oportere: *quod eſt VI. cal. Jul.* At de diebus circa ſolſtitium interpoſitis, quos indeterminatos relinquunt interpretes, *viginti* autem fuiſſe Goeſianus liber oſtendit, multa inquiram ad diſcendum præclara,

nec tibi ad veritatem determinandam fortaſſe inutilia, atque injucunda. Ante omnia de bruma te præmonuiſſe conveniet, eaque huc tranſtuliſſe juvabit quæ de ſementis tempore capite VIII. traduntur. *Propter quod intelligi debet Tritici ſatio dierum ſex & quadraginta ab occaſu Vergiliarum qui fit ante diem IX. calend. Novemb. ad brumæ tempora. Sic enim ſervant prudentes agricolæ, ut quindecim diebus priuſquam conficiatur bruma, totidemque poſt eam confectam neque arent, neque Vitem aut arborem putent.* Circa brumam igitur dies XV. interponuntur religioſi, quibus ab arando & putando ſe abſtinent coloni: ſed circa ſolſtitium XX., quos item religioni datos credendum eſt. Uter numerus utro melior exiſtimandus ſit, perfectiorque, ex libro XI. ſpero tibi me probaturum. Ibi ſcriptum eſt in hanc ſententiam: *Per hos quoque dies abſtinent terrenis operibus religioſiores agricolæ; ita tamen ut ipſis calendis Januariis auſpicandi cauſa omne genus operis inſtaurent. Cæterum differant terrenam molitionem uſque in proximas Idus.* A bruma igitur dies religioni habiti in a. d. Idus Januar. XX. colliguntur, idcirco numerus *quindecim* ſive XV. depravatus eſt. Quapropter ex a. d. prid. non. Decembr. in brumam, & hinc ad Januar. Idus dierum XL. intervallum pertinet, quibus fodere aut arare, Vitem arboremque purgare religioni objiciebatur; quamvis vera ceſſandi ratio videri poſſit per hos dies ſumma hiems, atque intractabile opus, rigentibus gelu ſtirpibus, & indurata tellure. Sementim propterea inter prid. non. Decembr. & Vergiliarum occaſum abſolvebant. Occidunt autem Columellæ Vergiliæ XIII. cal. Novemb. a quo in a. d. prid. non. Decembr. dies XLV. ſpectant, quibus ſerendi maturitas erat. Qui itaque in notam XV. vitiatam inciderunt, ut ſpatium conveniret, etiam Vergilias a. d. IX. cal. Novembr. delabi opinati ſunt, & in id quod imprudenter ſibi perſuadebant, veteres libros immutarunt, cum ſcriberetur: *a. d. XIII. cal. Novemb.* Porro ab hoc occaſu ad autumni æquinoctium VI. cal. Oct. dies XXIV. pertinere notabis, etſi in eodem capite VIII. abſcondi Vergilias *altero & trigeſimo die poſt autumnale æquinoctium* cuncti editores conſentiant. Redeamus ad prima quæ hoc modo reor eſſe ſcribenda: *Quo tempore cum arati fuerint, viginti diebus interpoſitis circa ſolſtitium quod eſt VI. cal. Julias, iteratos eſſe oportebit.*

Proximum eſt ut de aliis dicam eodem capite comprenſis, quæ neque ad Columellam, neque ad ea quæ docet, referenda arbitrabar. Udos agros non eſſe arandos ſæpius agricolis inculcat; *quippe nimius humor, ut dixi, limoſos lutoſoſque reddit: at quæ ſiccitatibus aruerunt, expediri probe non poſſunt.* Videturne tibi aptius eſſe ſcribere: *at qui ſicci-*

ſiccitatibus aruerunt, cum agri proximi nominentur? Si negas, chirographo Goeſiano convincam.

Qui itaque agri ſiccitatibus aruerunt, tractari non facile poſſunt; *Nam vel reſpuitur duritia ſoli dens aratri, vel, ſiqua parte penetravit, non minute diffindit humum*. Quis de his poterit dubitare? Nemo ſortaſſe qui neque arantem bubulcum, neque aratrum unquam conſpexerit. At harum rerum vel mediocriter callidus *minute diffindere humum* non convenire aratori, non præſtari ab aratro primo obtutu animadvertet. Nam vomis dum imum ſolum tranſverſe ſcindit, aratrum ſubinde per ſciſſuram inſiſtens terram diviſam ſuſtollit, & hinc atque inde invertit, ac minute diffundit, ſi ſoluta eſt, & natura putris, nec ſiccitatibus indurata. Quare qui ſarrit, quique occat, minute terram cædendo diffindit; qui vero arat, diffundit. Vetera itaque impreſſa eademque Goeſiana *non minute diffundit* ſequi par eſt, relictis Aldinis.

Neque tantum humum non minute diffundit arando, qui durum ſolum proſcindere contendit, ſed aliud incommodum patiatur neceſſe eſt, cum *Boves iniquitate operis maxime multentur*. Sive Columellæ conſuetudinem quam libro I. retinet dicens: *agrum peſſime multari*, reſpicimus; ſive Goeſiani codicis probitatem, *peſſime multentur* eſſe præferendum arbitramur.

Tum etiam ratio ruſtici aggravatur exiguo profectu operis. Cujus *ruſtici*, dices? Aldi credo, qui tam ruſtice atque inurbane ſe in Columellam gerit; *ruſtica* enim fuerat ratio ante Aldum in univerſum propoſita. Hoc etiam depravaſſe uſque adhuc gloriæ Aldo ceſſit.

De collibus deinde arandis hoc monitum habemus: *totidem operis, quot uliginoſi campi, excolitur jugerum talis agri. Sed in arando maxime eſt obſervandum ſemper, ut tranſverſus mons ſulcetur*. Quamvis vulgata non valde improbem, tamen Goeſiana: *jugerum*. *Sed tali agro in arando* tibi commendare non prætermittam.

Tertia ratio exilis agri eſt. *Expeditior autem labor ejuſmodi ſolo eſt, eo quod pauciores impenduntur operæ*. Hic pueriliter labitur Aldus, dum nimia cura vetera nititur emendare. Si enim expeditior eſt agri labor, eo quod pauciores operæ impendantur: expeditiſſimus erit, cum nullæ, quale pratum habetur ita dictum, quia ad fructum capiendum ſemper eſt paratum. Præterea qui male fundum colunt, minus laboris non impendunt, cum negligentia aut avaritia operas ſubtrahant? Expeditior itaque hujuſmodi ſundo labor eſt, eo quod pauciores impenduntur operæ. Quapropter ne talia Columellæ attribuantur, & famæ diſcrimen

ſubeat ejus nomen, quod ad hoc tempus intemeratum viguit, Jenſoniana repetenda ſunt, antequam penitus ab hominum memoria evaneſcant: *expeditior —— ſoli eſt, eoque pauciores impenduntur operæ.* Etenim exilis & ſoluta terra facile colitur, & ubi minor labor pro ſoli conditione adhibetur, minus temporis impenditur, & minus operarum.

Subacta jam terra, & futuræ ſationi parata, frugum genera capite VI. circumſpicit Columella, & cum multa proponat, Triticum quod *Robus* appellabatur, maxime laudat. Hoc eſſe nos credimus, quod *Amajorcato* dicimus, quodque in Sicilia, in agro Neapolitano, Romano, ac Tuſco in ſatis habetur, cujus multa diſcrimina, ut ſcis, colere quotannis ſolemus. Proximum bonitate Siligo quæ ubique in Italia colitur, candoris eximii, propter quod, ut vetuſtiſſimus vates ſolebat, expedit:

Fortunatam Italiam frumento canere candido.

Tertiæ notæ Triticum habetur trimeſtre, quod genus Siliginis eſſe affirmat Columella, neque in propriam naturam recipit. Equidem Siligini ſimillimum eſt; ex qua ſimilitudine vulgatiſſimum Triticum eſſe Siliginem exiſtimavi. Secernitur tamen a Siligine, & propriis ſignis cognoſcitur, cum per eaſdem ferme ſpecies quas in Siligine obſervavimus, diffundatur: nam & rufis & albis glumis atque ariſtis gignitur, & pari diſcrimine mutilatum. Seritur a nobis autumnali ſidere, quo pariter Siliginem terræ committimus, nec tamen citius quam reliqua frumenta, demetimus, cum in frigidis regionibus melius vere ſatum, (ex quo cum poſt tertium menſem maturum demetatur, nomen invenit) reſpondeat.

Poſt Triticum Adoreum in cenſum venit, ex quo genere *Far quod appellatur Cluſinum candoris nitidi*. Hoc rubigine infecit Aldus; nec tamen omnino integrum in antiquis impreſſis, & codicibus Goeſiano & Lipſienſi: *Cluſinum candidioris & nitidi;* ævum enim, ut ſuſpicor, *grani* dempſit.

Poſt hæc de ſerendi opportunitate capite VIII. unum mihi enuclees, velim; aliud enim eſſe mihi videtur *non ambigere*, aliud *non abnuere*: non ambigimus de certis; non abnuimus, cum dubitamus. Satiſne hæc tibi probantur? Cur igitur codicum Goeſii, & Politiani, primarumque editionum *non abnuimus* in *non ambigimus* mutat Aldus excudens: *Nos quoque non ambigimus in agro temperato, & minime humido ſementem ſic fieri debere?*

His paucis totam frumentorum ſationem, quæ capitibus VIII. & IX. cir-

circumſcribitur, tranſgreſſus in extremo IX. capite in Milio & Panico ſic Aldinum vitium indicabo, ut eximam ſimul & conculcem: *Panicum pinſitum & evolutum furfure, ſed Milium quoque pultem quavis inopia maxime cum lacte non faſtidiendam præbet.* Qua inopia premi illos putas qui miliaceam pultem ex lacte ſubactam non faſtidiunt? Numquid ignorare poterat Aldus ea ætate qua ſcribebat, cum ex Indiis Mayxii granum advectum nondum in agris ſereretur, non in annonæ caritate, non in fame, ſed, ſeculo melioribus frugibus exuberante, annuum & ferme quotidianum panem ex Milio ſine lacte eſſe cibarium? Quid dicam de panicea aut miliacea pulte, quæ vel hoc ævo quamvis optimis ptiſanis abundet, non modo ruſticas menſas inſtruit, verum etiam urbanas? Quid igitur Aldum impulit, ut, poſthabitis rejectiſque primis impreſſis: *quamvis in copia*: codicum etiam auctoritate conſtantibus; *quavis inopia*, aut aliunde ſuſciperet, aut excogitaret, & tanquam Columelliana proferret?

De Milio & Panico quæ frumentis annumerantur, hæc: de leguminibus multo pauciora nactus ſum; ideoque duo tantum verba in vulgatioribus libris imminuta, ex codicibus, & antiquis excuſis redintegrata mittam. De Lupino capite X. traditum eſt, vermes in eo gigni, *qui ſimul atque oſcilla Lupinorum ederunt, reliqua pars enaſci non poſſet*. Apud antiquos *ederunt* diverſum prodit; Ab Jenſonio *ediderunt* legitur: in Goeſii, & S. Germani libris *edederunt*, ſortaſſe *adederunt*, quod uſurpatum a Virgilio hoc verſu videmus:

Sæpe favos ignotus adedit
Stellio.

Alterum de Lente afferam, quæ a Curculionibus *etiam dum eſt in ſiliqua, eſtur*. Iſtud *eſtur* Politiani & Goeſii libri amplificant *exeſtur* ſcribentes.

Pabulorum cultui proſpicit caput XI., ubi farrago optima fit cum Ordei cantherini decem modiis circa æquinoctium autumnale obſeritur: hæc vel viridis deſecta pecudibus præbetur, vel ad ſemen percipiendum reſervatur. *Similis ſatio Avenæ quæ autumno ſata partim cæditur in fœnum vel pabulum, dum adhuc viret; partim ſemini cuſtoditur*. Quoniam ſerendi tempore, ſeminis modo, atque uſu Avena & farrago inter ſe cognata ſunt, ex Goeſii monumento ſumamus: *ſimilis ratio Avenæ*. Contra fit in his quæ de Fœno Græco memorantur: *Sed hac ratione jugerum ſex modiis: illa ſeptem occupamus*. Ad duo enim inter ſe remota ſationum tempora referuntur, autumnale alterum, alterum vernum; ideo: *ſed hac ſatione*, videlicet verna, ſex modii terræ tradun-

tur:

tur : *illa* autumnali ſeptem . Quæ fidentius conſtituebam , utpote Goeſiano exemplari confirmata . His duobus immutatis, demam tertium ex Ervo , quod *poteſt & autumno ſeri , nec minus poſt brumam* . Nam Aldinum & quod Politiani liber omittit , tanquam non neceſſarium cenſendum eſt . Siquis tamen retinere malit , in *autem* vetus excuſum vertat ; hoc enim & auctoritate tuebitur , & vetuſtate .

De ſegete ſarrienda & runcanda extat capite XII. frigidum quid atque inſulſum , quod nihilominus cuncti editores ſuſcipiunt , & fovent . Etenim eorum ſententiam referens Columella , qui Fabam minime ſarriendam cenſebant , quia internatæ herbæ , ſublata Faba , fœno cuſtodirentur , ſibi videri inquit *peſſimi agricolæ committere , ut ſatis herba proveniat , frugibus enim plurimum detrahitur , ſi relinquitur runcatio* . Plus enim ponderis , pluſque fidei apud me conſequuntur vetera quæ ex Politiani libris afferuntur , *in* ante *ſatis* inſuper poſito : *peſſime agricola* (*agricolas* fuiſſe reor) *committere , ut in ſatis herba proveniat ; frugibus enim plurimum detrahitur , ſi relinquitur runca* . Atqui ſi particulam *in* interponere nimiæ audaciæ dederis , *præveniat* ſcribere ſaltem ſinito . Id autem ſupra ſata excellere eſt , primaſque obtinere , ut Nomentanas Vites Amineis fœcunditate prævenire ex eodem auctore habemus . Quid vero *runca* quod bis hoc loco in iiſdem codicibus Politiani atque etiam Goeſii occurrit , *runcatio* autem excuditur ? Herbam puto ita appellari quæ tollitur runcando .

Sed cum Celſus qui ſarriendam Fabam negabat , *inter cæteras dotes leguminis hanc* quoque enumeraret , quod , lecta Faba , ex eodem arvo fœnum colligi poſſet , non idem ſentiens Columella , *adeo* , inquit , *Fabam ſarriendam cenſeo , ut exiſtimem debere ter ſarriri* . Quibus quid addere immoderatæ licentiæ aut temeritatis non erit , dummodo ex antiquis & probatis libris id depromatur . Quando ea quæ de *leguminis* dotibus laudat Cornelius Celſus ita dubia ſunt , ut , cum ad Fabam pertineant , ad omne legumen referri poſſint , dubitandi locum removebo , *ejus* inter *dotes* & *leguminis* conſtituto , quod nobis Goeſii & Politiani exemplaria ſuppeditant . Deinde ex Lipſienſi Goeſianoque codicibus *etiam* ante *ter* interponam .

His (quantulacunque habebis , quæ tamen pro auctoris cui depurando inſervio , nobilitate maxima habenda) pro noſtra diligentia accuratis , ad caput XIII. protinus tranſirem , niſi in Academiam ad vos novo chirurgo meo ſuffragio exornandos , vocarer . Jubeo te bene valere .

Dabam Patavio VII. Id. Septembr. CIↃ IↃCC XXXV.

EPI-

EPISTOLA LVI.

Emendatur, illuſtraturque Columellæ liber II. a capite XIII. ad extrema.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

MUnere cujus gratia interpellatus fueram, perfunctus, cum heri ſumma celeritate demum me recepiſſem, præſto fuit candidatus veſter Chirurgus deſignatus. Cui petenti ſiquid ad te vellem, epiſtolam recenter ſcriptam ut tibi redderet, tutiuſque commiſſurum exiſtimavi, quam meum corium ſecandum. Hoc tamen non perinde dico, atque ejus famæ quicquam detractum velim. Recte enim ſe geſſit, & ſperare licet nullum corporis vitium apud vos fore diuturnum. Accedit quod liberalis ingenii eſt, nec lucro inhiantis; ideo ægrotantes ad mercedem ut veniant, non patietur. Attamen cum ad omnia ſecanda & urenda tam parato animo proficiſcatur, ſi ab incidenda epiſtola manum abſtinuerit, eandemque integram tibi reddiderit, Æſculapio gratias habebis. Interim ego aliam retexebam.

Quot operis certus ſeminis modus jugeratim feratur, colaturque dum diligenti cura ad calculum revocat Columella capite XIII., inter prima quæ ad Triticum attinebant, Aldus corrumpit: *in totum ſummæ operarum decem & dimidia*, quæ ſuperioribus priſci editores annectunt, & verbo *occupant* moderantur ſcribendo: *in totum ſummam operarum decem & dimidiam*. Perperam etiam ab eodem Aldo hæc de Ordei cultura ſeparantur, & recto caſu reguntur: *ſumma operarum ſex & dimidia*, quæ in antiquis a verbo *exigunt* pendent: *ſummam operarum ſex & dimidiam*. His interjiciuntur iſta quæ jam dudum ex depravatis libris ſumpta eſſe indicavi: *Seſami modii novem vel decem totidem operas, quot Tritici modii quinque poſtulant*. Animadverteram autem *Seſami* vertendum eſſe in *adorei*, quod *Seſami* nullo modo retineri poſſet, aut defendi; ſive quia de eodem paulo infra opportunius agebatur, ſive quia ea ſeminis menſura Far Adoreum tantum expoſcebat, collatis iis quæ capitibus IX. lib. II. & II. lib. XI. continentur. Nunc ex vetuſtis monumentis id ipſum tibi confirmabo; in Politiani codice notatur *ſiſſeminis*: in Lipſienſi *ſiſeminis*, quod in *Adorei ſeminis* expanditur,

cum

cum a Catone, a Palladio, imo ab ipso Columella alibi sic appelletur? Breviori etiam compendio locus redintegratur ex Plinio, qui Adoreum semen ob præstantiam *semen* tantum appellat. Quare: *si feminis, sic feminis modii novem vel decem totidem operas, quot Tritici modii V. postulant.*

Adduntur alia de *Cicere*, cujus modii tres undecim operis coluntur, nempe bubulci quatuor, occatoris duabus, sartoris una, runcatoris una, tribus legentis. His Aldus unam ademit, & summam *decem operarum* constituit; quod secutos editores in eundem errorem traduxit. Recte autem in prioribus impressis, & Politiani Goesiique libris *undecim*, ut dicebam.

Et hactenus sunt in hoc capite quæ propter scriptorum inconstantiam dissimilia levi conjectura penduntur. At illa quæ de totius anni operarum distributione auctor colligit, quamvis modici judicii sit falsa generatim cognoscere, tamen quæ vera, quæve falsa sint per partes demonstrare, majore opus est prudentia, quam a te, ut in cæteris flagitare soleo, expecto. *Semina*, inquit, *quæ quarto sulco seruntur, in jugeribus viginti quinque desiderant bubulcorum operas CXV.. Nam proscinditur is agri modus quamvis durissimi quinquaginta operis, iteratur quinque, & viginti, tertiatur & conseritur XL.* Hæc mecum perpendere ne recusa. Frumenta in jugeribus XXV. colenda exigere ait bubulcorum operas CXV. Quibus haud equidem assentiri possum; nam in singula jugera cum Tritici modii V. (de terræ enim mediocritate est intelligendum) serantur, modiis CXXV. quos autumnali satione solo tradendos hoc capite auctor memorat, jugera XXV. occupantur. Tritici autem modii V., ut capitis initio ostensum est, bubulcorum operas IV. non postulant? Modii igitur CXXV. operas C. non CXV. exposcunt; siquidem, ut capite eodem IV. docetur, jugerum *commode proscinditur duabus, una iteratur, tertiatur dodrante, in liram satum redigitur quadrante operæ*. Hinc etiam nota ultima XL. vitiata detegitur; quoniam jugerum tertiatur & seminatur una opera; propterea jugera XXV. operis XXV., non XL. iterantur, & conseruntur. Atque hæc quæ cognatione quadam inter se copulantur, non difficile transegimus. Id in proximis ut recta via consequi possimus, etiam atque etiam videndum. *Cætera legumina occupant operas LX., id est menses duos. Pluviales quoque & feriarum computantur, quibus non aratur, dies quinque & XL. Item peracta sementi quibus requiescunt, dies XXX.. Sic in asse fiunt octo menses, & dies X.* Quibus dies XV. quos superioribus subduximus, debemus, ut menses octo diesque X. habeamus. Brumale quidem intervallum dies XL. non

solum

ſolum admittit, ſed neceſſario requirit; quandoquidem circa brumam otiari bubulcos diebus totidem declaratum eſt. Superſunt dies V. quos pluvialibus diebus & feriatis aſſignabimus, ut cuncti L. notentur; primum enim ſpatium quod colendis leguminibus attributum operas LX., id eſt menſes duos, occupat, nequit produci. His quas communis fortuna diſtraxit, & corrupit, notis reſtitutis, aliena atque inutilia demenda ſunt. Nam *cætera* ante *legumina* quod locus reſpuit (legumen enim neque nomine, neque natura, neque cultu cum frumentis convenit) quis defendendum ſuſceperit? Quis autem retinendum duxerit, quod Politianus in codicibus non legiſſe teſtatur? Illa vero *quibus non aratur* non aperte externa, quippe pluvialium dierum & feriarum interpretatio, quibus cognata ſeparantur, & vi quadam divelluntur? Sed cur hoc tibi probare pergo? Non ſatis conſtat eſſe rejiciendum, quod optimi Goeſii & Politiani libri rejiciunt?

Quoniam autem duo ſunt præcipua, quibus lætantur ſegetes, aratio & ſtercoratio, abſoluta arandi tractatione, de ſtercoratione capitibus XV. & XVI. ſalutaria præcepta traduntur. In illo animadvertere eſt, cum tria ſtercoris genera conſtituantur, quod ex avibus, quod ex hominibus, quod ex pecudibus fit, avium primum eſſe, *exceptis tamen paluſtribus, aut nantibus, ut Anatis & Anſeris, nam id noxium quoque eſt*. Etiamne, inquies, hic habes, quod reprendas? Etiam: quod enim natat, paluſtre non eſt? Cur igitur diſtinguuntur *paluſtribus, aut nantibus?* Certe ſcribendum: *paluſtribus ac nantibus*. Nec aliter Varro, a quo Columella, ex Caſſio laudat volucrum ſtercus, ut omnium optimum, *præter paluſtrium ac nantium*. Quin Plinius cum haud ignoraret nantes aves quæ in cohorte aluntur, etiam paluſtres eſſe, illud tantum ex Columella retulit dicens ab eodem alitum nantium ſtercus damnari. Quid quæris? Non in minimis ſolum peccatum eſt: nam Jucundus, vel Aldus, cum ex depravata particula *ac*, eſſe alias paluſtres cohortales aves, alias nantes crederent, reliqua fœdius inquinarunt, verſo antiquarum editionum *quod* in *quoque*. Verum quid ex eo boni? Nihil tali pacto. At hoc vel optima ſententia: *nam inde noxium quod eſt*.

Ubi vero, dicet aliquis, neque pecus in fundo haberi expedit, neque aves nutriri, quo genere ſterquilinium parabimus? *Licet*, ſubdit Columella, *e vepribus compitiſque congeſta colligere*. Plura ex veteri libro Nicolaus Heinſius commemorat, nempe: *licet e vepribus, & e viis, compitiſque*. Inter Goeſiana etiam legitur *& e viis* pro *compitiſque*, quod fortaſſe Goeſius exſcribendo neglexit. Revera colligere *e viis* latius patet, quam *e compitis*; quoniam ubique viæ, non ubique compita. Pro-

pterea dum illud non prætermittas, hoc alterum non morabor.

Congeſtis in ſterquilinium purgamentis omnibus, *eodem medio loco robuſtam materiam defigere convenit ; namque ea res ſerpentum noxam latere in ſtercore prohibet*. Quanto difficiliorem poſteris loci hujus emendationem reliquit Aldus, qui ab antiquis impreſſis *ſerpentem noxiam* ſumere recuſavit ; tanto faciliorem Politianus tradidit, qui *latere* Medicæo codici deeſſe animadvertit. Hoc enim remoto, verbum aliud neceſſario perquirenti, ſi in memoriam revocaveris quæ apud Varronem & Plinium te legiſſe non dubito, depacta ſcilicet robuſta materia, non gigni in ſterquilinio ſerpentem, occurret tibi *noxiam* ex *naſci* depravatum. Hoc pacto & ſibi convenientia ſcribit Columella, & Varroni quem ſequitur, atque imitatur. Quid enim ex vulgatis tanto viro dignum? Ne ſerpentis virus lateat in ſtercore? Lateat potius ibi quam domi, quam in ſtabulis, quam in paſcuis: lateat, inquam, & ut lateat perpetuo, curandum eſt, non prohibendum ; dum enim latet, nemini nocet: dum vagatur, infeſtum. Curæ itaque eſſe debet agricolæ, ne in fimo naſcantur ſerpentes, in quo ova deponere ſolent, quo melius tepore excludantur, quoniam ipſi ad incubandum non idonei.

Ab eo agro qui pecore viduatur, tranſit deinde Columella ad ſundum pecore inſtructum ; nam *ubi greges quadrupedum verſantur, quædam quotidie ut culina, & caſeale: quædam pluviis diebus, ut bubilia & ovilia debent emundari*. De *Caſeale* varia eſt hominum opinio ; nam alii latrinam ; alii cellam ubi caſeus reponitur ; alii locum ubi conficitur eſſe arbitrantur. Mihi vitium ſubolet, cum antiquam ſcripturam Goeſianam *cærile* intueor, ex qua commode reparatur *caprile*, quod ex Lipſienſi codice ſincerum depromptum eſt. Cum itaque Capris nihil ſubſternatur, quod cum lotio & ſtercore macerare oporteat, cumque libro VII. jubeat Columella, caprile quotidie everri, id ipſum vulgato *caſeale* præferri a nobis neminem tam procul ab agriculturæ ſtudio remotum improbaturum credo.

De comparando fimo, & de capite XV. hæc erant, quæ tibi nota eſſe volui : quemadmodum autem per agrum diſponere neceſſarium ſit, cum capite proximo doceatur, ex eodem hæc tibi ponderanda mittam : *ita ut plani loci jugerum duodecim, clivoſi quatuor & viginti vehes ſtercoris teneant: &, ut paulo prius dixi, non antea diſſipet cumulos, quam erit ſaturus*. Duo ſunt quæ tibi ſignabo nec vera, ut mea eſt mens, nec convenientia: primum numerum *duodecim* qui pravus facile deprenditur. Nam, ſi capite V. jugero quod ſpiſſius ſtercoratur, vehes quatuor & viginti neceſſarias eſſe affirmat Columella ; illi vero quod rariorem

riorem ſtercorationem deſiderat, duodeviginti; ſtercorari autem ſpiſſius collem, rarius campum ibidem addit, ſequitur itaque *plani loci* jugerum quod rarius ſtercorandum eſt, non *duodecim*, ſed *duodeviginti* vehes admittere. Propter quod Lipſienſis codex vero propiorem numerum oſtendit *duo & viginti*, nempe *duodeviginti*. Alterum *ſaturus* eſt quod apud Politianum *arƈturus* ſcribitur; idque, mutata litera, priſtino colore eluceſcit, *araturus* ſi fiat; quippe, ut ex eodem capite V. clarius cognoſces, poſt ſtercorationem ſemper quidem arandum eſt, non ſemper ſerendum.

De agrorum cultu plura quam opinabar, tibi congeſſi: ea ne me fallant, etiam atque etiam vide, & ad omnia diligentiſſime reſcribe. Nunc de inſtituendis colendiſque pratis quædam ex capite XVIII. apponam. Et primum ne majora armenta, *niſi cum ſicciſſimum ſolum eſt, quoniam demergunt ungulas, & atterunt, ſcinduntque radices herbarum*, in pratum agas, te monebo. In quo prato, inquies, ungulas demergunt? In *udo* quidem, quod etſi ex proximis intelligi poſſit, tamen eſſe vetuſtate ſubduƈtum codices tum Politiani in quo: *quia udo demergunt ungulas*; tum Goeſii, cujus talis eſt ſcriptura: *quia udo demerguntur ungulæ*, oſtendunt; nec non ipſe Columella confirmat eadem hoc exemplo repetens: *nam pecudes, ut ante dixi, molli ſolo infigunt ungulas.*

Hæc prima pratorum cura: altera, ut primo vere purgentur; nam majoris incrementi herbæ, & ſpinoſæ evellendæ ſunt & penitus exſtirpandæ, *omneſque lapides, & ſiqua obiacent falcibus obnoxia colligi debent, ac longius exportari.* Qui primus in Columella impedimentum falcibus aſperum *obnoxium* appellavit, ob hanc noxam obnoxium haberem. Ex codicibus itaque Goeſiano & Lipſienſi antiqua: *& ſiqua obiacent falcibus aſperiora*, repetamus.

Atque hæc agenda ſunt, ſi prata jam facta accepimus. In novis autem parandis, eum locum quem pratum fieri volumus, aratum ſatumque Vicia fœni ſeminibus permiſta, *induƈta crate, coæquabimus, grumoſque quos ad verſuram plerunque traƈtæ faciunt crates, diſſipabimus ita, ut necubi ferramentum fœniſecæ poſſit offendere.* Si verbi *diſſipabimus* vetera exempla attendimus, ſtatim Aldi ſive potius Jucundi, qui rem ruſticam a ſe depravatam Aldo excudendam tradidit, fallaciæ patent; id enim in impreſſis prioribus eſt *deſpiciemus*, in codice Lipſienſi *addeſpiciemus*, in Politiani ſcripto *aſſicamus*. Quid porro? *Diſiciemus* credo.

Sed eam Viciam non convenit ante deſecare, quam permaturuerit, & aliqua ſemina ſubiacenti ſolo jecerit. Tum fœniſecam meſſorem oportet inducere, & deſectam herbam religare, & exportare. Quid eſt, obſecro,

fœniſecam meſſorem ? Si ex duobus quæ diverſa ſunt, coaleſcit, male conjungitur, & copulatur: ſi diviſum ſumitur, cum aliud ſit fœniſex, aliud meſſor, alterum ab altero reiicitur & prohibetur. Tollitur hoc incommodum per Politianum, in cujus codice eſt *: Tum fœniſiceas* (an *fœniſecas?*) *oportet inducere*. Amoveatur itaque a pratis meſſor, & ad fruges demetendas reſervetur.

Deſecta herba, ad fœnum ſtudium & diligentiam capite XIX. protinus traducere oportet, quod *neque peraridum, neque rurſus viride colligatur*. Quæ utique ſervanda ſunt, cum fœnum aut in metas coacervatur, aut reponitur in tabulatis. Redeat itaque ex Lipſienſi codice in ſuam ſedem, *colligatur* remoto, *condatur*. De condendo fœno hoc etiam conſiderandum eſt: *vel ſi non competit, ut aut in villam fœnum portetur, aut in manipulos colligatur, certe quidquid ad eum modum, quo debet, ſiccatum erit, in metas exſtrui conveniet*. Mos ubique obtinet, ut fœnum aut ſub dio in acervis cuſtodiatur, aut ſub tectum reconditum in tabulatis conſervetur. His duobus modis tertia reponendi fœni ratio hic adjungitur, ſed imperfecta & truncata, quippe nova, & nondum abſoluta, cum caſu nata ſit, vel negligentia. Quo enim fœnum in manipulos colligatum inſerendum eſt, quod tam a tabulatis, quam a metis excluditur? Ex Goeſiano codice indicabo: *vel, ſi non competit, ut in villam fœnum portetur: at in manipulos colligatum certe, quidquid ad eum modum, quo debet, exſiccatum erit, in metas exſtrui conveniet*.

Poſt fœniſicia de area paranda capite XX. videndum; quæ, ſi terrena erit, *ut ſit ad trituram ſatis habilis, primum radatur, deinde confodiatur, permiſtiſque paleis cum amurca, quæ ſalem non accepit, extergatur*. Inter nugas noſtras quas Lipſiam miſeram olim, *exteratur* invenies, quod pro *extergatur* adnotaveram. Nunc video me ineptiarum crimen evitaſſe, antiquos codices Politiani & Goeſii ſpectans, quibus diſſimili verbo, non diſſimili ſignificatu noſtra conjectura corroboratur; iſtud enim *& rigetur* facile evadit *extrigetur*, aut primarum editionum *extringetur*, ſive *extringatur*, quod erit diſtringendo reſolvatur, exteraturque.

Librum jam atque epiſtolam capite XXI. abſolvam, ultima colonum opera quæ collectarum frugum emolumentum habetur, peracta. Itaque poſt trituram, *pura deinde frumenta, ſi in annos reconduntur, repurgari debent; nam quanto erunt expolitiora, minus a Curculionibus exeduntur*. Si Columellæ ſententia ſatis tibi eſt, recte Aldino *repurgari* eandem tenes: ſin autem ipſam auctoris verbis expreſſam deſideras, videto Politianine

tianine *reperiri* in *repoliri* converſum apte in contextum concurrat; *nam quanto grana* ſunt *expolitiora*, *minus a Curculionibus exeduntur*. Da operam, ut pancratice valeas.

Dabam Patavio VI. Id. Septembr. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA LVII.

Emendatur, illuſtraturque Columellæ liber III.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

AMachaone veſtro literas quas VII. idus dederam tibi deferendas, opportune tibi redditas eſſe gaudeo; tamen eaſdem cum ſuperioribus tuo judicio probari, maximopere gaudeo. Hoc tempore illas quoque in tuas manus perveniſſe ſpero, quas nudius tertius tabellariis veſtris deferendas curavi. Quid de iis item ſtatues, ſi pro tua diligentia perſcripſeris, vehementer te amabo. Interim ad propoſitæ materiæ ordinem redeamus. De arborum & Vitium cultu ſequitur tractatio copioſa illa quidem, quæ in tria volumina diffunditur, & multis difficultatibus erroribuſque implicatur. Tamen frangi vel debilitari meum animum tot ſordium moleſtia non ſinam, neque patiar voluntatem, quamvis ab ingenio ſæpe deſeratur, officio deeſſe. A tertio volumine exordiar.

Ex ſurculo, inquit Columella cap. I., *vel arbor procedit*, *ut Olea*; *vel frutex*, *ut Palma campeſtris*; *vel tertium quiddam quod nec arborem*, *nec fruticem proprie dixerim*, *ut eſt Vitis*. Dubitaſſe de *Palma* Guilandinum unum ex deceſſoribus noſtris video, & merito quidem; nam Palma humilis, quæ etiam in hoc Horto colitur, arbor habenda eſt, non frutex, eademque per ſurculos quoniam non propagatur, propoſita regula minime continetur. Opinabatur itaque ſubſtituendum eſſe *canna campeſtris*; quoniam libro qui *de arboribus* titulum gerit, ubi eadem repetuntur, ad fruticem declarandum Arundo in exemplum affertur. Sed & Roſa recenſetur, quæ conciſa in virgulas, & ſata in fruticem ſurgit. Animadvertere etiam eſt ibi arboris duo genera nominari, Oleam nempe, & Ficum: totidemque fruticis, Roſam ſcilicet, & Arundinem; libro autem III. arborem unam, nempe *Oleam*; ideo credere

eſt

eſt fruticem etiam unum protuliſſe, hoc eſt *Roſam*. Sed quid *campeſtris?* Quæ, credo, in campis naſcitur. Attamen cum in antiquis excuſis & codicibus ſcribatur *Palmæ campeſtres* (quod vitium vitioſius reddit Aldus edendo: *Palma campeſtris*) *Roſæ campeſtres* ſi Roſam probas; aut *Roſæ*, *Arundines*, ſi utrunque ex libro *de arboribus* ſumere libet, ut notes, curato.

His de arborum naturæ generatim præpoſitis, de Vitium generibus differere exorſus capite II. Columella, quod cuique agro traditum pro uniuſcujuſque indole & ingenio melius reſpondeat, aut contra, diligenter exequitur; ideo majorem Germanam, quia celeriter in flore corrumpitur, *non eſſe vineis aptam*, *vix etiam arbuſto*, *niſi præpingui & uvida terra*, demonſtrat. Quibus inter ſe repugnantia confunduntur; nam uvido loco amplioris acini Vitem, qualis eſt Germana major, non recte mandari docet. Adde hanc Germanam facile dum floret, vitiari, & hac de cauſa non eſſe vineis idoneam; quippe humilius poſita rorulentum ſolum reformidat. Quare Goeſiani codicis vocem *vivida* vulgari *uvida* anteferendum duco. Pari modo peccatum eſt capite XI. in his: *qui ſit humidæ terræ permiſtus*; ibi quoque in antiquis libris *vividæ*. Similiter libro V. ubi Oleis deponendis apta laudatur *denſior terra*, *ſi uvida & læta eſt*, ex veteribus voluminibus tam formis excuſis, quam calamo expreſſis ab Aldo vitiatum eſſe *vivida* compertum habemus. Non me fugit quid ad hæc reſcripturus ſis, Palladium nempe qui Columellam ſequitur, memoriæ tradidiſſe Oleis convenire *terram naturæ denſioris*, *& humidæ*. Verum enimvero ſpondeſne hæc ſincera? Non exiſtimo; afferam enim ex codice Lugdunenſi *vividæ*: afferam id ipſum ex Creſcentio qui Palladium tranſcripſit.

Hæc itaque major Germana *prolixarum frequentia materiarum*, *foliorumque*, *& uvarum & acinorum magnitudine dignoſcitur*: *internodiis quoque rarior*, *largis fructibus a minore ſuperatur*, *guſtu non vincitur*. Quæ ſeparanda videntur hoc modo, rejectis illis *& acinorum* quæ primi editores omittunt: *rarior*. *Largis fructibus a minore ſuperatur*. Prolixis enim & frequentibus materiis, item foliis atque uvis amplis, internodiiſque rarioribus diſtinguitur. Fœcunditate a minore ſuperatur.

Minus apte iſta etiam quæ de minori Gemella prodita ſunt, ordinantur: *Cum prædictis regionibus commodiſſime jugum ſuſtineat materia*, *fructumque*; *niſi quod duplicem*, *non abſimilem minori Germanæ egerit*. Si hoc pacto ſeparabimus, perfectam ſententiam habebimus: *Cum prædictis regionibus commodiſſime jugum ſuſtineat*. *Materiam fructumque* (*niſi quod duplicem*) *non abſimilem minori Germanæ gerit*. Hoc autem ge-

rit

rit ab Urſino ſumimus ; quippe excuſum *egerit* literam *Germanæ* extremam ſibi adiunxit ; quin binas Juntinum *egerit*.

Tertio loco Lanata Aminea celebratur , *ſane vini boni* , *ſed levioris quam ſuperiores* . Verum ſuperiores , id eſt *Geminæ auſterioris vini* eſſe non dicuntur? Quare in Lanata *lenioris*, ut primum impreſſum eſt, extatque inter Goeſiana , non Aldinum *levioris* ; ſi tamen aſperum leni opponitur, atque antiqua recentibus præſtant.

Super hunc numerum quem retulimus , *ſingularis habetur Aminea majori Geminæ non diſſimilis* . Hanc profecto Vitem cum majori Germana contulit Columella , ſi Goeſiano & Lipſienſi codicibus credimus primiſque editoribus , a quibus Medicæus Politiani codex non valde diſſentit exſcribens: *Germinæ* pro *Germanæ*. Quod etiam ex his quæ ſequuntur, confirmatur, propriis virtutibus & notis quibus majori Germanæ Lanata Aminea proxime præfertur, perpenſis . Major Germana in flore corrumpitur: Lanata *melius flore* exuitur; illa internodiis rarior raras uvas explicat; hæc *ſpiſſas ac tumidioris acini* , ex quo illa de *acinorum* magnitudine recte a majori Germana per nos eſſe ſubducta conſtat , quæ Lanatæ propria afferuntur . Præterea cum major Germana non valeat , *niſi præpingui & vivida terra* : Lanata *gracili arvo non deſciſcit* . Demum quid amplius expectas? *Majori Geminæ* Aldinum eſt.

Proximæ veniunt Nomentanæ Vites ; *ſed earum quoque feracior eſt minor* , *cujus & folium parcius ſcinditur* , *& materia non ita rubet* , *ut Amineis* , *a quo colore Rubellianæ nuncupantur* . Si in Nomentana Vite minore materia minus rubet, quam in Amineis , cur hæ potius Rubellianæ nomen non obtinent , quam illæ? Res in confeſſo eſſet, ſi locus mendo careret . Sed *in Amineis* vitium eſt : in Politiani codice , itemque in Lipſienſi ſcribitur *a majoris* ; in Goeſiano vero optime : *ut majoris*; nam Rubella major magis rubet materia , quam minor Rubella , cum tamen utraque rubeat.

Ultimæ pretioſi vini Vites habentur Apianæ, *ſed capiti* , *nervis* , *veniſque non aptæ* . Apianum vinum quod *moſcato* populari conſuetudine eſt , caput tentare nervoſque jam notum eſt : venas autem inflare & diſtendere (quod cuique contingit meracum intemperanter bibenti) non vero lædere , nemini item dubium exiſtimo . Non igitur *veniſque* a Columella? Non ædepol , ſi antiquorum codicum Politiani & Lipſiæ, quibus deeſt , valet auctoritas . Jam vero ipſe Columella Vitem Inerticulam , quæ Apianæ facultate contraria eſt , ita nominari non affirmat , quia innoxia , & iners in tentandis nervis habetur ? Quibus nihil de venis addi videmus.

Se-

Secundæ notæ Vites Biturica & Basilica commendantur. Sed de Basilica noscere oportet qua ratione in Goesiano & Lipsiensi codice scribatur, videlicet *Baliſca*, quod in antiquis Plinii editionibus retinetur. Item apud Columellam paulo infra, quod in impressis est *Arcelacæ*, *Baſilicæque*; in codicibus *Arcelacæ Baliſcæque* notatur. Capite etiam IX. *Biturícum* aut *Baſilicum* genus, necnon *Biturici* & *Baſilici generis* cum in excusis legantur, illud Politiani liber *Valiſcum* designat; hoc Goesianum exemplar *Baliſci*. Capite similiter XXI. ubi vulgus editorum *Baſilicæque* excudit, prima impressa, & manu exarata quæ Lipsiæ & Florentiæ asservantur, *Valiſcæque* ostendunt. Claudicat ergo *Baſilica* nulla auctoritate fulta. Verum *Baliſca*, aut *Valiſca*, a qua origine repetemus? Etsi, quæ de hujusmodi rebus quæruntur, ancipitem disputationem habeant, tamen, cum genus utrunque Biturícum nempe, & Valiscum ex longinquis regionibus arcessitum esse caput IX. ostendat, doceatque historia in Aquitania populos fuisse qui Bituriges & Vibisci nominarentur, cogitabam, ut ab illis Biturícam, ita ab his Vibiscam Vitem a Latinis appellatam. Quot etiam alia Vitium genera a regionibus vel gentibus nomen non invenere? Pompejana, Aminea, Rhodia, Lybica, Thasia, Fregellana, Allobrogica hac de causa non vocarunt Romani?

Secundæ utique classis Visula dicitur; nam *humillimis tabulatis aptior Viſula brevem materiam & latum folium exigit*. Quæ perficiuntur ex Goesiano codice: *durum & latum folium exigit*. Id ex Plinio esse necessario addendum confirmabo, atque una Vitis genus quod in Plinio librariorum negligentia discerptum est, in antiquam formam restituam. Nam libro XIV., in quo multa de Vitibus ex Columella describit Plinius, de Visula hæc significari opinor: *Vix ulla magis tam denſo uvarum partu impatiens variantis cœli, ſed contra tenorem unum algoris æſtuſque conſtans. Quæ minor eſt ex eo genere, melior. In eligendo ſolo moroſa, pingui putreſcit, gracili omnino non provenit. Mediam temperiem delicate quærit; ob hoc Sabinis collibus familiaris. Uva ejus indecora viſu, ſapore jucunda, niſi matura protinus rapiatur, etiam non putreſcens cadit. Contra grandiores eam tuetur foliorum amplitudo & duritia.* Nunc subnectamus quæ de Visulis prodidit Columella: *Viſulæ deinde ab his, & minor Argitis terræ mediocritate lætantur; nam in pingui nimiis viribus luxuriant: in macra tenues, & vacuæ fructu veniunt: amiciores jugo, quam arboribus; ſed Argitis etiam in ſublimibus fertilis vaſtis materiis, & uvis exuberat. Humillimis tabulatis aptior Viſula brevem materiam, durum & latum folium exigit, cujus amplitudine fructus ſuos optime*

me adverſus grandinem tuetur : qui tamen niſi primo quoque tempore legantur , ad terram decidunt , humoribus etiam prius quam defluant , putreſcunt . Jam cernis , his cum illis collatis , ſimilitudinem exprimi . Quare prima in Plinio : *Vix ulla* fuit *Viſula* . Quod ne miremur , videre eſt ex Politiani ſcripto Columelliana *Viſulæ* & *Viſula* notari *vis ullæ*, *vis ulla*, & in Lipſienſi codice conjunctim *Viſullæ Viſulla* . Porro a Plinio cum Viſula bifariam ſeparetur in majorem & minorem , quoniam minor ex eo genere melior habetur , credere licet ſcripſiſſe Columellam: *Viſulæ deinde*, *& ex his minor Argitis ;* quæ proprio nomine inter Viſulas ſic appellaretur . Ideoque Pliniana illa *uva ejus* ad majorem ſpectant , quæ foliorum amplitudine & duritia cum fructus ſuos tueatur , nos ex Goeſiano libro *durum* Columellæ recte & ordine repoſuiſſe declarat.

Poſt hæc *tertium gradum facit earum Celſus quæ fœcunditate ſola commendantur*, *ut tres Helvenaciæ*, *quarum* &c. *At Spionia dapſilis muſto* —— *ut Oleaginea* , *ut Murgentina* , *eademque Pompejana* , *ut Numiſiana* , *ut Venucula eademque Scirpula* , *atque Sticula* , *ut nigra Fregellana* , *ut Merica* , *ut Rhætica* . Quando hac formula *ut* tot Vitium genera complectitur Columella , *ut Spionia* ſcribendum eſt . De nomine quoque ambigi poteſt , quod in tribus codicibus Lipſienſi , Medicæo quo uſus creditur Politianus, & Goeſiano *ut Scipionia* notatur, vel a gente Cornelia , ut in Oleis Liciniana , Sergia ; in Piris Aniciana , Dolabelliana, Næviana, Turraniana : vel ab uvarum longitudine.

Commemoratis Vitium generibus , poſteaquam de earum fœcunditate , atque utilitate multa generatim auctor diſputavit , & de malleolorum electione & ſatu præcepta congeſſit, quod genus ipſe maxime probaret , tandem addidit capite VII. hoc exordio : *Sed certum habeo* , *P. Silvine* , *jamdudum te tacitum requirere* , *cujus generis ſit iſta fœcunda Vitis* , *quam nos tam accurate deſcribimus* , *ac ne de iis aliqua ſignificetur* , *quæ vulgo non habentur feraciſſimæ ; plurimi namque Bituricam* , *multi Spioniam*, *quidam Baſilicam* , *nonnulli Arcelacam laudibus efferunt* . Diſſimili modo ſeparanda exiſtimo , receptis ex Goeſiano & Lipſienſi codicibus *anne* pro *ac ne* , & Goeſiano *nuut* (quod in vulgatis eſt *non*) in *num* verſo : *Sed certum —— deſcribimus ? Anne de iis aliqua ſignificetur* , *quæ vulgo nunc habentur feraciſſimæ ; plurimi namque Bituricam* , *multi Scipioniam* , *quidam Viliſcam* , *nonnulli Arcelacam laudibus efferunt ?*

Videbis etiam quomodo ſe habeant hæc capite IX. comprenſa : *Nihil enim dubium eſt* , *quin ipſa natura ſobolem matri ſimilem eſſe voluerit* . *Unde etiam paſtor ille in Bucolicis ait* , *ſic Canibus catulos ſimi-*

les , ſic matribus Hædos , noram . Unde . Quam vellem optaremque eſſe hoc exemplo *: Nihil —— voluerit (ut etiam paſtor ille in Bucolicis ait)*

Sic Canibus catulos ſimiles , ſic matribus Hædos .

Unde . Certe illud *noram* , quod probatiſſimi codices , & priora impreſſa rejiciunt , ex Virgilio videtur translatum . Porro *unde* ortum arbitror librariorum vitio , alterius citius ſecundum *unde* dictantis , alterius tardius *ut* ſcribentis , quæ cum in id tempus inciderent , primum *ut* poſterius *unde* evaſit .

Cognitis iis quæ de Vitium fœcunditate tradenda erant , earum cultum capite X. exequens Columella , quæ in eligendis ſeminibus ſequenda ſunt , & quæ vitanda , declarat . Et primum veterum agricolarum inſtitutum , qui ultimum & productiſſimum flagellum in malleolos ſecabant , pangebantque , improbaturus , oſtendit ſumma ſarmenta recepta ab antiquis & probata , quia de tenero citantur , quia uvis exuberant , & materiæ amplitudine præſtant , non ex palmitis indole , ſed ex loci opportunitate talia videri , quoniam quidquid a ſtirpe recto curſu ad ſumma impellitur , protruditurque , ibi conſumitur & ceſſat . Propter quod etiam in crure Vitis uberrima ſarmenta reperiuntur . *Sed hæ ſtirpes quæ e duro citantur , duplici ex cauſa probatæ ſunt , quod a fœtu vacant , quodque ex proximo terræ integro atque illibato ſucco aluntur : & illæ fertiles ac firmæ , quia e tenero prorepunt , & quidquid , ut ſupra dixi , ad eas alimenti pervenit , individuum eſt .* Hujuſmodi materiæ quia e duro proveniunt , quia fructu carent , quia largiori ſucco aſſuetæ ut primum a matre reciſæ ſunt , atque uberi humori deſtitutæ , cito retorreſcunt , *duplici ex cauſa probatæ ſunt ?* A quibus probatæ ? Ab antiquiſne? At hi extrema flagella quæ de productiſſima Vite proſiliunt , legebant , vitantes , ut Columellæ dicam verbis , *quod e duro trunco enatum , quod pampinarium vocant .* Nam colonus *hoc ſolum præceptum a magiſtris accepit , ne pampinariam virgam deplantet .* A librariis igitur . Negandi itaque particulam neceſſariam eſſe vides . In Politiani libro ſcriptum eſt : *citantur ac duplici* ; unde ſuſpicio fit *ac* quid amiſſum indicare ceu *haud* , *non* , vel quid item . Verumtamen neſcio quid aliud menti mihi obverſatur ; iſtud enim *vitantur* , ſive Goeſianum *utantur* fuiſſe *vitantur* reor , & illa : *probatæ ſunt* inſititia habeo , *vitantur* jam depravato , excogitata . Nam hanc eſſe propoſitæ diſputationis clauſulam animadverto , non eſſe ſcilicet deponenda flagella quæ de ſumma Vite enaſcuntur , quia , quamvis fertilia ſint , & quamvis de tenero proveniant , cum nimio humore alantur , in deteriori

teriori loco posita celeriter deficiunt ; unde etiam præstantissimus vates *summa flagella* ne peterentur inculcavit : similiter non pangenda illa quæ de duro nata circa Vitis crus nutriuntur ; quippe fructu vacua , & nimio alimento læta sunt , & tanquam saginata . Medias autem materias esse macerrimas , *quia transcurrit hinc parte aliqua interceptus , illinc a se tractus humor* . Quapropter quæ e duro propter radices emittuntur , vitantur duplici de causa , infœcunditate , & nimia ubertate : quæ vero de summo & tenero , una , nempe loci opportunitate . Cur itaque ita eduntur : *& illæ fertiles & firmæ , quia e tenero prorepunt , & quidquid , ut supra dixi , ad eas alimenti pervenit , individuum est* ? Nemo in ferendo rejicit , quod e tenero nascitur , & quod fertile est ; sed id rejicitur atque improbatur , quia *loci ubertate in fructum cogitur* . Ex duplici itaque causa altera ex antiquis impressis removetur : *quæ tenero prorepunt* , propter quam nullum sarmentum in satione vitatur : alteram ut habeamus , audendum est : *eo quod quid , ut supra dixi , ad eas alimenti pervenit , individuum est* . Repetamus itaque cuncta qua nostris conjecturis , qua codicibus expolita : *Sed & hæ stirpes quæ e duro , vitantur duplici ex causa ; quod a fœtu vacant , quodque ex proximo terræ integro atque illibato succo aluntur : & illæ fertiles ac firmæ quæ e tenero prorepunt ; eo quod , quid* (sive *eo quod quidquid*) *ut supra dixi , ad eas alimenti pervenit , individuum est . Mediæ sunt macerrimæ , quas transcurrit hinc parte aliqua interceptus , illinc ad se tractus humor* .

Igitur id sarmentum quod media Vite situm non importuna quidem parte deficit . Immutatur *non* Politiani manu in *nec* , sed melius censendum *ne* Goesianum , videlicet : ne in deteriori quidem loco satum degenerat , quia parvo assuetum.

Quare magnopere censeo in eligendis seminibus adhibere curam , ut fructuosa parte Vitis palmites legamus eos , qui futuram fœcunditatem jam toto fructu promittunt . Stipes & caudex videtur , quicunque Goesiana non amplectitur: *qui futuram fœcunditatem , jam dato fructu promittunt* . Prorsus de ejus fœcunditate dubitari non potest , quæ jam fructum attulerit.

Videlicet quasi semper sit parentum fœcunditati proles responsura . Quam dissimilia , verumtamen optima ex Politiani , Goesii , ac Lipsiæ codicibus afferuntur : *Videlicet quia semper speret parentum fœcunditati prolem responsuram !* Nec secus existimaveris , si cum proximis conjunges: *An non opilionem laudabimus ex ea matre sobolem propagantem , quæ geminos enixa sit , & caprarium submittentem fœtus earum pecudum , quæ*

trigemino partu commendantur? Videlicet quia ſemper ſperet parentum fœcunditati prolem reſponſuram.

Quæ eo diligentius animadvertenda ſunt, quo frequentius quadam occulta vi a priſtina natura ſemina deſciſcunt, ut in leguminibus contingit. *Quod non tantum de ſeminibus leguminum, ſed in totam agricolationis rationem dictum eſſe intelligendum eſt.* Secundum membrum ſi cum Goeſianis contuleris, diſſimile quondam fuiſſe videbis: *Sed de tota agricolatione ſpatiove dictum eſſe intelligendum eſt.* Ubi ſpatium artis magnitudinem declarat, ut in Juvenalis Sat. IV.

Spatium admirabile Rhombi.

Ut in Plinii libro VIII. *Quod ſit hominum ſpatium a veſtigio ad verticem.* Ut denique in Gellii libro I. *Facile intellexit modum ſpatiumque plantæ Herculis ratione proportionis habita.*

De terræ vinealis qualitate, ejuſque paſtinatione nonnulla tibi commemorare poſſem, quæ capitibus XII. & XIII. continentur, niſi in magna rerum indagine aliquid conſulto prætermittendum eſſet, quo brevior fierem, & minori moleſtia tuam patientiam fatigarem. Quare unum notaſſe cap. XII. ſatis habebo, quod lectorem non moratur ſolum, ſed etiam in errorem trahit, cum ita Aldi opera proditum ſit: *Sed ne nunc per infinitas terreni ſpecies evagemur, non intempeſtive commemorabimus Julii Græcini conſcriptam velut formulam, ad quam poſita eſt limitatio terræ vinealis.* Non difficile aſſequi poterit, qui antiqua exempla recognoverit, *limitatio* ab Aldi editionibus emanaſſe, quod prioris impreſſi, Goeſianique *imitatio* comparatione evaneſcit. Hoc autem *imitatio* Lipſienſi *æſtimatio* (quod ex alio codice etiam Politianus memorat) præferre non dubitabo; quoniam cum infinitæ ſint terreni ſpecies, ex Græcini formula exemplum capiendum eſt, & ſimilitudo.

Ad caput XIV., & ad ſationem veniamus. Cum ſerendi tempora duo præcipua a colonis obſerventur, vernum & autumnale, vernæ poſitionis *dies fere quadraginta ſunt ab idibus Februarii uſque in æquinoctium: rurſus autumnalis ab idibus Octobris in cal. Decembres.* Ab idibus Febr. in a. d. VIII. cal. April. ubi æquinoctium vernum ex Auguſti tabula conſtituitur, intervallum dierum XL. perficitur: alterum autem ab idibus Octobr. ad calend. Decembr., in XLVII. producitur. Autumo igitur ſcripſiſſe Columellam *in* a. d. VII. cal. Decembr. quo die Brumalia feſtum agebant Romani, ſurculis deponendis fine impoſito. Sic dierum XL. ſpatium habebimus, quod hac etiam ætate ſerendis arboribus, & Vitibus agricolæ determinant, maximeque probant.

Et quoniam duo ſunt ſerendarum Vitium genera, malleolus & vivi-

radix,

radix, pluribus dotibus hæc præſtat; *nam minus interit, cum & calorem, & frigus, & cæteras tempeſtates propter firmitatem facilius ſuſtineat: deinde adoleſcit maturius, ex quo evenit, ut celerius quoque ſit tempeſtiva edendis fructibus: tum etiam nihil dubium eſt ſæpius translatum. Poteſt tamen malleolus protinus in vicem viviradicis conſeri ſoluta & facili terra.* Cur tot tibi exſcribam, nolito mirari; his enim incurata ulcera celantur. Quare medicinam proſpicienti cuncta membra noſcenda ſunt, quo facilius in antiquam formam reſtitui poſſint. Quæ facilis nunc mihi patet; nam *ſæpius* in *ſemen* converſo, omnia integra exiſtimo, & clara futura. Siquidem viviradicis quæ de vitiario in paratam ſedem transfertur, natura & qualitas ante, quam ſereretur, a vinitore explorata eſt, & probata. Quod in legendis & protinus deponendis ſeminibus polliceri non eſt, cum plerunque ab operis malleolos legentibus peccetur. Præterea multæ Vites reperiuntur, quæ vel foliis vel materia, vel colore cujus ſint generis, ſe oſtendunt; ideoque quod alienum in vitiarium irrepſit, cognoſcitur atque extirpatur. Quapropter non dubia eſt radix quæ transfertur.

In ſerendo autem ſervandum eſt Magonis præceptum quo agricolis ſuadet, ut vinacea permiſta ſtercori in ſcrobes ingerantur; *quod illa provocent, & eliciant novas radiculas: hoc per hiemem frigentem & humidam ſcrobibus inferre calorem tempeſtivum, ac per æſtatem virentibus alimentum & humorem præbere valeat.* Cum diverſa & varia ab antiquis proferantur, nempe: *per hiemem frigentem ut humum ſcrobibus inferre calorem, tempeſtate ac per æſtatem*, ſtultiſſimi hominis eſt Aldo aſſentiri, qui hieme frigidiora aut approbavit, aut ab aliis meditata extulit. Verum dices, quid faceret Aldus aut Jucundus, cum in tam vitiata incidiſſent? Quid facerent? Non in promptu erat, & ante oculos vel *per hiemem frigentemque humum*; vel *per hiemem frigente humo?* Illud vero *tempeſtate* qua de cauſa in *tempeſtivum* mutatum? Quid opus erat id transformare quo oſtendit Columella, tranquillo tempore, hoc eſt temperato (quale vernum & autumnale) ac per æſtatem (quod tempus minime temperatum eſt) ſtercus Vitibus nutrimentum & ſuccum miniſtrare? Hoc maxime modo per ſingula anni tempora ſtercoratio ſeminibus utilis futura declaratur. Porro tempeſtate tranquillum & placidum tempus aliquando ſignificari non te præterit, cui Cæſar, M. Tullius, Virgiliuſque exempla ſuppeditant.

Depoſitis jam ordinariis ſeminibus, quis porro his capitis XVI. delectabitur: *in eadem linea in qua viviradix, obtinebit ordinem ſuum, præſidii cauſa, quorum ex numero propagari poſſit in locum demortuæ Vitis.*

tis . Quinque malleoli pangendi ſunt per ſpatium pedis : iſque pes a medio interordinio ſumitur , ut ab utraque parte paribus intervallis diſtent ? Sententia diſſipata , & prave diſtorta ut ſuis numeris inſiſtat , partim ex Goeſianis , partim ex primis impreſſis , aliiſque etiam editionibus , recentibus exceptis , ordinanda videtur , atque adeo purganda , ut infra exſcripſi : *In eadem deinde linea in qua viviradix . obtinet ordinem ſuum , præſidii cauſa quorum ex numero propagare* (fator nempe vel agricola , vel tu , ſi *poſſis* legeris) *poſſit in locum demortuæ Vitis , quinque malleoli pangendi ſunt per ſpatium pedale ; iſque pes ita a medio interordinio ſumitur , ut ab utraque Vite paribus intervallis diſtent .* Utrinque enim a ſatis Vitibus malleoli V. qui inter ordines panguntur , pari ſpatio removendi ſunt , cum pes quo finiuntur , medium interordinium teneat.

Cum Julius Atticus inſignis agricolationis magiſter , prætorto capite & recurvato , malleolos demergeret , de hac ſatione ita capite XVIII. reprenditur a Columella , ut in re ſumma ipſum turpiſſime erraſſe demonſtret . Non noſtri eſt inſtituti ea referre , quibus Græcini opinionem & factum auctor infirmat , atque evertit . Hoc unum commemorabo , non ut maximum , & ad hanc ſententiam labefactandam præcipui momenti , verum tale , quale ſi unquam ſuſpicatus eſſet Columella , pudore afficeretur . Quomodo tandem ? Dicam Columellæ verbis , ut vulgus editorum opinatur : *Ita evenit , ut quod in ſalicto conſerendo vitaveramus , id ſequatur in ejuſmodi malleolo , quem neceſſe eſt facere longiorem .* Damnaveram in hoc loco *ſalicto* quo totius ſententiæ vis extinguitur , tum quia libro IV. de Salice ſerenda & colenda Columella agere inſtituit , tum etiam quia Salix hanc culturæ diligentiam non poſcit , cum palo pangatur ; ideo de *ſarmento* ſubſtituendo illi cogitaveram . Nunc ex antiquis editionibus ubi excuſum eſt *ſalicta*, non totum ſarmentum , ſed ipſius partem, hoc eſt *ſagittam* intelligo ab auctore conſtitutam eſſe, hoc pacto : *in ſagitta non ſerenda vitaveramus .* Nam a ſatione ſagitta rejicitur ; quoniam *omnis fœcundus pampinus intra quintam aut ſextam gemmam fructu exuberat* , reliqua parte quamvis lætiſſima vel ceſſat a fructu , vel minus reſpondet . Qui igitur malleolum detorquet , breviorem reddit ; ideoque , fructuariis gemmis humo depreſſis , infima ſagittæ pars quæ extra ſolum recedit in propaginem ſecatur , ex qua racemarii pampini propter quos ſagitta non ſerebatur, gignuntur . Cur igitur, inquit Columella, a ſatione ſagitta repudiatur, ſi , detorto malleolo , pars ex ſagitta nunquam fructuaria ſumenda eſt?

Hæc ad ſuperiorem malleoli partem pertinent : quæ ſequuntur capi-

te

te XIX., ad inferiorem : *nam in clivoſis, ubi terra decurrit, poteſt palmipedalis deponi. Vallis & uliginoſi campi ſitu ſerimus etiam trigemmem.* Triplici modo iſtud *ſerimus* in vetuſtis memoriis delineatur: in Politiani *ſentitur*: in Lipſienſi *ſternitur*: in Goeſiano *ſitus patitur*, quod præ cæteris amplecterer, videlicet: *Vallis & uliginoſi campi ſitus patitur etiam trigemmem.*

De Vitium deponendarum generibus extremo capite XIX. quæſtionem Columella proponit, & quid in ſerenda Vitè attendere expediat, capite proximo declarat, & decernit. Quæſtio vero hoc initio inſtituitur : *Sed illud etiam quod nondum tradidimus, antequam diſputationi clauſulam imponamus, dicendum eſt, an plurium generum Vites habendæ ſint, eæque ſeparatæ, & diſtinctæ ſpecialiter, an confuſæ, & miſtæ catervatim.* Primum conſtituit utrum unius, an plurium generum Vites habere utile ſit, idque capitis XX. principio ſtatim exequitur, dicens prudentis eſſe agricolæ Vitem quam præcipue probaverit, *nulla interveniente alterius notæ ſtirpe conſerere, numerumque quam maximum ejus ſemper augere.* Quæſtionis itaque caput, quod ex Goeſiano libro reſtituam, deſideratur : *Dicendum eſt uniuſne, an plurium generum Vites habendæ ſint.* Extant etiam apud Politianum hujus reliquiæ : *ne an plurium*, deperdito *unius*.

Hæc etiam capitis XXI. quæ ad ſecundam quæſtionis partem attinent, in dubitatione vertuntur : *Sed omitto illud quod in deſcriptis etiam Vitibus contingere poteſt.* Delectationem quam capit dominus, dum ad vineæ ſuæ ſpectaculum venit, ubi ſingula genera ſeparatim verſicoloribus racemis collucent, haberi etiam non negat Columella in eo agro, in quo Vites confuſæ variis fructibus exuberant; hæc enim varietas oculis ſpectantium plurimum blanditur. Quare videndum ſitne potius *indiſcretis*, quam *in deſcriptis*, aut *indeſcriptis*, quod recens prodiit. Nam, ſi *diſcreta ſeminia* hoc capite vocat Vites Columella, quæ ſeparatæ digeſtæ ſunt, cur non *indiſcretæ* quæ confuſæ & miſtæ panguntur?

Sed inanis voluptas plurimis incommodis comparatur, ex quibus maximum eſt, ex diverſæ notæ Vitibus vetuſtatem non ferens vinum fieri; *atque adeo neceſſitas cogit agricolam muſti annonam expedire.* Si auctoritas nobis deeſſet, qua tamen non deſtituimur, cum priſcis editoribus, & codicibus Goeſiano ac Lipſienſi maxima habenda ſit, non dignius Columella cenſeremus *annonam experiri*, quam eandem, ut depravavit Jucundus aut Aldus, *expedire?* Illud autem commune pretium tentare eſt, ut imperium experiri apud Livium, & extrema experiri

apud

apud Terentium, dum pater familiæ vinum, quoniam recens, vili vendere cogitur, *cum plurimum pretio accedat, ſi venditio vel in annum, vel in æſtatem certe differri poſſit.*

Ab eodem Aldo excuſa hæc etiam quæ paulo poſt leguntur, eſſe autumo, quaſdam nempe Vites meridiano axe convaleſcere, *quia rigore vitiantur*, quando priora impreſſa, *quia ſunt calidiores* oſtendunt. Neque diſſimiles codices niſi verbo *ſunt*, quod in Politiani codice *mos* ſcribitur, in Lipſienſi *niſi*. Ideo ſi antiquum ducerem *vitiantur*, & de eodem non ambigerem (quoniam Aldi perſona mihi ſemper ſuſpecta, qui tam temere a priſcis editoribus aberravit) nobiliorem ſententiam tibi compararem, videlicet : *quia, niſi calidiore, vitiantur.*

De III. volumine hæc erant, de quibus ad te ſcribendum cenſui ; minuta enim deſpicere a principio decrevi, ſive quia prudentem lectorem non morantur ; ſive quia magis editoris quam emendatoris operam repoſcunt. Vale.

Dabam Patavio IV. Id. Septemb. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA LVIII.

Illuſtratur emendaturque Columellæ liber IV.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

NOndum tibi perſuadere potui neceſſitudini noſtræ, ac familiaritati neque conſentaneum eſſe, neque honeſtum, neque æquum, cum ad me ſcribis, hæc præfari : ὅτι χαρίζοιο ἄν μοι, quæ ad illos ſpectant, inter quos epiſtolarum uſus tantum, non inveteratæ amicitiæ ac mutuæ benevolentiæ conſuetudo intercedit ? Quare, ſi me amas, & omni ſtudiorum officiorumque genere, atque arctiſſimo amoris vinculo tecum conjunctum ducis, illis tandem miſſis, his utitor non arrogantiæ titulo, ſed amicitiæ jure : ὅτι βούλομαί γένεσθαι · ὅπως ἀκριβῶς μὴ ἴσασι, καὶ τῷ ταχίστῃ. Quod ſic mandaveris, alacrius curabo. Attamen quæ modo juſſiſti, non prætermittam. Quod in extrema pagina addis noſtras epiſtolas tibi eſſe jucundiſſimas, amorem tuum erga me agnoſco ; minori enim tædio quæ ab amica manu veniunt, legentem afficiunt,

ciunt, quam quæ aliunde mittuntur. Sed conjectanea noſtra tibi maximi ponderis videri, id me vehementer delectat. Perpetuo ut gaudeam, velim.

Ad IV. Columellæ librum aggredimur, cujus initio ſe reprendi inducit auctor tradentem ſingulis ſeminibus ſingula adminicula eſſe neceſſaria, cum Celſus atque Atticus doceant *minore ſumptu gemmis diductis duo continua per ordinem veſtire pedamenta*. Qui *gemmis diductis* prava eſſe cenſent, eorum opinioni non repugno; prava enim ſunt: emendantibus vero *geminis diductis* aſſentiri nullo modo poſſum. Cur enim reprenditur Columella, dum idem præcipit, atque alii tradunt; nam ſingulas viviradices ſingulis palis contribuere, & geminas duobus cum idem ſit opus, eodem ſumptu peragitur? Alia itaque ratione verum inquirere oportet. Permittebat Celſus & Atticus, ut capite proximo explanatur, minori impenſa duos palos *binis unius ſeminis flagellis* maritari; quia major ſumptus requiritur cum gemina ſemina totidem palis adminiculantur, quam unicum ſemen cum ad duos palos propagatur. Quare illi ad binos palos unam viviradicem pangebant: Columella ad ſingulos ſingulas. Quoniam igitur quid Columellæ vitio vertebant, tenemus, emendationem ex Goeſio proferamus: *minore ſumptu geminis materiis ductis duo continua per ordinem veſtire pedamenta*, quod eſt, ut paulo ante dicebam, *binis unius ſeminis flagellis* duo pedamenta frequentari.

Hoc primum Columellæ imprudentiæ dabant. Dictis quoque eundem carpebant; quod ſemina vineatica profundius quam Celſus atque Atticus decernebant, immergeret ferendo. De qua re cum apud Silvinum ſe purgaret, ex repaſtinatione argumentum petebat: *quod repaſtinata humus, dum eſt recens ſoluta laxaque, velut fermento quodam intumeſcit*. De quibus quid ſcribam? Putabiſne hic inter Columellæ verba me recepturum *laxaque*, cum in Goeſianis & primis impreſſis *laxataque* videam, qui jam pridem de *relaxa* lib. XI. ſine auctoritate dubitaveram?

Diluit etiam capite II. auctor, quod in ejus ſcriptis reprenſum primo loco protuli; nam qui unica viviradice duos palos eſſe maritandos cenſent, alterum incommodum plerunque patiantur, neceſſe eſt: *ſive enim caput ipſum demortuum eſt, duo viduantur ſtatumina: ſive vivit, & ut ſæpe venit, vel nigri eſt generis, vel parum fertilis, non in uno, ſed in pluribus pedamentis fructus claudicat*. Miraberis fortaſſe qui noſtra legere ſoles, tam claram & apertam iſtius *venit* emendationem noſtram tanquam dubiam ab aliis negligi. Sed magis miraberis ita vili habi-

tam esse Goesianam vetustatem, qua illa confirmatur. Quos ne imitaremur, non modo *evenit* pro *venit* ab hoc summæ fidei libro sumendum esse rati sumus, verum & *tenuit* pro *vivit*. Quid interest, dices? Idem *tenuit* & *vivit*, cum de stirpibus loquimur, significat. Non nego: tamen utrunque ex probatissima antiquitate non affertur. Nobis enim, ut sæpe dicere soleo, quantum de auctorum sententiis, tantum de verbis laborandum est, ut non similia, sed eadem unicuique reddamus.

Quorum utrunque præstandum est capite III. extremo, ubi ex Græcino relatum est Paridium quendam eosdem fructus ex tertia agri parte percipere solitum, postquam in duabus reliquis filias nuptui collocasset, quos antea ex toto agello. *Quo quid coniicit? Nisi melius scilicet postea cultam esse tertiam illam fundi partem, quam antea universam.* Quis igitur hoc ex eo quod narratum est, coniicit? Græcinus an Columella? Ille quidem, ut in impressis est: in manu tamen scriptis Goesiano & Lipsienſi id ambiguum relinquitur hac forma. *Quod quid convincit?* Quæ non propter antiquitatem tantum vulgatis præferre non vererer, verum propriis etiam dotibus & bonis præstantiora judicarem; quippe inter conjecturas non est, imo evidenter intelligitur ex reditu *melius scilicet postea cultam esse tertiam illam fundi partem, quam antea universam.*

His velut cohortationibus ad serendas Vites paratis animis, earum cultum per partes Columella capite IV. exequitur. Ante omnia imperat, *ut, facta in pastinato scrobe, Vitis a media fere parte sulci prosternatur, & ad frontem ejus ab imo usque recta materia erigatur, calamoque applicetur.* Non tibi insulsum & frigidum videtur *rectam materiam erigi?* Obruamus itaque inter sordes dum concalescat, restituto ex libris Goesii & Politiani *exigatur*, quod est ab imo ad summum recta extrahatur, sive, ut infra auctor repetit, in summum perducatur.

Nam dum exaltare fortius orbem ablaqueationis fossor studet, obliquam Vitem plerunque sauciat. Quo mihi hujusmodi fortitudo quæ plebejum morem imitatur? Abeat *fortius*, veteribus Goesii & Politiani monumentis jubentibus. Si tamen eo delectaris, & ibi habere mavis, alia veste induito, ut *altius* fiat, quo in Oleis colendis lib. V. utitur Columella, ubi *altis gyris* arbores ablaqueari jubet.

Abeat etiam *malleoli* ab his: *sic enim malleoli, & viviradices, & reliqua semina, quæ deposuerimus, convalescent*; atque ipsius sedem repetat Goesianum *optime*, quod *optimi* primi editores maluerunt. Nam post viviradices malleolos qui inter ordines panguntur, *reliqua semina*

non

non comprendunt? Tamen proxima: *ſi mollis & tenera humus nullis herbis irrepentibus, humorem ſtirpibus præbuerit*, ex Politiani & Lipſiæ codicibus ad hunc modum exornarem: *ſi mollis ſimul ac tenera.*

Caput quoque VIII. nos propter Aldum moratur: *Sequens deinde tempus (ut prodidit Celſus & Atticus, quos in re ruſtica maxime noſtra ætas probavit) ampliorem curam depoſcit.* Nam dum Aldus (quis enim alius illa: *in re ruſtica* primo excudit, quorum locum in prioribus impreſſis libris & manu ſcriptis *jure* obtinet?) Celſum & Atticum in ruſtica re extollere cupit, in cæteris artibus & diſciplinis inglorios reddit atque inhonoros. Tamen Celſus plurimarum ſcientiarum doctrina clarus habetur; & fortaſſe Atticus non in agricolatione ſola, ſed & in aliis emicuit. Scribamus itaque: *quos jure maxime noſtra ætas probavit.*

Multis deinde poſthabitis quæ editorum potius diligentiam, quam noſtram exigunt, in his capitis XV. velut in curſu oſtendam: *id quod a matre abſciſſum recens erit* ab Aldi editionibus *recens erit* originem habere, quod primis editoribus erat *receſſit*. Neque ab hoc Lipſienſis codex abhorret, quamvis librarii culpa ſcribatur *receſſor*.

De ordinanda Vite, & de jugo ſimplici vel multiplici poſſem nonnulla tibi ex capite XVII. commemorare, ſi iis præſidiis quæ ex veteribus monumentis habemus, penitus acquieſcerem; quibus enim mihi non ſatisfacio, iiſdem tibi ſatisfacturum nunquam ſperabo. Declinemus itaque quouſque firmiora nacti erimus. Ne tamen fruſtra te in hoc loco interpellatum queraris, auctor tibi ero, ut locis calidis & ſicciori-bus in omnem partem jugum porrigas, quo melius undique denſati pampini palmiteſque matrem adverſus calores obumbrent: *contra frigidis & pruinoſis regionibus ſimplices ordines* inſtituas. At de pluvioſis quæ ſiccis opponuntur, nihil traditur? Habeo quid, ſed antiquatum ſituque obſitum: *contra pluviis & frigidis & pruinoſis regionibus*, quod de antiquis libris exſcriptum eſt; formis enim impreſſa eo privantur. Itaque ſi tibi haud alienum eſſe id videbitur, in priſtinas tenebras redeat, caveto.

Hæc de novella Vite formanda tradita ſunt: de veteri autem reparanda jubet auctor capite XXII. eandem exſtirpari, & denuo reſeri, *ſi modo ſoli bonitas ſuadebit. At ſi cum ejus vitio conſenuit, nullo modo reſtituendam* cenſet. Quam juvat eadem ex antiquis impreſſis & manu exaratis libris prolata reformare ad hanc ſententiam: *ſuadebit. Cujus cum vitio conſenuit, nullo modo.*

In putatione autem hæc quæ capite XXIV. traduntur, cuſtodire de-

bebis, ut, ab imo crure ducto initio, circumſpicias diligenter, ne pampinarii palmites aut furunculi relinquantur: *ſi vero trunci pars ſecta ſolis afflatu peraruit, aut aquis noxiiſve animalibus, quæ per medullam irrepunt, cavata Vitis eſt, dolabella conveniet expurgare quidquid emortuum eſt.* Ut primum cognovi *ſecta* in Politiani libro eſſe *ſenecta*, in Lipſienſi, *evecta*, ſtatim adverti fuiſſe: *ſi vero trunci pars ſenecta vel ſolis afflatu peraruit*; ſenio enim membra in ſtirpibus emori atque exſiccari ſæpenumero videmus.

Plagæ quas in duro Vitis accipit, obliquæ rotundæque fieri debent; *nam citius convaleſcunt*. Quid tandem in hac putatione ſit, quod aliud quam eſt, eſſe cupiam, ſi me rogabis, dicam extremum *convaleſcunt* malle eſſe *coaleſcunt*. Quod Columellianum eſſe pro certo habeo, ſi antiquis editoribus, ſi Goeſianis memoriis, denique ſi ipſi Columellæ ſcribenti hoc capite plagas levatas, & terra cum amurca ſubacta linitas celerius coaleſcere, habenda eſt fides. Prave quoque libro V. capite XII. excuſum eſt: *convaleſcet Ficum cum Olea*; nam in Goeſianis eſt *coaleſcet*; & proxime ſequuntur: *quarto anno ubi bene coierint*. Quid quæris? Libro *de arboribus* qui pleraque libri V. repetit, *coaleſcet* tuetur.

His procuratis, *circumſpiciendus eſt furunculus, qui quamvis anguſtiſſime præciſus in modum verrucæ, proximo anno materias exigat*. Ubinam gentium gemmam (nam gemma ſurunculus, & quidem anguſta & brevis) putari & præcidi vidiſti? Vitium ergo *præciſus?* Sic autumo: id in Politiani ſcriptis *perciſus* dicitur, ex quo *percitus* deducebam, videlicet protruſus; materiam enim, & palmitem citari & excitari, id eſt emitti ſæpe apud Columellam leges.

Et quoniam de gemmis agimus, animadvertere convenit *gemmo* & *gemmaſco* ab antiquis ſæpe pro *germino* uſurpari, ſæpius a librariis pro eodem confundi & miſceri, ut capite XXVII.: *antequam gemment per divortium veris atque hiemis quam altiſſime fodiendæ vineæ ſunt*; antequam enim *gemment* vulgaret Aldus, *germinent* excudebatur. Item: *ſi palmis incipientibus progemmantibuſque foſſorem immiſeris*, duo idem ſignificantia comprendunt; quippe *incipientibus palmis* prima eſt gemmarum explicatio. Quid porro *palmis incipientibus* mihi videatur, ſi quæris? Frigidum quiddam, rigens, non rei, non ſtirpibus, non auctori conveniens. Nobis igitur illudunt, qui, remoto Politiani *inicientibus*, *incipientibus* Columellæ recoquunt. Neque tamen in hoc acquieſco; quin *incientibus* deſidero, quod dum elegantiæ plurimum præſefert, loci proprietatem appoſite demonſtrat. Sed ad alia. Capite etiam XXIV. *gem-*

man-

mantem cæcare oculum habemus, quod proprie *germinantem* dixeris; nec ſecus ibidem locutum auctorem invenio, dum præcipit, ne putando gemma lædatur, *propter quod palmes, quem mox in germinatione citaverit, imbellis, ac minus fructuoſus erit*. Capite autem XXIX. recte motus in ſtirpibus ſignificatur, ſi Goeſium ex veteri libro exſcribentem ſequimur: *cum & gemma ſe, & cortex naturaliter movet;* nam qui vulgata: *cum & gemmas & corticem naturaliter movent*, amplectuntur, meras nugas agunt, cum Aldum non Columellam intueantur. Equidem quis alius quam Aldus hæc excudit formis, cum prius ederetur *cortex*, & *movet?* Stirpes itaque *gemmare* & *gemmaſcere* proprie dicuntur, cum Quintili ferme menſe, ut Virgiliano metro dicam,

Se medio trudunt de cortice gemmæ.

Germinare autem eſt cum arbor, ut divinus poeta canit,

Trudit gemmas, & frondes explicat omnes.

Hæc tamen, ut dicebam, a veteribus confunduntur; ideo circumſpecta mente perpendenda ſunt omnia, nequid temere rejiciatur, quando exploratum non eſt, an tales motus in ſtirpibus, qui multum a phyſicis habent, antiquis noſcendi curæ fuerit, &, ſi fuerit, an diſtinguere, & quæque ſuis temporibus ſemper accommodare maluerint, quam indiſcreta & confuſa relinquere. Inter ea tamen quorum ratio mihi neque comperta, neque proviſa eſt, ex M. Tullii libro III. *de Oratore* excipio: *gemmare Vites, luxuriem eſſe in herbis, lætas ſegetes*; & *gemere Vites* conſtituerem, propterea quia gemitus, luxuria, lætitia ab animantibus ad ea quæ animæ expertia ſunt, transferuntur, cum *gemmare* quantum eſt cunctis arboribus commune, tantum ab homine alienum. Gemere autem in Vitibus, ut ruſtici adhuc dicunt, humorem fundere eſt, ut gementibus excidunt lacrymæ, quas imitatur Vitis a putatore vulnerata.

Redeamus in viam. De pampinatione extremo capite XXVII. hæc contenta tibi adnotabo eo conſilio, ut quæ me dubia cogitatione ſolicitant, tuo judicio ad me expedita remittas: *Nam cacumina flagellorum confringere luxuriæ comprimendæ cauſa, vel e dura parte aut a trunco ſurgentes pampinos ſubmovere oportebit, niſi ad renovandam Vitem unus aut alter ſervandus eſt, tum e capite quidquid inter brachia viret, explantare, atque eos qui per ipſa duramenta ſteriles nequicquam matrem occupant, palmites detergere, cujuslibet vel pueri eſt officium*. Ut igitur a facilioribus incipiamus, verbum *oportebit* eximendum cenſemus, quod cum a primis editoribus omittatur, nec minus a Politiani & Lipſiæ codicibus abſit, unde Aldus ſumpſerit, niſi forte ab Jucundo, incertum

eſt.

eſt. Deinde illa: *vel e dura parte, aut a trunco ſurgentes pampinos ſubmovere, niſi*, ad pauciora eſſe redigenda exiſtimamus, videlicet: *vel dura parte trunci ſitos pampinos ſubmovere, niſi*; quæ enim dura pars in Vite, niſi truncus & brachia, de quibus ſingillatim tractat Columella? Audaciſſimum facinus eſſe talia ſine auctoritate fingere exclamabis: nec immerito. Tamen auctoritate ducimur, & temperamur, ut ordine exponemus. Etenim in prioribus excuſis hæc inveniuntur: *tum dura parte vel trunci ſuos pampinos removerent, niſi*. Poſthabetur itaque *e* ante *dura*, deinde *aut a trunco* fit, *vel trunci*, quorum cum reliquis ex Politiani manu tale eſt exemplum: *trunci ſi poſt pampinos ſummoverent, ſi*. Age: dic mihi, o bone, quis tibi audacior videtur? Alduſne qui de *ſuos* Jenſonii, vel de *ſi poſt* Politiani *ſurgentes* effecit; an ego qui *ſitos* cogito? Minus itaque ego audax; nihilominus audax; quoniam culpa quæ aliorum exemplo minuitur, non auferetur. Attamen per codicem Lipſienſem omni licentiæ ſuſpicione abſolvor; ibi enim legitur; *vel dum parte trunci ſitos pampinos ſummoverent, niſi*. Reſtat ut extrema *ut ex ſubmoverent* cum *ſi* Politiani componas, conſtituaſque levi immutatione *ſubmovere, niſi*. Neque in his ſolis Aldi fides, cujus officium erat vetera excuſa noſcere, perpendere, atque imitari, non extitit; quis enim iſtud *occupant* probavit? Aldus. Quis in Columellam recepit? Aldus. Quis formis primus excudit? Aldus. Nam antea ab Jenſonio *optant* fuerat expreſſum, quod in *opacant* tribus codicibus Politiani, Goeſii, Lipſienſi auctoribus, facile explicatur; quippe propter opacitatem qua fructus læditur, inutiles pampini palmiteſque a duramentis detrahuntur.

Quibus perſpectis, tempeſtivum eſt ut ad caput XXIX., atque ad inſerendas Vites te ducam, ubi quo melius quæ a Columella præcipiuntur, in agrum transferre poſſimus, de dubiis & obſcuris inter præcipua eſt quærere; nemo enim quod non planiſſime intelligit, recte imitari valet. Communicabo itaque tecum nonnulla quæ prima oculorum intentione ab auctore diſcrepare viſa ſunt. Tradiderat Julius Atticus a cal. Novembr. ad cal. Junias Vites tuto inſeri poſſe: contra negabat Columella hiberno tempore prudentis eſſe Vites ſecare, & inſerere, quamvis nonnunquam brumali ſidere inſita comprendant. Nihilominus non quod perraro fit, & fortuito, verum quod plerunque & certa ratione contingit, diſcentibus eſt oſtendendum. *Etenim ſi exiguo numero periclitandum ſit, in quo major cura temeritati mèdetur, poſſum aliquatenus connivere: cum vero vaſtitas operis etiam diligentiſſimi agricolæ curam diſtendit, omnem ſcrupulum ſubmovere debemus.* Quæro a te, utrum ma-

jor

jor cura cenſenda ſit quæ propter operis vaſtitatem agricolæ diligentiam detinet; an illa quæ in exiguum numerum inſumitur, & conſummatur? Illa certe; igitur: *in quo minor cura temeritati medetur*, ſcribamus, quoniam ad exiguum numerum referuntur.

Inſitionis deinde opus aggreſſi, ſurculos quos ad inſerendum ſumimus, ita temperare debemus, ut calamo non abſimiles ſint. *Calamus autem non amplius tribus digitis debet allevari, æquabiliter ex ea parte qua raditur, ut ſit levis*. Hæc ab Aldo; codices vero & inter ſe, & ab Aldinis differunt; *æquabiliter* tamen ab omnibus repudiatur. Itaque a Politiano exſcriptum eſt: *allevari, atque is ex ea parte*: a Goeſio: *atque is ex ea parte qua raditur ut ſit ab ea parte levis*, quæ in Lipſienſi monumento etiam leguntur. Refert item perpendere prima excuſa, in quibus *æquabiliter* locum hæc obtinent: *atque is ab ea*. Prima igitur quæ ſimillima, recipiamus non hæſitantes, cum reliqua quamvis diſſimilia in re clara & nota neque nos impediant, neque morentur; qualia enim fuerint propius aſſequi conjectura opinamur, quam quæ oculis cernimus, ſcilicet: *atque is ab utraque parte qua raditur, ut ſit levis*. Quæ confirmare tibi præſertim qui in agricolatione excellis, etſi ſupervacuum videam, tamen ut intelligas vel verba reddere auctori me connixum eſſe, quæ de eadem inſitione lib. *de arboribus* docentur, huc evocabo: ſarmentum quo ad inſerendam Vitem uſurus es, *infra tertiam gemmam ex utraque parte duorum digitorum ſpatium in modum cunei tenuiſſime ſcalpello acuto, ita ne medullam lædas, adradito*. Quæ magis probabis veteri forma, qua naturalis, non ab Aldo vel Jucundo fucata ſententia nitet: *cunei tenuiſſimo ſcalpello acuito ita, ne medullam lædas*. Cognoſce nunc alia ex libro V. deprompta: *& ſurculos ex utraque parte deraſos demittito*. Similiter de Oliva inſerenda: *cacumina deinde Olivæ, ſicut matri cohærent, ex utraque parte adrade, & ita fiſſuræ Fici inſere*.

Ab inſitione ad inſitum paulo infra cura traducitur; nam inſitus ſurculus *cum excrevit, nepotibus orbandus, niſi ſi propter penuriam & calvitium loci ſumitur in propagines autumnus. Deinde falcem maturis palmitibus admovet*. Opinatus ſum (neque ab hac opinione quid me retraheret, nondum nactus ſum) *autumnus* fuiſſe *alumnus*, qua voce cap. XXVII. ad eandem rem ſignificandam utitur auctor, cum dicit evenire ut quidam oculi trigeminis palmis egerminent, quibus binos detrahere oportet, quo commodius *ſingulos alumnos educent*. Equidem ſurculus qui per inſitionem alienæ matri tanquam nutrici traditur alendus, proprie alumnus appellatur, &, cum filius matri ſubſtituendus ſit, propter

ejus

ejus orbitatem alumnus in propaginem per mergum ſubmittitur. Modo tamen video placuiſſe membra ſecare hoc pacto: *in propagines: Autumnus deinde*, quod veri ſpecie blanditur. Sed quibus? Quibus inſitorum natura incomperta eſt atque ignota. Nam cum inſita tardius germinent quam quæ inſita non ſunt, tardius etiam inſitorum ſarmenta matureſcunt. Quomodo igitur autumnus maturis palmitibus falcem admovebit, quando in hiemem maturitatem ſolent inſita diſtrahere & differre? Non jubet Columella capite XXIII. circa idus Octob. auſpicari putationem, ſi *ſarmenta juſtam maturitatem ceperint?* Quæ igitur ſub hiemem perficiuntur, autumno non ſunt putanda, ſed vere. Itaque cum ſemper a teneris pampinis ferrum abſtinere oporteat, hoc præcipue in inſitis quæ propter imbecillitatem quod velut novercali ubere alantur, quamvis leviſſimam injuriam reformidant, obſervandum eſſe inculcatur.

De inſitione quæ cuneatis ſurculis fit, ſatis: eſt altera quæ peragitur terebrando. Qua cognita, & terebra Gallica ad hunc uſum parata; quoniam lanuginem *excitabat antiqua terebra*, *igitur ſecundum æquinoctium perfectam Vitium inſitionem habeto*, *lociſque aridis & ſiccis nigram Vitem inſerito*, *humidis albam*. *Neque eſt ejus propagandi neceſſitas*. Hæc vel ex libro *de arboribus* huc translata ſunt, ut lacunam quæ in hoc capite erat, explerent: vel hic ex eadem cauſa inventa ſunt & culta; barbara enim, & falſa quæ de uvarum diſcrimine memorantur, eſſe cognoſcis. Quis namque pro terræ diſſimilitudine has differentias ſervat? Quin in uliginoſis locis ſi vineta ponantur, melius nigræ uvæ quam albæ ſtirpes reſpondent; quippe alba uva propter teneritudinem facile putreſcit. At in ſicco agro utraque probatur. His igitur ſepoſitis alia quæ ad locum redintegrandum magis idonea cenſebis, ex eodem libro repetamus, & perpetua junctura ordinemus: *excitabat antiqua terebra. Itaque cavatum foramen cum purgavimus*, *undique adraſos ſurculos inſerimus*, *atque ita circumlinimus. Talis inſitio facillime coaleſcit*, *neque eſt ulla ejus propagandi neceſſitas*; quoniam inſita propagantur quæ imbecillitatem oſtendunt, aut quæ tarde & difficulter coaleſcunt.

Poſt vinearum cultum ſubjiciuntur illa quæ propter Vites habenda ſunt, ceu vimina, pedamenta, & jugamenta; hæc enim vinearum dos appellantur. Qua itaque ratione Salices, Geniſtæ, Arundines, Caſtaneæque nuces colendæ ſint, atque educandæ, diligenter docetur. Et quoniam Salices geminæ ſunt naturæ, quod alia viminalis dicitur, pertica-lis alia; hanc pampinari non minus quam vinea purgatur, tradit capite XXXI. Columella, *ut in longitudinem ramorum potius*, *quam in latitudi-*

tudinem evocetur. Quibus contraria confundi quis non videt? Ramus enim quid aliud quam arboris latitudo, quæ pampinando prohibetur? *Ramorum* igitur, quod Politiani liber omittit, abundat, eoque exempto, cætera ſuum ordinem conſequuntur.

Nunquam ferme Aldus vel Jucundus ruſticis noſtris manum admovit, quin vulnus aliquod infligeret, vel his capitis XXXII. (quis crederet?) latus profunde aperuit. *Arundo minus alte paſtinatur, melius tamen bipalio feritur*. Editum erat apud antiquos: *minus alte paſtinato*, hoc eſt minus profunda paſtinatione, melius tamen bipalio feri. Vetera itaque retineamus, recepto a Politiano *alto* pro *alte*. Quare, ut in Plinio viget Populum albam feri bipedaneo paſtinatu, ita in Columella ne Arundo *minus alto paſtinato* depoſita deficiat nobis, poſteriſque, curabis.

Arundineto vix egreſſi, in alias Aldi tricas capite XXXIII. incidimus: *Caſtanea Roboribus proxima eſt, & ideo ſtabiliendis vineis habilis. Ejus enim in repaſtinato nux poſita celeriter emicat, & poſt quinquennium cæſa more ſalicti recreatur, atque in palum formata fere uſque in alteram cæſionem perennat*. Nam *ejus enim* Aldus fevit, quorum ſedem in primis impreſſis & calamo ſcriptis libris obtinuit *tum*; ſiquidem Caſtanea nux primum duritie Roboribus proxima, deinde utilitate ſtabiliendis Vitibus accommodata, tum celeritate proveniendi, demum diuturnitate a Columella commendatur. De hac tamen non convenit inter peritos, ſi in palum efformata pangatur; quod enim humo infigitur, cito putreſcit; ideo ad ridicas habilior, *quod* (ut ipſe fatetur Columella) *genus fiſſilis adminiculi manet diutius, quam teres palus*. Quamobrem illa *atque in palum* cum Politiano ſcribamus *neque in palum*.

Ut Caſtaneæ cultum, librumque IV., atque epiſtolam claudamus, etſi parum intereſt, utrum: *at quæ radicibus exempta*, an: *at quæ radicitus exempta* ſequamur, tamen ſi Columelliana malumus, quam Aldina, illa quæ codicibus & primis excuſis probantur, meliora cenſemus, cum *radicitus* ab Aldo in Columellæ caſtaneto eſſe ceperit. Vale.

Dabam Patavio III. Id. Septembr. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA LIX.

Emendatur, illuſtraturque Columellæ liber V.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

TAm crebras & tam refertas tabellas noſtras quotidie ſerme tibi reddi nolito mirari; omnibus enim poſthabitis, nocte atque die tibi obſequor. Verum tantulas a te niſi quotidianas, putaſne me æquo animo laturum? An ignoras cujus generis animal ſim, ejus ſcilicet quod facile in via decumbit, niſi agaſo ipſum ſubinde excitet, atque exſtimulet? Quapropter, ſi eo quo jubes, me cito venturum cupis, quotidie incitamenta (dummodo tuo commodo fiat) admoveto. Incitatus ad metam decurram.

Ad V. Columellæ volumen nunc te voco, atque inter geometricas rationes, quas ad metiendos agros capite I. auctor inſtituit, te primum exercebo. In hoc cernere eſt ſtadium quod *habet paſſus CXXV. id eſt pedes DCXXV.*, *quæ octies multiplicata efficit mille paſſus*. Iſta: *quæ octies multiplicata* ad quid referantur, non clare definitur: eadem cum Goeſianis collata ſtatim quid ſint, intelligo, ubi hoc modo ſcribuntur: *Quæ octies mulplicata menſura efficit mille paſſus.*

Sed ſi triangulus diſparibus fuerit lateribus ager, tanquam in ſubjecta forma quæ habet rectum angulum, aliter ratiocinium ordinabitur. Eſto unius lateris linea, quæ facit angulum rectum, pedum quinquaginta, & alterius pedum centum. Quid, amabo, opus erat iterum eadem ponere: *quæ facit angulum rectum?* Jam non expreſſit Columella eam formam *quæ habet rectum angulum*, in exemplum ſubjicere? Merito igitur illa in prioribus impreſſis, & codicibus Politiani, & Lipſienſi non inveniuntur. Quare Aldo reſtituamus Jucundove.

Hæc pauca de agrorum dimenſionibus inter ſcribendum nobis obverſabantur, quæ ſilentio tranſeunda non erant, cum veritati inveſtigandæ operam demus. Ad provincialium vinearum cultum divertamur. Supervacuam eſſe paſtinandi curam aſſerit capite IV. Columella, ubi *ſolum putre*, *& per ſe reſolutum*,

Namque hoc imitamur arando,

ut

ut ait Virgilius, *quod etiam paſtinando*. Tam paſtinando quam arando terra reſolvitur, & fit putris: Propterea vel: *idem etiam paſtinando*, ut primi editores prodidere, & Lipſienſis codex tuetur, eſſe revocandum opinor: vel melius: *ideſt etiam paſtinando* Politiani & Goeſii ſcripto comprobatum conſtituendum; Aldina enim eſt vulgata ſcriptura.

Deinde multa tranſgreſſus in capite V. obiter indicabo: *quæ uno jugo ſuperponitur*, eſſe oportere: *quæ uni jugo*; neque diſſimiles primi impreſſi, & Goeſianus libri.

Hæc de vineis: ſequitur arborum cura quæ ad ſuſtentandas Vites parantur, quæque arbuſtum conſtituunt. Hujus duo genera novimus, Italicum & Gallicum quod rumpotinum vocant. Ante omnia tamen res exigere videtur hoc loco, quoniam de arbuſto Italico ſum ſcripturus, ut ejus imaginem (Gallici enim expreſſam formam in iis habes quæ Lipſiam excudenda miſeram) & ſimul Draconis, ac *lati ſarmenti* quam jamdudum tibi reconditam ſervo, addam. Quæ quidem in manus tibi tradere decreveram, ſi iſtac, ut ſtatueram, iter feciſſem.

Arbuſtum Italicum quod Columella affabre exprimit, quodque in meis fundis excolendum curavi, figura prima adumbrat, quale putator exornat, digeſtis per tabulata Vitium brachiis, & palmitibus in fructum demiſſis. Tab. XXXVII.

Altera figura *latum ſarmentum* refert, quod libro V. Viti demendum tanquam inutile Columella præcepit. Id quid ſit, quoniam vulgo ignoratur, noſcere oportet, & qua ratione in latitudinem extenſum ſic vocetur. Latum igitur ſarmentum ex binis plerunque, ſed proximis oculis, cum geminus coles ſit, per medullam coaleſcit; ideo non teres, verum compreſſum & late expanſum gignitur, quouſque ſeparetur. Nonnunquam ex unica gemma, ſed animalculi vulnere læſa protruditur. Hoc tamen, etſi optimum locum teneat, in materiam non ſubmittitur; quoniam ſterile & pampinarium habetur, ſed dejicitur putando.

Draconem tertia oſtendit, de quo fit mentio apud Plinium lib. XVII. ubi palmes emeritus vocatur, plurimis annis induratus. Porro Draco (cujus nomen jam Italis defecit, quamvis uſus in agris retineatur) productiſſimum eſt ſarmentum de extrema palma excultum, gemmis, capreolis, ac nepotibus circumciſis, cacumine tenus, qua parte, quatuor vel quinque gemmis relictis, in totidem capita prælongatur; ex quibus in annum inſequentem flagella emittit, quæ proximi vacuique arbuſti ſtatumina exornant.

Sæpenumero, ut etiam memorat Plinius, non per arboris tabulata

digeritur Draco ; ſed ad imum truncum in demortuæ Vitis locum demittitur , effoſſaque terra , in mergum obruitur , flagellis binas gemmas extollentibus . Hac via ex demerſis oculis citiſſime elicitur radix. Sin autem vetus materia , id eſt e Draconis corpore humo tegitur , quoniam de duro non facile citantur radices , corticem deradere , & minutiſſimis ictibus cultri cuſpide circum incidere arboratores ſolent. Sic reciſæ fibrillæ extra materiam elongantur , atque in radicem creſcunt.

Draconem in mergum curvatum , & a Vite , remota arbore , productum quarto & quinto loco tibi tabula oſtendet. Cujus tamen cultus non perinde fit , & fieri debet , ac per Plinium , ut in vulgatis eſt , docetur ; primo enim anno totius Draconis alimento propaginem nutriendam relinquunt : altero prope ſolum Draco ad medullam ſecatur : tertio demum totus Draco tam a mergo , quam a Vite unde productus fuerat deciditur , abjiciturque . At Plinium docentem faciunt : *Hunc præciſum quam maxima amplitudine tribus partibus longitudinis deraſo cortice quatenus obruatur (unde raſile vocant) deprimere ſulco ; reliqua parte ad arborem erecta , ocyſſimum in Vite* . Nam ſi palmes annotinus & brevis in ſcrobem depreſſus matri per duos annos alendus committitur , cur Draco tam craſſus , oblongus , & vetus , plurimis præterea ſarmentis onuſtus ſtatim a ſtirpe diſtringitur & ſeparatur ? Non ſcriptum eſt hoc loco a Plinio *traducem bimum* præcidi , cum oneratis melius ſit donare tempus ? Et quid materiæ amplitudine gravius laborat , quam Draco ? Expedit itaque non *præciſum* poſitum eſſe a Plinio credere , ſed vel *præcipuum quam maxima amplitudine* , vel *præcelſum* , vel *præcipitem* , vel quid item quod propoſita ratio poſcit . Cæterum Tabulæ explicationem abſolutæ epiſtolæ ſubnectam.

Ad Columellam redeamus . Tres capite VI. ad arbuſtum conſtituendum a Columella arbores probantur , Ulmus , Opulus , Fraxinus . Ulmum tamen nemo ſanus in agro vineaque retinebit , ſiquidem circumundique ex radicibus in ſilvam ſurgit , arvumque totum ita occupat , ut mirum quidem ſit tale incommodum a veteribus non animadverſum . Opulus in pingui maxime agro (in gracili enim & jejuno cito deficit) laudatur ; quoniam Vitem utiliter nutrit , nec fronde denſa uvam opacat & corrumpit . *Oppio* vulgus noſtra conſuetudine appellat , Bauhinus *Acer minus & campeſtre* . De eadem arbore iterum in arbuſto Gallico agit Columella dicens : *huic rei maxime videri idoneam Opulum , ea eſt arbor Corno ſimilis ; quin etiam Cornus , & Carpinus , & Ornus , nonnunquam & Salix a pleriſque in hoc ipſum diſponitur* . Atqui quænam inter Opulum & Cornum intereſt ſimilitudo ? Quare illa : *ea eſt*

arbor

arbor Corno ſimilis redundantia & aliena cenſebis. Fraxinus Ornus eſt in arbuſtis valde probata; quia Vitem commode ſuſtinet, uvaſque optime educit & percoquit, nec in læto ſolo luxuria exuberat, neque in macro jejunitate conſeneſcit. Nihilominus cum ad imum truncum virgas crebras fundat, a nonnullis repudiatur.

Sed Ulmorum duo genera traduntur, majus & minus; illud *Atinia* dicebatur; hoc *vernaculum* & *noſtras*; Atinia autem Ulmus jucundiorem quam vernacula, frondem bubus præbet, *qua cum aſſidue pecus paveris, & poſtea generis alterius frondem dare inſtitueris, faſtidium bubus affert*. Non patiemur Goeſiano *afferes* ſententiam opportunius abſolvi? Necnon *areas* in his quæ ad Ulmorum ſeminarium ſpectant: *terram diligenter occatam & reſolutam verno tempore in aream componemus*, ex eodem fonte non magis probabimus, quam excuſum *aream*? Illud quidem in proximis viget: *injiciemus areis, & eas totas ſeminibus ſpiſſe contegemus: ſtramentiſque areas cooperiemus: ipſas quidem areas ita anguſte compoſitas habebimus*.

Æſtate deinde priuſquam ſol oriatur, aut ad veſperum ſeminaria conſpergi potius quam rigari debent. Conſtat Aldum ab hoc priorum editorum *ſæpius* ad illud *potius* primum diſceſſiſſe, quod mox cuncti ſectati ſunt. Non poſſem tamen jure id reprendere, niſi a Politiano *ſeminus* haberem, ex *cominus*, ut puto, depravatum; nam germinantia ſemina cominus aqua aſpergenda ſunt, ne, ſi altius deſcendat, mota terra, germina radicitus convellantur. Adde Tertullianum oſtendere *cominus* apud veteres comparandi vim habuiſſe.

Sciant præterea qui *circumculco* & *circumcalco* quæ paulo infra leguntur, Latina putant, & Columellam auctorem laudant, non firmo loco inniti; nam *circumculcari* in Goeſiano libro *circum calcari* eſt.

Igitur in reſoluta terra ternum pedum quoquoverſus faciendi ſcrobes: at in denſa ſulci ejus altitudinis qui arbores recipiant, præparandi. Ex Goeſiano libro ad vocem *altitudinis* cum notatum videam *& latitudinis*, id ſic accipio, ut utrunque amplectendum cenſeam; quia utrunque neceſſarium judicatur, tertia menſura in ſulco contenta.

Arboris autem perpetua cultura eſt, non ſolum ante diligenter eadem diſponere, ſed etiam truncum circumfodere, & quidquid frondis enatum fuerit, alternis annis aut ferro amputare, aut aſtringere, ne æmula umbra Viti noceat. Arboris cultus eſt, eandem primum diligenter diſponere; deinde ſedulo colere; ideo ante diſpoſitionem nulla impenditur opera. Iſtud itaque *ante* quod in prioribus impreſſis *autem* erat, niſi a Goeſiano codice rejiceretur, non ad tempus, ſed ad ordinem poſſet

refer-

referri. Tamen cum certum ſit poſt Aldum in Columella eſſe cepiſſe, id non neceſſario interpoſitum cenſendum eſt. Deinde ex iiſdem primis editoribus reſtituto *eandem* pro Aldino *eadem*, Goeſiana: *ne nimia umbra Viti noceat*, ſtatuere oportet, *æmula* enim puerile blandimentum auctorem extenuat atque enervat.

Cum deinde arbor vetuſtatem fuerit adepta, propter ramum vulnerabitur ita, ut excavetur uſque in medullam, qua ſit exitus humori, quem ex ſuperiori parte conceperit. Solent arbores vetuſtate carioſæ fieri cavæque frequentius trunco quam ramis; ideo *propter* quem ramum vulneranda erit terebrando, ſi inferiore parte corrupta invenitur? Goeſius vetuſtam ſcripturam *poſterram* attulit, quam ex duobus *poſt arram* coaluiſſe arbitror, ſed hoc depravatum. Rem quodammodo aſſequi video, quamvis verba non pollicear. Mos enim agricolarum eſt qua finis eroſioni eſt, arbores perforare, ideo poſt eroſionem *vulnerabitur ita, ut excavetur uſque in medullam, deturque exitus humori*. Nam & extrema quæ Goeſiana ſunt, meliora eſſe quam vulgata *qua ſit exitus humori*, ratus ſum, quibus proximæ etiam reliquiæ a Politiano allatæ *quæ exitus*, ævo detrito verbo, inveniuntur.

In arbuſto Italico quibus hærerem, & ancipiti animo diſtraherer, tibi ſignificavi: nunc ad vera inveſtiganda quæ de arbuſtiva Vite tradita ſunt, niti oportet. Etenim *qui bonitati vini ſtudent, in ſummas arbores Vitem promovent, ut quæque materiæ ſe devectæ in celſiſſimum quemque ramum extendunt*. Hæc ab Aldo: meliora nuper prodidere: *ut quæque materiæ ſe dabit*. Optima tamen ex Goeſiano codice petenda ſunt, *ut quæque materia ſedebit, ita*, a quibus non valde diſſimilia prima excuſa: *materia ſed evetita*, nempe *ſedevet ita*, hoc eſt *ſedebit ita*. His eleganter declarat auctor materias inferiori loco natas ad ſumma eſſe promovendas. Eodem ſenſu *Sedeo* effert Lucanus hoc carmine:

Mediiſque ſedent convallibus arva.

Eodem Silius, dum canit:

Campo Nola ſedet.

Cætera putationis ratio talis eſt, ut veteres palmites quibus proximi anni fructus pependit, omnes recidantur: novi, circumciſis undique capreolis & nepotibus qui ex his nati ſunt, amputati committantur. Prioribus libris quid in Vite eſſet nepos, cum a Columella abunde declaratum ſit, inutilia & infititia hæc *qui ex his nati ſunt amputati*, eſſe primo obtutu exiſtimabis; nepotis enim expoſitio erat, in libri extremitate ſignata. Propter quod, neque Palladius qui reliqua exſcripſit, quic-

quicquam ex illis commemoravit ; neque Plinius qui ab eodem Columella iſta refert: *De cætera putatione omni , flagella quæ proxime* (fructum) *tulerint , recidantur : nova , circumciſis undique capreolis , ſpargantur in tabulatiſ.*

Sed ipſorum palmitum duo genera ſunt : alterum quod e duro provenit , quod quia primo anno plerunque frondem ſine fructu affert , pampinarium vocant : alterum quod ex anniculo palmite procreatur , quod quia protinus creat , fructuarium appellant . Cujus ut ſemper habeamus copiam in vinea , palmitis partes ad tres gemmas religandæ ſunt . Quæ non ita probo , ut cæteri ; *creat* enim vacat , ideo in antiquis Politiani & Goeſii memoriis poſthabetur . Hoc remoto , eadem exiſtit ſententia : quod e duro naſcitur, inſequente anno fructum affert, quod ex anniculo ſarmento, protinus. At dices, ex quo colligis in anniculo ſarmento protinus gigni fructum , *creat* ſublato ? Interrogabo te quoque viciſſim , ſi id retineamus , quid procreabit anniculus coles ? Fructumne , an id quod præcedit , *frondem ſine fructu* ? Fructum quidem . Ex quo hoc deducitur , niſi ex his : quia *fructuarium appellant ?* Quare conjectura eſt opus , ſive ſervetur *creat* , ſive non . Propterea ſiquid addendum eſt, id addere oportet , quo ſententia abſolvatur , nempe : *quia protinus fructum creat .* Sin vero imperfectus eſt locus relinquendus , quid refert nova & aliena adjicere ? Abundat etiam *in vinea* ſive *in ea* Politiani & Lipſienſis codicum . Ubi enim fructuarii palmites , niſi in vinea ? Verum quid ratiocinamur ? In optimo omnium libro Goeſius non vidit . Proximum autem *palmitis* eſſe oportere *palmitum* tum ex Goeſiano libro , in quo non alio modo repertum eſt , atque ex Politiani & Lipſiæ codicibus *palmitem* pro *palmitum* exhibentibus ; tum ex auctoris mente comprobatur ; ſiquidem, ut fructuarii ſit copia, palmitibus qui in fructum ſubmittuntur, ad tres gemmas religatis, opportuno loco materiæ citantur .

Quiſquis autem pampinus loco natus in exputando , vel alligando fractus eſt , modo ut aliquam gemmam habuerit , extolli non oportet . Quis amens fractum pampinum extolleret , & quo extollendus eſt ? Non eſſe ad codicem adradendum docet Columella , *quoniam proximo anno vel validiorem materiam ex una creabit .* Cur igitur inter ſordes optimum ſcriptorem eſſe patimur , cum ex veteri libro nobis Goeſius miniſtret : *ex toto tolli non oportet ?*

Validam ergo Vitem in ramos diducere cenſeo , & traducibus diſpergere atque diradiare , cæteroſque vinarios coles præcipitare , & , ſi nimis luxuriabitur , ſolutas materias relinquere , ea ratione Vitem feraciorem facere. Quoties , te jubente , ad ruſtica monumenta me confero , toties

vix

vix me continere valeo, quin mihi bilis commoveatur, & ferveat; dum undique egregia Aldi facta occurrunt, ceu in his quæ tibi proposui, duo, primum *diradiare* est, quod neque a prioribus excusis sumpsit, neque ab antiquioribus & probatis libris exscripsit; in illis, itemque in Politiani codice & Lipsiensi *durare* exstitit. A quo igitur didicit? Qua auctoritate novum verbum posteris imposuit? Qua impudentia elegans, & Vitibus proprium *durare* ita neglexit abjecitque, ut alienum & barbarum in ejus locum subrogaret? Numquid *durare* proprie de Vitibus non dicitur, cum in ramos diductæ confirmantur, & stabiliuntur, undique digesto humore, & pari momento viribus libratis? An ab hoc Vitium brachia *duramina*, & *duramenta* non vocantur? Quare qui in ramos Vitem diducit, traducibusque dispergit, nonne eandem durat, cum in brachia, idest in duramenta distribuit, & per æqua partitur? Hoc autem figurate dicunt, quoniam Vitis quæ imputata luxu diffluit, & nimia germinatione corrumpitur, si a putatore ferro compescitur, & immodica frondendi libidine cohibita, ex certis tantum partibus, quæ ab eodem constituuntur, germinare imperatur, ad frugalitatem reducitur, &, dum, ut ait Plautus, *parce & duriter se habere* incipit, duratur. Tum priscum excusum *si minus* macula idem Aldus contigit, ut *si nimis* esset, eoque optimum Columellæ monitum depravavit. Nam luxurianti Viti solutæ materiæ relinquendæ non sunt, sed idoneis toris humoris cursus cohibendus est, idemque qua in nova flagella quæ citra vinculum nascentur, qua in demissum palmitem separandus. Ubi igitur minus luxuriantur Vites, libera flagella relinquuntur. Qua enim alia de causa præcipites coles tanta ubertate in fructum se induunt, nisi quia in duro ligantur, neque vimine propter fibrarum duritiem succus divertitur, aut retardatur? Hæc duo ad Aldum vel Jucundum pro certo referrem. Reliqua ut *cæterosque coles*, atque *ea ratione* —— *facere* antiquiorem corruptorem invenisse credo. Itaque *certosque* non *cæterosque*, Goesiano & Lipsiensi codicibus exhortantibus, scribamus; nam pauciora & opportuno loco luxuriosæ & validæ Viti sarmenta censebat auctor in fructum esse servanda. Necnon extrema ad antiquam imaginem redigamus: *ea ratio Vitem feraciorem faciet*; non enim hoc opinabatur Columella, verum ex iis quæ facienda jubebat, consequebatur. Nolo tamen ad meum judicium hæc adscribi. Trium codicum Politiani, Goesii, & Lipsiensis consensu comprobantur.

Et quoniam, ut ait præstantissimus Poeta,

omnia fatis

In pejus ruere , & retro ſublapſa referri

ſolent , & multa quotannis deperire , propterea arbuſtum rareſcere , atque a priſtino reditu vineas deficere videmus . *Quod ne fiat , diligentis patrisfamiliæ eſt primam quamque arborem ſenio defectam tollere , ut in ejus locum novellam reſtituere Vitem queat , nec tam viviradice frequentare (ea etſi ſit facultas) quam (quod longe melius) ex proximo propagare* . Jam olim a nobis rejectum atque emotum *Vitem* , quod utique Lipſienſis codex præterit , non te fugit ; quippe de arbuſtis , non de Vitibus id juſſerat Columella . Modo alia conabor totum locum ita componendo ; *ſenio defectam tollere , & in ejus locum novellam reſtituere , neque eam viviradice frequentare (ea etſi ſit facultas) ſed (quod eſt longe melius) ex proximo propagare* . Quorum rationem tibi deſideranti afferre nequaquam ſuperſedebo . Primum quo conſilio *ut* in *&* vertam , ex Politiani commentariis apparet : idcirco *ut* poſterioribus librariis in mentem venit . Quo immutato , verbi *queat* uſus , & vis evaneſcunt . Id tamen quid fuerit quondam , ſi forte ſcire deſideras , ex Lipſienſi codice cognoſcere potes ; refertur enim ex illo hac ſcriptura : *quærat* , hoc eſt : quærat paterfamiliæ novellam arborem quam emortuæ ſubſtituat . Sed tale monitum cui tribuemus , niſi ſtudioſo cuidam in libri ora commentariolos ſcriptitanti ? Reliqua *eam* pro *tam* , *ſed* pro *quam* ab antiquis editoribus accepi , atque in ſua ſede collocavi , repudiatis Aldinis .

Sequitur capite VII. Rumpotinetum ſive arbuſtum Gallicum . Id a *rumpis* deducitur , hoc autem a *ῥυμφὰς* , ideſt *lora* , quia hujus generis arbuſta per traduces hinc inde demiſſas inter ſe connectuntur , propter quod Plinius refert ex Græca origine etiam *funeta* appellari . Eadem *tirella* a vernaculo *tirando* in hac Ciſalpina Gallia ubi rumpotineta frequentiſſima coluntur , ruſtici vocant . De hoc arbuſto , iis exceptis quæ de Opulo ſcribebam , leviora addam , ut : *tum omnes pene virgæ ne umbrent eo tempore quo Vitis putatur , abraduntur* , quæ ſeparanda ſunt : *tum omnes pene virgæ ne umbrent , eo tempore quo Vitis putatur , abraduntur* . Et in extremo capite : *quod an expediat patrifamiliæ facere , cultus docet* ; nam *cultus* Aldus excudit , cum in prioribus editionibus eſſet *dictu* . *Ditu* quoque in Lipſienſi codice inventum eſt , in Goeſiano autem ſuperiori verbo annexum *facereditus* . Autumo *reditus* ; quippe ex reditu impenſæ ponderantur .

De tota Vitium ratione puto tibi multa (nam omnia exhaurire noſtræ non erat facultatis) oſtendiſſe tam a veritate diſcrepare , quam a Columella : De reliquis arboribus videndum eſt , & primum

de Olea, quæ inter arbores probatiſſima atque uberrima habetur. Hujus capite VIII. multa referuntur genera, *ex quibus bacca jucundiſſima eſt Pauſiæ, ſpecioſiſſima eſt Regiæ, quæ potius eſcæ quam oleo eſt idonea*. Verum ut perſpicias, cum ex Goeſianis poſt literam H quæ *Regiæ* ſubjicitur, his geminis H H inter varias lectiones quæ Lipſiæ editæ ſunt, ſignetur *& utraque*, quod ad *quæ* pertinere reor, connectere ne te pigeat: *Regiæ, & utraque potius eſcæ quam oleo eſt idonea*. Etenim utraque conditiva eſt, ut libro XII. oſtenditur, & jucundiſſima Pauſiæ bacca vocatur, quia cibalis. Quæ autem ſic ſunt, minus fluunt; ideo oleo minus idoneæ.

Pauſiæ tamen oleum ſaporis egregii, dum viride eſt, vetuſtate corrumpitur. Duo extrema ab Aldo judico, qui, quamvis quod locus poſcere videbatur, a Palladio acceperit, non eſt laudandus. Diſſentiunt vetera: Jenſoniana: *nam rumpitur*; Lipſienſia: *ima rumpitur*: Goeſiana (quæ magis laudo & probo) *in animum rumpitur*, videlicet depravatur, & a priſtina qualitate recedit. *Rumpere* porro depravationem ſignificare antiqui juriſperiti teſtantur, unde *corrumpo*.

Ab Oleæ generibus tranſeo capite IX. ad ſolum quod hæc arbor deſiderat. *Id genus terræ fere nigræ eſt, quam cum in tres pedes paſtinaveris, & alta foſſa circumdederis, ne aditus pecori detur, fermentari ſinito. Tum ramos novellos & nitidos quos compreuſos manus poſſit circumvenire (hoc eſt manubrii craſſitudine) feraciſſimos arboribus adimito*. Quid eſt, dices, in his quod tibi diſpliceat? An illa: *hoc eſt manubrii craſſitudine?* His tamen nos ſublevavit Lipſienſis editio eadem repudiando. Quin de iis nihil laboro; germana & antiqua autumo, cum & capite IV. & libro *de arboribus* ſcriptum ſit legenda eſſe pomorum ſemina: *ne minus craſſa quam manubrium eſt bidentis*. An de *feraciſſimos* ambigis, quod Urſinus *feraciſſimis* cenſebat fuiſſe, & eſſe oportet? Hoc item ſequar; nam ſcire utrum rami in Oleis quarum natura neque cognita, neque probata eſt nobis, ſint feraces, an contra, mortalium nemini puto contigiſſe; idcirco, cum de ſurculis ad inſitionem legendis loqueretur Columella, præcepit, ut ex qua arbore inſerere vis, & ſurculos ad inſitionem ſumpturus es, animadverteres, ut eadem eſſet *tenera, ferax, nodiſque crebris*. Quid ergo ſuſpicaris? Dicam: cum illa: *detur, fermentari ſinito. Tum ramos*, alio exemplo inter priora excuſa videam, nempe: *detur infracturi ramos*, alio inter manu exarata quæ Politianus ita expreſſit: *ater. Erecturi ramos*; & Goeſius ita: *pecoria ter inferetur*, vulgata & recepta tanquam falſa deſpicio, atque excludo. Tam vitiata igitur ſuſcipienda ſunt? Nequaquam;

quam ; nam Goeſiana nullo negotio emendantur : *pecori detur* , *inſeratur* . *Ramos*. Etenim ſubacta & probe culta ac parata terra , ac maceriis vel foſſa munita quid aliud expectat , niſi ſemen?

Parato ſeminario , & reciſis taleis , oportet *totas eas immergiri* , *ut putris terra quatuor digitis alte ſuperveniat* . A quo iſtud *immergiri ?* A quo *?* Ab Aldo ; nam priſcum impreſſam *immederi*, & non impreſſum Lipſienſe *immediri* . Ergo Aldi auctoritate *immergio* Latina civitate donatum eſt . At quid *immederi*, aut *immediri* , niſi forte *humo dari* , hoc eſt *inhumari* , neſcio . Hoc adhibet Plinius libro XVII. ad id opus ſignificandum , dum aſſerit : *non inhumare taleas aut ſiccare prius* , *quam ſerantur*, *utilius* eſſe compertum. Ubi *ſiccare* habebis *ſecare* ; quod dum ſeruntur taleæ , recentiſſimas ab arbore eſſe expedit.

Truncus autem aptior translationi eſt , *qui brachii craſſitudinem habet*. Nemo hæc in dubium revocat, quamvis ab Aldo, aut Jucundo, vetera

Quandoquidem iſte circumveſtit dictis , *ſepit ſedulo*.

Apud priſcos editores erat : *truncos* . *Gratus autem magis eſt qui* . Eadem ex codice Politianus retulit hac forma : *Gratus autem maturis qui* ; eadem ex Lipſienſi libro ſcribuntur tali ratione : *truncos gratus autem maturis eſt* , *qui* . Quo igitur auctore iſtud *translationi* effinxerunt *?* Quanto laudabilius erat veteris ſcripturæ veſtigia ſequi , iiſdemque Columellæ ſententiam ſtatuere vel hoc pacto : *Truncus autem aptus magis is eſt* , *qui brachii craſſitudinem habet*.

Atque ea ratione ſtercorabitur olivetum , *quam in ſecundo libro propoſui*, *tamen ſegetibus proſpicietur* . *At ſi ipſis tantummodo arboribus ſatis ſervaveris* , *ſingulis ſtercoris caprini ſex libræ* , *ſtercoris ſicci modii ſinguli* , *vel amurcæ in ſingulis congius* . *Stercus autumno debet injici* . A quibus diſcedere haud alienum cenſebis cogitans uſque modo probatum *ſervaveris* vitioſæ abundantiæ per Goeſium de optimo libro *ſervari* promentem argui & repudiari . Quid porro commodi *ſervari* præbeat , latius non diſceptabo ; nam , diligentius collocatis membris , atque in ſuos articulos diſtinctis , recta ſententia procedit *:* *At* , *ſi ipſis tantummodo arboribus* , *ſatis ſervari ſingulis ſtercoris caprini ſex libras* , *ſtercoris ſicci modios ſingulos* , *vel amurcæ in ſingulis congium* . *Stercus autumno debet injici*. Haud ſecus Palladius qui Columellam imitatur , ſignificat , affirmans caprini ſtercoris ſex libras uni arbori ſufficere. Itaque, ſi tam arboribus quam frugibus ſerendis proſpicietur , ea ratione ſtercorabitur ager , qua libro II. indicatum eſt ; ſin ſolis arboribus , ſatis erit in ſingulas eam ſtercoris & amurcæ menſuram quam auctor deſcribit , condi & ſervari . Etenim in hunc uſum cuſtodiri amurcam ſcitum

eſt; & ſtercus ſi aridum ſpargitur, ut de ſicco loco conditum depromatur, neceſſe eſt. Fateor quidem nonnullas verborum inflexiones quas locus ipſe poſcebat, mutaſſe. Cum enim animadverterem ex primo impreſſo *conditum* factum ab Aldo *congius*, & ab antiquioribus librariis qui *ſervaveris* delectabantur, reliquos modos recto caſu eſſe inflexos, mihi quoque plus quam ſoleo, indulſi, ne ego ſolus, inventis frugibus, glande veſcerer.

Extremum de Olea hoc erit, de quo olim me dubitaſſe non negabo: *cujus utriuſque* (urinæ ſcilicet atque amurcæ) *modus ſervatur; nam maximæ arbori, ni tantundem aquæ miſceatur, urna abunde erit.* Legebam tunc: *ſi tantundem aquæ miſceatur*, non invita Minerva. Nunc ex Goeſiano codice

Moniti meliora ſequamur.

Ibi enim *ut*, non *ni* habetur, quod pro *dummodo* nonnunquam in Latio adhiberi teſtatur M. Tullius in V. Verrin. *In jugero*, inquit, *Leontini agri medimnum fere Tritici ſeritur, perpetua atque æquabili ſatione; ager efficit cum octavo, bene ut agatur; verum, ut omnes dii adjuvent, cum decimo.*

Poſt Oleas de pomiferis aliis arboribus agit capite X. Columella; ex quibus quæ mihi dubia videri ſolent, continuo tibi indicabo. Pomarii locum maceriis, ſepibus, vel foſſa eſſe muniendum inter prima docet Columella, ne pecori, neve homini aditus detur; *quoniam ſi ſæpius cacumina hominis manu tractata, aut a pecoribus præroſa ſunt, in perpetuum ſemina incrementum capere nequeunt.* Oſtenderam iis quæ Lipſiam tranſmiſeram, prave vitioſeque *tractata* ſcribi, & antiquius habendum eſſe vel *præfracta* ex libro *de arboribus* ſumptum, vel *detracta* Jenſonianum. Hoc Goeſiani codicis teſtimonio confirmari video. Cujus auctoritas quanta ſit, & apud omnes eſſe oporteat, etſi ſæpius tibi perſcribo, tamen animadvertas velim, cur ſtirpis cacumina ſint manu tractanda; ſi enim ut emendentur, id non modo ſtirpi non nocet, ſed vel maxime prodeſt: ſin vero, ut inutilibus frondibus & virgis ſpolientur, nemo non videt in arboris incrementum hoc etiam plurimum conferre. Id igitur nullis munimentis prohibendum eſt. Quare de tractatu nulla hic eſſe poteſt quæſtio. Sibi itaque habeat *tractata* Aldus; ſecum quoque *hominis* retineat, quod cum *manu* primus conjunxit, veritus, credo, ne manus pecoribus attribueretur. Nullum certe *hominis* veſtigium in antiquis excuſis; nullum in calamo impreſſis libris; nullum denique in libro *de arboribus*, in quo eadem non diſſimili ſententia traduntur.

Ante

Ante annum arboribus ſcrobes parato, ut pluviis, ſole, & gelicidiis reſolvantur, ac macerentur. *At ſi eodem anno & ſcrobem facere, & arbores ſerere voles, minimum ante duos menſes ſcrobes fodito.* Undenam gentium *voles* arceſſitum dixerim, quod in Politiani commentariis, & Lipſienſi codice *prohibes* eſt, in Goeſianis *peribis?* Certe ex libro *de arboribus*. Verum quid *peribis?* Properabis primigenio ſignificatu, ut in Plinio *pereundo*. Sed *perire facere* quis dixit? Nemo meæ memoriæ ſuccurrit: verum de ſimplici *ire* exempla ſuppetunt ex Terentio *Hecyr.*

Noſtra illico
It viſere ad eam.

Ex Propertio in *Elegis*:

Ibat & hirſutas ille ferire feras.

Ex Varrone de *Ennio*

Ibant viere veneriam corollam.

Semina lege craſſa non minus quam manubrium bidentis, recta, levia, procera, ſine ulceribus, integro libro. Ea bene & celeriter comprendent. Si ex veteribus ramis ſumes, de iis quoque qui quotannis bonos & uberes fructus afferunt, eligito, ac illos magis qui ſunt contra ſolem, quam qui umbris, ramis, aut plantis continentur. Sed antequam arbuſculas tranſferas, nota quibus ventis antea fuerant conſtitutæ. Plura exſcribimus, quo diligentius de iis quæ incerta videntur, inquiramus. Arborum ſemina quæ in pomariis collocantur, quatuor modis diſtinguuntur; aut enim de ſemine ſurgunt in ſeminariis ſato; aut plantæ ſunt a terra de matre evulſæ, aut ſtolones, quæ omnia radicata ſeruntur; aut de ramis dempta, atque, ut radicem capiant, humo concredita. De radicatis itaque primum verba facit Columella: deinde de iis quæ ſine radice panguntur. Ergo de his: *ſi ex veteribus ramis ſumes, de iis quoque qui quotannis bonos & uberes fructus afferunt, eligito*, quis ſtipes vel fungus non dubitabit, præſertim cum libro *de arboribus* ſcriptum legerit: *ſemina ſi ex arboribus ſumes?* Non negabo hominum ſtupiditati plurimum indulſiſſe Aldum, qui primus *quoque* excudendo interpoſuit, quaſi ſemina prima eſſent ex novellis ramis deſumpta, ſecunda ex veteribus. Non eſt igitur cur ab ea opinione removear qua imbutus quondam legebam: *ſi ex arboribus ramos ſumes.* Numquid hanc clauſulam paulo infra non ponit Columella: *omnium generum ramos* circa cal. Mart. in hortis diſtribuendos eſſe? Si itaque radicata ſemina non habueris, atque *ex arboribus ramos ſumes, de iis quæ quotannis bonos & uberes fructus afferunt, eligito.* Hæc vitiis purgata recte arborum generi convenire videmus: hæc autem quæ ſequuntur, ad arboris partes ex quibus ſemina

car-

carpenda ſunt, ſpectant: *ac illos magis qui ſunt contra ſolem, quam qui umbris, ramis, aut plantis continentur*. Cum in Politiani & Lipſienſi codicibus prima ſint: *ab illa qui*; in libro autem *de arboribus, ab humeris*, fortaſſe non alia fuit ſcriptura quam quæ libro *de arbor.* continetur. De hac tamen, ut tibi libebit, ita opinaberis, dummodo reliqua ut ad antiquam formam, remotis Aldinis, revocare permittas, videlicet: *quam qui ramis aut plantis ponuntur*. Hoc vero ex Goeſiano Jenſonianoque *conentur* levi licentia conſtitui, quod quantas turbas in re ruſtica excitaverit, operæ pretium eſt cognoſcere. Id quo celerius effici poſſit, ad librum *de arbor.* digrediamur; ibi enim iſta miſcentur: *Obſervabis autem ab humeris, qui ſunt contra ſolem orientem, ut coſdem decerpas. Si cum radice plantam poſueris, incrementum ejus futurum, quod & cæteris quas ſeveris, arboribus. Arbos inſita fructuoſior eſt, quam quæ inſita non eſt, id eſt quam quæ cum ramis aut plantis ponitur. Prius quam arbuſculas transferas*. Quæ dum ad librum V. traduco, ubi reliqua iterantur, hæc deſunt, dumque ibi multa vetuſtate deperdita eſſe ſuſpicor, quod in utroque loco eſſe oportere videbatur, neutri vulgata convenire deprendo. Quid enim eſt: *ſi cum radice plantam poſueris, incrementum ejus futurum, quod & cæteris quas ſeveris arboribus*? Facilius quidem radicata ſtirps comprendit, quam quæ ſine radice pangitur. At & cæteris arboribus idem contingit? Quibus? Illiſne quæ non radicatæ ponuntur? Inutile itaque & ſupervacaneum cum radice plantam ponere, ſi æqualiter vivit & provenit radicata quam radicibus deſtituta. Illa vero: *arbos inſita fructuoſior eſt quam quæ inſita non eſt, id eſt quam quæ cum ramis aut plantis ponitur* quo accipiemus modo? Cur enim Olea aut ramis aut plantis ſeritur? Cur Vitis malleolis aut propaginibus? Cur Ficus virgis? Cur pomifera arbor ſurculis vel ſtolonibus? Quæ tamen fieri docet Columella, & infœcunditatem inſitione emendandam eſſe non addit; quippe omnia cum ſint fœcundi ſeminis partus, maternam indolem retinent, & generoſitatem. Falſum igitur præceptum, & Columellæ doctrinæ ac confeſſis experimentis contrarium. Porro hæc: *incrementum ejus futurum quod & cæteris quas ſeveris arboribus* ab Aldo in quandam veri & elegantiæ ſpeciem exornata non excuſa ſunt, cum codices & prima impreſſa hoc modo oſtendant: *incrementum ejus fuerit* (*furit* ex Politiano) *quæ cæteris, ſenties?* Qua forma barbarum conſarcinatorem facilius declarant & produnt, quam illa fucata. Quæ tamen ſi emendare ſtatueris, cum veritate conjungi poſſunt hoc exemplo: *incrementum majus fore quam cæteris, ſenties*. Sed quid eſt? Naſum contrahis; quia iſta: *quam quæ cum ramis aut plantis*

tis ponitur, non rejicio? Numquid a Columella non ſunt prodita, etſi a ſua ſede divellantur, quibus neque Aldus pepercit, appoſito *cum*, quo Lipſienſis codex caret, & impreſſa primitus carebant? Atqui ſi verum attingere cupis, ex libro V. quæ ſupra animadvertebam, repete: *quam qui ramis aut plantis ponentur*. Nonne eadem atque iſta: *quam quæ ramis aut plantis ponitur*? Connectantur itaque, ut in ſua membra conveniant: *Obſervabis autem ab humeris, qui ſunt contra ſolem orientem, ut eadem* (nempe ſemina quod etiam Urſinus cenſebat) *decerpas potius, quam quæ ramis aut plantis ponuntur*. Verbi igitur *pono* dubia ſignificatio ad tot ambages & circumductiones librarios detorſit. Indicare autem nonnunquam *conſiſtere & contineri* quo validiori teſtimonio confirmabo quam M. Tullii in *Oratore* ſcribentis, *in eo poſitas eſſe fortunas Græciæ*: item pro Quinctio perorantis *vitam in alterius manu poſitam eſſe*? Quid quæris? Latius ſe diffudit ſparſitque malum, & a fœdato Columella dira contagione Palladium invaſit. Incredibilia memorabo, ſed vera. Ecce tibi auctoris verba quibus pomiferarum arborum cultum qualem Columella elaboravit, in compendium redegerat, quo ſint ſtatu: *Si truncos ponere volueris, ſupra terram prope tribus pedibus erigantur. Ubi duas in una ſcrobe plantas deponis, cavendum eſt, ne ſe contingant*; *nam vermibus interibunt. Sed* (*ut Columella dicit*) *feraciores ſunt, quæ ſeminibus, hoc eſt nucibus ſuis, quam quæ plantis ponuntur aut ramis*. Non cernis *quæ ſeminibus, hoc eſt nucibus ſuis* quam ſint vitioſa & falſitatis plena? Quare ſi *hoc eſt nucibus ſuis*, quæ in antiquis libris non inveniri admonet Politianus, demantur; & *ſeminibus* fiat *inſeruntur*, quod ex pravo Columellæ loco deſumptum eſt, tenemus. Cum igitur falſum ſit feraciores eſſe ſtirpes quæ inſeruntur, quam quæ ramis aut plantis pangi ſolent, fructuoſiores Columella tradente eſſe quæ de apricis ramis, quam quæ de opacis humeris detrahuntur, hoc exſcripſiſſe Palladium exiſtimo; ejus tamen verba librariorum protervitas fœdavit, ſententiamque imminuit & corrupit.

In viam redeamus. *Sed ante quam arbuſculas transferas, nota quibus ventis antea fuerant conſtitutæ. Poſtea manus admoveto ut de clivo & ſicco in humidum agrum transferas*. Cum in antiquis impreſſis non *fuerant* (quod ab Aldo eſſe cepit) ſed *erunt* videam, & *conſtitutæ* in Politiani & Lipſienſi libro *conſtitui poſſit* ſcribatur, præterea *nota quibus ventis antea* ab Aldo quoque originem habere ſuſpicer, quæ ab Jenſonio in vulgum prodita fuerant hoc modo: *notabis ventos quibus antea*, ad priſcam formam puto eſſe ſcribendum: *notabis ventos quibus antea ſteterant, ut iiſdem conſtitui poſſint*. Ex Lipſienſi ſimiliter codice: *nota*

in

in ventis quibus, brevius ſententia reparabitur: *nota, ut ventis, quibus antea ſteterant, conſtitui poſſint*. Hoc exemplo cum iis etiam quæ in libro *de arbor.* memorantur, conveniunt; ibi enim legitur: *ſignato ut iiſdem ventis quibus antea ſteterunt, conſtituas eas*. Verum quid de reliquis (poſthabito *poſtea* quod ex *poſſint* depravatum duco) *manus admoveto, ut de clivo & ſicco in humidum agrum transferas*? Prudentia opus eſt, ut ex deteriori loco in meliorem femina differas, non manu. Quem igitur his exitum expediemus? Facilem partim ex Goeſiano codice ex quo traditum eſt *adhibeto* pro *admoveto*; partim ex libro *de arborib.* ubi extat: *curamque adhibeto*.

Pirum autumno ante brumam ſerito, ita ut minime dies XXV. ad brumam ſuperſint. Quæ Plinius in librum XV. tranſtulit recenſens ex communi Italiæ conſuetudine tempora ſationi attributa, ut *Piro autumnum, ita ut brumam XV. nec minus diebus antecedant*. Quæres utri juſtum numerum ſervaverint librarii? Neutri, credo; nam ille nimis producitur; hic nimis contrahitur. Ceſſantibus ab omni ruſtica opera diebus XX. ante brumam colonis, eandem notam in utroque auctore deſidero.

De inſitione quoque, niſi abnuis, nonnulla tibi ex capite XI. indicabo, quod opus opportune peragitur, cum *primum germina tumebunt*. Apage te, inquies, cum hujuſmodi præceptis; quis enim tam rationis expers in ſurculorum germinatum inſitionem diſtulerit? Age, ſi Aldina diſplicent, accipe ex primis impreſſis, tribuſque codicibus Politiani, Goeſii, Lipſiæ veriora: *cum primum germinatum ibunt*. Etenim primus temporis articulus inſerentibus attendendus eſt, quo in ſtirpibus ſuccus in motum incipit cieri, ſilentibus adhuc gemmis. Hanc igitur ſcripturam tanta auctoritate confirmatam fuiſſe quondam in libro de arboribus, non eſt cur dubitemus.

Commune quoque in utroque libro erratum eſt, *cum deinde truncum recideris*; hoc enim in Goeſii libro V. *truncam reddideris*, ſcribitur, id pariter in Politiani codice *de arbor.* notatur; ad arborem enim refertur.

Optime itaque inſeritur Caprifici ramus, Quæ vitiata eſſe ex libro *de arbor.* facili conjectura aſſequimur; in eo enim hoc modo ſcribuntur: *Optime itaque ea inſeritur tali ratione*. Dicet tamen aliquis: qui probas eadem eſſe in utroque libro conſtituta? Goeſiano codice, ex cujus libro V. allatum eſt: *ea carifici ratione inſeritur*; namque *cari* fuerat *tali*: *Fici* autem petitum eſſe extrinſecus, ubi in adnotamentis erat *Fici inſitio*, par eſt putare.

De ultimo inſerendi genere, quod Columella primus agricolis oſtendit,

dit, uſuque comprobavit, hæc perpendamus ; quod antiqui *illam quaſi finitionem qua nos paulo ante uſi ſumus, velut quandam legem ſanxerint, eos tantum ſurculos poſſe coaleſcere qui ſint cortice, ac libro & fructu conſimiles iis arboribus, quibus inſeruntur*. Conſtituerat paulo ante Columella optime arbores inter ſe per inſitionem miſceri quæ ſunt cortice, libro, & fructu conſimiles & ſuppares, quod tanquam legem veteres olim ſanxerant ; quoniam quicquam quod ab hac diſcreparet, non experti erant diſſimilia inſerendo. Ex eo igitur quod ex univerſali ſententia, tritaque conſuetudine Columella definiverat, lex antiquitus quædam conſtituta erat. Ex Aldinis hoc minus dilucide conſtat; & ſi conſtaret, tamen mallem vera quamvis obſcura, quam perſpicua, & clara, ſed aliena. Ad vetera itaque redeamus tam formis quam manu expreſſa : *Et ex illa definitione qua*. Hæc ſiquis ad librum *de arbor.* tranſtulerit, ſpero fore, ut ejus induſtria & diligentia ab omnibus commendentur.

Præcipua quæ de arboribus redargui poterant, perſolvimus, ſi de Cytiſo nonnulla ex capite XII. addamus ; hujus enim cura ſuperat, quo liber V., & arborum cultus definitur. *Cytiſum in agro eſſe quam plurimum maxime refert, quod Gallinis, Apibus, Capris, Bubus quoque, & omni generi pecudum utiliſſimus eſt*. In his cenſebat Urſinus *Apibus* in *Ovibus* eſſe vertendum : nos utrunque neceſſarium eſſe ex Goeſiano libro, necnon ex libro *de Arbor.* tibi affirmamus, qui haud ignoras Apibus vel maxime idoneum eſſe Cytiſum, qua de cauſa ipſe Columella de Apum cultu agens inter præcipuas ſtirpes apiariis Cytiſum recenſet. *Quod ex eo cito pingueſcit, & lactis plurimum præbet Ovibus*. Reponenda videtur priſca lectio : *præbet Ovis* ; ad Ovium enim pabulum præcipue ab Ariſtomacho Athenienſi, ut auctor eſt Plinius, Cytiſus laudatur.

Poteſt etiam ante Septembrem ſatis commode ramis Cytiſus ſeri. Profecto, ut Columellæ dicam verbis, *ſi ſemen non habueris, cacumina Cytiſorum vere deponito*. Irrepſit igitur vitium ex libro *de arbor.* Porro codices diſſimiles, Politiani : *circa ſeptem agri commode* ; Goeſii : *circa ſepem agri commode*. Hæc ut optima tibi laudo & probo ; ideo : *poteſt etiam circa ſepem agri commode ſeri* ; tum quia *facile comprendit* ; tum etiam quia virgultorum, ſpinarum, herbarumque *injuriam ſuſtinet*.

Dum arborum Vitiumque cultum abſolvere geſtio, longiori ſermone te ſum moratus. Sed proximo biduo quo ad alia traducor, te bene feriatum ſinam. Vale.

Dabam Patavio Id. Septemb. CIↃ IↃCC XXXV.

Tabulæ XXXVII. explicatio

Fig. I. *Arbuſtum italicum exprimit.*
a a a a a Arbuſtum.
b b b b b b tabulata.
c c c c c Vites.
d d d d Tori.
e e e e duramenta.
f f f f brachia.
g g g g flagella in fructum demiſſa.
Fig. II. *Latum ſarmentum oſtendit.*
Fig. III. *Arbuſtum Italicum quale Fig. I. refert.*
a a a Draco.
Fig. IV. *Vitem arbuſtivam, remoto arbuſto, imitatur.*
Fig. V. *Arbuſtum, remota Vite, repræſentat.*
b b b Draco qui ad viduatum arbuſtum C C promittitur, & in mergum curvatur.
c c c c flagella Draconis quæ in ſcrobem hinc & hinc ad arbuſtum in propaginem humantur.
d d d ſumma pars flagellorum quæ extra terram attolluntur cum gemmis.

EPISTOLA LX.

Emendatur, illuſtraturque Columellæ liber VI.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

TE quoque, magna Pales, & te memorande canemus
Paſtor ab Amphryſo, vos ſilvæ amneſque Lycæi.

Quid enim vetat de pecore quid me dicturum a divino carmine auſpicia capere, quo te mihi dulciſſimo eloquio attentiorem parem, & quo melius a moleſtiſſimo iſto aliena vitia inveſtigandi ſtudio uterque noſtrum pauliſper recreemur? Ex iis namque epiſtolis quas ad te tam crebras & refertas dedi, niſi ruſticarum rerum ſatietatem ceperis (quod non arbitror; quia te plurimum delectant) certe eorum per quos a priſtino ſtatu dejectæ ſunt, non mediocri faſtidio te eſſe affectum puto. Mihi quidem non ſemel atque iterum ſed quotidie id uſu venit, quamvis me excitem, atque exſtimulem, ut tibi morem geram. Quare properamus peregrinantium inſtar, qui itineris difficultate atque æſtu fatigati non ad diverſoria, & fontium blandimenta reſpiciunt, ſed ad patrios penates, hoc eſt ad laborum finem magno animo contendunt. Terræ itaque & ſtirpium abſoluto cultu, tranſit Columella ad animalia quæ ruri aluntur, ſive operum noſtrorum, laboriſque ſocia, ut Boves, Equi, Muli, Aſini; ſive cuſtodiæ cauſa, aut reditus, voluptatiſque,

tiſque, ut Oves, Capræ, Sues, Canes, Apes, piſces, aves, & feræ nonnullæ; univerſamque diſciplinam in IV. libros digerit, primo qui ordine VI., majora complectitur; altero qui VII., minora; III. ſive VIII. aves & piſces; IV. eodemque IX. ſilveſtrium pecudum & Apum tutelam. Ex his quid dubium mihi occurrerit, te in conſilium advocabo, tuamque ſententiam quam mihi ſignificaveris, non minus ſequar, quam prudentiam ac doctrinam.

Et quoniam primum decus in Italia ab antiquiſſimis atque Heroicis temporibus ſemper Bubus datum eſt, a quibus etiam nomen accepit:, ab iiſdem exordium ſumamus. Perpendentes enim *in ea urbe cujus in mœnibus condendis mas & fœmina aratro terminum ſignaverunt, velut pecus*, dum Aldinum *pecus* rejicimus, de lacuna ambigimus, & quo genere explenda ſit, ignoramus. Sententia quidem ex hiſtoria liquet quam Varro illuſtrat dicens: *Tauro & Vacca qui eſſent muri & portæ definitum*. Propter quod videtur Columella (nam Varronem ſequi conſtat) addidiſſe quos terminos arando definiſſent, *velut murum & portam*. Hujus veſtigium in vetuſtis libris formis vel calamo expreſſis ſupereſt, nempe pro *pecus petam potum*.

Rubros Boves uſquamne vidiſti? Non exiſtimo: tamen *Umbria vaſtos & albos eademque rubros* ea tempeſtate generabat, qua librarii caput II. corrumpebant. *Robii* autem vel *rubei* naſcebantur, quales etiam nunc inveniuntur, cum hæc in literas Columella referret, Goeſio ex optima antiquitate teſtimonium perhibente.

Ad domandos juvencos diem *quo domituram auſpiceris, liberum a tempeſtatibus, & a religionibus matutinum eligito*. Quæ auſpicia ſi minus ſequi placet, novitia enim ſunt, neque augurata, ex primis editoribus & codicibus antiquiora indicabo: *quo domituram auſpiceris, bonum tempeſtatibus & religionibus matutinum eligito*. Nam *bonum* in auſpiciis eſſe indicat Ovidius dum canit:

Ite bonis avibus.

Cannabiniſque funibus cornua juvencorum ligato. Sed jaculi quibus copulantur, lanatis pellibus involuti ſint, ne tenera fronte ſub cornua lædantur. Neſcio quo fato eveniat, ut homines circa falſa miſere laborent, velut illi qui *jaculi* quod vel Aldus peperit, vel quis alius, illuſtrare commentariis conantur, cum *laquei* in antiquis ſit ſive excuſis, ſive calamo efformatis libris. Reliqua partim ex Politiani, partim ex Goeſii ſcriptis ita ſcribenda ſunt: *quibus capulantur, lanatis pellibus involuti ſint, ne teneræ frontes ſub cornua lædantur*.

Jam domito Bovi *ramus illigatur, & temonis vice trahitur*; quæ u-

nico ſpiritu in antiquis proferuntur : *ramus illigatus temonis vice trahitur*.

Hæc obſervanda ſunt, cum placidi erunt juvenci : contumaces vero atque efferati inter duos veteranos jungantur, cui nulla eſt juſſa detrectandi facultas ; nam *ſeu conſiſtit, duobus gradientibus etiam obſequitur*. Eripuit ævum *invitus* quod inter Goeſiana ſervatur, nempe : *etiam invitus obſequitur*.

De Boum cibariis, deficiente fœno, iſta capitis III. memini dubia mente perpendiſſe : *vel ſi non, modius viridis laureæ & ligneæ frondis* ; quippe non ad menſuram, verum affatim viridis frons præſertim quæ non optima, eſt præbenda. Nunc tanquam Aldina rejicere non verebor, veteribus impreſſis revocatis : *modo juris* (*viris* ex Politiani manu) *laureæ & lignea quæ frondes*, & hac ratione emendatis : *modo viridis laureæ ligneaque frondes* ; quod eſt, ſi fœni copia non ſuppetit, ſaltem frondes virides objiciantur.

Lignea tamen vel melior eſt quernea, ſed ejus generis ; quod ſpinas non habet ; nam id quoque, uti Juniperus, reſpuitur a pecore propter aculeos. In his ſimiliter nimis audax Aldus tenetur, collatis antiquis, ut Jenſonianis : *nam id quod Juniperus* (quæ item ex Lipſienſi codice exſcripta ſunt) ut Goeſianis : *nam id quod eruis* ; ut his quæ protulit Politianus : *nam id quod juperius*. Hæc autem facilem ſui emendationem præbent : *nam id quod aſperius, reſpuitur a pecore propter aculeos*.

Hæc in ſano armento præſtanda ſunt : ne vero ægrotet, docet caput IV. medicamentum, *quod componitur pari pondere triti Lupini, Cupreſſique, & cum aqua nocte una ſub divo habito*. Hoc extremum *habetur* eſt in Goeſianis & primis impreſſis, hoc eſt, *quod componitur* &c. & quod *habetur*.

At cum Bos jam ægrotat, & in cruditatem incidit, multa atque exquiſita remedia tibi caput VI. indicabit. *Si nec hæc profuit res, caprifici aridæ conteruntur, & cum dodrante aquæ calidæ dantur*. Quæ in librum III. digeſſit Vegetius, ſed hoc exemplo : *ſi tardius proficit, tres partes Lauri conteruntur, & cum duplici aquæ calidæ dantur*. Quamnam medicinam ſequemur? Hinc Caprificus, hinc Laurus laudatur, etiam Catone ad Boum remedia tria Lauri folia commendante. Meus animus ad Columellam inclinat, cum etiam Goeſius ex probatiſſimo libro offerat : *ſi nec hoc profuit, tres Caprifici aridi conteruntur*. Quid autem tres caprifici ad Bovem? Dicet quiſpiam viciſſim : Quid tria Lauri folia Catoniana? Utut tibi videbitur, Goeſiana quidem, quibus vulgata Columelliana confirmantur, non ſunt contemnenda.

Eſt

Eſt etiam inter remedia, ut Bos ægrotans concitate agatur; deinde poſt alias potiones, ut currere cogatur; demum, aliis adhibitis medicamentis, ut *citatus Bos agatur*. Non vides extremo curſum accelerandum eſſe magis atque magis? Itaque, ut in Goeſianis, ut *citatius Bos agatur*.

Torminibus laboranti Bovi remedia capite VII. auctor ſuggerit, deinde ab hoc morbo ad graviorem deſcendit, quem ſic deſcribit: *Quod ſi neque ventris reſtiterit citata proluvies, neque inteſtinorum ac ventris dolor, ciboſque reſpuet, & prægravato capite, ſi ſæpius quam conſuevit, lacrymæ ab oculis, & pituita a naribus profluent*. Quorum prima ex Vegetio per Morgagnum noſtrum recte emendata dum exiſtimo, de reliquis diligentius conſiderandum eſt. Primum animadvertere eſt, neque *ſi* ante *ſæpius*, neque *quam* aut edidiſſe Jenſonium, aut Goeſium de veteri monumento exſcripſiſſe, cum uterque *lacrymaque* amplificaverit. Propter quod ſuſpicio fit *conſuevit* quo tota ſententia evertitur, aliena manu eſſe interpoſitum; quandoquidem Boves ſani lacrymas emittere non conſueſcunt. Quo ſublato, cuncta ad Vegetii exemplar ita conveniunt, ut quid amplius deſiderari non poſſit. *Quod ſi neque ventris erit citata proluvies, neque inteſtinorum ac ventris dolor, ciboſque reſpuet, & prægravato capite, ſæpius lacrymaque ab oculis, & pituita naribus profluent*. Nunc quæ ex Vegetio ſunt, recognoſce: *Quod ſi neque proluvies ventris erit, neque inteſtinorum dolor, recuſat tamen cibos, & prægravato capite erit; lacryma quoque oculis & pituita naribus currit*.

Ad caput XII. & ad ſuppurationem nunc venio, quam ſanguis circa pedes tumens facit; hic enim *niſi emiſſus fuerit, ſaniem creabit, qui ſi ſuppuraverit, tarde procurabitur*. Non opus his *ſaniem* non convenire oſtendere, poſtquam Morgagnus noſter literis ad me datis, id abunde præſtitit. Quid ergo? Ad *famicem* Politiani me libenter converto, a quo non valde alienum ſcriptura *ramicem*, quod in Vegetii codice Sambucus reperit, quodque in Vegetii libro IV. integrum legitur, & denique quod Pſeudogargilius inter Boum mala vel ex Vegetio vel ex Columella deſumpta recipit, & ſale atque aceto cum axungia curat, quibus utitur etiam Columella. At quid *famix?* Sinus quidem atque abſceſſus propria appellatione a Veterinariis uſurpatus videtur, & fortaſſe ab ea origine, ex qua *phyma*, *υ* in *α* verſo, ut *κύλιξ calix*.

Ex capite XIV. hæc continuo perpendamus: *Interdum & tumore palati cibos reſpuit, crebrumque ſuſpirium facit, & hanc ſpeciem præbet,*

ut

ut Bos in latus pendere videatur. Quæ excudit Aldus; nam prima excusa, Goesianusque liber, & Vegetius qui a Columella exscribit, *tumor* ostendunt. Illa quoque *ut Bos in latus* neque ut vera, neque ut Columelliana recipio, quæ ab Aldo originem ducunt, excudentibus editoribus primis *ut Bos lætus*. Hæc autem sic intelligo, ut Bos optimi habitus mœstus, & animi demissi esse appareat; siquidem *pendere* dubium esse accipio, dum Bos a cibo & ruminatione cessat.

Si in opere collum contusum erit, præsentissimum erit remedium sanguis de aure emissus, aut, si id factum non erit, herba quæ vocatur Avia, cum sale trita & imposita. Restituto ex primis editoribus, Goesioque, ac Vegetio *contuderit*, & rejecto Aldino *contusum erit*, statim ad istud *Avia* me verto, de quo quamvis multa scripserim, nunquam tamen destiti aut cogitando, aut inquirendo in verum conniti. Id quid sit, invenisse, etsi in dubiis rebus nequaquam prudentiæ esse videatur polliceri, nihilominus tibi spondebo, & *Lamium* sive *Lamia* esse debere testabor. Qua fiducia hoc audeam asserere, si me rogabis, Plinium producam libro XXII. scribentem: Lamium *mederi cum mica salis contusis, incussis, inustis, & strumis, tumoribus, podagris, vulneribus*. Nonne contra contusiones *Avia* cum sale a Columella laudatur? Nonne eadem ex Cornelii Celsi præcepto tumenti cervici imponitur? Adde a veteris scripturæ *amati*, *ama*, *habia* vestigiis non valde remotum videri Lamium, præsertim si etiam *Lamia* a Latinis appellabatur. Nomen a Græco est λαμὸς, quoniam flos late in duo labella diducitur, expanditurque. Sic Lamiæ ab antiquis appellatæ, quod hianti ore infantibus insidiarentur.

Ad intumescens collum etiam *hac compositione sic utendum est. Cum disjungitur ab opere, in ea piscina, ex qua bibit, tumor cervicis aqua madefactus subsiccatur*. Quonam mentis veterno occupatum Aldum dicemus, qui vetustum impressum *subjicitur* reddidit *subsiccatur*, quasi madefieret tumor, ut eodem tempore siccaretur? Recipiamus igitur *subjicitur*? Nequaquam; verum ex Goesiano *subicitur subigitur* efformatum amplectemur.

Clavorum qui fere cervicem infestant, minor molestia est; nam facile operanti lucerna instillatur. Secundo membro nihil puto ab homine dici posse stultius. Probari autem id post Aldum ab omnibus, & in cunctas editiones recipi humanam stultitiam prope superat. Quasi vero, inquies, a primis editoribus fuerint optima prodita, quæ sunt: *nam facile operantem lucernam instillato*? Nemo certe talia ut sincera tibi probabit: tamen longe quam Aldina meliora vel eo nomine quod fuco carent, ego tibi asserere possum. His tamen missis, ex Goesianis;

nis: *nam facit eo per lucernam medentem inſtillatio paratior eſt*, ſententia redintegratur hac ratione: *nam facile*, *oleo per lucernam ardentem inſtillato*, *reparatio eſt*, nempe *moleſtiæ*. Quorum probationem ex Vegetio dabo: *nam facile ſanantur per ardentem lucernam oleo inſtillato*.

Pergamus ad alia. Scriptum eſt capite XVI.: *ſæpe etiam vel gravitate longioris vel cum in proſcindendo aut duriori ſolo, aut obviæ radici obluctatur, convelli* armos. Majori nixu dum conatur Bos, armos convellit: quod evenit vel plauſtra trahendo, vel ducendo aratrum. Vehendo quidem plauſtrum, cum via ſalebroſa eſt, & prærupta, aut erecta nimis; item cum cœnoſa, & profundius immerguntur rotæ: arando vero, cum in durum ſolum, aut in radicem vel ſaxum impingitur aratrum, vehementius connitentibus Bubus, ut ſuperent impedimentum. Quare non *longi laboris* ſequi juvat pro *longioris*; nam aratio aſſiduus & continuus eſt labor, ſed *gravitate longi itineris*, ut Vegetius invenit, *aut duriori ſolo, aut obviæ radici obluctatus, convellit armos*.

Adverſus Viperæ morſus caput XVII. remedia commemorat; nam *Perſonatæ radix contuſa prodeſt, vel Simonianum Trifolium quod invenitur confragoſis locis, efficaciſſimum traditur*. Si tanta vi contra editorum librariorumque audaciam valuiſſet Trifolium ἀσφαλτεῖον, quanta adverſus Viperæ ictus valere proditum eſt, nunquam Simonianum factum eſſet. O literarum peſtis! Sic ſacratas memorias corrumpere juvat, ut emptorem decipias? Sed quid præterita & barbara tempora increpo, quæ ſummis ignorantiæ tenebris obſita erant, penituſque demerſa? Noſtra potius culpanda ſunt, quæ ſapientiæ titulum ſibi aſſumunt, cum tanta luce hic locus ex Goeſiano libro perfundatur. En tibi quantum vera a falſis differant: *prodeſt, vel ſi montanum Trifolium invenitur, quod confragoſis locis efficaciſſimum naſcitur*. Neque tantum in Columella *ſi montanum* in *Simonianum* tranſiit, ſed in Vegetio quoque *Siler montanum* peperit, deinde ſuperſœtans ex vitiato Columella altero partu *Simonianum* reddidit.

Si vero herbam anni tempus negat, ſemen in uſum recipitur, *radiceſque cum ſuo caule tritæ & farina ac ſale commiſtæ ex aqua mulſa ſcarificationi ſuperponuntur*. Quibus ex Goeſianis addere oportet *Ordeacea*, quod olim egregius Morgagnus ex Vegetio repoſcebat. Neque tamen in reliquis integrior Vegetius qui radices *cum ſucco caulis tritas* ſcarificationi imponendas jubet; quo enim tempore herba viridis non reperitur, neque cauli ſuccus ineſt. Itaque, ut in Columella, *cum ſuo caule*. Sed cur in his quæ in Columella antecedunt: *atque ipſa*

folia

folia cum ſale trita malagmatis more ſcarificationi intenditur; eundem amicum noſtrum qui emendavit *intenduntur*, inhonorum poſthabemus? Non enim id ſolum & verum ac neceſſarium exiſtimamus, ſed & *more* tanquam Aldinam propaginem abjiciendum eſſe cenſemus, cum in primis impreſſis, & duobus codicibus Politiani & Lipſienſi legatur *malagmatis incendunt vel*. Ex qua ſcriptura non aperte patet *incendunt vel* fuiſſe *intenduntur*, & *more* ab Aldi vel potius Jucundi moribus emanaſſe, itemque *ſcarificationi*, quo & codex Lipſienſis & prima excuſa utique carent?

Inter venenatorum animalium morſus & remedia confunduntur nonnulla oculorum vitia, eademque inter ſe miſcentur. Ideoque *epiphoram ſupprimit polenta conſperſa mulſa aqua, & in ſupercilia genaſque impoſita, Paſtinacæque agreſtis ſemina, & ſuccus armoraciæ cum melle conlinita oculorum ſedant dolorem*. Separanda ſunt: *Epiphoram —— impoſita. Paſtinacæ quoque agreſtis ſemina*. Quod per ſe ſatis clarum, ex Vegetio ac Goeſiano exemplari illuſtratur. Verum quid *conlinita*, quod in antiquis excuſis *conlevata*, in Vegetio *trita*? Non potius *conlævata*, quam Aldinum *conlinita* judicaveris?

De Bubus generatim ſatis me ſcripſiſſe videbar: de Tauro eligendo hoc curandum manet; Taurus enim laudatur, ſi ſit *ventre paulo ſubſtrictiore, qui magis rectus, & ad ineundas fœminas habilis ſit*. Quid *rectus* dices? Id Goeſianum eſt *treus*, Lipſienſe *reus*. An probas *ſtrenuus* per contractionem ſcriptum *ſtreus*?

Poſt pecoris probationem ſequitur paſcendi diſciplina, de qua quod mihi dubium obverſabatur, in Lipſienſibus commentariis habebis. Nam illud capitis XXIII. de revocandis buccina armentis, quod ita facile recognoſci poſſunt, dum in unum conveniunt, numeruſque recenſetur, *ſi veluti ex militari diſciplina intra ſtabularii caſtra manſerint*, ſatis eſt, ut quis Goeſianum ac Lipſienſem codices, in quibus *ſtabulorum* legitur, inſpiciat, quo celerius ſe *ſtabularii* pœniteat approbaſſe.

De fœtura hinc capite XXIV. loquitur Columella, & de Vitulorum educatione, cujus gratia illa fit. *Itaque & fœtæ Cytiſus viridis, & torrefactum Ordeum maceratumque Ervum præbetur, vel tenero olere commiſto torrido molitoque Milio, & per unam noctem lacte macerato ſalivatur*. Quantum in his innovatum ſit, ordine oſtendam. Primum illud *vel tenero olere* ex primis impreſſis *& tenerius olus*; deinde ex Cæſenate codice: *& teneruit olus*; demum ex Palladio exſcribente: *ipſis autem vitulis toſtum molitumque Milium cum lacte miſceatur ſalivati more præbendum*, eſſe oportere: *& tener vitulus* olim demonſtravi. Nunc reli-

reliqua in Aldina editione corrupta purgabimus hoc modo : *Et tener vitulus torrido molitoque Milio & permiſto cum lacte ſalivatur*. Etenim Aldus ut hæc ſuperioribus adnecteret, primum *&* in *vel* mutavit, poſthabito *torrido* quod in antiquis excuſis, & manu impreſſis *vitulus* proximum ſtatuebatur. Deinde *per vam lacte* (quorum primum in Goeſianis eſt *permiſto*) *per unam noctem lacte* effinxit, idque ut probabile redderet, *macerato* quo cuncta exemplaria & priora excuſa privantur, exornavit.

Capite etiam XXVI. cum oſtendiſſet Columella in vituli caſtratione extremam teſticulorum partem eſſe relinquendam, ne in totum effœminaretur, adjectum eſt : *formaque ſervata maris generandi vim depoſuit*. At a quo iſta ? Ab Aldo, aut ab Jucundo potius, cui in votis erat, ut egregius Polenus noſter ex Vitruvio oſtendit,

Pulchra Laverna,

Da mihi fallere;

Columella enim, ut a priſcis editoribus & Goeſio diſcimus, ſcripſerat *formamque ſervat maris, cum generandi vim depoſuit*.

Quoniam de Bubus & de iis quæ dubia aut vitiata eſſe rati ſumus, tractavimus, ad caput XXVII., & ad Equos accedamus. *Quibus cordi eſt educatio generis equini, maxime convenit providere auctorem induſtrium, & pabuli copiam, quæ utraque vel mediocria poſſunt aliis pecoribus adhiberi ; ſummam ſedulitatem, & largam ſatietatem deſiderat equinum pecus*. Propter Aldi munera tibi hæc exſcribebamus ; nam extremum *pecus* præter neceſſitatem Aldus appoſuit, quod nos veterum editorum & codicum fidem ſecuti abjiciemus. Præterea cum inter Goeſiana ſit *equitium* non *equinum*, id ipſum tibi notum eſſe volumus, ne negligas, ſi ita videbitur.

Ad admiſſuram deinde converſi dabimus operam, cum Equabus *generoſis circa vernum æquinoctium mares jungentur, ut eodem tempore, quo conceperint, jam lætis & herbidis campis poſt anni meſſem parvo cum labore fœtum educent*. Viſne ex hoc ſemine tibi pullos creari, qui, quoniam menſibus XV. in materno utero morantur, perfectiſſimi erunt, & maxime diuturni ? Aldo ſubblandiri oportet, qui Equarum partum circa vernum æquinoctium conceptum *poſt anni meſſem* producit ; nam meſſis circa ſolſtitium peragitur, & ſolſtitium a primo æquinoctio per dies XCIV. removetur. Non igitur id ab antiquis ſumpſit ? Non per Jovem ; primis editoribus *poſt anni menſem* exhibentibus, codicibus *poſt annum menſem*. Ex hoc conjicio *poſt annum menſum* ; quoniam eodem ferme tempore quo concepit Equa, partum fe-

ri expreſſit Columella, hoc eſt circumacto anno. Non me latet Palladium qui Columellam tranſcribit, eniti Equas libro IV. docere *ſpatio duodecimi menſis*. Hæc tamen mendo non carent, promente ex codicibus Politiano: *ſpatio XIII. menſis*.

Iſque admiſſarius poteſt trimus adhiberi, & uſque ad annos viginti plerunque idoneus eſſe. Hæc etiam vitiata Aldus excudit, cum a prioribus editoribus haberet: *iſque admiſſuræ poteſt uſque in annos viginti*. Quæ tamen tibi non probo; ſiquidem *poteſt* ex duobus *poſt trimatum* corruptum videtur. Veſtigium ex Lipſienſi codice affertur: *poſterrima*. Attamen ex Goeſianis integra omnia & perfecta nacti ſumus: *Iſque admiſſuræ poſt trimatum ad annos viginti plerunque idoneus eſt*, quæ capite XXVIII. repetuntur. Unde igitur illud *adhiberi* accepit Aldus? Ab Jucundo fortaſſe.

Quod ſi admiſſarius iners in venerem eſt, odore perfricatur, deterſis ſpongia fœminæ locis, & admota naribus: rurſus ſi Equa marem non patitur, detrita Scilla naturalia ejus liniuntur. Quanto ornatior atque elegantior Goeſiana ſcriptura: *Quod ſi admiſſarius iners in venerem eſt, odore proritatur, deterſis ſpongia fœminæ locis, & admota naribus: Equa rurſus, ſiqua marem non patitur, detrita Scilla naturalia ejus liniuntur*.

Admiſſura jam peracta, matribus proſpiciendum eſt, curandumque, *ne curſu exerceantur, neque frigori committantur, nec in anguſto clauſove, ne aliæ aliarum conceptum elidant*. Demenda eſt *clauſo* particula *ve* quam Aldus largitus eſt, cum prima impreſſa eam omittant, necnon liber Goeſianus. *Clauſum* autem locus eſt circumſeptus & munitus, quod ſæpius uſurpat Columella, ut lib. VII. de Capris: *ſed numerum hujus generis majorem quam centum capitum ſub uno clauſo non expedit habere*. Lib. VIII. de Columbis: *quæ clauſo continentur*. De Pavonibus: *ne extra clauſum fœtum edant*. De Apibus lib. IX. *Quibus intra clauſum aluntur*. Lib. XII. *Ovium cæterarumque pecudum fœtus atque fructus clauſo cuſtodienda erunt*.

Ab enixis Equabus ad pullos cura traducitur, quorum pulchritudinem ex capite XXIX. notabis, ſi ſint *æqualibus atque altis rectiſque cruribus*. Igitur qui crure inæquali naſcuntur, pulchritudine non commendantur? Quin monſtrum erit quod inæquali crure incedit. Quare hoc ſignum non ad pulchritudinem, verum ad naturalem modum ſpectat. Cur igitur inter pulchritudinis notas recenſet & laudat Columella, quod abeſſe, integro corpore, non poteſt? Quem putas hujus ſigni auctorem? Columellam? Apage te cum iſtiuſmodi ſuſpicionibus.

Aldus

Aldus id excudit ; nam primi editores , & Goeſianum exemplar non *æqualibus* , ſed *mollibus* tuentur , quo Columella Virgilium imitatur de eodem pullo canentem :

Continuo pecoris generoſi pullus in arvis
Altius ingreditur , & mollia crura reponit .

Hinc intelliges ex quo fonte in Varronem pro *introverſeis* translatum fuerit *æqualibus* , ex vitiato nimirum Columella.

Hujuſmodi item pulli laudantur , *qui ſunt ex placido concitati , & ex concitato mitiſſimi ; nam hi ad obſequia reperiuntur habiles , & ad certamina laborum patientiſſimi*. Hic etiam tenetur Aldus. Undenam *patientiſſimi* , quod prima excuſa , & Lipſienſis codex non memorant , quodque Goeſianus liber *promptiſſimi* eſſe oſtendit , ſuſcepit ? Propter quod Goeſium exſcribentem *ad certamina laboremque promptiſſimi* , ſequamur .

A ſanis Equis gradum facit capite XXX. Columella ad morboſos ; & quoniam ſæpius frigore morbos contrahunt , *frigori* , inquit , *fomenta adhibentur , caputque & ſpina tepenti adipe vel vino liniuntur* . Plura remedia adverſus hoc malum tibi ex Goeſianis commemorabo : *Frigori fomenta adhibentur , & calefacto oleo lumbi rigantur , caputque & ſpina tepenti adipe vel vino liniuntur* . Quæ ex proximis vera ſtatues : *ſi urinam non facit , eadem fere remedia ſunt ; nam oleum immiſtum vino ſuper ilia & renes infunditur .*

Solent etiam vermes quaſi lumbrici nocere inteſtinis . Quibus dubitationis multum adjiciunt codices Goeſianus & Lipſienſis exhibentes non *quaſi* , verum *in qua* . Itaque dum in Vegetii libro I. duo vermium genera quibus interanea infeſtantur commemorari video , *vermes lumbricos , & tineolas* , in illo *in qua* hoc ſecundum *tineolæ* in Columella deſidero hoc exemplo : *ſolent etiam vermes tineolæ & lumbrici nocere inteſtinis* .

Interdum & faſtidio ciborum langueſcit pecus . Ejus remedium eſt genus ſeminis , quod Gith appellatur ; cujus duo cyathi adjunguntur olei cyathis tribus , & vini ſextario . Nemo erit tam inconſideratus qui multo præſtabiliora non duxerit antiqua partim formis , alia manu effecta , quam vulgata & probata cunctis : *Interdum faſtidio ciborum langueſcit pecus . Ejus remedium eſt genus ſeminis quod Gis appellatur ; cujus duo cyathi triti diluuntur olei cyathis tribus , & vini ſextario* .

His de Equorum medicina curioſe penſitatis , in Mulorum genere vitia rimabimur . Ad hoc inſititium genus procreandum , ut capite XXXVI. præcipitur , *Equam convenit in annos decem , quouſque ampliſſi-*

mæ atque pulcherrimæ formæ ſit, membris fortibus patientiſſimam laboris eligere. Quod monitum etſi Columella tradat, tamen quando Aldi manus interpolavit, non pluris faciam, quam alia poſteriorum ingeniis elaborata. Reponamus itaque priſca Goeſiana: *Equam convenit in annos decem ampliſſimæ atque pulcherrimæ formæ, membris fortibus, patientiſſimam laboris eligere.*

Hæc quoque ex aliena induſtria: *ut quæ peracto anno menſe tertio decimo vix eduntur*, pleniora ſunt, quam illa quæ Columella præſtitit, ſi Goeſiana intuemur: *ut quæ menſe tertio decimo vix eduntur*. Quod enim menſe tertio decimo vix maturatur, in alterum annum incidere inſipientis eſt declarare.

De materno Mulorum ſanguine hæc facile veteri adminiculo ſuffulti tranſegimus: in paterno genere probando major eſt labor; *quoniam ſæpe judicium probantis fruſtratur experimentum. Multi admiſſarii ſpecie tenus mirabiliſſimam ſobolem forma vel ſexu progenerant.* Ex his quid doceat Columella, non perfecte aſſequor: ex inſequentibus melius colligo: quod quidam admiſſarii *contempti ab aſpectu pretioſiſſimorum ſeminum fevaces ſunt*. Ideo: *multi admiſſarii ſpecie tenus mirabiliſſimi ſobolem forma vel ſexu degenerant*, ſive —— *mirabili peſſimam ſobolem forma vel ſexu progenerant*. Hoc eſt, mares pulcherrimi partum degenerant, forma quidem, cum parvi corporis, aut aſpectu turpis & contemptilis Mulas procreant; ſexu vero, cum plures mares qui veteribus erant viliores quam fœminæ, fingunt.

Hujuſmodi mari ſenſim magiſtri ſubmovere debent generis ejuſdem fœminam, quoniam ſimilia ſimilibus familiariora fecit natura; ita enim efficitur, ut ejus obiectu, cum mas etiam ſuperjectu eblanditus eſt, velut incenſus & obcæcatus cupidine, ſubtracta quam petierat, faſtiditæ imponatur Equæ. In quibus falluntur multi qui tanquam cuncta Columelliana & edunt & probant, cum Aldinis miſceantur. Vetera & germana ex prioribus impreſſis & codicibus repetita in hanc ſententiam ordinanda cenſemus: *Hujuſmodi mari ſenſim magiſtri ſubadmota generis ejuſdem fœmina (quoniam ſimilia ſimilibus familiariora fecit natura) itaque obiecta, cum ſuperjectu eblanditi ſunt, velut incenſum & obcæcatum cupidine, ſubtracta quam petierat, faſtiditæ imponunt Equæ.*

Quo ſemine generatus Mulus animo & forma præſtantiſſimus capite XXXVII. commendatur. *Quanquam poſſit huic aliquatenus comparari quod progenerat Onager, niſi & indomitum, & ſervitio contumax ſilveſtri more ſtrigoſum patris præferat habitum.* Aptior ſententia conflatur, ſi Politiani & Lipſiæ codices unde habemus: *ſtrigoſunt equa*, & priſcum excuſum

cuſum *præferret*, ſecuti legamus: *ſtrigoſumque patris præferret habitum*.

Jamdudum tacitum te quærere puto qua forma eligendus ſit admiſſarius Aſinus, cujus ſemine tam pretioſum apud veteres animal figuratur. *Ab aſpectu non aliter probari debet, quam ut ſit ampliſſimi corporis, cervice valida, robuſtis ac latis coſtis, pectore muſculoſo & vaſto, feminibus lacertoſis, cruribus compactis coloris nigri vel maculoſi, nam murinus cum ſit in Aſino vulgaris, tum etiam non optime reſpondet in Mula*. Omnia quidem optima ſigna, quanquam de colore maculoſo poſſit dubitari; quandoquidem, *ſi diſcolores pilos Aſinus in palpebris, aut auribus gerit, ſobolem quoque frequenter facit diverſi coloris, qui & ipſe, etiam ſi diligentiſſime in admiſſario exploratus eſt, ſæpe tamen dominum decipit*. Quare *maculoſi* vitium eſt. Prima impreſſa id in *macilis* mutant, Goeſianus liber in *magilis*. Quapropter, cum in hoc admiſſario Palladius qui plerunque Columelliana intuetur, tres colores nigrum, murinum, & rubeum commendet, perpendes utrum illa *vel magilis*, aut *macilis* ſcribenda ſint, *vel magis rubei*, hoc eſt, vel potius rubei; an quid aliud habenda.

Rejecto Aldino *maculoſi*, hæc etiam ab eodem Aldo excuſa reiicere oportet: *quam ut avitus color primodii ſeminis miſtu reddatur nepotibus*, & repetere antiqua impreſſa eademque Goeſiana: *primordiis ſeminum miſtus reddatur nepotibus*.

Igitur qualem deſcripſi Aſellum cum eſt a partu ſtatim genitus oportet matri ſtatim ſubtrahi. Cum Aldina mihi ſemper dubia ſunt & ſuſpecta, tum iſta magis, quæ in antiquis diſſimilia ſunt; nam pro *partu* excuſum eſt ab Jenſonio *proti*, idque in Politiani & Lipſienſi libro *protri* ſcribitur, ex quo quis colligere poteſt *protinus*, nempe *protinus genitus*. Porro *ſtatim*, vitiato *protinus*, ex proximo repetitum videtur.

Subductus igitur matri Aſininus pullus, Equæ alendus ſubiicitur; *nam, obſcuro loco partu ejus amoto, prædictus quaſi ex ea natus alitur. Cui deinde cum decem diebus inſuevit Equa, ſemper poſtea deſtinanti præbet ubera*. Anne in his quoque quid Aldinum? Nihil quidem; tamen duo video, quæ Columella digna non arbitror, tollamque alterum *deſtinauti*, præbente Goeſio *deſiderauti*; alterum vero *prædictus*, quod *prælectus* eſſe malo, tuo judicio expendendum trado.

Ex admiſſario Aſino unum atque alterum ſupereſt, quod propter editorum levitatem dubium atque incertum ad te perſcribam. Ante admiſſuram Aſinus *defecto viridi pabulo, & largo Ordeo firmandus, nonnunquam etiam ſalivandus erit*. Quo morbo incitatus Aldus vetuſtum impreſſum *ſaginandus* in *ſalivandus* verterit, nunquam ſum aſſecutus.

Video

Video ex Varrone talem marem Ordeo & fœno nutriri, & ante admiſſuram largius, quo ad laborem ſuſtinendum vires augeantur. Video apud Columellam Equum ſub admiſſuræ tempus, affatim dato fœno, Ordeo, Ervoque ſaginari, *ut hac ſagina hilaris plurimis fœminis ſufficiat*. Tu ſiquid habes, quod Aldi factum confirmet, mittito; nam cur improbem, vides.

Alterum proximum ſubſequitur, ne *teneræ fœminæ committatur*; *nam niſi prius ea marem cognovit, adſilientem admiſſarium calcibus proturbat*. Vetus his ſubeſt vitium; in cunctis enim impreſſis eadem leguntur. At in Goeſiano libro *cognovit* eſt *concivit*, in Lipſienſi *concuit*. Quid dicam? Goeſianum verum exiſtimo. Non eſt admovendus Aſinus Equæ, niſi prius marem ea in venerem concivit, ſive concupivit; ea enim eſt brutorum animalium natura, marem calcibus & morſu a ſe propulſare, dum gravida ſunt, aut æſtu venereo vacua, ſed maxime immatura. Equidem vulgata reiiciunt quæ ſequuntur: *id ne fiat, degener & vulgaris Aſellus admovetur qui ſolicitet obſequia fœminæ, neque tamen is inire ſinitur*. Quare non *cognovit marem*, quæ a coitu prohibetur. De *teneræ* quoque ambigi poteſt tanquam de *temere* depravato. Quo conſtituto, opportunum admittendi tempus eſſe attendendum in univerſum docetur.

De Mularum medicina pauca capite XXXVIII. attingit Columella; quoniam plerique morbi qui hoc genus invadunt, cum Equis communes inveniuntur. In paucis tamen reperit Aldus, quæ deteriora redderet, ceu: *Febrienti Mulæ cruda Braſſica datur*, cum ſcripſiſſet Columella: *Equienti Mulæ* Braſſicam crudam eſſe præbendam, ut ex prioribus impreſſis, & codicibus Politiani, Goeſii, & Lipſiæ certior fies. Paulo poſt, ut ex iiſdem libris intelligitur, adverſus languorem & nauſeam docente Columella potionem *quæ recipit ſemunciam ſulphuris, ovumque crudum, & myrrhæ pondo denarii. Hæc trita vino admiſceri*, eandem depravavit egregius Aldus ad hunc modum: *quæ recipit ſemunciam triti ſulphuris ovumque crudum, & tritæ myrrhæ pondo denarii. Hæc tria vino.*

In VI. Columellæ volumine quæ aperte improbabam, reiiciebamque, item quæ præ veteribus contemnebam, cum has literas legeris, cognoſces. Quæ apud te ſi ineptiarum titulum evitaverint, nihil in eo non egiſſe videbor. Vale.

Dabam Patavio XVI. cal. Octobr. CIↃ IↃCC XXXV.

EPI-

EPISTOLA LXI.

Illuſtratur emendaturque Columellæ liber VII.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

BInas epiſtolas heri a te accepi, non eodem tempore datas: id non tibi, ſed tabellariis culpæ verto, qui ſæpe minus aſſidui in officio ſunt, dum epiſtolas accumulant, quo minori labore quotidianum opus alternent. In utraque tua epiſtola Aldi nomen abominatum video; quin in recentiori ejus editiones ita a te contemptui haberi ſignificas, ut quas poſſides, niſi cum melioribus commutare licebit, aut alia ratione diſtrahere, ſis donaturus. Quod conſilium non improbarem, ſi optimæ facile poſſent comparari. Quotus enim quiſque editor inventus eſt, qui diligentiæ titulo famam ſibi acquirere non ſtuduerit, Aldina exemplaria imitando atque exprimendo? Verum quid præterita commemoro? Numquid noſtra ætas quamvis optima vel ab antiquis excuſa, vel ex privatis libris exſcripta habeat, ad Aldi nomen ita non reſpicit, ut ab eodem edita tanquam oracula de tripode miſſa non ſequatur; quoniam Aldi pictura emptor facile invitatur capiturque? Porro quæ de Aldo ejuſque editione hactenus ſcripſi, & ſum ſcripturus, ſic accipias velim, ut pleraque cum Jucundo Veronenſi, a quo rem ruſticam interpolatam Aldus edendam ſuſcepit, communices. Quin omnia Jucundo attribuenda eſſe cenſerem, ſi imperitus editor, non Aldus literis exornatus iſtud opus ut excuderetur, curaſſet. Etenim Aldi erat perpendere omnia & ponderare diligenter, eademque cum antiquis editionibus & manu exaratis libris conferre, tum collata cum peritis communicare, quæve prava & quæ fucata offendebat, a rectis & ſinceris ſecernere, demum horrida potius, inculta, obſcura, qualia a primis editoribus habemus, edere, quam nitida, compta, & colluſtrata ſed falſa in publicum uſum emittere. Quapropter ſive Jucundo fidem adeo temere adhibuit, ut ejus deliramenta ſuo judicio confirmaverit; ſive ipſe quoque operi emendando ſtudium & curam impendit, materiamque quam ignorabat, alienis & falſis immiſcuit, quis Aldum ab reprenſione & noxa eripere poterit, cujus opera ruſtica diſciplina, quæ humano generi utiliſſima eſt, cognituque ſumme neceſſaria, tam diu in cœno verſata

ſata eſt, & adhuc verſatur? Verumtamen de futuris gentibus melius ſperare licet, confido enim fore, ut homines aliquando reſipiſcant. Nos quod mandaſti, interim videamus.

A majoribus animalibus ad minora deſcendit lib. VII. Columella, & *de minore pecore*, inquit, *dicturus*, *P. Silvine*, *principium tenebit minor Arcadiæ vilis hic vulgariſque Aſellus*. Exempto Aldino *dicturus*, & reſtituto ex primis impreſſis *dicturis*, videndum quid ex Politiani ſcripto: *minor minora Arcadiæ*, ſtatui poſſit in eo loco qui obſcuritate implicatur. Opinabar itaque *non minor* commode conjectare licere, cum in Arcadia Aſinus inter præcipua celebraretur. Eſſet etiam non valde contemnenda hæc lectio: *majus inter minora*, quando capitis proximi tale exordium habetur: *Poſt majores quadrupedes ovilli pecoris ſecunda ratio eſt*.

Quibus dubitanter propoſitis, alia ulcera veteri medicina ad cicatricem perducam. Habemus ex antiquis qualicunque pabulo Aſinum eſſe contentum, *vel obiecto faſce ſarmentorum*. *Paleis vero quæ pene omnibus regionibus abundant*, etiam gliſci. In quibus non conquievit Aldus, ſed intemperantia quadam ingenii, non neceſſitate a Columella receſſit excudens: *Paleis vero, quibus pene omnes regiones abundant*. Deinde ex his repudiavit *inſtrumentum* ab Jenſonio expreſſum, & comprobatum a Goeſiano codice: *Quare omne rus tanquam maxime neceſſarium inſtrumentum deſiderat Aſellum*. Haud enim neſcis ſemivocale ruris inſtrumentum dici a Varrone Aſinum, quo nomine cætera jumenta atque armenta, quibus ad agri cultum, & familiæ commoda utimur ruri, complectitur; nam ubi facilis eſt terra, arando inſervit, cum etiam *non nimio pondere vehicula trahat*, ut ait Columella, ſive melius ex Goeſiano libro: *non minima pondera vehiculo trahat*.

Ad Aſini laudem etiam ſpectat, quod *imprudentis cuſtodis negligentiam fortiſſime ſuſtinet*. Quæ ſi cupis cum Politiani ſcripto: *negligentiam quæ fortiſſime ſuſtinet*, conferre, facile opinaberis quondam fuiſſe: *imprudentiam cuſtodis*, *negligentiamque fortiſſime ſuſtinet*.

De ovillo pecore ſubſultim nunc agamus. Primum capite III. in Virgiliano carmine:

Cum tonſis illotus adhæſit
Sudor, *& hirſuti ſecuerunt corpora vepres*,

priſca ſcriptura, ut in codicibus retinetur, fiat *illutus*, ex quo *illuvies* a *luo*, *lavo*; nam luere peccatum figurate dicitur, cum antiqui ob ſcelus aliquod ſe flumine ad diſſolvendam pœnam lavarent. Ex altero carmine deducit Columella procul a vepribus, & ſpinoſis ſaltibus eſſe paſcen-

ſcendas Oves ; quoniam *quotidie minuitur lana*, vel potius : *lanæ fructus*, ut in Goeſianis eſt. *Molle vero pecus etiam velamen, quo protegitur, amittit, atque id non parvo ſumptu reparatur.* Sed iſtud *reparatur* Aldinum habebis; id duplici modo in antiquis ſcribi vidi: in Lipſienſi codice *requiritur*; apud primos editores *conſiſtit*. Quod exopto.

Poſt fœturam deinde longinquæ regionis paſcua petiturus Opilio fere omnem ſobolem paſtioni reſervet ſuburbanæ : villicus enim teneros agnos, dum adhuc herbæ ſunt expertes, lanio tradit. Quid de iſtis Aldinis lenociniis cenſebis, ſi, demptis fucis, priſtinam formam ex primis editoribus tibi expreſſero: *regionis opilio fere omnem ſobolem paſtioni reſervat: ſuburbanæ teneros agnos* &c. Docet Columella Opilionem qui in longinqua regione degit, fere omnem ſobolem ſubmittere, & paſcendo nutrire : qui vero in ſuburbana gregem paſcit, agnos lactentes lanio tradere ; *quoniam & parvo ſumptu devehuntur, & iis ſubmotis, fructus lactis ex matribus non minor percipitur*. Quæ fuerit Columellæ ſententia, intelligis : quæ Aldi, Aldina ſequentes videant.

Submitti tamen etiam in vicinia urbis quandoque oportebit ; nam vernaculum pecus peregrino longe eſt utilius: nec committi, ut totus grex efœtus ſenectute dominum deſtituat. Ubicunque eſt grex, non *quandoque*, ſed quotannis delectus faciendus eſt, ſegregatis inutilibus, & ſubmiſſis in propaginem novellis. Nihilominus, quoniam præceptum eſt in ſuburbanis expedire domino fructus Ovium ære diſtrahi, attenuatur, minuiturque monitum, & *quintum quemque* (ita enim in Goeſianis eſt pro *quandoque*) agnum eſſe ad gregis perennitatem ſubmittendum concedit.

Enitenti Ovi præſto eſſe oportet pecoris magiſtrum veterinariæ medicinæ prudentem, *ut ſi res exigat, vel integrum conceptum cum tranſverſus hæret locis genitalibus, extrahat: vel ferro diviſum, citra matris perniciem, partum educat*. Quibus etiam imperitam manum admovit Aldus, cum in prioribus excuſis eſſet: *partibus educat*, nempe per partes ferro diviſum conceptum eximat. Quod codices confirmant.

Quoniam autem viridia pabula, dum paſcuntur petudes, quodam faſtidio afficiuntur, occurrendum eſt *præbito ſale, quod velut ad pabuli condimentum per æſtatem canalibus ligneis impoſitum, cum e paſtu redierint Oves, lambunt*. In tribus codicibus Politiani, Goeſii, Lipſiæ illa : *velut ad* ſcribuntur : *vel atque ac*, fortaſſe : *quod vel æque ac pabuli condimentum*.

De ſicci autem pabuli genere hæc habemus: *Ordeum, vel freſa cum ſuis valvulis Faba, vel Cicercula ſumptuoſior eſt, quam ut ſuburbanis re-*

gionibus exiguo pretio poſſit præberi: ſed, ſi vilitas permittit, haud dubie ſunt optima. Viſne hæc Aldinis nugis codicum & priorum editorum ope purgemus? *Ordeum, vel freſa Faba, Cicercula ſumptuoſior eſt, quam ut ſuburbanis regionibus ſalubri pretio poſſit præberi: ſed, ſi ejus vilitas permittit, haud dubium eſt optima.* In quibus hoc tantum mihi ſumpſi, ut ex Politiani *cubilitas*, Goeſiique *jubilitas* conſtituerem: *ejus vilitas*, reliqua antiquitate firmantur. Neque quiſquam cum Aldo offendi debet *ſalubri pretio*, quod idem atque utili pretio, ut M. Tullius *pro Domo* uſurpat dicens *ſententiam Reipubl. ſaluberrimam* ſe pronunciaſſe. In Livii quoque libro II. laudatur: *res ſalubrior meliorque inopi quam potenti.* Itaque ut ſententia Reipubl. ſaluberrima, & res inopi ſalubrior, ſic patriſamiliæ ſalubre pretium.

Obſervandum quoque eſt Canicularibus diebus, *ut ante meridiem grex in occidentem ſpectans agatur, & in eam partem progrediatur: poſt meridiem in orientem; ſiquidem plurimum refert, ut paſcentium capita ſint obverſa ſoli.* Hæc Aldina; codicibus & primis impreſſis oſtendentibus: *ne paſcentium capita ſint adverſa ſoli;* quorum alterum recens excuſum video, cum utrunque neceſſarium videatur, ut Columellæ verba habeamus.

De paſtoris officio extremo capite præcepta traduntur, quæ ſequentes eum paſtorem eligemus, qui ſit circumſpectus & vigilans, *idemque duci propior quam domino, & in cogendis recipiendiſque Ovibus adclamatione ac baculo minetur.* Quibus Aldus ſive Jucundus a veteribus aberrans ſe ineptiſſimum, hebetemque declaravit; quid enim paſtor *propior duci, quam domino?* Numquid mercenarius quis, aut mancipium gregi melius proſpiciet, quam dominus gregis? His itaque explosis, vetera ſunt repetenda. Primæ editiones *duci* carent; & illis: *quam domino*, ſubſtituunt: *quia ſilent &*, quæ in codicibus etiam cernere eſt; in Lipſienſi quidem hac forma: *quæ ſilent & inducendis*; in eo vero quo utebatur Politianus, hoc modo: *quæ ſilent etiam agendis.* Hinc iſta ad Columellam puto pertinuiſſe: *idemque propior, quia ſilent; & in agendis recipiendiſque Ovibus adclamatione ac baculo minetur.* Silere autem pro ceſſare, quieſcere, nihilque agere notum omnibus; ideo Oves ſilent, quæ decumbunt, & a paſcuo ceſſant.

Ex hirtis Ovibus hæc vitia eademque pleraque Aldina indicaſſe juvat: in mollibus ac tectis alia capite IV. patefacere conabor. Hoc genus cum ſit molliſſimum, *nullam domini, aut magiſtrorum inertiam ſuſtinet, multoque minus avaritiam; nec æſtus nec frigoris patiens. Raro foris, plerunque domi alitur, & eſt avidiſſimum cibi, cui ſi detrahitur frau-*

fraude villici, clades ſequitur gregem. Quorum prima cura eſſe debet, ut divulſa membra in ſuos articulos connectantur; propterea enim quod pecus iſtud frigoris atque æſtus eſt impatiens, domi alitur, non foris. Altera ut Aldina eximantur, ceu *inertiam*, quod *ineptiam* eſt in cunctis codicibus, atque excuſis priſcis; itemque: *cui ſi detrahitur*, quod in impreſſis erat: *cum detrahitur*. Quo tamen melius Goeſianum tibi ſpondeo: *cum quid detrahitur*; ſiquidem cibi pars villici fraude poteſt detrahi, non omne quod a domino præbetur, ſubduci. Habebis itaque Columelliana tali ratione: *nullam domini aut magiſtrorum ineptiam ſuſtinet, multoque minus avaritiam. Nec æſtus, nec frigoris patiens raro foris, plerunque domi alitur; & eſt avidiſſimum cibi. Cum quid detrahitur fraude villici, clades ſequitur gregem.*

De ſanis Ovibus hactenus: in morboſo grege capite V. adverto quid præſtandum ſit, cum porrigo & ſcabies gregem corripit: *cui primo quoque tempore occurrendum eſt, ne totam progeniem coinquinet, & quidem celeriter, cum & alia pecora, tum præcipue Oves contagione vexentur*. Ad morbi celeritatem, non ad medicinæ hæc *& quidem celeriter* referuntur, ſi Goeſiana veriora, quam vulgata, exiſtimaveris: *ſiquidem celeriter cum alia pecora, tum præcipue Oves contagione vexantur*.

Eſt etiam inſanabilis ſacer ignis quam puſulam vocant paſtores. Perſpice etiam in hoc unde orta Latina lingua, & quam profundas in Græciam radices agat; nam πύσαλ& *puſula ἀπὸ φυσάω*.

Ab ovili ad caprile capite VI. te ducam; quoniam Ovibus cognatum eſt caprinum genus. Cui apti ad pabulandum frutices laudantur, ceu *Arbutus, Alaternus, Cytiſuſque agreſtis, nec minus Iligni Quernique frutices qui in altitudinem non proſiliunt*. Verane hæc? Si ab Aldo vacarent, non omnino eſſent improbanda. Sed hic quoquo ſe miſcet, neque a Capris abſtinet. *Proſilierunt* priſcum erat excuſum, idemque Goeſianum, quod in *proſiliunt* contraxit Aldus, quaſi Quercus atque Ilex in altitudinem non proſiliant, cum ad ſummam proceritatem aſcendant. Apti itaque Capris frutices Ilignei & Querni qui in altitudinem non proſilierunt, ſive quia in cæduis ſilvis nati, ſive quia ab armentis teneri depaſti ſunt.

Huic pecori nocet æſtus, ſed magis frigus, & præcipue fœtæ, quæ gelicidio hiemis conceptum fecit. Diverſa fit ſententia ex Goeſianis: *quia gelicodior hiemis conceptum vitiat*. In codice item Lipſienſi *gelicior* eſt, necnon in illo quem laudat Politianus, *quia gelicior*. Quid igitur conſtituendum? *Quia gelidior hiemis conceptum vitiat*; non enim omnis hiems, ſed frigidior gravidis nocet, cum per hiemem ſemper gelicidia

contingant ; ideoque quotannis abortus in Capris hiberno tempore uterum ferentibus fierent. Sequitur itaque apud Jenſonium: *nec tantum ea ſola* (nempe hiems ſævior) *creat abortus* , cum *creant* ab Aldo habeamus. At *hiemis* pro *hiems?* Ita videtur : etiam capite III. in codicibus Lipſienſi & Goeſiano extat: *ſi plerunque* , *eſt atrocior hiemis*. Capite etiam proximo ubi vulgo excuſum eſt: *nec tamen ante quam peſtilens tempus anni* , *ſive id fuit hiemis* , *vertatur æſtate* ; *ſive autumni* , *vere mutetur* , in Politiani & Lipſienſi libris *hiemis* rectus eſſe caſus cognoſcitur hac forma : *ſive autumnum verum utetur* , ſcilicet: *ſive autumnum* , *vere mutetur* ; nam *autumnus* & *autumnum* apud veteres fuiſſe Chariſius & Nonius oſtendunt.

In extremo capite qualem eſſe oporteat Caprarium , luculenter declaratur, acrem nempe, durum , ſtrenuum , *qui non ut alterius generis paſtores* , *ſequatur* , *ſed plerunque ut antecedat gregem* . Quibus ſubiicitur ab Aldo : *Quare eum eſſe maxime ſtrenuum opus eſt* . *Capellæ dum dumeta paſcunt* , *capris cedunt* . Hæc a primis editoribus ad pauciora contrahuntur: *ſtrenuum pecus eſt* : *Capellæ Capræ cedent* . Nempe mobile , vagum , procurrens pecus iſtud eſt ; quippe Capellæ Capris præeunt , cum in aliis gregibus mares antecedant, & duces ſe præbeant. Ex quibus itaque fontibus tot alia hauſerit Aldus, ad hoc tempus neſciebam . Propterea ut dubia & incerta extra Columellam ſeponerem , dum fidelioribus libris comprobentur; Aldi enim editio cujus eſſet fidei, ſæpius declaravi. Sed inquies, probaſne *Capellæ Capræ cedent?* Non adeo deſipio : ſed , *præ* ad *cedent* appoſito , media explerem hac ratione : *Capellæ Capris præcedent*.

De morboſis pauca ex capite VII. perpendamus: *alia namque genera pecorum cum peſtilentia vexantur* , *prius morbo & languore marceſcunt* ; *ſolæ Capræ quamvis opimæ atque hilares ſubito concidunt* . Si enim quis Aldina ſequi cupit , his utatur : ſin germana & antiqua expetit , ex primis editoribus & codicibus pro *marceſcunt* repetat *maceſcunt* , pro *opimæ optimæ*.

Cum vero ſingulæ domo laborabunt. Opinatus ſum , & adhuc opinor *domo* eſſe oportere *dummodo* , & vitium propter librarium conciſe ſcribentem ortum ; nam prius de iis morbis locutus eſt Columella , quibus univerſus grex Caprinus afficitur ; deinde de illis qui per partes invadunt. Si hoc reſpuis, invertantur ſyllabæ, & fiat *modo*.

Ad multram nunc te voco , ut lac & caſeum capite VIII. depuremus. Caſeus, *qui tenui liquore conficitur* , *quam celerrime vendendus eſt* , *dum adhuc viridis ſuccum retinet* : *ſi pingui & opimo* , *longiorem patitur*

cuſto-

cuſtodiam. Age Aldina demamus ; *pingui* enim & *opimo* nonne idem ? Ergo abiecto *opimo* , antiquum impreſſum *optimo* reponatur . Jam vero *longiorem patimur cuſtodiam* non ſcripſit Columella , ſi primis editoribus fides non derogatur ? *Pati* autem pro *ſinere* , *permittere* , *concedere* ſumi quot veterum exemplis non declaratum eſt probatumque ? Reſpuamus itaque *patitur* tanquam Aldinum .

Sed caſeus *lacte fieri debet ſincero , & quam recentiſſimo ; nam requietum vel miſtum celeriter acorem concipit* . Ex requieto lacte caſeum fieri qui cito aceſcat , nemo negabit : item ex miſto vitioſum , deteriorem , ævi non patientem componi quis non concedet , cum acidum ex miſtura gigni in confeſſo non ſit ? Falſum igitur ſcripſit Columella ? Bona verba quæſo : Aldus ſcripſit , non Columella . Ubi enim in Columella ante Aldum *vel miſtum* invenies ? In prioribus impreſſis eſt : *nam requietum maximum celeriter acorem concipit* : in Goeſianis : *nam requietum quam maximum celeriter acorem concipit* . Hæc itaque ſincera , ſi *maximum* in *maxime* vertatur . Quanquam ne hoc quidem neceſſarium , cum *minime* & *minimum* etiam adverbialiter uſurpetur . Quid prohibet igitur credere *maxime* & *maximum* in uſu fuiſſe ? Non poſuit in *Muſtellaria* Plautus :

Atque ille exclamat derepente maximum ?

Hoc ſi horridum atque incultum in Columella te offendit , lætam & nitidam ſententiam habebis conjungens : *quam maximum acorem celeriter concipit* .

Protinus in ſuillo pecore quæ meliora fieri exopto , capite IX. tibi perſequar . *Nam in omni genere quadrupedum ſpecies maris diligenter eligitur , quoniam frequenter patri ſimilior eſt progenies , quam matri . Quare in ſuillo pecore probandi ſunt totius quidem corporis amplitudine eximii* . Non opus eſt declaratione , cur Goeſiana his anteferam ; tanta enim eſt codicis probitas , ut ſummam auctoritatem etiam in dubiis ſibi aſſumat . Hic autem cum imperfecta ſententia ſit , quis fidem ab optimo libro detraxerit ? Itaque : *quoniam frequentius —— pecore mares probandi ſunt totius quidem corporis amplitudine eximii* .

Paulo poſt de ſcrofis ſeneſcentibus , quibus vulvæ candenti ferro exulcerantur , ne ſint genitales , conjeceram legendum : *quod facere non intelligo* , idque nunc Politiani & Goeſii libris confirmatum video . Quod tibi propterea commemoro , ne , cum Lipſienſia legeris , nos actum egiſſe putes .

Exinde nonnulla referam quæ non dubiis ſignis Aldina eſſe poſſumus cognoſcere , ut cum arboribus quæ ſuillo pecori cibum miniſtrant ,

adiici-

adiicitur iſtud *tamaricibus*, quod damnaveram vel eo tempore quo in codicibus Lipſiæ & Goeſii eſſe *termitibus* quale in excuſis primis videbam, ignorabam. Nunc autem optimo jure vulgata & recepta reiicere non verebor. Inter eaſdem arbores pomiferas *Pinus* ab Aldo recenſetur, ab antiquis editoribus & Lipſienſi codice *pampinus*, quem aptum eſſe Suibus pabulum conſtat. Idcirco qui nuces Pineas propter porcos colendas eſſe nobis excudit, neque inter frugales colonos habendus eſt, neque inter peritos editores.

De ſubulco item idem Aldus affert, ut ſit induſtrius & navus; quoniam *omnium quas paſcit, & matricum & juniorum meminiſſe debet*. In quibus duo vetera & probata *nutricum* & *minorum* mutare in *matricum* & *juniorum*, & mox ad verbum *curet* apponere *maxime*, cujus nullum in prioribus impreſſis veſtigium reperitur, ſumma eſt editorum audacia, & ſumma omnium ſtultitia, qui, poſthabitis veris, Aldina venerantur.

Nunc inter ſuillos morbos & remedia tibi vitia quæ naturaliter non contingunt, ſed hominum culpa fiunt, capite X. expediam. *Febricitantium notanda ſunt capita quam in partem proclinentur, ut ex adverſa parte de auricula ſanguinem mittamus*. Quæ recte curata eſſe nemo non dabit. Nos tamen qui novitiam iſtam medicinam, niſi neceſſitate coacti non admittimus, ſecus ſentimus, & judicamus. Itaque etiam in his vetuſtati potius obſequimur, & cupimus *proclinent* Goeſianum, quam vulgatum *proclinentur*, nec minus priſcum impreſſum idemque Goeſianum *diverſa*, quam Aldinum *adverſa*.

De cœnoſa quoque ſuis volutatione ab Aldo eſſe editum video: *Quod ſi locorum ſitus repugnat, ne ita fieri poſſit*. Dum enim verbi *repugno* vim conſidero, priora impreſſa repoſco: *repugnat, ut ita fieri poſſit*. Hoc modo propter locorum naturam id non poſſe fieri accipio: illo poſſe; quod Columellæ ſententiæ adverſatur.

Pulmonarius autem morbus *optime ſanatur auriculis inſerta Conſiligine*. Iſtud *inſerta* Columellianum eſſe Ovium medicina declarat, verum in utroque loco eandem vocem a Columella non eſſe adhibitam Goeſianus liber declarat, in quo *exarta* nempe *exacta* legitur, ut in Seneca habemus:

Eat per artus enſis exactus meos.

Quis porro redarguere Aldinam editionem poterit, dum de ſuillo genere oſtendit *pecus inſatiabile* eſſe? Attamen id merum commentum eſſe deprenditur, cum codices, & prima excuſa *inexitiabile* ſervent. Hoc nihil refert, inquies, numquid immaculati ſunt codices? Etiam,

quin

quin maximis erratis ſcatent: nihilominus *inexitiabile* operarum mendum non arbitror, quod rationi conſentaneum invenitur. Nam *exitium* ab *exitu* deſcendit, idem etiam veteribus ſignificans; *exitiabile* igitur quod exitum & finem habet; *inexitiabile* contra. At quod extra finem & terminum vagatur, nonne immodicum, atque immoderatum? Qui itaque in edendo modum non ſervat, ſed extra naturalem neceſſitatem percurrit, *inexitiabilis* dicendus eſt.

Sunt quædam Scrofæ quæ mandunt fœtus ſuos: quod cum fit, non habetur prodigium. Nam Sues ex omnibus pecudibus impatientiſſimæ famis ſunt, ita ut aliquando, ſi indigeant pabuli, non tantum alienam (ſi liceat) ſobolem, ſed etiam ſuam conſumant. Quæ quamvis exacte, & pulchre compta ſepones, reſtitutis veteribus excuſis, quæ utique in Lipſienſi codice habentur: *nam Sues ex omnibus pecudibus impatientiſſimæ famis aliquando ſic indigent pabuli, ut non tantum alienam (ſi liceat) ſobolem, ſed etiam ſuam conſumant.*

Ex minori pecore ultima Canum educatio ſuperat. Horum tria cum ſint genera, villaticum, paſtorale, & venaticum, hoc poſthabito quod ad ruſticam profeſſionem nihil confert, nigrum colorem in villatico laudat capite XII. Columella, album in paſtorali, varium in neutro. *Paſtor*, inquit, *album probat, quoniam eſt feræ diſſimilis, magnoque opus interdum diſcrimine eſt in propulſandis Lupis ſubobſcuro mane vel etiam crepuſculo, ne pro beſtia Canem feriat.* Hæcne ſatis perſpicua? Quid? Antiquane & vera? Cur non, quæ a primis editoribus traduntur, & cum Goeſianis conveniunt? Quid igitur ſecutos editores impulit ad alia inſerenda, immutanda alia? Noſti quæ per cuncta volumina ab Aldo ad nos deſcenderint: *crepuſculo, ne, ſi non ſit albo colore conſpicuus, pro Lupo Canem feriat.* Proculdubio neceſſarium non erat addere diſcrimen, ſive potius repetere, quando probari album Canem ſcribit Columella, quoniam magno diſcrimine opus eſt ſubobſcura nocte, ne pro beſtia Canis ſaucietur.

Nec modo color in Cane pecuario maximopere quærendus eſt, verum etiam ſtatus corporis longior & productior, ut agilis & promptus ad curſum reſpondeat; ſiquidem *nonnunquam neceſſitas exigit celeritate beſtiam conſectandam. Cæteri artus.* Cum quibus conferre juvat quæ a Politiano ex veteri exemplari exſcripta ad nos pervenere: *exigit celeritatem n. celeritate beſtii conſectam dicere artus*, quæ emendari poſſe arbitror tali pacto: *exigit celeritate celeritatem beſtiæ conſectandi. Cæteri artus.* Ex quibus *conſectandi* etiam ante Aldum excuſum fuerat, idque Lipſiæ in codice reperiri narratur.

De

De Canum fœtura. Venus, *ſi teneris conceditur, carpit & corpus & vires animoſque degenerat*. Meliora ex Goeſianis oſtendam: *conceditur, carpendo corpus ac vires, animos degenerat*. In his nihil aliud mihi ſumpſi quam *veteres* (quod etiam inter Politiani memorias eſt) emendare, idque in *ac vires* vertere.

Caput XIII. de Canum morbis & medicina tractat. Itaque adverſus ſcabiem vera remedia noſcere valde opportunum eſt; quippe iſta in Aldi officina parata: *Cytiſi & Siſami tantundem conterito, & cum pice liquida permiſceto*, mihi magis quam ſtomachum movent. Apud antiquos editores talis proſtat compoſitio: *Gypſi* (quod etiam inter Goeſiana invenio) *& Seſami tantundem conterito*, quorum alterum reprimendi vim habet, detergendi alterum. Nam Cytiſum ad lactis copiam præberi ex Columella ſcimus, *ſiſamum* vero quid eſſet, neque ex Columella, neque ex alio ſcriptore nondum perſpeximus.

Octavus liber jam in veſtibulo adeſt, admonens ut ſeptimum dimittam. Pareo igitur, atque epiſtolam obſigno. Vale.

Dabam Patavio XIV. cal. Octobr. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA LXII.

Emendatur, illuſtraturque Columellæ liber VIII.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

QUod præter expectationem tuam Antonius Bergaminius ad te venerit, tibi mirifice gratulor; ſed non mihi gaudeo; quin ſtrabo derepente ſum factus. Tantum bonum tibi ſoli contigiſſe non æquo animo fero. Velim itaque ut tuo munere recte fungaris, &, cum ſcitum ſit, omnia amicorum eſſe communia, me quoque tuæ felicitatis participem facias. Quare amicum te non ducam, niſi Bergaminium recta ad me adduxeris: neque hominem habebo, ſi tantulum iter ab eodem impetrare non potueris. Hoc igitur mihi præſta, geminoque beneficio me cumula. Quidvis potius patiar, quam in hac re deſiderium meum falli. Ego interea, quo melius cœna amicum excipias, nonnulla ex Columella ad hanc rem attinentia tibi indicabo.

De villaticis paſtionibus quæ in capita XVII. diſtrahuntur, acturus Co-

Columella, nonnullis, quæ ex hoc ruſtico miniſterio in uſum & commodum patrifamiliæ cedunt, commemoratis, ſic capite I. propoſitum conſtituit: *Quare de hoc quoque genere paſtionis dicendum cenſui*. Prima ex Politiani & Goeſii ſcripto ſunt: *Quo de hoc genere*. Non alius Varro libri II. initio: *Qua de re pecuaria breviter & ſummatim percurram*. Sed Varro antiquum morem ſervat, qui & *quaad* pro *quoad* uſurpat. *Quo* autem loco *quare*, ut apud Terentium Andr. *Quo æquior ſum Pamphilo*, & apud Ciceronem II. *de Orat. Quo etiam feci libentius*.

Ex iis avibus quæ in villa & circum villam nutriuntur, prima dignitas & prima ſedes capite II. Gallinaceo generi aſſignantur, in quo fœminæ Gallinæ proprie dicuntur, mares Galli, ſemimares Capi *qui hoc nomine vocantur, cum ſint caſtrati libidinis abolendæ cauſa. Nec tamen id patiuntur amiſſis genitalibus, ſed ferro candente calcaribus inuſtis*. Caſtrandi Galli eum morem qui hac ætate ſolus uſurpatur, Goeſiana ſcriptura ex Columellæ libris non excludit, qua proditum eſt: *nec tantum id patiuntur*.

Mercari oportet fœminas, quæ *ſint rubicundæ vel fuſcæ plumæ, nigriſque pennis*. Deinde multis interpoſitis: *ſint ergo matrices probi coloris*. Si iſtud *probi coloris* quod a primis editoribus omittitur, in Goeſiano vero libro ſcribitur *robii coloris*, perpenderis, *probi* ab Aldo primum excuſum intelliges. Color itaque rubeus, ſive robius laudatur, quo Varro Gallinas etiam commendat. Tamen apud Palladium qui Columellam ſequitur, Gallinæ *præcipuæ nigræ, aut flavi coloris* deſcribuntur. Sed *flavi* vitium credo, & *rubei* fuiſſe opinor. Equidem Petrus Marinus qui vernacula conſuetudine Palladium interpretatus eſt (liber prodiit Senæ ann. CIↃ IↃC XXVI. Simeonis de Nicolais opera) vel id invenit, vel *rubicundi*; ita enim reddidit: *ſpecialmente vogliano eſſer negre & roſciarde*.

In Gallinariis cellis hoc primum vereor ne vitiatum ſit: *ut ſemper noctibus claudantur, quo tutius aves maneant*; in Goeſiano enim libro *tutius* video eſſe *quotius*, idque priſtina forma, *quietius* duco. Nam ſatis tutæ ſunt aves cum clathris feneſtræ muniuntur, nequa poſſint noxia animalia irrumpere.

Deinde de his quæ ab Aldo habemus, minus dubito quin protinus repudiem: *ut illuſtria ſint loca, quo commodius habitent. Aviariuſque ſubinde debet ſpeculari aut incubantis, aut parturientis fœtum*. Quæ multo lumine adminiſtranda ſunt; ideoque cellarum illuſtratio ad Gallinas non ſpectat, quæ primo diluculo in cohortem progrediuntur, & veſpere appropinquante, in gallinarium ad quietem ſe congregant, & com-

ponunt. Ad aviarium igitur magis refertur; propter quod ad priora excusa redeamus: *quo commodius habitet aviarius, qui subinde.*

In pullorum quoque educatione ad pristinum modum contraham quæ capite V. exuberare deprendi. Æstivam pullationem post solstitium improbari affirmat Columella; propterea quia justum incrementum, quamvis facile educentur, non capiunt pulli: In locis tamen suburbanis, *ubi a matre pulli non exiguis pretiis veneunt, nec plerunque intereunt*, probari. Non censeo illa: *nec plerunque intereunt* interposita esse a Columella, non solum quia in Goesiano libro prætereuntur, verum etiam quia minus conveniunt. Quæ enim ubique facilem educationem habent, utique in suburbanis commode aluntur.

Quoniam autem solet pituita pullis plurimum nocere, *sunt qui spicas Allii tepido madefactas oleo, faucibus inferant*. Cujus amplitudinis pullorum guttur putas quod *Allii spicas* quas neque ipse gregis dux & parens Gallus deglutire facile poterit, admittit? Hoc incommodum removetur legentibus *micas* quod in Goesii & Politiani libris reperitur, non *spicas*. Id confirmat Palladius a Columella edoctus dicens, Allii micam tritam cum oleo faucibus pullorum esse inferendam.

Quo adjumento Fæciniæ uvæ, Helvenacæ, Apiæ, Græcæque, quibus pretiosi gustus vina paras, a cohortalibus avibus defendantur, docebo te paucis. Labruscam uvam de vepribus immaturam legito, *quæ cum farre triticeo minuto cocta objicitur esurientibus, ejusque sapore offensæ aves omnem aspernantur uvam*. At, inquies, ubi Far triticeum mihi comparabo? Apud Aldum facile; nam alibi aut legisse aut vidisse non reminiscor. Primi editores *ordeo* non *farre* excudunt, quod etiam inter Goesiana invenio. Hinc arbitror scriptum esse a Columella: *cum ordeo trito minute cocta*; sive: *cum ordeo triticove minute cocta*.

Ovorum quoque custodia qua ratione fiat, ex capite VI. indicabo. Multi ut per hiemem ova fervent, *salibus integris adoperiunt: alii muria tepefacta durant*. Istud *durant* dignitatis expers dissimile esse in codicibus ostendam; in Politiani scribitur *adveant*, in Lipsiensi *coagregant*, in Goesiano *adudant*. Hoc sententiam perficit, nempe *valde humectant*.

Quanquam quotidianæ popinæ gulosius fercula condiendi magistros hac ætate non requirant, tamen tu antiqua frugalitate contentus ea perpendere non recusabis, quæ olim industrii patresfamiliæ ad augendum patrimonium in saginandis avibus observabant. Offis ex ordeacea farina optime Gallinaceum genus glisscere tradit capite VII. Columella; *ea tamen primis diebus dari parcius debent, dum plus concoquere consue-*

ſueſcant. Quoniam cibus inſolitus præbetur, & maximi nutrimenti, fieri poteſt, ut ſcripſerit Columella non *plus*, verum *prius*. Hoc tu, quantulumcunque eſt, pro tua prudentia videbis.

De Columbis etiam alendis duo tibi ex capite VIII. commemorare poſſum, quæ ad Columellam non æquo animo refero. Primum eſt: nutriri Columbos minore impenſa, ſi liber egreſſus in agros permittatur; ideoque duobus tantum hibernis menſibus aut tribus eſſe *conditicia cibaria* neceſſaria. Qui in Latinos *theſauros* iſtud *conditicius* recipiunt, hujus loci auctoritatem ſequuntur. Hæc tamen optimi codicis Goeſiani ſcriptura infirmatur; ibi namque *conditiva* eſt, quo uſum eſſe Columellam libro VII. videmus. Alterum de farctura: præcipit auctor, ut diligenter a motu pullos prohibeas, infractis cruribus, *præbeaſque copioſum cibum parientibus*. Quorum ultimum Goeſianus codex in *parentibus* vertit. Dicet tamen quis vulgatum *parientibus* Varronis ſcripto confirmari, ex quo habemus *matribus* hoc eſt *parientibus*, uberius ut cibo uti poſſint, eſſe objiciendum. Quid doceat Varro, in Varrone ſequar, & ſuſpiciam; in Columella nullam video eſſe cauſam, quæ me a Goeſiano codice revocet. Appoſitius enim habendum eſt Columellianum *parentibus*, quam Varronianum *matribus* aut *parientibus*, quod illo uterque parens, nempe tam mas quam fœmina continetur; ſiquidem in pleriſque avibus, ſed maxime in Columbis tam mas quam fœmina pullos nutrit. Propter quod utrique largius cibus præbendus eſt, *quo* (ut addit Columella) *& ſe*, *& eos* (pullos) abundantius alant.

Pavonino genere te quoque delectatum quondam audivi, quem etiam capite XI. tetrico ruſtico Columella concedit captanti *undique voluptates acquirere*, *quibus ſolitudines ruris eblandiantur*. Hic locus luculentius texitur ex Goeſiano ſcripto: *quibus ſolitudini rus eblandiatur*, ſive *ſubblandiatur*. Vetus autem lectio: *quibus ſolitudini ruſeublandiantur*, & hoc ex Politiano: *ſeublindiatur*.

Hic optimi Goeſiani Codicis finis; quo deſtitutus, velut in procelloſo mari ſine malo & anchora nauclerus, me plane defero atque deſtituo. Quapropter perlibenter reliquam diſquiſitionem abjicerem, ſi quidquam ex mea voluntate eſſe ſtatuendum viderem. Sed quando tuis mandatis inſerviendum eſt, ita pergam, ut plurima fideliſſimo præſidio orbatus in incerto relinquam. Quin etiam quæ tibi præſcribam, non modo ut vera mittam, ſed etiam certa conjectura eadem non perſequar. Omnia tanquam ambigua, dubia, incerta atque obſcura agam. Tu quod voles, ſtatuito. Me nihil interponam. Itaque, ut librum octavum abſolvam, duo de Piſcium cultu tibi perpendenda ſubjiciam.

Primum ſine controverſia Aldinum non modo propter auctorem deſpiciendum, verum etiam quia præ ſe vitium fert. De piſcinarum ſtructura ſcribit capite XVII. Columella vivarium ita eſſe conſtituendum, ut *in pedes novem defodiatur piſcina, & infra duos a ſumma parte cuniculus rivi perducatur, curandumque eſt, ut quam largiſſime veniant.* Cui enim annectemus vel *duos* vel *veniant*? Repellitur malum quod invexit Aldus, ex primis editoribus excudentibus: *& intra duos a ſumma parte cuniculos rivi perducantur*. A mare per cuniculos agendi ſunt in piſcinam rivi, *ut rivis, per quos exundat piſcina, præfigantur æenei foraminibus exiguis cancelli, quibus impediatur fuga piſcium.*

Alterum de piſcium cibatu intra ſuſpiciones noſtras habebis: *Ficus quidem arida ſemper objicitur, eximia ſi ſit (ut Bæticæ Numidiæque regionum) larga*. Planior fit ſententia, ſi legamus: *Ficus quidem arida ſemper objicitur eximia, ſi ſit (ut Bæticæ Numidiæque regionibus) largitas*. Neque tamen quicquam præter *largitas* pro *larga* nobis conceſſimus; nam *regionibus* ex primis excuſis repoſuimus.

Nolui de hoc libro plura mittere, ne ab jucundiſſimo hoſpite longius te avocarem. Bergaminio plurimam ſalutem meis verbis dicito: te quoque ut valeas, & feſtines, maxime rogo.

Dabam Patavio XII. cal. Octobr. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA LXIII.

Emendatur illuſtraturque Columellæ liber IX.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

XII. Cal. Octobr. ante quam meæ literæ infauſto omine miſſæ tibi redderentur, repentino nuncio domum accitum Bergaminium ad portam te proſecutum eſſe ſignificas. O fallax noſtra ſpes quo cecidit! Cum totus in deſiderio veſtri eſſem, & jam ocreatus vobis obviam prodire feſtinarem, in medio ſpatio mea vota fortuna fregit atque evertit. Æquo tamen animo quidquid extrinſecus nobis accidit, ferendum eſt; neque enim imprudenter uſurpabant veteres: *multa inter os & offam*. Ad Columellianam itaque villam redeamus, ut venatione

ne curam relaxemus : nam tertium de villaticis paſtionibus volumen quod expendendum expectas, feris pecudibus atque Apibus nutriendis apta præcepta miniſtrat. De illis pauca : de his plura tibi perſequar diligenter.

Quare ut ferarum prohibeatur fuga, vel muro ampla ſilva montiumque tractus circumdantur, vel vacerris, quod ſic *appellatur genus clathrorum*, *idque fabricatur ex Robore*, *Quercu*, *vel Subere*. Quæ cum Aldus capite I. ita texeret, Plinium potius, quam Columellam eſſe eundem ſecutum putabis, Plinio Robur a Quercu ſeparante; quod illud minorem glandem ferat, hæc maximam. Utiturque Plinius Ciſalpinæ Galliæ conſuetudine, ubi hac quoque ætate minoris glandis Quercum *Rovere* vocant. At Columellæ Robur genericum nomen eſt, quo glandiferas arbores, ut Quercum, Ilicem, Cerrum, Suber, Fagum includit & finit. Ideo cum robuſtea glans Suibus peculiaris ſit, inter arbores quæ huic pecori cibum miniſtrant, Robur non recenſet, dum libro VII. ſcribit nemora eſſe Suillo generi convenientiſſima, *quæ veſtiuntur Quercu*, *Subere*, *Fago*, *Cerris*, *Ilicibus*. Quod propter arboris utilitatem nunquam prætermiſiſſet, niſi Robur eo numero eſſet comprenſum. Idque clarius lib. IX. de quo loquimur, explanatur. Etenim cum Apros *frugibus roburneis* opus habere docuiſſet, quo minori impenſa in vivario alerentur, maxime ad hunc uſum laudari ſaltus dixit, *qui ſunt feraciſſimi querneæ glandis*, *& iligneæ*, *nec minus cerreæ*. Igitur fruges roburneæ glandes ſunt querneæ, iligneæ, & cerreæ. Et quoniam ex glandiferis (ſi Fagum & Suber excipias) dura materia paratur, Robur pro firmo ligno ſæpe ab antiquis adhibetur, unde cecinit divinus Vates:

Sicubi magna Jovis antiquo robore Quercus
Ingentes tendat ramos.

Quem morem tuetur Columella hoc loco, ſi ad prima impreſſa, codiceſque Politiani & Lipſienſium oculos animumque referamus : *Idque fabricatur ex robore Querceo vel Subereo*.

Nec plura de ferarum vivariis habebam, quæ ad te perſcribenda opinarer. Ad alvearia paranda & curanda veniam, quorum cultum a te minime negligi indicant alvei longo ordine in tua villa conſtituti. Itaque curabo, ut ea quæ tibi ex Columella uſuvenire poterunt, dubiis exſolvam, erroribuſque extricem, ne in opere hærendo rei mature agendæ opportunitatem amittas. Itaque primum iſtud capitis II. *mutila* quod mutilavit Aldus, primis editoribus *mutilata* excudentibus, ut Columellianum habeas, caveto. Deinde *Euthronium* Apes natas Erichtho-

nii temporibus in monte Hymetto ſcripſiſſe nolito credere. *Euphronius*; ut meus fert animus, hujuſmodi fabellas prodidiſſe videtur, quem inter Atticos ſcriptores qui rem ruſticam illuſtrarunt, laudat lib. I. Columella, & Varro, quemque Plinius lib. I. inter auctores, ex quibus librum XI., ubi de Apibus agitur, contexuerat, recenſet.

Ad III. caput tranſeamus. Apum ætatem annis X. circumſcribi non te latet; ideoque *decimo ab internicione anno gentem univerſam totius alvei* conſumi narrat Columella. *Ab internicione* ne? Utique; ſi editoribus fides habenda eſt; ſin vero ſententiam ſpectamus, *intromiſſione* malumus, decimo nempe anno ex quo novam progeniem in alveum intromiſimus.

Alveorum foramina plura potius quam magna eſſe oportere etſi neminem fugiat, tamen auctor capite VII. docere non prætermittit, quoniam Lacerti Apibus prodeuntibus inſidiantur, *æque pauciores intercunt, cum licet vitare peſtis obſidia per aliud vadentibus effugium*. Frigidius mihi erat, quam Columellæ ſtilus poſtulat, *æque pauciores*, & cogitabam *eoque pauciores* opportunius eſſe ſcribendum. Si res ipſa id ferat, tuum eſt ſtatuere.

Porro ſilveſtria examina ſi inveſtigaveris, quæ plerunque in cava arbore ſedem habent, latebras diligentius perſcrutator, ut capite VIII. perſcribitur; *nam & aut extat ramus quem obtinent, aut ſunt in ipſius arboris trunco. Tunc ſi mediocritas patitur, acutiſſima ſerra, quo celerius id fiat, præciditur primum ſuperior pars quæ ab Apibus vacat, deinde inferior*. Quibus tamen vetera non reſpondent; antiqua enim excuſa: *aut ipſius trunci ſi*; antiquiora autem vel a Politiano expreſſa: *aut ipſius truncis in eo ſunt, ſi*, vel Lipſiæ in codice ſervata: *aut ipſius trunci ſi in eo ſunt, mediocritas*. Quid ergo ſtatuendum, præſertim cum prima etiam *& aut extat ramus*, vitiata exiſtimem? Numquid ramus ſemper non extat, qui extra truncum eminet, & late promittitur? Vacat igitur *extat*, quo ſubducto, facile reparatur locus: *&, aut ramus quem obtinent, aut ipſius trunci (ſi in eo ſunt) ſi mediocritas patitur, acutiſſima ſerra, quo celerius id fiat, præciditur primum ſuperior pars, quæ ab Apibus vacat, deinde inferior*. Tum reciſus truncus, *ſi quibus rimis hiat, illinitur, & ad locum perfertur*. Quæ ſi minime probas (Aldina enim ſunt) certiora ex primis excuſis oſtendam; *ſi quibus rimis hiat, illitis, ad locum perfertur*. Paulo poſt ad capiendas ſilveſtres Apes præcipiente Columella neceſſarium eſſe (quod ex primis impreſſis & manu exaratis intelligitur) ut alveos odoratis herbis quibus Apes delectantur, ita perfricent, *ut odor & ſuccus va-*

ſis

ſis inhæreat, Aldo viſum eſt *vaſi* non *vaſis* ponere, quod ſecuti editores tanquam optimum & probatiſſimum amplexi ſunt, non animadvertentes ſequentia non convenire: *quæ deinde mundata exiguo melle reſpergant, & per nemora non longe a fontibus diſponant, eaque cum repleta ſunt examinibus, domum referant*. Ad quæ enim dirigunt, quibuſve annectunt *mundata, eaque, repleta?* Ad alveos, credo, traducunt. Tamen qui ita cogitant, veritatem ludibrio habent. Nihil certius eſt, quam eadem cum *vaſis* copulari.

His quaſi artis principiis conſtitutis, culturam Apum capite IX. auctor ingreditur. Et prima diligentiæ laus eſt, examinum fugam prohibere: Itaque *boni curatoris eſt vernis temporibus obſervare alveos in octavam fere diei horam, poſtquam non temere ſe nova proripiunt agmina; eorumque egreſſus regreſſuſque ut diligentius cuſtodiat; nam quædam ſolent cum ſubito evaſerunt, ſine cunctatione ſe proripere*. Offendebatur his Urſinus: *eorumque egreſſus —— cuſtodiat*, & malebat *diligentius cuſtodire*. Per Politiani codicem dubitandi cauſa detrahitur: *eoque regreſſus diligenter cuſtodiat*, prætermiſſo etiam *egreſſus*, quo liber Lipſienſis utique caret. Quod tamen neceſſarium videtur; nam tam egredientes quam regredientes Apes attendendæ ſunt, ut fuga prohibeatur.

Neque ſolum Apum fuga prænoſcenda eſt, & cavenda, verum etiam rixæ, tumultus, & bella componenda & ſedanda; ideoque ubi plures ſeditioſi reges alveum diſcordia conſumunt, *duces ſeditionum interficere curabis*. Quibus conſtitutis, cum in pugnam Apes ſe proripiunt, & cuſtodis ſonitu territæ de ſumma arbore glomeratæ pendent, *diductas Apes ſcrutaberis, donec auctorem pugnæ reperies*. His ſatis cognitis, num, quid de ducibus ſtatuendum ſit, dubitas? Eſſe interficiendos jam præceptum eſt. Tamen Aldus contra codicum & priorum editionum auctoritatem alia addere auſus eſt, videlicet: *diductas Apes ſcrutaberis, donec auctorem pugnæ quem elidere debes, reperias*. Idem repetit capite XI.: *ſunt qui ſeniorem potius regem ſubmoveant, quod eſt contrarium; quippe turba vetuſtior, ſi elidatur, velut quidam ſenatus junioribus pareat neceſſe eſt, & ſiquæ ſint imperia validiorum contumaciter ſpernentes, pœnis ac mortibus afficiuntur*. Etenim priſci libri ſive formis ſive manu impreſſi *ſi elidatur* prætermittunt. Illa etiam: *& ſiquæ ſint imperia validiorum* ita deteriora ipſe Aldus reddidit, cum excuſum eſſet prius: *atque imperia validorum*. Nam hæc: *pareat neceſſe eſt* ante Aldum fuiſſe vitiata codex Lipſienſis oſtendit, ex quo eſt *parere neceſſe eſt*. Emendantur per Politiani ſcriptum: *parere non ceſſent*, nimirum: ſeniores Apes junioribus parere in animum ſibi non inducent.

Neque

Neque proxima intacta reliquit Aldus : *illud tamen incommodum juniori examini ſolet accidere , cum antiquarum Apium relictus a nobis rex ſenectute deficit , quod , tanquam domino mortuo , familia nimia licentia diſcordat : cui facile occurritur.* Quæ ab antiquis editoribus poſteris tradita ſunt hoc exemplo : *illi quidem incommodo quod juniori examini ſolet accidere —— diſcordat , facile occurritur.* Quibus interpoſitum a nobis *quod* ante *juniori*, cum ſit neceſſarium, a te reiici non opinor.

Tertium incommodum cum propter peſtem aliquam aliumve morbum vexantur examina, facile capite XI. emendatur , Apiumque paucitas ex aliis alveis reficitur; *nam ubi cognita eſt clades infrequentis alvei , quos habeat favos oportet conſiderare : tum deinde ceræ quæ ſemina pullorum continet , partem recidere , in qua regii generis proles animatur* . Ex qua alvo , dices , hæ favorum partes proliferæ deſumendæ ſunt ? Ex *infrequente* , ut excuſum eſt, an ex frequente? Ex hac quidem : Politiani igitur ſcripturam appone, ut ſciamus: *nam ubi cognita eſt clades , frequentis alvei , quos habet , favos oportet conſiderare* . Quæ quamvis certa & probata, tamen ex Palladio Columellam exſcribente confirmantur: *Si velis* , inquit lib. VII. , *alvearium , cui per aliquam peſtem multitudo ſubducta eſt , populi adiectione reparare , conſiderabis in aliis abundantibus ceras favorum , & extremitates quæ pullos habent.*

Hæc de bene valentibus Apibus. Sequuntur capite XIII. earum morbi & medicinæ. Verno alvi profluvio corripiuntur; quoniam Tithymalli & Ulmi *primitivis floribus illectæ avide veſcuntur poſt hibernam famem , nil alioquin citra ſatietatem tali nocente cibo* . Si ſtirpium naturam calluiſſet Aldus , atque animadvertiſſet ſequentia, nempe Tithymallo etiam majorum animalium ventrem ſolvi, ut Ulmo Apium , nunquam a prioribus excuſis & codicibus tam temere receſſiſſet, interpoſito *nil* , cujus veſtigium nullum in illis habetur , & quo Columellæ ſententia invertitur , atque in contrarium mutatur . Inter neceſſaria quoque eſt de Ulmi floribus addere, ſameram , quæ eſt Ulmi ſemen , & quæ fere eodem tempore quo flos, prodit, a Palladio pro flore accipi , ſi iſta lib. IV. recta intelligentia legamus : *nam poſt hiberna jejunia Tithymalli & Ulmi ſamaris floribus qui prius naſcuntur , avidius appetitis , in ſolutionem ventris incurrunt* . In vulgatis enim *amaris floribus* extat, cum nihil amarum ab Apibus tangatur . In errorem lapſus eſt Palladius dum iſta Columelliana : *quo Tithymalli floret frutex , & quo ſameram Ulmi promunt* , indiligenter imitatur ; nam cum promunt ſameram Ulmi , ſimul florent.

In his quoque nolim Columellæ eſſe attributum quod ad Hyginum pertinet :

tinet : *nam illud quod Hyginus majores ſecutus auctores prodidit , ipſe non expertus aſſeverare non audeo , volentibus tamen licebit experiri* . Itaque revocato priſtino *audet* , & ſepoſito Aldino *audeo* , tam Hyginus reprenſione liberatur , qui ſua aſſeveratione , & experientia adeo turpe mendacium non confirmaverat , revireſcere nempe mortuas Apes anno remenſo ficulneo cinere obrutas , quam Columella qui hujuſmodi fabellis tentandis vacare noluit , cum æque peccet qui talia experitur , atque ille qui fingit. De ſe prodidit : *nos magis , ne intereant , quæ deinceps dicturi ſumus , ægris examinibus adhibenda cenſemus* .

Deinde capite XIV. per ſingula anni tempora Apium cura digeſta , inter cuſtodis ſive curatoris officia primum eſt , ut infra exſcripſi : *Verum maxime cuſtodiendum eſt curatori qui Apes nutrit , cum alvos tractare debebit , uti pridie caſtus ſit ab rebus venereis , neve temulentus , nec niſi lotus ad eas accedat , abſtineatque fere ab omnibus redolentibus eſculentis* . Toties in hoc libro *curatoris* facta eſt mentio , ut quid ſit , & quo munere præditus , nemo ignorare debeat. Tamen extitit barbaris temporibus , qui id in libri ora adnotaverit , nempe : *qui Apes nutrit* , quod mox inter Columellæ verba receptum adhuc omnia volumina coinquinat. Hoc itaque primum removendum cenſeo. Ab Aldinis reliqua purgata ad vetera exemplaria ſic componam : *Maxime vero cuſtodiendum eſt curatori , cum alvos tractare debebit , uti pridie caſtus ab rebus venereis , neve temulentus , nec niſi lotus , ad eas accedat , abſtineatque omnibus redolentibus eſculentis* .

Exortis Vergiliis matutino , *progenerantur in extremis partibus favorum amplioris magnitudinis fœtus quam ſint cæterarum Apium* . Hæc quoque nemo mihi ita commendaverit , ut antiquis & manu & formis impreſſis anteponam. Quid enim in his : *amplioris magnitudinis quam ſunt cæteræ Apes* , ab Jenſonio proditis improbandum invenit Aldus ? A quo *fœtus* mutuum ſumpſit ? Quo auctore : *ſunt cæteræ Apes* in *ſint cæterarum Apum* vertit ? Numquid ignorare poterat quæ ſcripſit de eadem re Plinius lib. XI. *naſcuntur aliquando in extremis favis Apes grandiores quæ cæteras fugant . Oeſtrus vocatur hoc malum ?*

Peracto ſolſtitio , *pariter frumenta & favi demetuntur . Sed ii quemadmodum tolli debeant , mox deinde , cum de confectura mellis præcipiemus* . Siquis forte invenitur , qui *mox deinde* delectetur , ſuo jure eodem fruatur : ego Lipſienſis codicis ſcripturam amplectar : *mox dicetur , cum de confectura mellis præcipiemus* .

Alterum percipiendi mellis tempus circa autumni æquinoctium obſervatur ; nam a Canicula ad Arcturum , qui Columellæ nonis Septembr.

mane exoritur, *irroratis floribus Thymi & Cunilæ Thymbræque Apes mella conficiunt: idque optimæ notæ enitescit autumni æquinoctio*. Quod proponebam, ex his quæ tanquam Columelliana exscripsi, te intellecturum non arbitror. Quod non Columellæ, verum Aldi fit culpa qui antiquum verbum *emitescit*, quo autumnali hora matureſcere mel ſignificaverat Columella, & editum ab Jenſonio, & in codicibus retentum in *enitescit* mutavit. Ex quo evenit, ut iſta quæ paulo poſt leguntur: *Poſt arcturi exortum circa æquinoctium Libræ (ſicut dixi) favorum ſecunda eſt exemptio*, non intelligantur.

Ab hoc tempore ex floribus *Tamaricis & ſilveſtribus frutetis Apes collecta mella cibariis hiemis reponunt*. Quæ non propter vitium aliquod tibi commemoro, verum quia his alia vitiata deteguntur, ut Palladii liber XII. ubi Columelliana relata video in hunc modum: *Apes ex Tamariſci floribus reliquiſque ſilveſtribus mella conficere, quæ auferenda non ſunt, quia ſervantur hiberno*. Nam liquet ſcribendum *Tamaricis*, cujus argumentum etiam affert Lipſienſis lectio *Tamarici*. Capite item Columellæ IV. quo de Apium pabulo inter arbores laudatur *Amaranthus*, & *Amaranthini flores*, hujuſmodi ſtirpes reprenſas ab aliis nos quoque rejecimus monentes eſſe ſcribendum *Tamarix* ac *Tamaricini*; quippe Amaranthus herba, non arbor eſt, eademque Apibus parum commoda. Cæterum quæ noſtra ætate Tamariſcus vocatur ad Tamaricem revocanda non videtur, quod illa prima æſtate, hæc inter autumni æquinoctium, Vergiliarumque occaſum matutinum ſive autumnali ſpatio floret: illa inſuper decidua, hæc perpetua fronde viret.

Ab occaſu Vergiliarum ad brumam *jam recondito melle utuntur examina, eoque uſque ad Arcturi exortum ſuſtinentur*. Ultimum membrum neque Politianus in manu ſcriptis libris legit, neque primi editores invenere, apud quos id fruſtra inveſtigaveris. Ecquis igitur Columellæ affixit? Aldus quidem, verumtamen qua auctoritate fretus, me fugit. Certe a Columella id doceri negant ejus ſcripta, quibus aſſerit quidquid eſt repoſiti mellis poſt Brumam diebus XL. ab Apibus conſumi, caſdemque in ortum Arcturi veſpertinum vacuatis ceris jejunas accubare, Plinio etiam libro XI. prodente a bruma ad Arcturum diebus LX. ſine ullo cibo vivere Apes.

Quæ per ſingulas anni partes ab Apium curatore agenda erant, cum præcepiſſet Columella, addidit ex Celſo: *paucis locis eam felicitatem ſuppetere, ut Apibus alia pabula hiberna, atque alia præbeantur æſtiva*. Hæc me perpendentem, & diligenter animo retractantem ſuſpicari ſubit quid detrimenti eſſe paſſa; quandoquidem hiberno tempore nullæ

regio-

regiones (fervidam enim plagam hieme etiam ornatam floribus hic excipimus, cui præcepta non dat auctor) Apibus pabula præbent. Existimo itaque esse legendum: *pabula verna, atque alia præbeantur æstiva.* Id etiam proxima requirunt: *Quibus locis post veris tempora flores idonei deficiunt, negat oportere immota examina relinqui, sed, vernis temporibus pastionibus absumptis, in ea loca transferri, quæ serotinis floribus Thymi & Origani, Thymbræque benignius Apes alere possunt.*

Redeo nunc ad eam disputationem, quam cumulatius accuratiusque se esse habiturum professus erat Columella, cum mellis confecturam polliceretur. Id capite XV. exequitur. Mellis igitur maturi signum ex Fucis capitur, *quod est genus amplioris incrementi simillimum Apis, &, ut ait Virgilius, ignavum Fucum pecus, & sine industria favis assidens.* Quæro itaque a te, qua de causa Aldus veteres editiones ita contempserit, ut ante *sine* excusum *& immune* posthabuerit? Quod tamen antiquum esse Politiani codex ostendit, quamvis vitiatum exhibeat: *& jam rure*. Cogitabam etiam illa *sine industria* aliena irrepsisse tanquam ignaviæ explicationem. Porro tam ignaviam quam immunitatem & vacationem continuo explicat Columella; ideo immune, *quod non congerit alimenta*: ignavum, quod *ab aliis invecta consumit.*

Hi itaque Fuci *ad fovendam, & educandam novam prolem familiarius admittuntur.* Ad educandas Apes curam impendere Fucos non facile in animum mihi inducere possum, cum expresse significet Columella, *exclusis pullis, extra tecta* arceri Fucos. Dubitemus igitur de isto *educandum*, & jure ac merito quod Politiani exemplar excludit. Sed de Fucis satis: ad mellis vindemiam veniamus.

Ne Apes mel legentibus molestæ sint, fumo ad superiorem, & anteriorem alveorum partem, ubi vestibula hiant, abigantur. Quem veritus est Aldus reprensionis gradum, qui tale opus tanta socordia ita obscuravit, ut quid tradat Columella, prorsus ignoretur? Peream, si hac forma, qua Columelliana per omnia volumina circumferuntur, quisquam intelliget: *Sed ubi a posteriore parte nullum vestibulum patefactum habuerit alveare, fumum admovebimus factum galbano, vel arido fimo.* A posteriorene parte vestibulum panditur, an ab anteriore? Quid? Fumus, cum vestibulum sit nullum, qua impelletur, & quo? At vetus scriptura & formis impressa & manu designata quam clara, quam perspicua, & manifesta: *Sed ubi a posteriore parte qua nullum est vestibulum, patefactum fuerit alveare, fumum admovebimus factum Galbano, vel arido fimo.*

Nec minore obscuritate idem Aldus ea involvit quibus instrumentum

deſcribitur, quo ad Apes fumigandas priſca ætas uti ſolebat. *Idque vas anſatum ſimile anguſtæ ollæ figuratur, ita ut altera pars ſit acutior, per quam modico foramine fumus emanet: altera latior, & ore patulo, per quam poſſit afflari.* Ex quo enim antiquo libro Columelliano eruit *patulo*, & in Columellæ editionem protulit, quod in codicibus *paulo latiore* dicitur, in prioribus editionibus *patentiore & latiore?* Illud itaque recipiamus, abiecto *patulo*, & reliquis in antiquum exemplum reſtitutis. *Idque vas anſatum ſimile anguſtæ ollæ figuratur. Itaque altera pars ſit acutior, per quam modico foramine fumus emanet: altera latior, & ore paulo latiore, per quam poſſit afflari.*

Sunt alia Aldo attribuenda, quæ perſequi longum eſt, ut: *ubi poteſtas facta eſt liberius inſpiciendi;* nam *facta* non neceſſarium a primis editoribus poſthabetur. Ut: *ſiqui tandem pullos continent, ut examini progenerando reſerventur*, in quibus *tandem* eſſe oportere *tamen* vides, & tale ante Aldum fuerat in excuſis, atque Lipſiæ in codice exiſtit. Ut: *Itaque ex iiſdem rebus fumus etiam in aditu loci faciendus eſt, qui propulſet intrare tentantes*; nam *aditu* floccifacio, cum habeam a prioribus libris *abdito*. Monuerat quippe Columella, ut mel lectum in certum locum ſtatim deferretur, linitis parietum & feneſtrarum foraminibus; quoniam Apes ſagacius rapta inveſtigant, & inventa diripiunt. Præterea cum fumus moleſtus ſit Apibus, addidit, in eodem abdito eſſe faciendum fumum, quo propulſentur intrare tentantes. Ut tandem in extremo libro: *Quæ reliqua nobis ruſticarum rerum pars ſupereſt*, quibus de olerum cultu continuo ſe ſcripturum auctor pollicetur. Sed quid ad Jenſonianum *ſubeſt* Aldinum *ſupereſt*? Illud inſtare eſt, ut diem comitiorum ſubeſſe ſcribit pro Milone M. Tullius.

Satis multa de libro IX. me quæſiviſſe ſentio, ſi ad tuam patientiam reſpicio: pauca ſi editorum indiligentiam atque audaciam ſpecto. Olerum quorum nonnulla diſſipata atque inculta video, cura ad ſe vocat. Id in craſtinum differam. Vale.

Dabam Patavio X. cal. Octob. CIↃ IↃCC XXXV.

EPI-

EPISTOLA LXIV.

Emendatur, illuſtraturque Columellæ liber X.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

HIs duobus proximis diebus levioribus quidem, verum crebris occupationibus diſtentus nullas ad te literas mittere poſſe permoleſte ferebam. Modo ſolutus, eorum exemplo qui propter malas tempeſtates omiſſum iter ut reparent, ante lucem viæ ſe committunt, obſcura etiam tum nocte ad lucernam hæc ad te dabam. Ad horti quem eleganti carmine exornavit Columella, veſtibulum ſuperioribus literis te reliqui ſperans cito te intromiſſurum. Quod ſerius ac ſtatueram, cum factum ſit, nunc introgreſſum ſine cunctatione ad omnia circumducam, quo celerius ad Columellianam villam te jam feſſum reſtituam animoque relaxem. Prius tamen auctor quæ præfatur, audire expedit.

Superioribus novem libris hac minus parte debitum, quod nunc perſolvo, tradideram. Audiſne hæc: *Quod nunc perſolvo*? Ab Aldi officina lenociniis omnibus referta egrediuntur. Priſca & vera Columellæ ore prolata fuerant: *Quod mature perſolvo*; ita veteres editiones teſtantur.

Accipe alia eadem manu compta: *ſupereſt ergo cultus hortorum inſigniter neglectus quondam veteribus agricolis*. Quid de iſto *inſigniter* judicas? Probum, inquies, verbum. Hoc non quæro. Et ſententiæ valde aptum. Aiſne ſententiæ appoſitum? Cui? Columellæ, an Aldi? Hujus quidem; nam Columella, ſi codicibus primiſque editoribus intemerata fides manet, ſcripſerat: *ſegnis ac*, videlicet: ſegnis erat veteribus hortus; quippe cum ea quæ ad epularum uſum ſpectabant, vili compararentur, pretioſis dapibus, ut addit Columella, neglecto olere, æque pauperes ac divites utebantur. Ideo inutilis hortus ac neglectus, ut a Virgilio ſegnis appellatur Carduus, qui nullo uſu inſignis inter ſata ſubcreſcit. Secuta autem ætate, incenſa propter libidinoſas cœnas annona, a lautis cibis ad hortenſes herbas inopes compulſi ſunt. Cum itaque ruſticis plurimus eſſet herbarum uſus, de iiſdem diligentius, quam a majoribus accepiſſet, ſe ſcripturum profitebatur Columella, idque proſa oratione prioribus libris annexurum. Nihilominus, amicis poſtulantibus, ut poeticis numeris Georgici carminis omiſſas partes, *quas tamen*

&

& ipſe Virgilius ſignificaverat poſteris poſt ſe memorandas relinquere, abſolveret, propoſitam materiam verſificationis legibus implicavit. Hoc propoſitum fuit Columellæ, cum olerum cultum doceret: Aldo autem, ut id bis repeteret; nam qui quid relinquit *poſteris*, nonne *poſt ſe* id relinquit, & contra? Alterutrum ergo vacat, & primum quidem quod primæ editiones neglexerunt.

Atqui cum paucarum herbarum cultus hortenſis materia ea tempeſtate eſſet, quæ hoc tempore ingens opus evaſit, de re tam exili agens Columella, quæ in conſummatione totius agricolationis particula annumerari poterat, *per ſe vero, & quaſi ſuis finibus terminata nullo modo ſpecioſe confici*, exiguam laudem ſe conſecuturum ſperabat. Dices, quo pertinet iſta commemoratio? Quo? Ut *confici* Lapponica nive frigidius eximam, & locum expleam antiquo *conſpici*, quod ex Politiano, & Lipſienſi codice nuper didici. Jam per horti areas ſpatiari licet.

Qui hortum inſtituere cupit, ante omnia explorare debet, quæ ſit ſoli natura, pinguiſne, an macra; denſa, an ſoluta; ſicca, an irrigua: atque oleribus quæ & pinguedine & humore lætantur, alendis apta inventa, viva ſepe, aut alto muro, vel maceria locum muniri oportet, ne furibus, aut animalibus aditus præbeatur. Autumnali deinde ſidere

Tum mihi ferrato verſetur robore palæ
Dulcis humus, ſi jam pluviis defoſſa madebit.

Quibus ſententia pervertitur; ſi enim ante autumnum defoſſa erat terra, iteranda erat autumno, non prima vice, ſi pluviis madida, effodienda. Attamen veteretum eligitur, quæ terra

Sponte ſua frondoſas educat Ulmos,
Palmitibuſque feris lætatur, & aſpera ſilvis
Achrados, aut Pruni lapidoſis obruta pomis
Gaudet, & injuſſi conſternitur ubere Mali.

Erratum igitur *defoſſa*, & repetendum ex Politiani monumento *defeſſa*, quod iterum hoc carmine auctor contexuit:

Pabula nec pigeat feſſo præbere novali.

Deinde prima hieme, tranſeunte jam jam e Scorpione ſole in Sagittarium, denuo fodiatur hortus. Itaque:

Tu gravibus raſtris cunctantia perfode terga:
Tu penitus latis eradere viſcera marris
Ne dubita, & ſummi frequentia ceſpite miſta
Ponere.

Claudicare metrum ſentis, quod alii ante nos obſervarunt. Non noſtra igitur, ſed veterum diligentia corrigatur. In antiquis editis *& ſum-*

mo

mo invenitur, in Lipſienſi libro *frondenti*. Quibus receptis, carmen conſtat:

Et ſummo frondenti ceſpite miſta.

Quod auctoritate ſimul ac veritate confirmatur; frondentem enim ceſpitem tum illa indicant, quæ præcedunt:

Jam virides lacerate comas, jam ſcindite amictus.

Tum quæ ſequuntur:

Durataque ſumma pruinis
Æquora dulcis humi repetat mucrone bidentis.
Mox bene cum glæbis vivacem ceſpitis herbam
Contundat marræ, vel fracti dente ligonis.

At nimiæ licentiæ eſt repudiare *frequentia* per tot annos retentum & probatum? Videlicet Aldi aut Jucundi ingenium ad nova ſemper paratum nos ita vereri debemus, ut ipſius nugas fidelibus libris & veritati anteponamus? Nam, ſi neſcis, hi primi in Columellæ carmen *frequentia* intruſerunt, cum *frequenti*, ex quo *frondenti* facilius reparatur, excuſum haberent: Idem Aldus etiam *frigora* quod apud antiquos editores *frigore* erat, hæc carmina infecit:

Poſt, ubi Riphææ torpentia frigora brumæ
Candidus aprica Zephyrus regelaverit aura.

Etenim *torpentia* vel ad terræ *viſcera* quod prope videmus, vel ad *æquora* refertur. Quid? *Satures* nonne ejuſdem Aldi opera nunc in Columella legitur, quod *ſaturet* ſcribebatur, & ſcribendum eſſe cenſemus. Exſcribantur verſus, ne temere id coarguiſſe videamur:

Rudere tum pingui, ſolido vel ſtercore Aſelli,
Armentive fimo ſatures jejunia terræ
Ipſe ferens olitor diductos pondere qualos,
Pabula nec pigeat feſſo præbere novali.

Quis etiam tibi perſuaſerit Columellam hoc carmine in Virgilianæ laudis ſocietatem acceſſiſſe:

Tunc quoque trita ſolo ſplendentia ſarcula ſumat?

Cur potius Aldum non laudant, cui pars illa debetur: *quoque trita ſolo*? Namque Columella, ut priſcæ editiones oſtendunt, id texuerat hac ratione:

Tunc tritura ſolum ſplendentia ſarcula ſumat.

Quibus ad reſolvendas glæbas olitorem hortatur. Poſſum quoque tibi alia oſtendere, in quibus nullam inveni cauſam, ob quam ab antiquis editoribus Aldus diſcreparet, ut

Et Turni lacus, & pomoſi Tyburis arva,

Bru-

Brutiæ quæ tellus, & mater Aricia Porri,

quæ ab illis prodita erant hoc modo:

Brutiaque, & tellus & mater Aricia Porri.

Ut:

Alma ſinum tellus jam pandet, adultaque poſcens
Semina depoſitis cupiens ſe nubere plantis.

Numquid antiqua excuſa *cupiens denubere* codicum etiam fide nixa adeo contemptui ſunt, ut frangi debeant & debilitari? Verumtamen, ne ſemper adverſus Aldum inſurgere videamur, libet alia interponere, quæ antiquiora ulcera oſtendunt:

Aggere præpoſito cumulatis area glæbis
Emineat, ſicco ut conſueſcat pulvere planta,
Nec mutata loco ſiccos exhorreat æſtus.

Ultimus verſus mihi viſus eſt commodius in Lipſienſi libro deſcribi hoc pacto:

Nec mutata loco ſitiens exhorreat æſtus.

Ecce tamen iterum ad Aldum revolvimur; hujus enim Jucundive ſordes ſcrutantibus occurrunt hæc carmina:

Maximus ipſe deus, poſito jam fulmine, fallax
Acriſioneos veteres imitatur amores,
Inque ſinus matris violento depluit imbre.

Neque enim mihi *depluit* placet, neque id poterit tuo conſilio & prudentiæ videri melius, quam antiquum excuſum *defluit*, quod in codicibus adhuc cuſtoditur.

Atque hæc mihi viſus ſum certa ratione ad te miſiſſe, dum non mea judicia ſcribebam. Sed in eos locos nunc incidimus, quibus opitulari fruſtra nitimur, veterum præſidiis deſtituti. Eos tamen tibi perſcribemus, ut, ſi ex tua ſententia conjecturæ noſtræ ſucceſſerint, gaudeamus: ſin minus, ut noſtram diligentiam ſaltem laudes, qui rati ſumus nihil tibi aſtute eſſe reticendum.

Mox ubi ſanguineis ſe floribus induit arbos
Punica, quæ rutilo miteſcit tegmine grani,
Tempus haris ſatio, famoſaque tunc Coriandra
Naſcuntur.

Carmen aperte vitiatum eſt, ſive *haris* retineas, ſive in *Aris*, ut viſum eſt nonnullis, vertas; ſed ex hoc deterius fiet; Arum enim, ſi modo inter olera cultum unquam nactum eſt, extremo autumno prodit, exareſcit prima æſtate, antequam Punica malus florem emittat. Ideo ſi ferendum, utique, tranſeunte in Libram ſole, ferendum. Verum,

ut

ut ante dicebam, quis ſtipes Arum ſeverit, quod ubique naſcitur, quodque palatum propter acrimoniam reſpuit? Cum itaque neque *haris*, neque *Aris* ſorbere & percoquere poſſem, de Apio cogitare cepi, quod nobiliſſimum inter olera habetur, videlicet: *tempus Api ſatui*; hujus ſiquidem cultum diligentiſſime auctor lib. XI. proſequitur, dum, quæ carmine complexus eſt, ſoluta oratione retractat, ejuſque ſationem optimam eſſe poſt idus Majas uſque in ſolſtitium, quo tempore Punica arbor floret, confirmat. Et revera Apium æſtivum eſt olus. Verumtamen hoc ne me fallat, videbis.

Cognoſce nunc alia in hanc ſententiam circumferri ſolita:

Jam Phrygiæ Loti gemmantia lumina promunt,
Et conniventes oculos Violaria ſolvunt,
Oſcitat & Leo, & ingenuo confuſa rubore
Virgineas adoperta genas Roſa præbet honores.

Quæſitum eſt a nonnullis quid eſſet Phrygia Lotus, quibus refellendis immorari non eſt noſtri; neque enim ſum tam deſipiens, ut putem quemquam ſanæ mentis ab illis deceptum arborem eſſe Lotum Phrygiam, aut ſtirpem aquaticam ſuſpicari. Quamobrem imperita turba de hac herba opinetur, ut cuique libitum eſt. Mihi aliud fert animus, qui Calrham eſſe credo, quam etiam paulo ante cum Leucoiis atque Antirrhino (nam Leo Antirrhinum eſt, Violaria Leucojum) conjungit Columella, dum canit:

Candida Leucoja, & flaventia lumina Calthæ,
Narciſſique comas, & hiantis ſæva Leonis
Ora feri.

Illud opportunius perpendendum eſt, utrum *Lotæ* (nam *Loti* Aldinum eſt) quod in codicibus & prioribus impreſſis video, an *Calthæ*, mox in *Lotæ* depravatum, legendum ſit. Hoc amplecterer, non ignorans nullam eſſe herbam quæ *Lota* a veteribus vocetur. Cæterum (quod facilius a te mihi concedi ſpero) a primis editoribus *præſtat* loco Aldini *præbet* deſumere ne recuſa.

Quamquam hoc amplectens recti ſpecie non valde falſus videtur Aldus: at edidiſſe:

Jam Rhamni ſponte vireſcunt,

cum apud principes editores eſſet *Thami*, verane attingere voluiſſe dicemus, an eadem ferme comprenſa inter falſa deſerere ac repudiare? Quis enim Rhamnos inter olera atque herbas recipit, cum ſint frutices? Quis etiam muria & aceto conditas eſt, ut ſilentes flores Tamni, Vitis Albæ, Aſparagi, Ruſci in uſum colligi, eademque conditura ſervari

vari lib. XII. docet Columella? Tamnus autem a noſtris Bryonia nigra dicitur, ejuſque caulis tenellus in ruſticas cœnas adhuc legitur, & *tamno* antiqua conſuetudine appellatur.

Quid vero de *hirſuta* in hoc verſu dicemus:

Hirſuta ſepes nunc horrida Ruſco
Prodit?

Quod vitium non modo ab Aldo, verum etiam ab iis qui Aldum ſequuntur, vitari nullo negotio potuit, & caveri. Equidem ſcire velim cui iſtud *hirſuta* attribuant? Si *Ruſco*, grammatici; ſi *ſepes*, poetæ quo animo tulerint? *Hirſuto* igitur ſcribemus? Nullo modo, quia Ruſco tenello levique, priuſquam in ramos & folia ſe ſpargat, quo tempore aptus ad conditionem laudatur, non convenit. Quid igitur ad hiſtoriæ fidem accommodatum? Quod fortaſſe prodidere primi editores; *thyrſuto*; nam thyrſus in novello Ruſco aliiſque ſimilibus herbis id nuncupatur, quod in Corruda aſparagus, in Vite Alba flos ſilens, quæ omnia condiri ſolent, & generatim thyrſi dici, ut auctor eſt Plinius, cujus verba ex libro XIX. huc traducam: *inventum thyrſos, vel folia Lactucarum prorogare urceis conditos, ac recentes in patinis coquere.*

Non ſubtraham etiam aliud erratum quod cum Aldinis collatum leve judicabis; per ſe vero perpenſum, maximum habebis. Tria Perſicorum diſcrimina his verſibus complexus eſt vates:

Quin etiam ejuſdem gentis de nomine dicta
Exiguo properant miteſcere Perſica malo,
Tempeſtiva manent, quæ maxima Gallia donat;
Frigoribus pigro veniunt Aſiatica fœtu.

Quid erat, quæſo, propter quod vetus impreſſum *madent* in *manent* verteretur? Quæ Gallia maxima Perſica nutrit, ſuo tempore maturantur; neque enim præcocia ſunt, neque ſerotina. *Madent* autem poma cum miteſcunt; quippe maturitatis ſignum eſt, cum humore multo referta ſunt naturalem amplitudinem nacta. Sic Virgilius de leguminibus cecinit:

Et quamvis igni exiguo properata maderent.

Quod enim hic vi ignis fit, illic ſolis virtute peragitur, cum ſuccum fructibus arbor, & arbori humus miniſtret; leguminibus autem olla ſuppeditet. Tria igitur a Virgilio deſumpſit Columella, *exiguo*, *properant*, & demum *madent*.

Jam horto egrediamur hac clauſula moniti:

Hactenus arvorum cultus, Silvine, docebam
Siderei vatis referens præcepta Maronis.

Quam

Quam tamen inhonoram non prætermittam; quamvis enim Aldinum *arvorum* pro Jenſoniano *agrorum* ſuppoſitum non reprendam, cum utrunque deſpiciam rejiciamque, nihilominus cogito eſſe oportere *hortorum*, quorum cultum Virgilii præcepta referens auctor docebat, non *arvorum* aut *agrorum*. Neque ſane aliud ſe traditurum pollicitus fuerat Columella, cum tali exordio hunc librum auſpicaretur:

Hortorum quoque te cultus, Silvine, docebo,
Atque ea quæ quondam ſpatiis excluſus iniquis,
Cum caneret lætas ſegetes, & munera Bacchi,
Et te, magna Pales, necnon cœleſtia mella,
Virgilius nobis poſt ſe memoranda reliquit.

Vale.

Dabam Patavio VII. cal. Octobr. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA LXV.

Emendatur illuſtraturque Columellæ liber XI.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

TUam epiſtolam heri accepi pridie datam, ſed ita aqua madidam, ut ex vitiatis literis pauca intelligerem. Id ægre tuli, quod epiſtolæ argumentum non plane perſpexi. Quare, ſiquid mihi imperabas, denuo imperes: ſin vero de iis quæ nuper miſeram, quid ſtatuebas, tua judicia iterum ut ad me deferantur, rogo.

De decem Columellianis libris, ut tibi mea officia atque operam navare potui, quæ conjectando ſum aſſecutus, ſummatim perſcripſi. Tres ſuperſunt, quorum primum nunc evolvam. Is cum in tres partes diſtribuatur, quarum prima de villici officiis in univerſum agit; altera ea quæ a villico per ſingulos menſes vel in agro vel in villa facienda ſunt, recenſet; tertia olerum cultum qui utique villico cedit, explicat; in ſingulis quæ aut ficta & ſimulata ornandi gratia, aut negligentia corrupta animadvertero, continuo ordine mittam, ut infra exſcriptum eſt.

Villicus itaque *ſomni & vini ſit abſtinentiſſimus, quæ utraque ſunt ini-*

micissima diligentiæ; nam & ebrioso cura officii pariter cum memoria subtrahitur; & somniculoso plurima effugiunt. Quæro igitur qualis tibi visurus sim, si: *somniculosum plurima effugiunt*, scripsero? Num barbarus? Non puto; nam *hoc me fugit* tritum est in Latio. Nihilominus a priscis editoribus id sumam. Ergo Aldum in oculis feremus, qui nos a sacra via revocat, & per invia impellit? Abeat potius bonus dux. Cui propterea neque fides habenda est, dum recta docet, ceu de eodem villico hæc: *Tum etiam sit a venereis amoribus aversus, quibus si se dediderit.* Proba quidem sententia, & probe enunciata, non tamen Columellæ verbis, excudentibus prioribus: *quibus si se dederit.* Cum enim dare se literis, amoribus, otio Latini usurpent, quid amplius requiram? Num per omnes vicos & plateas vagari oportet unumquemque rogando utrum hoc an illud nobiscum permutare velit?

Hæc ad villici mores: ad imperandi munus quæ sequuntur: *plurimum affert mali, si operario meretricandi potestas fiat.* In quibus recte providisse videtur Fulvius Ursinus, qui *meretricandi* primus rejecit, novitium enim apparet, promente Jensonio *metricandi*, & Politiano *tricandi*. Opinabatur vero Ursinus, *meridiandi* esse scribendum; sed ejus judicio locus repugnat. *Custodire*, inquit Columella, *oportet villicum, ne statim a prima luce familia cunctanter, & languide procedat.* Procul dubio antequam ad opus progrediantur operarii, siquis ignaviæ indulget, primum segniter e lecto surgit, deinde dum se vestit, dum crebro oscitat, dum instrumenta vel quid aliud rimatur, dum cibaria petit, tempus terit, & comites moratur. Hoc esse prohibendum præcepit auctor; nam in agrum cum producti sunt omnes, minus segnitiæ locus subest; quoniam in conspectu familiæ res agitur, & præsente villico. Quare videto, utrum, nobis *mane tricandi* legentibus, Columellæ sententia debilitetur extenueturque, an existat integra.

Posthabitis deinde quæ minutioris diligentiæ visa sunt, ad secundum caput transitum faciam. De quo cum ad te multa in annorum ratione scripserim, brevitate, siquid reliquum erit, complectar.

VI. cal. Febr. Leonis quæ est in pectore, clara stella occidit. Nonnunquam significatur hiems bipertita. Quæ codicum ope nunc expendam; nam *bipertita* scriptum est in Politiani libro *biperitur*, in Lipsiensi codice *divertitur*. Quare ut XI. cal. Maii *ver bipertitur*, ita VI. cal. Febr. hiems. Itaque distinguamus: *nonnunquam significatur. Hiems bipertitur.*

Post cal. Febr. repetendam esse Vitium arbustorumque putationem monet Columella, *sed ita ne matutinis temporibus Vitis saucietur; quoniam prui-*

pruinis & gelicidiis nocturnis adhuc rigentes materiæ ferrum reformidant. Itaque dum hæ regelare ſinuntur. Extremum membrum, niſi primi editores admonerent, quis in dubium revocaret? Hæc autem illis excudentibus: *itaque dum hæ religatæ ſiccantur*, nemini obſcurum eſt eſſe oportere *hæ regelatæ ſiccantur*; quippe convenit inter peritos, neque gelu rigentes materias, neque madidas ferro eſſe tangendas.

Inter calendas quoque atque idus Februarias alia bene multa colonis agenda ſunt; nam *vitiaria diligenter facienda, malleoliſque quam recentiſſimis curioſiſſime pangenda. Populos & Salices & Fraxinos prius quam frondeant, plantaſque Ulmorum nunc ponere utile eſt, aut ante ſatas nunc exputare, & circumfodere, ac ſummas earum æſtivas radiculas amputare. Sarmenta quoque (vineis nondum foſſis) atque arbuſtorum ramos e ſegetibus, aut Rubos, & quidquid denique jacens fodientem, vel alio genere terram molientem poteſt impedire, nunc egerere, & ad ſepem applicare oportet.* Quæ a nobis commemorantur, ut veterum editionum & codicum auxilio ab Aldinis purgemus. Cum enim malleolus non modo in vitiario ponatur, ut fiat viviradix, ſed etiam protinus in vineas ordinetur, cur antiqua deſpiciam: *Malleoluſque quam recentiſſimus curioſiſſime pangendus?* Deinde an tanti faciam Aldinum *aut etiam*, quanti priſcum *ante etiam*; aut *radiculas* potius ducam quam *radices*, quod illud adultis arboribus minus convenit? Non hercle; neque in reliquis ab Aldo lectorem diutius falli patiar, ſed vetuſta reponam: *ſarmenta vineis nondum foſſis, atque arbuſtis & ſegetibus ramos, aut Rubos, quidquid denique facile vel fodientem, vel alio genere terram molientem poteſt impedire, nunc egeri, & ad ſepem applicari oportet.* Quæ tibi confirmare, & meliora quam Aldina eſſe oſtendere prætermittam; ſatis enim conſtat illa eſſe admittenda, quia antiqua: hæc, nempe Aldina rejicienda, quia nova.

XIII. & XII. cal. Martii Favonius vel Auſter cum grandine & nimbis. Videturne tibi tam inſolens, & præter naturæ leges inauditum primo vere ſpirare aliquando ventos cum *grandine & nivibus*? Non ædepol credo; id enim ſæpe fieri obſervamus. Aldus tamen tanquam portentum cum in codicibus & prioribus excuſis id ſcriberetur, rejecit, ſubrogato *nimbis*.

Antequam ad alia gradum faciam, te monitum volo, cum excuſas Lipſiæ lucubrationes noſtras ruſticanas legeris, quibus in perpendendis Columellianis ſcrobibus tertiam menſuram ſubduxi, ne me avaritiæ inſimules. Animadverteram enim altitudinem ad veras notas detegendas minime conferre, imo certam rationem ineunti plurimum obeſſe. Nam

humus

humus quo profundius effoditur, inferior pars quippe durior operas diutius quam ſumma, moratur: deinde terra quo de altiori loco projicitur, quia majori nixu foſſor contendit, eo longius temporis ſpatium requirit. Propter quod, hac menſura, quæ quo magis deſcendit, eo incertior habenda eſt, poſthabita, ex reliquis quæ certæ & definitæ videbantur, rationem inſtitui.

Peracto Februario, inter calendas & idus Martias multa ſerenda eſſe jubet Columella, inter quæ Orthociſſum atque Hederam: illa, ut nomen indicat, per ſe ſine ridica firmo trunco ſtat: hæc vel parieti vel arbori adhærens ſuſtentatur. Naturane differant, an cultu, me fugit, neque ſine dubitatione Plinium audio libro XVI. ſcribentem: *Eſt & rigens Hedera quæ ſine adminiculo ſtat ſola omnium generum, ob id vocata Ciſſos*. Hæc tamen vetuſtate noxam ceperunt; ideo haud dubitabis, quin eſſe oporteat *Orthociſſos*, quod etiam Melchior Seſſa ann. CIↃ IↃ XIII. Venetiis in margine excudit.

Paulo poſt ubi in Columella *nonas Apr.* Favonium aut Auſtrum ſpirare legeris, id culpæ operis dabis. De hoc te admonitum volui; quoniam denuo recens excuſum vidi.

Menſis Majus Ovium tonſura inſignis habetur, quo *& pecoris nati aut amiſſi ratio accipitur*. Ecquænam capitis amiſſi, ex quo nullus fructus, ratio iniri poteſt? Satis eſt patrifamiliæ deperditarum pecudum numerum recognoſcere, & ad calculum revocare. Propter quod ad Politianum me verto ex antiquo libro exſcribentem: *pecoris nati, ut mulſi ratio accipitur*. Etenim ſoboles vel ære diſtracta eſt, vel ſubmiſſa; idcirco vel pecunia domino depromenda eſt, vel natorum numerus oſtendendus. Præterea *mulſi*, ideſt lactis & caſei habenda ratio. *Ut* vero loco *aut* quam deceat, apud probatos ſcriptores ſæpe intuiti ſumus.

Eo intervallo quod inter calendas Junias atque idus interjicitur, hæc fœde divulſa jacent: *Vinearum quoque cultus quibus major eſt modus iteratus eſſe debet. Ante ſolſtitium pabulum (ſi facultas eſt) vel nunc, vel etiam ſuperioribus XV. diebus qui fuerint ante calendas Junii, pecori præberi oportet*. In ſua membra conveniunt, ſi ſcribamus: *iteratus eſſe debet ante ſolſtitium. Pabulum*; hoc enim inter idus Majas iduſque Junias terminatur. Quin etiam extremo capite præceptum eſt Majo menſe pabulum pecori præberi, Junio frondem in extremum autumnum.

Circa ſolſtitium quod conficitur VI. calend. Julias alvei caſtrandæ ſunt, *quas ſubinde nono quoque aut decimo die ad calendas Majas conſiderare & curare oportet*. Hæc quamvis primo obtutu vitioſa ſe oſtendant, vitioſiora tamen deprenduntur, ſi cum libro IX. conferantur;

tur ; ibi enim traditum eſt a ſolſtitio ad æquinoctium Libræ decimo quoque vel nono die curanda eſſe alvearia. Quapropter cum extremo Octobri æquinoctium contingat, uſque *ad cal. Novembr.* opus producitur.

Poſt idus Sextiles *priuſquam vineæ pulverentur*, *ſi perexilis eſt vel rara ipſa Vitis*, *Lupini modii tres vel quatuor in ſingula jugera ſpargantur*, *& inoccantur*. Quibus meliora aſſequimur quæ ab Jenſonio & Politiano afferuntur, amplexi : *ſi perexilis eſt terra*, *vel rara ipſa Vitis* —— *ſpargantur*, *ita occantur*; quippe exile ſolum hoc velut pabulo gliſcit, dummodo rara ſit Vitis; nam ſi denſa, quoniam arando uva diſcutitur, & laceratur, ſerere non expedit.

Sed ad vindemiam properamus. Hujus opportunitas cognoſcitur, cum vinacea acinis expreſſa jam infuſcata ſunt, & propemodum nigra, *præſertim cum ita media parte acinorum ſint*, *ut ea a ſole æſtivante*, *& a ventis protegatur*. Itane agitur, inquies? Quocum *protegatur* conglutinas? Cur me interrogas? Eos editores interrogato, qui antiquum *protegantur* ita detruncant, ut cum vinaceis amplius convenire non poſſit. Eorum opera etiam germanum *æſtuante* in *æſtivante* degeneravit, omniaque volumina inſecit. Iidem quoque in cauſa fuerunt, ut proxima : *humorque ipſe non patitur ea percoqui*, *aut infuſcari*, *niſi ſuapte natura*, poſteritas facile contemneret. Humorne ſolis vi aut ignis in motum actus prohibet, ut circumpoſita & contenta percoquantur? Væ miſeris coquis, quo alio genere ſuum munus adimplebunt? *Præcipi*, o ignava turba, ut prima impreſſa & codices declarant, non *percoqui* ſcripſit Columella, ideſt præoccupari a ſole ea quæ humore continentur.

Non pari tamen fiducia *farraginaria* quod eodem tempore quo Vitis de arbore deſcendit, ſpargitur per agrum, cuiquam noto editori reprenſioni dabo. Latet auctor vitii, quamvis vitium nemini lateat. Locum, quo melius noſtram ſententiam interponere valeam, exſcribam : *farraginaria quoque pecori futura per hiemem præſidio ; itemque Siliquam*, *quod ruſtici Fœnum Græcum vocant*, *nec minus in pabulum Vicia nunc demum conſeruntur*. Quid ergo *Farraginaria?* Verborum monſtrum, quod ex duobus, ut reor, coaluit, *Farrago ordearia* ſive *ordeacea*. De eadem auctor lib. II. ita loquitur : *Pabulorum genera complura*, *ſicut Medicam & Viciam*, *Farraginem quoque ordeaciam & Avenam*, *Fœnum Græcum*, *nec minus Ervum*, *& Cicera* (l. *Ceream*, ut cum reliquis conſentiat) ferenda cenſemus. In hoc etiam libro XI. paulo poſt : *farraginis ordeaceæ modios ſeptem vel octo ſpargendos* monet : Item de

Boum

Boum pabulo hiberno, Januario menſe *Farraginem ordeaceam ſiccam* dandam eſſe colono inculcat. De his tamen haud intempeſtive te monitum volo, Politiani codicem *ſiccam* carere, eodemque carere debere volumina omnia Columelliana; ſiquidem *frigoribus* (utar Columellæ verbis ex eodem libro II. depromptis) *cum alia pabula defecerunt, ea Bubus cæteriſque pecudibus optime deſecta præbetur, & ſi depaſcere ſæpius voles, uſque in menſem Majum ſufficit*. Idcirco viridis datur. De *Farraginaria* itaque quid cenſeam, habes: de proximo *Siliquam* grammaticos conſules qui hirtis ſuperciliis *Siliqua* ſcribendum eſſe exclamabunt, ut par fiat ratio cum *Farrago ordeacea*, *Vicia*, & *conſeruntur*.

Porro codicis Lipſienſis auctoritas te ne his decipiat, cavebis: *Septimo decimo cal. Decembris Aquilo, interdum Auſter cum pluvia*; abundant enim, quæ die hinc tertio traduntur: *Quintodecimo cal. Decembris Aquilo, interdum Auſter cum pluvia*. Quid? Non oſtendimus ex Eudoxo XVII. cal. Decembr. exoriri mane Fidiculam, & poſtridie ex Pſeudoptolemæo Leoniceno ſpirare Aquilonem aut Auſtrum cum pluvia?

De Boum annuo pabulo hæc capitis II. extrema tibi ſubnectam: *Decemb. frondem aridam vel paleas cum Ervi ſemodio macerato, vel Lupini quod ex ſemodio macerato exierit*. Si de verbo *exierit* dubitaveris, ſcito ab Aldo emanaſſe, *exegerit* primis editoribus tradentibus. Hoc autem dum plurimum in ponderibus & menſuris ſignificandis valet, quam dilucide, quam eleganter, quam appoſite ſententiam perficiat, Tullianum illud in *Verr.* III. *exigere pondus Margaritarum* declarat. Quare Bubus objici oportet, quod villicus ex macerati Lupini ſemodio dimetietur. Propterea, cum Lupinus & cætera ſemina macerando augeantur, non quantum ad macerandum ſumpſimus, ſed quantum maceratum ſemodium implet, Bubus ſingulis eſt præbendum.

Præceptis annuis operibus, protinus olitoris officia quæ item villico demandantur, retractat capite III. Columella. De his multa dicenda haberem, ſi editionum depravationem ſpectarem: ſed cum videam, cui ſcribam, pauca conſectabor. Primum Apium villicus, ſi *velit lati folii facere, quantum feminis poſſint tres digiti comprendere, raro linteolo illiget, & ita in areolas diſpoſitum releget*. Quid ſibi vult, inquies, *releget?* Si Aldi patrocinium ſuſcipis, docebo, nempe, ita diſpoſitum in areolas transferat. Probum igitur verbum? Ita eſt, quamvis huic loco non aptum. At Columellianum? Quis id nobis ſpondebit, diſſentientibus primis editoribus & Politiani codice? Ab illis *religet* habemus, ab hoc *liget*. Ex illo, una literula mutata, fit *rediget*, quod dum ſententiæ convenit, veteri ſcripturæ utique non adverſatur.

Quam-

Quamvis neque Chærephyllo, neque Atriplice delectaris, tamen, ſi utrunque in villa habere deſideras, ſemina a nobis petito; nam cultum Columellæ verbis tibi indicabo: *Poſt idus Februarias ſemina diſſerenda ſunt, ſuaque de ſede partienda.* At non annuæ naturæ hæ ſtirpes? Utique, & exilis radicis. Non ergo transferendæ. Recte admones: Aldo itaque illud *de* remittamus, & recepto ex Lipſienſi codice *ſede pacienda*, ſcribamus: *ſuaque ſede patienda*, ſive: *ſuaque in ſede patienda*, hoc eſt, relinquenda ſunt in eo loco ubi ſeveris.

Remittamus quoque Aldo *madidum* quod ad Aſparagi cultum tranſtulit, cum prius *validum* ederetur. En tibi locus quem cuncti amplectuntur: *eaſque* (ſpongias ſive radicum implicationes) *poſt quatuor & viginti menſes in locum apricum, & bene madidum, ſtercoroſumque transferri convenit.* Etenim ſi ſolum madidum Aſparagi natura poſceret, terreni diſcrimina propter ejus cultum auctor non commemoraret dicens: *in ſiccis locis partibus ſulcorum imis* deponenda eſſe ſemina: *in uliginoſis e contrario in ſummo porcæ dorſo collocanda, ne humore nimio lædantur.*

In Cæparum vero cultura antiquius vitium nactus ſum, quod vel mediocriter attendentibus manifeſtatur. In harum ſationem ex cal. Nov. proſcindi ſolum debet, ut hiemis frigoribus & gelicidiis putreſcat, *intermiſſiſque quadraginta diebus, tum demum iterari, ac protinus ſtercorari, mox bidentibus æqualiter perfoſſum in areas diſponi, deletis radicibus omnibus.* Quaſnam hiemali tempore delendas eſſe radices putas? Annuaſne, an perennes & repentes? Certe perennes: hæ autem qua ratione delentur, niſi lectæ atque extra hortum exportatæ? Legendæ igitur prius, deinde exſiccatæ vel comburendæ, vel alio modo exterminandæ. Propterea: *delectis radicibus omnibus*, quod in Politiani codice eſt: *& lectus.*

Ab eodem Politiani libro exſcriptum eſt Napos Rapaſque ſerentibus cavendum, *ne propter ſiccitates Culex adhuc tenera folia prorepentia conſumat. Idque ut vitetur, pulvis qui ſupra cameram invenitur, vel etiam fuligo, quæ ſupra focos tectis inhæret, colligi debet.* Vulgo enim quaſi alia mala præcedant, edunt: *Id quoque ut vitetur.*

Ex iis quæ villici officia obſcurare atque obruere videbantur, hæc diſcernere noſtri judicii erat. Quæ ſi leviora & contemnenda judicaveris, ſcito apud te non ingenii, ſed benevolentiæ laudem me quærere. Vale.

Dabam Patavio V. cal. Octobr. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA LXVI.

Emendatur, illuſtraturque Columellæ liber XII.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

CUm villicam Columellianam ad te mittere ſtatuiſſem, ut ex proximis tuis literis id te velle intellexeram, cumque affabre pictam, ſucoque oblitam, & madentem, præterea unguentis omnibus delibutam fluentemque, ac meretricia ſpecie comptam offendiſſem, veritus fui, ne ea forma pudicam alioquin mulierem domo prohiberes. Itaque toto hoc biduo dedi operam, ut faciem ſpongia detergerem, unguenta effingerem, aliena ornamenta demerem, antiqua reponerem, quibus, cum apud herum ſuum degeret, uti ſolebat. Curavi etiam ut tam inceſſu quam habitu ad antiquas imagines ſe componeret, mores priſtinos indueret, & ſe potius anum, dummodo probam, quam juvenem, ſed adulteram oſtentaret. Quid quæris? Meliuſcula evaſit, non perfecta tamen. Adhuc alienum odorem, quo tandiu imbuta fuerat, redolet; adhuc vitia multa occultat; adhuc rimis quæ cera obducta erant fœdatur. Quæ omnia in tuum flumen abluta cito deponet. Quare ad te alacrius venit, noſtris literis tibi maximopere commendata. Nunc tuum erit ordine ei recenſere, & mandare ſedulo quæ in villa & circum villam ab eadem agenda ſunt. Ego, ne quid te fugiat, & ut ſcias quid imperandum ſit, quæ quondam huic demandata erant, Columellæ verbis tibi commemorabo.

Exordium autem capiente a conjugii utilitate Columella, nos a conjugii incommodis initium ſumemus. Conqueritur auctor de matronali faſtu, cum *pleræque ſic luxu & inertia defluant, ut ne lanificii quidem curam ſuſcipere dignentur, ſed domi confectæ veſtes faſtidio ſint, perverſaque cupidine pretioſiores maxime placeant*. Quid eſt in his priorum editorum & codicum fide probatis, quod nos repudiemus? Cur igitur quæ infra exſcribam vel de Jucundi latrinis ab Aldo deprompta, vel ab eodem ficta ſequimur, & attoniti ingenii ludibria miramur: *dignentur, ſed domi ſedentes confectas veſtes faſtidio habeant, perverſaquo cupidine pretioſiores alias a viris pelliciant?*

Proxima etiam partim in codicibus ſervata, partim ab antiquis edi-

tori-

toribus excuſa quis contempſerit : *eaſdem ruris & inſtrumentorum cura gravari, graviſſimumque negotium ducere paucos dies in villa morari?* Aldus tamen inventus eſt, qui, nonnullis immutatis, hæc ſubrogaret : *ducere paucorum dierum tempus in villa morari*. Nam *ſordidiſſimumque* pro *graviſſimumque* ante Aldum in Columellam receptum Aldo non relego : tantum ut vitium repudio; quippe ſordidum non eſt paucos dies in villa manere, præſertim nihil agentibus: ſed grave theatris, circis, conviviiſque aſſuetis.

Iſtud etiam capitis II. Aldinum *diuturna* in his nos moratur, nec ad alia pergere ſinit : operarios quibus in villa aliquid agendum erit, intra parietes continere debet villica; atque animadvertere, *ne diuturna ceſſatione fruſtrentur opera*. Ad breve enim ſpatium tam codices, quam excuſi libri primi operariorum ceſſationem contrahunt, videlicet ad *diurna*.

Ex iis quæ M. Tullius ex Xenophontis libro qui *Oeconomicus* titulum fert, in Latium traduxit, *ei, ſolet* cum *ponerent* convenire non videntur. *Hæc*, inquit, *ipſa ei qui uti ſolet, tradidimus, & ubi ea ponerent, demonſtravimus*. Propter quod priora excuſa revocarem. *Hæc ipſa* (iis) *qui uti ſolent, tradidimus*. Sunt alia ejuſdem generis quæ ad Aldum referuntur, ceu promo quæ tradita ſunt, cum *loca ſingulis demonſtravimus, & cuique ſua annumeravimus, atque annumerata ipſi exſcripſimus, eumque admonuimus*. Quoniam itaque *ſingulis*, & *cuique ſua* cuſtodi & diſtributori repugnant, repetenda ſunt antiqua excuſa: *loca omnium demonſtravimus, ei* (ſive ex Politiani libro *&*) *omnia annumeravimus*.

Reverſus deinde ad villicæ officia Columella, multa præcipienda, multa cognoſcenda, multa accuranda ipſi mandat, ut *intereſſe paſtoribus in ſtabulis fructum cogentibus, aut fœtus Ovium aliarumque pecudum ſubrumantibus, tonſuris vellerum quoque intereſſe*, & *lanas etiam diligenter percipere, & vellera ad numerum pecoris recenſere*. Undenam effluxiſſe inconſtantiam iſtam & diſſimilitudinem dicemus, cum alia, ſed optima apud priſcos editores habeamus : *tonſuris vero earum utique intereſſe?* Ab eo ſcilicet fonte, ex quo tot alia rejecimus, ab Aldo.

Sunt alia plura ejuſdem notæ. Tamen nos præcipua deguſtamus, & tibi percoquenda mittimus, quibus ſi forte ſtomachus commovebitur, ad acetum confugito, idque acerrimum ut habeas, ex Columella curabo. Multa ad ejus confectionem capite V. laudantur, ut fermentum, Ficus aridæ, Ordeum toſtum, nuces Juglandes ardentes, Mentha viridis. *Quidam ferri maſſas exurunt, ita ut iguis ſpecies habeat, eaſque in eandem miſturam demittunt. Tum etiam, exemptis nucleis, ipſas nu-*

ces Pineas vacuas numero quinque vel ſex incendunt, & ardentes eodem demittunt. Alii nucibus ſapineis ardentibus idem faciunt. Hæ igitur res inventu faciles optimum acetum tibi dabunt. Profecto, ſi *nuces ſapineæ* unde gentium comparari poſſint, indicabis. Sapinum atram Carpinum vocari novimus: hæc tamen non nucem, ſed ſemen veſicula exceptum producit. Ex Lipſienſi codice quid ſint, oſtendam; ibi enim non *ſapineis*, verum *ſex pineis* legi tradunt. Id confert plurimum non ad Columellam intelligendum, ſed ad vitium declarandum. Non proxima ſunt iſta: *Tum etiam, exemptis nucleis, ipſas nuces Pineas vacuas numero quinque vel ſex incendunt, & ardentes eodem demittunt?* Horum igitur compendium ultimum membrum habebis, velut interpretationem in margine poſitam, & mox inter Columellæ verba collocatam, nempe: *alii nucibus ſex Pineis ardentibus idem faciunt.*

Parato aceto quo optimi generis Pira miſturis temperari poſſint, Pira nobiliora recenſebo; ea ſunt *Dolabelliana*, *Cruſtumina*, *Regia*, *Veneria*, *Volema*, *Næviana*, *Lateritiana*, *Decumana*, *Laurea*, *Myrappia*, *Pruna purpurea*. Hæc tamen cuncta in Columellæ fundo lecta non arbitror; nam *Decumana* in Aldi pometo inſita ſunt, prius *Decimiana* vocata, ut codices & primi editores oſtendunt, necnon Plinius, a quo etiam *Pſeudodecimiana* celebrantur. At vero *Pruna purpurea* credemuſne cum Piris nullo habito diſcrimine a Columella ſata, & in eadem fidelia Piris immiſta compoſita? Ne ſim ſalvus, ſi talia Columellæ attribuero. Ex quo ergo *Pruna?* Ex depravato *Myrappia*; ſic enim ſcriptum eſt in Politiani codice: *myra prima*, *purpurea*. Quare *Myrappia*, *Purpurea*, ut in Lipſienſi codice ſine vitio extat. Purpureis autem haud ignobili Pirorum generi non ultimam ſedem Columella libro V., & Plinius libro XV. inter Pira aſſignant.

Multa deinde tranſgreſſus ad cellam vinariam cap. XVIII. te ſiſtam, a qua Villicæ per vindemiam minime recedendum eſt, *ne furi locus detur præſentem fructum intercipiendi*. Cujus generis fures iſtos exiſtimas, qui, ſi cuſtos pauliſper ceſſat, uvam, muſtum, vinum intercipiunt? Cave, inquies, talia ſuſpiceris: quid e fructu intercipi poteſt, negligentibus cuſtodibus, non omnis vindemia rapi, niſi latronum legio irrumpat. Id clare exponit Columella, ſi antiquiora vel manu expreſſa, vel formis excuſa legeris: *ne furi locus detur partem fructuum intercipiendi*. Aldus igitur fures multiplicavit. Certe hic homo agricolas ad inſaniam redigit.

Sed quando in cellam vinariam te duxi, contemplator qua ratione priſca ætas dolia picare ſolebat: *Cum picem in fundum deſtillavit, ſublata*

lata lampade , rutabulo ligneo , & ferrea curvata radula ducitur quod deſtillavit , aut quod in lateribus hæſit . Quis picem deſtillat? Lampas? Nullo modo : Sed pix propter ardentem lampadem diſſolvitur & ſtillat . Antiqua igitur ex Lipſienſi codice ſuſcipiamus : *Cum pix imum in fundum deſtillavit ;* nam pix eſt quæ ex lampade deſtillat , *quæ radula ducitur* , quæ in lateribus hæret.

Procuratis doliis , ad ſapam conficiendam legenda eſt uva , ut capite XIX. docetur , eaque ex Amineo genere , vel ſi ex alio , de vetuſtiſſima Vite , & minime uliginoſa . *Tum obſervabimus decreſcentem lunam cum eſt ſub terra , & ſereno ſiccoque die uvas quam maturiſſimas legemus , quibus proculcatis muſtum quod defluxerit ante quam prelo pes eximatur , ſatis de lacu in vaſa defrutaria deferemus .* Siquis hac ſcriptura delectatur : *ante quam prelo pes eximatur* , magno in errore eundem verſari oportet ; non enim optimum & primum muſtum de lacu ſumit , verum ultimum & deterrimum quod tortivum appellant . Prudenter ab eadem Fulvius Urſinus ſe avertit , conjectans eſſe ſcribendum : *ante quam prelo pes exprimatur*. Nos quoque aliorum locorum ſimilitudinem ſecuti , hunc declarare hac forma tentabimus: *muſtum quod defluxerit ante quam prelo preſſum ſit , eximatur ſtatim de lacu : in vaſa defrutaria deferamus* . Sic capite XXVI. legitur : *cum uvam legeris , & calcaveris prius quam vinacea torculis exprimantur , muſtum in corbem defundas* . Sic capite proximo : *antequam prelo preſſum ſit , quod in lacum muſti fluxerit , tollito* . Sic cap. XXIX. : *antequam prelo vinacea ſubjiciantur , de lacu quam recentiſſimum addito muſtum in amphoram novam* . Sic cap. XLI. *Muſtum lixivium de lacu ſtatim tollito ; hoc autem erit quod deſtillaverit ante quam nimium calcetur uva* . Sed hic *nimium* repudiabis , recepto a Politiani codice *minimum* . Scire etiam eſt apud Palladium lib. XI. : *muſtum ſub pedibus raptum* (ita enim in priſcis editis , & Lugdunenſi codice ſcriptum eſt , cum *de ſub pedibus* Aldi Aldique ſectatorum munus ſit) ab eo non differre quod defluit ante quam prelo preſſum ſit ; raptum enim eſt de calcatoris pede , hoc eſt ſtatim de lacu exemptum . Nam de vinaceorum pede id accipere qui poſſumus , cum tortivum muſtum deterrimæ notæ ſit , neque aptum ad muſteorum fermentum parandum ? L. quoque Florus hujuſmodi ſordibus , ut mihi videtur , aſpergitur lib. II. , ubi ſcriptum eſt : *Quippe jam Ligures , jam Inſubres Galli , necnon & Illyrici laceſſebant . Sic de ſub Alpibus , ideſt de ſub ipſis Italiæ faucibus , gentes deo quodam aſſidue incitante , ne rubiginem ac ſitum arma ſentirent* . Quis enim primo obtutu ſincera a vitiatis & alienis non dijudicat? An

non

non barbari cujuſdam declaratio illa : *ſic : de ſub Alpibus , ideſt de ſub ipſis Italiæ faucibus* , quibus amotis , reliqua perfecte conveniunt , & inter ſe connectuntur : Quippe —— *laceſſebant , gentes deo quodam aſſidue incitante , ne rubiginem ac ſitum arma ſentirent ?* Namque horum populorum ſedes & domicilia mox egregie auctor deſcribit : *Ligures* , inquit , *imis Alpium jugis adhærentes* (en tibi unde *de ſub Alpibus*) *inter Varum & Macram flumen , implicitos dumis ſilveſtribus major aliquanto labor erat invenire , quam vincere . Gallis Inſubribus & his accolis Alpium animi ferarum , corpora plus quam humana erant . Illyrici ſeu Liburni ſub extremis Alpium radicibus agunt inter Arſium Citiumque flumen* . Illud etiam Columellianum capitis XXXIV. de aceti Scillitici confectione : *ſed muſtum de ſub maſſa , & limpidum ſit* autumo ſcribendum : *ſed muſtum defluat maſſa , ut limpidum ſit* , hoc eſt ex lixivii genere , quod deſtillat ante quam uva calcetur . Maſſa autem uva incompoſite coacervata , ut maſſa picis , qua voce ad rerum congeriem declarandam vulgo etiam utimur .

In hoc itaque muſto ad ſapam coquendo curandum eſt dum codices & vaſtiora ligna ſubjiciuntur , ne vaſis ſundum contingant : *quod niſi vitatum fuerit , ſæpe vas ipſum pertundetur , vel , ſi factum non erit , utique aduretur muſtum* . Hæc priſca ſunt , ſed neglecta : hæc autem Aldina , & ab omnibus probata : *vel vas ipſum , quod aliquando contingit , pertundetur ; vel ſi id factum non erit* . Utra meliora ſint , indicando tempus non teram ; nota , teſtata , manifeſta res defenſorem recuſat .

A Sapa ad defrutum , & ad caput XX. veniamus . Defrutum medicantes multa ex aromatis commiſcere ſolent , neque *raſim quod eſt genus crudæ picis* , prætermittunt . Quod nomen ruſticis haud evanuit vel obſolevit , cum *raſa* quidquid de Ceraſo, Amygdala, Malo Perſica, Pruno reſinoſum emanat , & mox induratur , adhuc appellent .

Defruto autem ſic commiſto utebantur antiqui ad vini condituras, Sal coctum & tritum adjicientes ea ratione quam Columellæ verbis ex capite XXI. tibi declarabo : *& ita coadjicitur in binas urnas ligula cumulata , vel menſura ſemunciæ bene plenæ ſalis cocti & triti . Sal autem quam candidiſſimus conjicitur in urceo ſictili ſine pice , qui urceus cum recipit ſalem , diligenter totus oblinitur luto paleato , & ita igni admovetur , ac tandiu jam torretur , quamdiu ſtrepitum edit* . Atque iſta quæ Columellæ nomine exſcribebam , ſic velim expurges , ut primum *coadjicitur* Aldo reſtituas , veteri excuſo *eo adjicitur* contentus ; deinde : *vel menſura ſemunciæ bene plenæ* inutilem atque inanem *ligulæ cumula-*

tæ

tæ interpretationem eximas, & perdas; tum *jam* ante *torretur* abjicias, quo Politiani liber merito carebat.

Idem Aldus, capite proximo cum editum eſſet: *dum quæ ea addideris, in pice colliqueſcant*, nempe: *quæ eo*, corrupit edendo: *dum ea quæ*.

Properantibus porro occurrit caput XXV. quo aqua ſalſa ad vini condituras paratur: hæc vel naturalis eſt, videlicet marina: vel e cœleſti, immiſto ſale, fit: *Quoniam*, inquit Columella, *quidam, imo etiam fere omnes Græci aqua ſalſa vel muria muſtum condiunt, eam quoque partem curæ non omittendam putavi*. In his etiam nos a curſu Aldus retrahit, & invitos moratur, objecto *muria*, quod in codicibus & p ioribus impreſſis fuerat *marina*. Neque eſt quod quiſquam hoc apud te reprendat; nam primum de aqua ſale medicanda loquitur Columella, deinde de marina, cum ex utraque muria conficiatur. Ipſe Aldus pro antiquo *imo enim* ſubjicit *imo etiam*, quaſi *enim* apud Plautum in *Caſina* ſcribentem: *te uxor ajebat tua, me vocare. St'. Ego enim vocare juſſi*, Columellæ imitari vitium ſit.

Præterea etiam capite XXVIII. quam pueriliter Aldus in his nugatur: *omne vinum cum condieris, nolito ſtatim diffundere, ſed finito in doliis liqueſcere: poſtea cum de doliis, aut ſeriis diffundere voles, vere, florente Roſa, defæcatum quam liquidiſſimum in vaſa bene picata & pura transferto*, dum antiquum & probatum *liqueſcere* quod eſt defæcari ac depurari, in *quieſcere* mutat, & *quam liquidiſſimum* in *quam limpidiſſimum*, tanquam *liquidum* dubia ſignificatione a *limpido* removeatur.

Muſtum quoque capite XLI. amaritudine aſpergitur non modo poſt Aldum, verum etiam ante. Sublato de lacu muſto lixivio, ac diligenter cum melle permiſto reconditoque in lagena, talis ſcriptura connectitur: *eamque protinus gypſabis, jubebiſque in tabulato reponi, ſi plus volueris facere, proportione qua ſupra mel adjicies. Poſt trigeſimum & alterum diem, lagenam aperire oportebit, & in aliud vas muſtum eliquatum oblinire, atque in furnum reponere*. Quod primum in controverſia eſt, ab Aldo repeto: *in tabulato reponi*. Id cum in codicibus & priſcis editionibus ſit: *in tabulatum poni*, concipere animo non poſſum, quid a veteri exemplo Aldum avocaverit. Nam numerum *vigeſimum* proditum ab antiquis devitaſſe, de quo nulla eſſe poteſt quæſtio, & ſubjeciſſe *trigeſimum* ſummæ intemperantiæ eſt tam librorum religionem, quam hominum credulitatem ludificantis. Illud vero quod ex incerto venit: *in furnum reponere* emendatum ab Urſino, ſubſtituto *in fumum reponere*, quod ex Lipſienſi codice tibi confirmare poſſum, cur adhuc inter excuſa occurrat, me fugit.

Mul-

Mulſo alia compoſitio fit, cui titulum Aldus præponit: *conditura ex Cydoniis fit hoc modo*. Id jure meritoque apud primos editores poſthabetur; nam confectio non ſolis Cydoniis fit, imo Malis Punicis, Sorbis cum Rore Syriaco, quibus omnibus cohibendi vis ineſt, miſcetur. Quare & a mulſo hoc medicamentum ſeparandum eſt, & aliquid præmittendum, cujus gratia paretur, ac quo admoneatur lector, ſilente in reliquis auctore. Utrunque in codicibus Medicæo & Lipſienſi peragitur; novum enim caput hinc incipiunt, novoque argumento id decorant: *Compoſitio medicamenti ad tormina*.

Caput etiam XLIII. quo de ſervandis uvis docemur, detruncatum jacet, integrum tamen ex iiſdem codicibus prodit hoc pacto: *Uvas ut ſint virides uſque ad annum, ſic cuſtodiemus*. Virides autem dicuntur non propter colorem, verum ob integritatem, nempe ſuccoſæ, recentes, & quaſi modo de arbore maturæ lectæ. Sic capite XII. *Ficus viridis quam maturiſſima* a Columella vocatur, hoc eſt integra & perfecta. De qua voce alias ad te ſcripſiſſe memini. Sed quæres fortaſſe, numquid ex ſua ſegete per hoc caput Aldus diſperſerit? Quid dicam? Liberalis homo cuique ſua munera conferre non ceſſat. In hoc tamen ſatis moderate & parce ſe geſſit. Addidit *que* his: *tum vinaccorum pes bene prelo expreſſus proruitur, & modice ſeparatis ſcopionibus reſolutaque intrita folliculorum in dolio ſternitur*, quo codices & prima impreſſa privantur. Et merito quidem privantur; cui enim annectitur *ſubſternitur*, ſive vetuſtum *ſternitur*, niſi illi *reſoluta intrita folliculorum*, cum ex pede ſeparati ſint ſcopiones? Mitto autem *interculcari* (ex quo *interculco*, referente Aldo, in Romanam civitatem receptum eſt) pro *intercalcari*, quondam a priſcis excuſo, & codicibus confirmato. Mitto *expleturque ſecundum tabulatum* pro *explentque ſecundum tabulatum*, quod ad illos qui primum tabulatum fecerunt, refertur. Mitto denique *vinaceæ condenſantur* pro *vinacea condenſantur*, quæ omnia apud priſcos editores antiquitatem tuentur.

Capite XLV. de Malis Cydoniis melle ſervandis præceptum eſt, *ne quæ in melle cuſtodire volueris, immatura mala condantur; quoniam cruda ſi lecta ſunt, ita indureſcunt, ut uſui non ſint*. Communi pervulgataque conſuetudine edoctus Aldus priſcum excuſum *groſſa* codicum etiam auctoritate inſigne in *cruda* vertit. Ego autem cum a puero didicerim *groſſos* in Fico fructus immaturos a Latinis vocari, veterum librorum conſenſum non ita temere contemnerem, ut in aliis acerbis pomis id uſurpatum inficiarer.

Neque Cydonia tantum, verum etiam alia poma melle cuſtodiuntur:

Sed

Sed quia videntur in melle dulciora fieri ſic condita, nec proprium ſaporem conſervare, arculæ fagineæ vel etiam tiliagineæ, quales ſunt in quibus veſtimenta forenſia conduntur, huic rei paulo ampliores præparari debent. Ut ex minimis ſæpe magna errata creſcunt, ſic Aldus leviſſima licentia uſus Columelliana in contrarium detorſit, atque alia fecit. Exceperat auctor ea mala quæ in melle condita nimis dulcia fiunt, & propterea deteriora, eaque arculis opportunius ſervari juſſit: Aldus, mutato antiquo *quæ* in *quia*, cuncta ſine diſcrimine a melle rejecit.

Capite ſimiliter XLVIII. cernens in olivis condiendis ea negligi quæ primi editores ex codicibus ſumpſerunt, Aldi qui omnes Jucundi ſordes potius quam priſca monumenta ſpectaſſe deprenditur, confuſum ingenium & turbulentum nunquam in his laudabo: *mundaque ſpongia ſalem, ne permaneat, deterges.* Tradidit Columella, ut primum ſuperpoſito copioſo ſale omnis amurca de olivis exſtillaverit, in alveum eſſe olivas diffundendas, ſpongiaque detergendum ſalem, *ne perveniat*, nempe, ne olivas ſequatur. Dicet quis, utrunque in id convenire. Fatemur: verumtamen utrunque Columellianum non eſt. Verum ſequimur, &, omnibus poſthabitis illecebris, pro virili conſectamur. En unquam quiſquam contenderit *permaneat* quod Aldi opera viget, eſſe potius quam *perveniat*, quod duobus codicibus Medicæo & Lipſienſi, primiſque excuſis innititur? At etiam codices ſecutus eſt Aldus? Quos, amabo? Illos videlicet quos Jucundus ex Stercutii penetralibus deprompſit, unde toties alieno odore tibi nares vellicavi. Quamvis itaque *permaneat* defendi poſſit, a vulgatis & probis editionibus leviter recedendum non erat; quippe nunquam ejus induſtria laudabitur, qui diligentiam in ſupervacuis affectat. Dic mihi quid eſt in his eodem capite contentis, quod jure reprendi poſſit: *Quidam cum olivam nigram legerunt, eandem portione qua ſupra, ſaliunt, & ſic collocant in qualis, ut immiſtis ſeminibus Lentiſci, alterna tabulata olivarum, & ſimiliter ſupra ſalis uſque in ſummum componant?* Attamen Aldus *eandem* in *eadem* vertit, & *ſimiliter ſupra* exemit abiecitque. Cur auſus veteres memorias tam inverecunde temerare? Atqui, ſi tanta ardebat ſcriptorum ſententias permiſcendi cupiditate, cur paulo infra hæc *maſſulis ſalis miſtis* a barbaro neſcio quo, ut reor, inſperſa non delevit? Imperat Columella, ut in ſingulos olivarum modios ternæ ſalis triti & non moliti heminæ admiſceantur, & poſt dies XL. olivæ in alveum diffuſæ, & a ſale tantummodo ſeparatæ, *ſic ne ſpongia detergeantur, ſed, ut exemptæ erunt, maſſulis ſalis miſtis, in amphoram condantur, & ſpiſſamentis impoſitis ad uſus in cellam reponantur.* Qua de cauſa per dies XL. eo ſalis modo

maceratæ olivæ aliud ſal requirunt, præſertim non ſpongia deterſæ, ſed tantummodo a ſale ſeparatæ ? In aliis quidem condituris cum iterum ſal in olivas dimittitur, ſpongia prius olivæ detergentur, nequid ſalis adhæreat, & nequid in nova medicamina perveniat. Quapropter cum ſuſpectum & dubium iſtud *maſſulis* mihi ſit (quod etiam capite XXXVIII. percoquere nequeo, & *oſſulæ* malo, ut proxima oſtendunt : *ne altera oſſa ſuper alteram perveniat*) tum maxime de nova ſalſura me dubitare fatebor. Talia tamen coniicere licet, ſtatuere autem tanquam vera, quoniam nulla auctoritate ducimur, periculoſum.

Supereſt in hoc capite alia olivarum conditio, in qua Aldi hallucinationem diſſimulare non eſt noſtri. Scribit Columella, ut excudit Aldus, olivas duobus vel tribus locis viridi Canna ſectas triduo in aceto eſſe macerandas, condendaſque in novum vas, ſubſtrato Apio & modica Ruta. *Conciſis deinde pleno vaſe olivis, immitte defrutum uſque ad os*. Ulquamne concidi olivas ad condituras audiſti ? Hic tamen ab Aldo conciduntur, cujus manu totus conciſus jacet Columella, & quotidie ab Aldi ſuffragatoribus conciditur & dilaniatur. Nec levi conjectura impulſi hæc dolemus. Editum eſt a primis editoribus, quorum fidelitas ſumma : *Conchis deinde, vaſe pleno olivis, immitte defrutum uſque ad os*. Conchæ autem ſunt, ut capite L. exponitur, quibus oleum depletur, & quæ ad defrutum immittendum etiam idoneæ inveniuntur.

Ultimam olivarum condituram ex capite XLIX. afferam, quæ recipit *Carenum*, *Cyminum*, *ſemen Fœniculi*, *Aniſum Ægyptium*. Quibus etiam Aldus ſe immiſcuit ; appoſito *Carenum* quod *Carpum* apud priſcos editores erat. Hoc tamen item adulterinum codices Medicæus & Lipſienſis demonſtrant, *Careum* eſſe probantes, quod cum Fœniculo, Aniſo, Cymino optime convenit, & ſociatur. Sunt nihilominus qui *Carpum Careo* anteponant, quod inter barbara Fœni Græci vocabula apud Dioſcoridem legatur. His vero quis aſſentietur non ignorans ea omnia aliena & translatitia haberi, ab Jano Saraceno ſepoſita & *notha* appellata ? Qua labe & Plinium depravatum invenimus.

Ad olivitatem ventum eſt, quam mecum capite L. percurre, ut, ſiquid vitioſe adminiſtratur, emendetur. Primum tabulatum occurrit, ubi reponuntur olivæ, cui novam ſtructuram aptavit Aldus. Cum enim editum eſſet : *canalem lapideum* eſſe oportere per quem defluat amurca, Aldus *cavum lapidem* ſubſtituit, quamvis paulo ante eſſe cerneret : *omnis humor per canales aut fiſtulas diſluat*. Perpendamus alia : *oleo conficiendo molæ utiliores ſunt quam trapetum, trapetum quam canalis & ſolea. Molæ quam facillimam patiuntur adminiſtrationem, quoniam pro magni-*

gnitudine baccarum vel ſubmitti, vel etiam elevari poſſunt. Quibus molarum utilitas per Aldum infringitur, & debilitatur. En tibi quantum excuſa priora excellant: *adminiſtrationem, tum pro magnitudine*, hoc eſt primum utiliores ſunt molæ quia facile adminiſtrantur, deinde quia ad olivarum modum attolli vel deprimi poſſunt. De molis hæc etiam adduntur: *ſed eſt optima molarum, tum etiam trapeti*. Quid de his tibi videtur? De molarum utilitate jam dictum eſt: cur iteratur optimas eſſe molas? Hæc igitur ab Aldo? Nequaquam: altiorem radicem habent, cum in antiquis excuſis videam: *ſed & optima molarum*. De vitii itaque auctore inquirere deſinamus. Medicina quærenda eſt, quæ ex Lipſienſi codice parata eſt: *Sed & optima molarum opus eſt, tum etiam trapeti*, videlicet, uti oportet optimis molis optimoque trapeto, ne opera fruſtrentur factores, atque impenſas.

Hæc tamen de molis ut Aldina accipienda ſunt: *baccam* oportet *integram in fiſcinis novis includi, preliſque ſubiici, ut quantum poſſit, pauliſper exprimatur; poſtea, reſolutis corticulis, emoliri debebunt, adiectis binis ſextariis integri ſalis in ſingulos modios, & aut regulis, ſi conſuetudo erit regionis, aut certe novis fiſcinis ſampſæ exprimi*. Rectene tibi procedit ex priſco excuſo *emoli*, aut & *moli* Lipſienſis codicis *emoliri* Aldinum, præſertim cum in eodem libro *corticulis* ſit *torculis*? Mihi non quid ſcribi poſſit, ſed quid debeat, ponderanti aptius videtur: *reſolutis torculis & molis, debebunt, adiectis —— ſampſæ exprimi*.

De ſervando oleo: *Villica debet adhibere curam, ut ſiquæ fæces, aut amurcæ in fundis vaſorum ſubſederint, ſtatim emundentur, & non calidiſſima lixivia, ne vaſa ceram remittant, ſed ſemel atque iterum eluantur*. Summa Jucundi intemperantia deceptus Aldus *ſed* interpoſuit, nec minus ille quiſquis fuit, qui *ex ea* quæ à Lipſienſi codice jure abſunt, his adiecit: *Cavendum eſt itaque ne ex ea fiat oleum cibarium*. Etſi enim cibarium oleum infimæ notæ ſit, quoniam familiæ, id eſt ſervis reſervabatur, cur tamen ex olea quæ concaluit, & amurcæ plus concipit, oleum vel deterius ne fiat, cavendum? Ne ipſa oliva deterior evadat, apta tantum oleo cibario parando ut caveat villica, curandum eſt, non ut ex prava oleum cibarium conficiatur. Quare totam Lipſienſem lectionem amplectamur: *Cavendum eſt utique, ne fiat oleum cibarium* oliva.

Id uno modo vitari poterit, ſi protinus illata de agro bacca commolita & expreſſa erit, quæ ſic adminiſtrata fuerit, ut ſupra diximus. Quæ antiquum vitium a nemine oſtenſum occultant, quamvis paulo diligentius attendentem non lateat. Etenim niſi me vetuſti codices in conje-

ſtando fallunt, a quibus prodit, pro *erit*, *cera*, puto priſtinæ ſcripturæ hoc fuiſſe exemplum : *ſi protinus illata de agro bacca commolita & expreſſa*, *cæteraque ſic adminiſtrata fuerint*, *ut ſupra diximus*.

Sequitur deinde Catonianum præceptum quo vetus quidem, ſed noſtra ætate adhuc recens agricolarum opinio falſitatis coarguitur exiſtimantium in tabulato oleum creſcere. Error oritur, quod corrugata oliva menſura decreſcit, exſucca amurca; ideo ut factum impleat villicus, ex alio acervo modium ſupplet : *eoque facto videtur plus olei quieta quam recens bacca reddere*. A nullo admonitos interpretes hæc ab Aldo affabre picta & compta in dubium non revocaſſe quis mirabitur? Sed aſſerentibus primis editoribus, pro *olei*, *eſſe*, pro *quieta & recens bacca*, *quiete* (quod Lipſienſis codex emendatum reddit *quietæ*) *& recentis baccæ*, quis erit tantæ manſuetudinis, ut tam inſolens Aldi ingenium tamque perverſum æquo animo ferre poſſit? Numquid vetera jure labefactari poterant: *coque facto videtur plus eſſe quietæ*, *quam recentis baccæ reddere?* Non hoc Latine dicimus: *videtur eſſe noſtri plus tibi ſcribere*, *quam aliorum?* Pari modo *videtur eſſe quietæ baccæ plus reddere*, *quam recentis*.

Atque utinam eadem providentia poſſem ſequentia reparare & perficere: *Attamen*, *ſi id maxime verum eſſet*, *nihilominus ex pretio viridis olei plus quam multitudine mali numorum contrahitur*. Aldina ſunt, ut codices & primæ editiones declarant, *ſi* pro *ut*, *eſſet* pro *eſſe*. Verbum itaque deperditum reor, ceu: *Attamen*, *ut id maxime verum eſſe concedamus*, *nihilominus*. Sic igitur ex antiquis coniicimus. Sed quoniam id, *eſſet* ſervato, facilius conſequimur, ſi *ut* retineatur, *eſſet* non morabimur.

Annectuntur : *Sed & Cato dixit : & ſic quidem quidquid ponderis aut menſuræ oleo accedit*, *ſi portionem velis in factum adiectæ baccæ exiſtimare*, *non proventum*, *ſed detrimentum ſenties*. *Quapropter*. His Græculum imitatus eſt Aldus, qui, ut in fabulis eſt, pavoninis pennis ſe exornavit. Retrahamus itaque aliena, veteri forma vel ex primis editis, vel ex codicibus reſtituta: *Sed & Cato dicit : & ſic quidem quicquam ponderis aut menſuræ oleo accedit*, *ſi portiones velis in factum adiectæ baccæ exiſtimare*. *Quapropter*. Talis quidem vetus eſt ſpecies, ſed imperfecta. Perficitur vero, *&* ante *ſic* in *nec* verſo.

De oleo quod ad cibum perficitur, ſatis me ſcripſiſſe (niſi tu potius plura exiſtimaveris) opinabar: reſtat capite LI. ejus ratio quod in medicamentum cogitur. Oleum Gleucinum eſt quod ex muſto atque aromatis miſcetur. Oportet autem aromata *leniter confracta in reticulum*

Jun-

Junceum aut lineum adjici, & ita cum ſaxi ponduſculo in olei atque muſti partem demitti. Sint autem iis portionibus penſata quas infra ſubjicimus. Quorum antiquam imaginem ſi quæris, ex primis excuſis & codicibus expreſſam dabo: *confracta in reticulum junceum, aut linteum adjici, & ita in olei atque muſti partem demitti. Sint autem iis portionibus penſata atque infra ſubjicimus.* Incaſſum itaque laboraſſe Jucundus invenitur, dum ad ſuas præſtigias & fallacias omnes novitate captos concurrere & convenire curabat.

Imbuto aromatis & ſole macerato medicamine, *poſt ſeptimum diem oleum depleto, & quod reliquum eſt muſti picato cado reponito. Nam ſi id non exhauſeris medicamentum, dabitur potatum imbecillis Bubus.* Nolo ob hæc quicquam Aldo detrahi, quamvis excuſum vetus *oleo depleto*, (quod item ex Lipſienſi codice exſcriptum habemus) & *exhauſerit* in *oleum depleto* atque *exhauſeris* converterit. Potius ſuperiora tempora in culpam revoco, per quæ *exacuerit* & *potandum* in *exhauſerit* & *potatum* defluxerunt. Lipſienſis igitur codicis beneficio ad priſtinum decus antiqua revocemus, quoniam quid eſt tam cuique proprium, quam vino aceſcere? *Poſt ſeptimum diem, oleo depleto, quod reliquum eſt muſti picato cado recondito; nam ſi id non exacuerit, medicamentum dabitur potandum imbecillis Bubus.*

Hactenus de oleo abunde diximus. Tale initium capiti LIII. fecit Aldus, cum apud priſcos editores hoc eſſet: *Hactenus de oleo abunde dixiſſe ſatis eſt.* Id ſi rejicis, repete tertium ex codicibus Medicæo & Lipſienſi: *Hactenus de oleo dixiſſe abunde eſt.* Hoc loco auctor ad minora deſcendit, ex quibus ſuilla falſura eſt. *Ergo ſitientem* (Suem) *cum occideris, bene exoſſato; nam ea res minus vitioſam, & magis durabilem ſalſuram facit.* Ex qua officina extiterit *vitioſam* quod ab Jenſonio proditum eſt *inciuuoſam*, idque in Lipſienſi codice *incynoſam* ſcribitur, non plane perſpicio. Neque antiqua quo ſpectent, aſſequor, dum mendoſa reputo. Verumtamen cum ſalita caro circa oſſa vermes gignere ſoleat, propter quod *in eas partes quibus oſſa relicta ſunt, largum ſalem infarciendum* eſſe jubet Columella, colligerem *minus carnem tineoſam*, vel *ſinuoſam*, aut quid item.

His tibi propoſitis quæ villicæ officia adjuvare exiſtimabam, nonnulla de argumentis addere inter præcipua eſſe video; neque enim illis aſſentior qui omnia rejiciunt; neque contra illis adhæreo, qui ſine diſcrimine cuncta amplectuntur. Modum adhibendum eſſe judico; nam tam vitioſum inutilia congerere, quam neceſſaria repudiare. Dicet quis, quomodo aut illud devitare potero, aut hoc ſequi, cum utrumque ex incer-

to veniat, & non auctoritate, ſed conjectura ponderetur? Vera, ſi me audis, ancipitem diſquiſitionem non habent, præſertim illa quæ propter neceſſitatem petuntur. Falſa autem in ambiguo verſantur, eademque poſthabita vel rejecta neque ſententiam infirmant, neque rem de qua agitur, obſcurant. Quod itaque abeſſe poteſt, cur arceſſendum? contra quod locus poſtulat, & ſententia exigit, cur non probandum & admittendum, præcipue quod non amiſſum, verum ſepoſitum habeamus? Quapropter hujuſmodi argumenta repetere, & in antiqua ſede collocare ſine controverſia eſſe videtur. Igitur capiti V. quod incipit: *In vini vapidi ut acre fiat, ſextarios —— adjicito*, prima in titulum rejecta: *Quemadmodum ex vino vapido acetum fiat*, cur non apponam? Item IX. *Conditura Lactucæ*, quo remoto, omnia ferme quæ in eo capite continentur, prius perluſtranda ſunt, quam quid facere oporteat, quaque de re agatur, cognoſcas. An capiti XXI. cujus initium eſt: *Muſtum quam dulciſſimi ſaporis decoquatur ad tertias*, quid addendum eſſe neceſſario non exiſtimaveris, ut quæ docet Columella, ſciamus? *De defruto quod adjicitur in vinum ad vetuſtatem*, ſi reponis, acquieſco. Neque capita XXII. & XXIII. inhonora habeas, velim, cum illud ſibi requirat: *Picis liquidæ alterum medicamen quo muſtum condias*: hoc: *De pice qua utuntur Allobroges ad condituras*. Capiti etiam XXIV. principium exopto: *De pice Nemeturica ad condituras*. Quod inſequenti magis neceſſarium exiſtimo: *De aqua ſalſa, vel muria ad vina condienda*. At capitis XXVI. principium cum legeris: *In quo agro vinum aceſcere ſolet*, non remedium continuo deſiderabis, quo damnum evitetur? En tibi: *Remedia aceſcentis vini. In quo agro*. Quid te aliud de capite XXX. cenſere exiſtimem, quod ſic detruncatum exordiuntur: *Ab eo tempore quo primum dolia operculaveris, uſque in æquinoctium vernum*? Accipe igitur propter quæ caput legendum eſt: *Optima vini curatio: & remedia languentis vini*. Multis deinde poſthabitis, ad XXXVII. caput te voco, ut quæ in eo facienda ſunt, mihi explanes: uvas tradit maturiſſimas legere, eaſdemque calcare, & muſtum excipere ac ſale condire. Hoc non quæro: cur hoc fiat, aveo ſcire. Ut vinum Græco ſimile facias. Ubi id latet? In indice. Et quiſquam erit qui: *vinum ſimile Græco facere* a capite evellat, & tam obſcurum & imperfectum corpus relinquat? Pergamus ad alia, quæ ut paucis tranſigam, capiti XLIII. adderem. *Uvæ ollares quemadmodum ſerventur*; L. *Oleum quomodo fiat*; LIII. *De ſalſura ſuillæ carnis*; LIV. *Rapa & Napos quomodo condias*; LV. *Sinapim quemadmodum facias*; LVI. *Oleris atri & Siſeris radicem quemadmodum condias*;

dias; demum LVII. *Moretum*, *Oxyporrum* (*ut alii*) *Oxygarum quemadmodum componas*.

De univerſa ruris diſciplina quam Columella expolivit, credo abunde ad te ſcripſiſſe: omnia tamen quæ in quæſtionem cadere poterant, pertractaſſe nego; multa enim conſulto prætermiſi, quoniam quocum loquerer, videbam; multa obſcura & dubia poſthabui, quouſque certum conſilium de iis capere poſſem. Ut Columellæ libros abſolvam, de illo qui *de Arboribus* inſcribitur, ſeorſumque habetur, ſubeſt cura. Qui quoniam integram epiſtolam exigit, in perendinum propoſitum differo. Vale.

Dabam Patavio Prid. cal. Octob. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA LXVII.

Emendatur illuſtraturque Columellæ liber qui de Arboribus inſcribitur.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

HIc dies ruſticarum rerum mihi, moleſtiæ vero tibi, qua te tam diu maceravi, finem dabit; nonnulla enim quæ libris III., IV., V. traduntur, repetenda ſunt ex libro qui *de arboribus* titulum fert, diligentiuſque ad illorum exemplar penſitanda. Nam, ut minime ignoras, cum primum ad ruſtica ſtudia ſe contulit Columella, eaque exornanda ſuſcepit, bina volumina, alterum de terræ, de ſtirpium cultu alterum, in publicum emiſit, quæ, ſecuto tempore, accuratius retractans, primum in binos libros diduxit, alterum in tres diffudit & propagavit. De illo quid evenerit, curioſius perquirere deſinamus: cum minus neceſſarium haberetur, amplificata poſteriori diligentia materie, ſepoſitum primum, deinde jacuit extinctum. Alterum fortuna ab interitu eripuit, & in poſteros tranſmiſit. De hoc itaque nunc videndum.

Capite I. docente Columella ſemina ex vicino agro eſſe petenda; quoniam *quod ex longinquo petitur*, *parum familiariter noſtro ſolo venit*, *propter quod difficilius convaleſcit alienum exteræ regionis*, duo extrema *exteræ regionis* eximenda eſſe judicamus, quæ *alieni* declaratio videntur.

De

De terra deinde vineali quæ ſeminario deſtinatur, dum præcipitur uliginoſos agros poſſidentibus ſeminarium eſſe oportere ſimili loco, & Vitem largo conſueſcere humori; *namque exilis cum in aquoſum agrum transfertur, utcunque putreſcit*, rejecto Aldino *exilis*, receptoque ab Urſino *ex exili*, velim perpendas *utcunque* item Aldinum, quod in antiquioribus excuſis eſt *utrunque*, in Lipſienſi codice *utrinque*, ſi forte *utique* appoſite ſcribi poſſit.

Tum, prætermiſſo capite II. in quo noſtra induſtria parum proficit, ad tertium veniamus, ubi in eligendis ſeminibus animi pendeo, diligentius his penſitatis: *Optima ſemina habentur a lumbis; ſecunda ab humeris; tertia ſumma in Vite lecta, quæ celerrime comprendunt, & ſunt feraciora, ſed & quam celerrime ſeneſcunt*. Cuinam probanda iſta ſemina ſunt, quæ quamvis & comprendant facile, & fœcunditate commendentur, tamen cito deficiunt? Dicet quis non cuncta celeriter ſeneſcere, ſed ea quæ de ſumma Vite leguntur; propter quod libro III. veterum agricolarum conſuetudinem hujuſmodi malleolos legentium reprendit Columella. Cur igitur legenda & pangenda, ſi improbantur? Cur cum optimis habenda? Quantum igitur ex vulgatis editionibus Columellæ exiſtimationi detrahatur, clare cognoſcis. Quare ad codices redeamus de auctoris fama ſoliciti. In Medicæo extant: *tertia ſummæ Vite vita lectæ aquæ*, a quibus Lipſienſis diſcrepat extremo *lecteaque*. Hæc non difficulter in hanc ſententiam explicantur: *tertia ſummæ Viti vita lecta, quæ*, videlicet *vita* vel *vitato* ſummæ Viti detracta flagella memor Virgiliani oraculi: *neve flagella ſumma pete*. Nec quiſquam mirabitur ſumma flagella inter ſemina recenſeri repetens antiquum vinitorum inſtitutum, quod modo referebam.

Sed alia vitia excutiamus: *Plantaria facito ab oriente, & a decima luna, & a vigeſima*. His non tantum Varro qui ab exorta luna ad nonam Vitem pangendam eſſe monet, repugnat, verum etiam antiquiores memoriæ adverſantur; in editis enim prioribus & ante *a decima* ſubtrahitur, & Politiani codex addit poſt *a vigeſima ad ericeſimam*. Quapropter hæc convenire crediderim: *Plantaria facito ab oriente ad decimam lunam, & a viceſima ad triceſimam*.

De ſatione quæ in ſeminario fit, ſatis: de terræ vinealis generibus deinceps differendum. *Aptiſſima Vitibus terra eſt arenoſa, ſub qua conſiſtit dulcis humor; probus conſimilis ager, cui ſubeſt tophus*. Utrunque genus ſuffragatorem facile inveniet: at tertium: *æque utilis congeſta & mota terra*, vereor ne plurima ingenia torqueat. Quo enim congerenda, & ubi movenda terra? Atqui congeſta & mota humus nonne ſummum

mum genus, ideſt optimum conſtituit? quoniam niſi læta & pinguis, in agrum non infertur. Qua igitur de cauſa inter tophum & proximum ſabulonem argillamque ſtatuitur? Ne ſim ſanus, niſi aliquid deperditum eſt, ceu *glarea* vel *ſilex*, nimirum *æque utilis glarea*, *congeſta & mota terra*. Si in hoc fallimur, duce Columella fallimur libro III. ſcribente: *ſimili quoque de cauſa probari ſolutam glaream*, *calculoſumque agrum*, *& mobilem lapidem*, *ſi tamen hæc pingui glæbæ permiſta ſunt*.

Proxima eſt animadverſio de vinearum diſcrimine: *Vinearum*, inquit, *genera fere in uſu tria ſunt*, *jugata*, *humi projecta*, *& deinde tertia* (*quæ eſt a terra ſubrecta*) *more arborum in ſe conſiſtens*. Quæ uncis lineis circumſcripſimus, effecta ab Aldo atque in Columellæ ſententiam coacta perverſam ſpeciem in antiquis nacta ſunt; nam in Jenſonianis & Lipſienſi codice *Aponi uſurpata* ſcribuntur: in Politiani libro: *Aponi ſurpata*. Quid hoc fuerit, ſi me interrogas, vereor ne citra veritatem mihi conjectura procedat. Tamen cum ſciam te omnia in bonam partem accepturum, expediam quod mihi ex Varrone ſuccurrit. Narrat hic tertium iſtud vineæ genus apud Hiſpanos uſurpari, ex quo opinor ſcripſiſſe Columellam: *Hiſpanis uſurpata*. Hæc noſtra opinio ſi in ſe parum fructus habet, tuum erit providere, nequis noſtra credulitate decipiatur.

Interim ad Vitium ſationem tranſeamus: *ſcrobes ternarios ideſt quoquoverſus pedum trium una opera facit XVIII.*, *vel ſicui cordi eſt laxius Vites ponere*, *ſcrobes quaternarios*, *ideſt quoquoverſus pedum quaternum una opera XII. facit*. Credemuſne *laxius* ponere Vites qui ſcrobes profundius agit, non producto intervallo, an *altius?* Hoc quidem propius vero crediderim, non ſolum quod Politianus id ex Medicæis affert, verum etiam quod ratio & communis intelligentia confirmat.

Poſt hæc vinearum cultum docet Columella. Itaque *ſi jugatam erimus facturi*, *unam materiam ſubmittito*, *ita ut duas gemmas quæ ſunt proximæ a terra*, *falce acuta radas*. Si unquam peritum putatorem ſpectaſſet Aldus, aut quæ præcepit Columella, diligenter attendiſſet, nunquam antiquum excuſum vel hic, vel capite XVI. in his: *ad imam virgam redigito*, repudiaſſet, *unam* ſubrogato. Similiter primi editores: *jugatam erimus facturi*, non approbaſſent, cum proximum eſſet *ſubmittito*, ſi a Politiano exſcriptum, *jugata eris*, illis innotuiſſet. Ex quo gemina oritur emendatio; prima: *ſi jugata erit futura*, ut de altero vineæ genere habemus: *ſin autem Vitem in ſe conſiſtere voles*; altera: *ſi*

jugatam eris facturus. Hoc modo magis concurrunt reliqua: *radas*, *relinquas*, *amputes*, *voles*, *patieris*, *dabis*.

Admonet præterea hic locus, ut tum similitudine tum auctoritate confisus, maculam de capite III., quod modo percucurri, eximam; editum enim est, malleolum acutissima falce juxta nodum, *sic ne gemmas lædas*, esse amputandum. Despicio *lædas* dum ex Politiano *ridas* specto, atque optimum ex Lipsiensi codice *radas*, quod supra ad eandem rem jubendam usurpatur.

Redeunti mihi ad putationem obviam fiunt dispersa quædam vitia, quorum præcipua indicasse conveniet, ut in his: *sed ita ne codicem lædas*, quibus Politiani *corticem* aptius videtur; quippe prius exteriora læduntur, quam interiora. Ut *propius* Aldinum, quod *protinus* fuerat, edentibus priscis: *quæ protinus abraditur*, hoc est, continue usque dum cohæret, abraditur. Sic Virgilius laudatur, dum de Italia & Sicilia quondam inter se connexis canit:

cum protinus utraque tellus
Una foret.

Ut *per brumam* quod Aldus his princeps immiscuit: *possunt etiam soboles per brumam cædi*; vacat enim quod tempus jam declaratum est. Quin veteri agricolarum consuetudini adversatur; quoniam per brumam neque arbor cæditur, neque Vitis purgatur. Contra *per brumam*, peracta ablaqueatione, stercus Vitibus esse injiciendum excuderunt antiqui editores; quia ante brumam ablaqueandum est. Quare editum ab Aldo *ante brumam*, ubi *per brumam* erat, repudiabo libenter.

Sed ecce caput VI. in manibus, in quo veterem formam sæpe requiro. Puram ab omni labe sententiam priscæ editiones & codices conservant. *Novella vinea quæ ex resecatione renata fuerit, vim inutilem habebit, prima parte terræ natantibus radicibus, neque fructum uberem percipies, & nihilominus celeriter conseneſcet.* Tamen Aldus, cui primas majores nostri inter Latinos editores dabant, quanta in ea innovavit, & pervertit? Perspice, quæso, dum verba verbis paria reddere conatur, quam longe a librarii fide abit, cujus officium est vetera non qualia esse debeant, sed qualia inveniuntur, exprimere atque imitari: *novella vinea quæ ex resectione enata fuerit, vim inutilem habebit, summa parte terræ natantibus radicibus. Quamobrem neque fructum.* Abjicitur ergo *resecatio* quod antiquum in Columellæ libris vigebat, & qua auctoritate, Dii boni, abjicitur! *Prima* autem in *summa*, convertitur, & *renata* in *enata* nulla necessitate. Tum *quamobrem* interponitur, quod locus non necessarium postulat; quæ enim

stirps

ſtirps vix terræ adhæret, neque fructifera eſſe poteſt, neque perennis.

Proximis etiam: *ejuſmodi itaque vinea ſi non aridos in corpore habet truncos, & flecti poteſt, factis ſulcis optime ſternitur*, ſi ad antiqua exempla retuleris, priſtinam ſpeciem ab Aldo deſiderabis. Namque illud *in corpore* totum Aldinum eſt, quod apud primos editores *in opera* erat. Sed & hi in cruda membra vetuſtam imaginem adumbrarunt. Prodit hoc modo ex Politiano: *vineas inoperari habent runcos*; neque ſecus de Lipſienſi codice: *vineam inoperari habent truncos*. Ex his ſententiam quis explere poterit? Nemo ſanus pollicebitur. Verba tanquam dimenſa & paria ut illis reſpondeant, vel ego præſtabo hoc exemplo: *Ejuſmodi itaque vinea, ſi non peraridos habet truncos, & flecti poteſt, factis ſulcis optime ſternitur*. Lumen hæc ex inſequentibus accipiunt: *ſin autem uſque eo exaruerit, ut curvari non poſſit*. His tamen utut uſus fueris, ne capillo quidem minus apud me eris.

Redeamus ad Aldum, a quo extremum his vetus verbum repoſco: *Quæ ſequenti anno, ſcrobibus inter ordines factis, propagabis*. Quod verbum, inquies? *Propaginabis* (unde ſupereſt apud Tertullianum *propaginati*) ex *propaginibus*, quo ſententiam priores editi libri, & non editus Lipſienſis abſolvunt, retexerem opportunius.

Iiſdem auctoribus hæc etiam fidentius contemnam: *ac deinde per triennium poſt, dum convaleſcet, ſæpius fodies*; ab illis enim proditum eſt: *deinde triennio, cum* (leg. *dum*) *convaleſcat, ſæpius fodies*.

His capiti VI. conſuluiſſe juvabit: accedamus ad VII., in quo etiam quædam notari & cognoſci oportet. *Ne in ſummo radices Vitis citet*, exceptis quatuor imis quæ latent terra, reliquas gemmas propagini eſſe abradendas docet Columella, neque diſſimili ſententia Aldus expreſſit. Verba deficiunt, ſi vulgata cum antiquis conferantur. Antiqua ſunt: *ne ſumma radix vitiſcat &*. Fortaſſe: *ne ſumma radix Viti ſcateat*. Quæ ſi tuæ prudentiæ minus reſpondent, ex Lipſienſi codice addam: *ne in ſummo radix Vitis ſit*.

Expendamus item cum ipſa Vitis in mergum ſternitur, ſi incorrupto & ſincero judicio vetera idem Aldus imitatus eſt: *Sin autem ipſam Vitem ſternere voles, juxta radicem, ita ne ipſam lædas, curioſe effodito, & Vitem ita ſupplantato, ne radicem abrumpas: cum eam ſtraveris, & videris quouſque poſſit pertingere, ſulcum facies unum, in quem Vitem integram demittas*. Age: ſubnectamus vetera ex codicibus eruta: *Sin —— Vitem ita ſupplantato, ne* (ab) *radice abrumpas: cum eam ſtraveris quouſque poſſit pertingere, ſulcum facies unum*. Quoniam, ut

ajunt, ſæpius nimium, quam parum offendit, alienas ſententias ſupervacaneis implicare quis æqui bonique fecerit? Detruncare autem verba quæ tibi ignota ſunt, & ad alium ſignificatum, a quo longe abfuit ſcriptoris mens, detorquere immoderatæ intemperantiæ eſſe non videtur? Itaque jubente Columella, Vitem quæ in diverſas partes ad quas pertingere non poteſt, per longitudinem ſecari, qui vetuſtum *diffluetur* aut *diffluvietur* reprendit ac rejicit, vel id excogitari debet quod pariter extremum terminetur, ſententiamque adæquet; vel hoc tantum ſpectare mediocri licentia uſus, ceu *diffindatur*. In Aldo qui ſubſtituit *diffluat*, neque ſententiæ perfectio eſt, neque terminationis adumbratio.

Ita ad caput VIII. & ad inſitionem paulatim revecti ſumus. Hanc ingredientibus conſiderandum eſt, ne vetuſtatis aut Aldi vitiis decipiamur. Locus de quo dubitari poteſt, ſic vulgo circumfertur: *atque luto ſubacto paleato oblinito, operitoque plagam, & ita alligato, ne aquæ ventuſque penetrare poſſit: deinde ſupra lutum Muſcum imponito, & ita religato: ea res præbet humorem, nec inareſcere ſinit*. Idem apud priſcos editores planior & brevior, quæ nihil attinent, excludit: *luto ſubacto paleato oblinito plagam, & alligato ne aqua ventuſque penetrare poſſit*. In reliquis conjectura ductus ſuſpicatus ſum jam olim *prohibet humorem*, quod in *præbet humorem* defluxit; propterea luto oblinitur, & Muſcus imponitur, ac libro ſuperpoſito, vimine religatur, *ne aquæ ventuſque penetrare poſſit*. Noſtræ ſuſpicioni favet vetus excuſum *marceſcere*, & Politiani lectio, quamvis una litera imperfecta, *mareſcere*; idcirco probatum *inareſcere* (quod tamen de excluſo vento poteſt accipi) Aldus conſtituit, cui *præbere humorem*, *nec marceſcere ſinere* inter ſe convenire non videbatur.

In extremo etiam capite fœdius ulcus fovetur, cui non hoc tempore ſolum medicinam adhibere conati ſumus. Sed quoniam in dies docemur, & quotidie cogitando in melius proficimus, novis miſturis idipſum nunc tentabimus linire. Verum cum late ſerpat malum, totum tibi ſub oculos ponam, ut quid reſcindendum, quid inurendum, quid liniendum, quid denique luxatum in ſuos articulos revocandum ſit, uno obtutu cognoſcas: *At ſi quæ fructum quem oſtendunt, ad maturitatem non perducunt, ſed priuſquam miteſcant uvæ, inareſcunt, hoc modo emendabuntur: Cum ſcipiones amplitudinem acini habuerint, radice tenus Vitem præcidito, plagam acri aceto pariter ac lotio veteri permiſta terra linito, eodemque radices rigato, ſæpe fodito. Hæc materias citant, uvaque ſuccum perferunt*. Nunc quod propoſui, exequar, reciſis alienis:

nis : *At ſi fructum quem oſtendunt , ad maturitatem non perducunt , ſed prius quam miteſcant , uvæ inareſcunt , hoc modo emendabuntur : radice tenus Vitem præcidito , —— ſæpe fodito . Materias citat Vitis , quæ fructum perferunt* . Quibus ſi tibi nimis audax videbor , animadvertas æſtivo tempore , imo ferme canicularibus diebus cum acini amplitudinem habent , Vitem , quæ radice tenus amputatur , ita affligi , ut ſæpe intereat . Sed faciamus non interire . Quas materias , dic mihi , tam brevi germinationis ſpatio exhibere poterit , quæ ante hiemem confirmentur ? Quare , ſilente ſtirpe , hoc opus adminiſtrandum puto , non germinante . Incerti itaque auctoris hæc exiſtimabam : *cum ſcipiones amplitudinem acini habuerint ;* nam antiquum *cum inſitione* , vel *cum inſitione ſi* , quod Aldus in *cum ſcipiones* detorſit , non cernis eſſe cujuſdam ſtudioſi notam , ſi ſcribatur : *cum inciſione* , hoc eſt , emendatur Vitis vitium *inciſione , ſi amplitudinem acini non habuerint ?* Superſunt extrema ex prioribus editionibus ſumpta , atque ex Lipſienſi codice expurgata .

His ambagibus ſoluti , ut uvæ ſine vinaceis naſcantur , docebimus : *Malleolum ſcindito ita ne gemmæ lædantur , medullamque omnem eradito , tum demum in ſe compoſitum colligato , ſic ne gemmas allidas* . Extremum nunquam tibi in dubium revocarem , niſi & Aldinum eſſet , & ab antiquo *alliges* ſignificatione diſcreparet , quo monemur ne ea pars cui ſubeſt gemma , colligetur ; ſiquidem , ne lædatur , allidaturque gemma , abunde præceptum eſt .

In capite XIII. volo hoc a te perſpici , quamvis cognitione indigniſſimum , & magis puero vel mulieri quam graviſſimo auctori attribuendum . Adverſus nebulam & rubiginem *palearum acervos inter ordines verno tempore poſitos habeto in vinea . Cum frigus contra temporis conſuetudinem intellexeris , omnes acervos incendito* . Quibus dum Columellianum morem intueor , opto *inceſſerit* , contemnoque *intellexeris* , quo ineptum remedium fit ineptius .

Hæc dum tecum recurſo , Oleæ cultus ad ſe , & ad caput XVII. me vocat , quod inutilibus aut vitioſis conabor depurare . *Melius autem truncis quam plantis olivetum conſtituitur . Magoni autem placet ſiccis locis Oliveam —— ſeri* . Ex Magone ſerendi tempus deſumitur , deinde quid ea ætate agricolæ Itali de ea re cenſebant , ſubnectitur . Quare quæ de Oleæ ſeminibus proponit auctor , ad ſerendi tempus non ſpectant . Redundat igitur *autem* , quo etiam priora excuſa deſtituuntur , codiceſque Medicæi , & Lipſienſis . Redeat itaque ad Aldum . Redeat etiam *oportet* ex his : *arbuſculam autem a tempeſtatibus tueri diligenter oportet adminiculando , & terræ quæ in ſcrobem reponitur , ſtercora immiſcen-*

miſcendo. Etenim hæc ſuperioribus hoc ordine annectuntur, accuratiuſque ex veteribus libris explicantur: *Oportet autem ſcrobem Oleæ quoquoverſus pedes quaternos patere, in imum ſcrobem lapidem glareamque abiicere, deinde ſuper terram quatuor digitorum iniicere, tum arbuſculam deponere ita rectam, ut quod ſcrobe extiterit, in medium ſit: arbuſculam autem a tempeſtatibus tueri diligenter adminiculando, & terram quæ in ſcrobe reponitur, ſtercori immiſcere.*

Paratis ſcrobibus, quod genus ſerendum ſit, auctor declarat. *Optima*, inquit, *eſt Olea Liciniana, Pauſia ſecunda oleo, eſcæ Orchis. Sunt & Regiæ & Radii quæ neque ſpecie, neque oleo ſunt tam gratæ, quam quas ſupra diximus*. Ex his mihi nonnulla moleſta ſunt; neque enim patior ſine ſpecie jacere Regiam Olivam, quam ex libro V. bacca ſcimus eſſe ſpecioſiſſimam, neque animo æquo fero a cibis tam Regiam quam Radium repudiari, quæ, quamvis minus gratæ ſint, quam Orchis, tamen a menſis non ſunt rejiciendæ. Quare velim mihi des hanc veniam, ſi quid amplius, quam veteres memoriæ exhibent, mihi ſumo: *Orchis, ſicut & Regia & Radii quæ non ſine ſpecie, neque eſcæ, neque oleo ſunt tam gratæ, quam quas ſupra diximus*. Quanquam exiguum eſt quod mihi condono: *ſicut* pro *ſunt* ſcripſi, ut, quæ communi conſuetudine conjunguntur, non ſepararentur; tam enim Orchis quam Regia, & Radius habentur cibales. *Eſcæ* reſtitui, quod locus poſcebat, & primæ editiones argumentum dabant bis *neque* oſtendentes. *Non* demum iiſdem præſidiis, & Lipſienſi codice adiutus conſtitui.

Si noſtram induſtriam in his laudabis, proxima quæ tibi etiam in conſultationem mitto, libentius audies. Inter Oleam & Quercum non convenire naturam quis ex antiqua hiſtoria non didicit? Quare, *ſi Oleam poſueris eo loco, unde Quercus effoſſa eſt, morietur*. Ex quibus nulla oritur controverſia; nam & libro V. memorat auctor Quercus viro Oleam necari. Non tamen ejuſdem conditionis eſt, quod hinc infertur: *ideo quod vermes quidam ſunt qui in radice Quercus naſcuntur, & educantur, iique maxime ſemina Oleæ conſumunt*. Equidem nemo inter Latinos melioris notæ ſcriptores meæ memoriæ ſuccurrit qui Oleam Quernis vermibus perire tradiderit, cum prudentiſſimi qui de hujuſmodi rebus ſcripſere, ſicut Varro & Plinius, quandam velut inimicitiam atque odium inter Oleam & Quercum intercedere doceant, quod Columella, ut modo referebam, vim quandam malignam & virulentam eſſe accepit, quæ de Quercu manans Oleam corrumperet. Quapropter hæc omnia dubia mihi accidunt, non illa ætate elaborata, ſed inferiori & barbara; cum homines pingui ſtilo philoſophabantur. Nolo tamen opi-

nio-

nionis meæ arbitrio aliquid ſtatui : aſpice antiqua excuſa ab Aldo non linita : *ideo quod vermes qui ſunt educati in radice Quercus, naſcuntur, iique maxime ſemina Oleæ conſumunt.* Aſpice antiquiora ex Medicæo codice, & Lipſienſi : *ideo quod vermes qui ſunt, educantur in radice Quercus, naſcunt eique maxime.* Si ad ſuperiora tempora procedendum eſſet, nullus dubito quin tibi ex qua ſentina eruta fuerint, pateret.

Tranſeamus capite XVIII. in pomarium, quod alta maceria, vel foſſa, aut ſepe viva munire prius oportet, ne homini vel pecori tranſitus ſit ; *nam ſi prius cacumina manu perfracta, aut a pecore præroſa fuerint, quam adoleſcant, in perpetuum corrumpuntur.* Expoſui Aldina : nunc accipe vetera excuſa duobus codicibus quos ſæpe laudare ſoleo, confirmata : *ſi ſæpius cacumina manu perfracta, aut a pecore præroſa fuerint, in perpetuum corrumpuntur.* Satiſne clara & aperta, atque iis quæ libro V. ſcribuntur, ſimilia ? Cur igitur Aldum ſequimur, qui auctorem pigmentis oblinit ?

Verumtamen de pomarii tutela ſatis : ad caput XIX., & ad ſationem veniamus : *Scrobs clibano ſimilis eſſe debet, imus quam ſummus patentior, ut laxius radices evagentur, ac minus frigoris hieme, minuſque æſtate vaporis per anguſtum os terræ admittant.* Seligamus Aldina : iſtud *eſſe debet* quod principes editiones ad *eſt* contrahunt, Lipſienſis autem codex ad *&* quis tulerit ? Non ſatis antiquitatem & Columellæ decus tuemur ſcribendo : *ſcrobs clibano ſimilis, & imus quam ſummus patentior ?* At *terræ admittant* probaſne ? Non reor, nulla auctoritate. Et nulla adeſt auctoritas ; prima enim excuſa *teneant* proferunt, codices *tentarit*. Igitur ex libro V. *penetret* quod hic in *tentarit* præceps ruit, repetamus.

Sed quis vitiorum modus ? Ecce alia ex capite XX. perfluunt : *cum ſemina depones dextra ac ſiniſtra ſingulis uſque in imum ſcrobem faſciculos ſarmentorum brachii humani craſſitudine deponito.* Ex antiquis excuſis non eſt difficile cognoſcere, unde & quibus iſtud *ſingulis* Aldus conglutinaverit : invenerat *ſi vis quouſque*, remoto *uſque*, ex reliquis illud compegit. Attamen ex Politiano docemur *ſi vis* eſſe librariorum erratum, cum in codice Medicæo legatur : *ſi nis quouſque*, primis literis ex *ſiniſtra* vitio repetitis. Quare hoc deleto, *quo* ad ſuam ſedem redeat, fiatque *dextra ſiniſtraque uſque*. Nec ſecus libro V. factum videmus.

De Ficis capite proximo hæc tibi ſubtrahenda non judico : *Ficorum genera etiam ſi ſapore atque habitu differunt, tamen uno modo, ſed diſpari differentia agri ſeruntur.* De horum integritate jam pridem me dubitaſ-

bitaſſe, & diuturna cogitatione nondum mihi ſatisfeciſſe non diſſimulo. Neque propter Aldina judicium ſæpe variavi, & in contrarium verti. Prima excuſa mihi animum vellicabant, & adhuc vellicant: *Sed diſpari differentia pari loco ſeruntur*; video enim ex inſequentibus pro differentia agri deponi Ficos natura diſſimiles, velut præcoques locis frigidis, atque autumnali tempore aquoſis: ſerotinas autem locis calidis. Quid igitur ſequar? *Diſpari* ne *differentia?* Quo id accipiam modo? Num ſpecie diſſimiles? At hæc diſcrimina non pari loco ſeruntur. Perpendamus antiquiora Lipſiæ in codice ſervata: *ſed dis —— ro differentia agri pari loco ſervetur*. Quæ dum paulo ordinatius diſponere conor, majores turbas commoveo. Eſto *diſpari pro differentia agri*. Cui ergo *diſpari* aſſignabimus? An *modo?* Qui poſſumus? *Uno modo* cuncta genera ſeruntur. Quid de reliquis: *pro differentia agri pari loco?* Quod differt, par non eſt. Quapropter undique odioſa cura, cum movere quid circa hunc locum æque tædeat, ac deſperatione deſerere. Sed tamen hoc magis præſtiterit, quam præpoſteris inventiunculis exultare, atque ingenii ſpecie tibi improvide blandiri, præſertim cum quid doceat auctor, tenere exiſtimem, videlicet: *tamen uno modo, ſed pro differentia* (generis nempe) *diſpari loco ſeruntur*.

Ficis proximæ ſunt capite XXII. nuces, ex quibus Tarentinas quæ fragili operimento pomum claudunt, appellatas animadverto. Has tamen humana induſtria tales fieri poſſe male opinati ſunt antiqui, cum genus per ſe exiſtat. Quorum placita ſequens Columella ſcribit: *Nucem Græcam & Avellanam Tarentinam hoc modo facere poteris*. Quæ Politiani codex melius diſtinguit: *Nucem Græcam & Avellanam Tarentinas hoc modo facere poteris*. Ita ad utrunque genus ars pertinet. Quæ ſi ad tuum arbitrium conveniunt, non alio modo quæ libro V. de eadem re traduntur, habenda duces.

Verumtamen cur levia conſector, gravioribus poſthabitis? *Ternas nuces in trigonum ſtatuito, parſque acutior inferior ſit, quia inde radices mittit*. Quis iſta feret? Ex acutiori parte ſtilus emicat, de obtuſa radix protruditur. Igitur: *parſque obtuſior inferior ſit*. Quod vitium antiquiſſimum eſſe cognoſcitur; quippe eo deceptus ſcribit Palladius nucum cacumina eſſe deprimenda.

Malus Punica ſi acidum aut minus dulcem fructum parit, ſtercore ſuillo atque humano, humano item lotio capite XXIII. emendatur: *ea res & fertilem arborem reddit, & primitivos annos fructum vinoſum, poſtea vero etiam dulcem, & apyrenum facit*. Si Aldinum *poſtea* in excuſum olim *poſt* vertero, non concedes aliquid eſſe amiſſum, nempe *quin-*

quen-

quennium, quod libro V., ubi reliqua exſcripta ſunt, exiſtit?

Si tibi pomarium inſtituenti ſemina deficiunt, ex capite XXV. qua ratione plantas pares, indicabo: *Omnium generum ramos circa cal. Mart. in hortis, ubi ſubacta & ſtercorata terra eſt, per pulvinos arearum diſponere convenit; deinde cum creverint, danda eſt opera, ut dum teneros ramulos habent, velut pampinentur, & ad unum ſtilum primo anno ſemina redigantur.* Non contemnenda exſcripſi, quamvis cuncta libro V. non aſſerventur: tamen meliora ex codicibus Politiani & Lipſiæ effulgent; prius enim comprendere, deinde creſcere ſolent plantæ, præſertim quæ primo anno ad unum ſtilum redigendæ ſunt. Quapropter: *deinde cum tenuerint.*

Cum de inſitione ex libro V. ad te ſcriberem, excidit mihi, prima capitis XI., quæ & ibi & hic capite XXVI. ſimillima legimus, tibi commemorare, tuamque ſuper his rogitare ſententiam. Id nunc præſtabo: *Omnis ſurculus*, inquit Columella, *omni arbori inſeri poteſt, ſi non eſt ei cui inſeritur, diſſimilis cortice.* Sicui enim plura & redundantia ſequi cordi eſt, iſta Aldina amplectatur: ſin pauciora, & neceſſaria tantum, vetera excuſa repetenda ſunt non abſimilia iis quæ ex codicibus afferuntur: *omnis ſurculus inſeri poteſt, ſi non eſt arbori cui inſeritur, diſſimilis cortice.* In utroque pariter libro diſcrepat ab antiquis editoribus Aldus, qui *ſurculos quos inſerere voles, falce acuta ab una parte eradendos* excudit; ab *ima* enim, ut ab illis proditum fuerat, recte eraduntur. Eadem macula Palladii liber III. quo de inſerendo præcepta continentur, depravatur. Sunt alia quæ non ſine tædio apud Aldum, cæteroſque editores qui ab Aldo ruſticam rem formis expreſſerunt, lego, Aldinis cum priſcis exemplis collatis. Hoc unum de inſitione non poſthabebo: *materia quam inſerueris, ſi ſobolem vel ſuperiores ramos habebit, omnia præcidito.* Iſtud enim *ſuperiores ramos* tranſtulit huc Aldus ex libro V.; quoniam in codicibus priſciſque editis legitur *ſupra ramos*. Quare ubi propria & certa inveniuntur, aliena ac dubia aliunde arceſſere non oportet.

Ut Columellam abſolvam ad montes properans, multa alia præteribo tuæque conjecturæ relinquam. Quamobrem epiſtolæ modus de ſerendo Cytiſo hic capitis XXIIX. ſit: *cum terram bene ſubegeris, in modum horti areas facito.* Si velis exiſtimare qua ratione *in modum horti* areæ parentur, non difficile id te aſſecuturum ſcio: ſin autem earum colonum informatoremque cognoſcere cupias, nolito eum longe ab Aldo repetere, priſcis editoribus: in *modum Ervi* excudentibus; ſic ſemen Violæ *ſicut olerum, in areis ſeritur*, ut ait Columella.

Tua mandata pro temporis anguſtiis ut potui, non ut volui, exequens, hæc de re ruſtica a Columella prodita ad te ſcribenda exiſtimavi. Quæ ſi tibi ex deſiderio tuo prudentiaque ſucceſſerint, recte opera poſita videbitur: ſin minus, quantum meo judicio ſocordiæque dabis, tantum amori & benevolentiæ largiaris velim. Perendie profectio noſtra decreta eſt, & jam buccinatum eſt, ut vaſa colligantur. Te, me abſente, diligentiſſime cura, & coquus etiam tuus ut valeat, dabis operam; ineunte enim hieme, me apud te hoſpitem habebis etſi minime edacem, edaciſſimo tamen famulatu circumſeptum, qui vel naribus totum tibi carnarium ſorbere poterit. Etiam atque etiam, mi Andrea, vale.

Dabam Patavio V. non. Octobr. CIↃ IↃCC XXXV.

EPISTOLA LXVIII.

De pomo; deinde nonnulla in Plinio & Theophraſto emendantur, illuſtranturque.

JULIUS PONTEDERA ANDREÆ MARANO AMICO SUO S. D.

TUæ literæ quas heri ſcripſiſti, me domi ſedentem non inveniſſent, niſi tanta aquarum vis nudius tertius facta eſſet, qua non modo Patavio egredi ſum prohibitus, verum etiam ex Horto. Itaque dum delabuntur aquæ, cœlumque componitur, quod etiam tum, me hæc ſcribente, valde perturbatum erat, hærebo domi, tibique operam meam locabo mutuam, ut tua, cum redibo, fidentius utar; nam ſcribis, ſiquid a te velim, ut ante diſceſſum meum mandem. De nonnullis igitur quæ heri non in ſummo tantum otio, verum etiam in ſolitudine legendo animadvertebam, eo animo dubitationem meam tecum communicabo, ut omnia explorata, aperta, & certa a te reditus meus expectet. Hæc propterea ut mihi abſenti tua prudentia expedias, quamvis modeſte committam, tamen maxime rogo.

Sed quid eſt? Serione de pomo ſentis, quæ ſcribis; an me lepide ludis, qui proximis literis nucem pomum dixerim? Num hoc mihi imprudenter exciderit, rogitas? Quid imprudenter? Certa ratione ductus

ctus ſcribebam; latius enim pomi ſignificatio diffunditur, quam in vulgum fertur. Nam quidquid ex ſtirpe ut malum eſtur, id pomum appellari video, ceu Nuces, Glandes, Ficus, Uvas, caulem tenellum, corticem, & radicem. Quæ omnia auctoritate confirmabo. Nuces, inquit Iſidorus, dicuntur omnia poma tecta cortice duriori, ut *Pineæ Nuces*, *Avellanæ*, *Glandes Caſtaneæ*, *Amygdalæ*. Propterea de Nuce Juglande canit Ovidius:

Annua cultori poma referre ſuo.

De eadem ſcribit Plinius ſolum hoc pomum a natura compactili operimento claudi. Macrobius quoque affirmat nuces & mala ſic diſtingui, ut *nuces dicant omne pomum, quod foris duro tegatur, & intus habeat quod eſui eſt: malum quod foris habeat quod eſt eſui, & durum intus includat*. Nota etiam reor eſſe tibi de nucibus Pineis Martialis carmina:

Poma ſumus Cybeles, procul hinc diſcede, viator,
Ne cadat in miſerum noſtra ruina caput.

Habes de nucibus: ſequuntur alii fructus, ut Ficus, Uva, quæ cum nucibus Paulus juriſperitus ita conjungit: *Qui fundum*, inquit, *vendidit, pomum recepit, nuces & ficos, & uvas dumtaxat duracinas, & purpureas, & quæ ejus generis eſſent, quas non vini cauſa haberemus, quas Græci τροξίμους, id eſt comeſtibiles appellarent, recepta videri*. Quibus barbaram illam *id eſt comeſtibiles τὰ τροξίμα* interpretationem eximas, velim. Quapropter ſcribente libro III. Columella Vitem ad eſcam vel ad effuſionem deponi, ad eſcam autem non expedire inſtituere vineta, *niſi cum tam ſuburbanus eſt ager, ut ratio poſtulet inconditum fructum mercatoribus velut promum vendere*, quis non videt *velut pomum* eſſe ſcribendum, quod etiam in excuſis eſt, & quod utique Iſidorus ex Columella oſtendit? Neque fructus tantum poma dicuntur, verum etiam aliæ ſtirpis partes quæ teneræ manduntur, ut cortex Amygdalarum nucum qui vere cum nucleis acerbis eſtur, ut refert Plinius: *Floret*, ait, *prima omnium Amygdala menſe Januario, Martio vero pomum maturat*. Siquis enim de matura nuce id acceperit quæ Junio extremo vel Quintili perficitur, falſus erit. Jam vero ab eodem Plinio non habemus: in Papyris, Ferulis, Spinaque alba *caulem ipſum pomum* eſſe? Hac de cauſa caulis in Acetoſa, pampinus in Vite, thalamus in Cinara poma dicenda ſunt & habenda. Nec minus radix in Fœniculo, in Apio dulci, in Paſtinaca, in Cinara. Fungi item & Tubera pomi genere comprenduntur, canente Martialis muſa:

Rumpimus altricem tenero de cortice terram

Tubera, Boletis poma ſecunda ſumus.

Nam Fungi caules habentur, radices Tubera. Nihil itaque nobis obſtat nucem appellantibus pomum, quod nomen tam late & longe diffunditur & propagatur.

Tranſeamus ad Plinium, cui depurando illuſtrandoque hoc otiolum quod nobis propter malas tempeſtates inſperatum contigit, dabimus. In ejus libro XVII. capite XXI. quoddam inſerendi genus quo uvæ forma & colore inter ſe diſſimiles gignuntur, ex libro Columellæ *de Arboribus* exſcriptum eſt; ubi illa Columelliana: *donec gemmas agant*, obſcurantur librarii vitio; ita enim in excuſis expreſſum habemus: *Humeſcunt hoc modo*, cum mihi potiora ſint: *Gemmeſcunt hoc modo.*

Libro etiam XXI. capite XVI. de ſpinoſis herbis traditum eſt: *quædam in iis multicaulia ramoſaque eſſe, ut Carduus: uno autem caule nec ramoſum, Cnecos.* Singularis quidem Cneci caulis de ſemine ſurgit; idem tamen in plures ramos dividitur ſpargiturque; Quare: *uno autem caule, ſed ramoſo, Cnecus.* Redintegrato Plinio, ad Theophraſtum oculos convertamus, in cujus libro περὶ φυτῶν ἱστορ. VI. reprendunt: τὰ μὲν πολύκαυλα εἶναι καὶ ἀποφύσεις ἔχειν, ὥσπερ ὁ κνῆκος; Cnecum enim multicaulem eſſe merito negant. Verumtamen ſcire refert caulem non modo id quod a radice producitur, ſed etiam ramum ſive caulis partem a Theophraſto nuncupari, ut ex Ferulæ hiſtoria quam tibi auctoris verbis ſubiiciam, cognoſces: ἐξ ἄκρα δὲ σχίζεται, καὶ ἔχει τινὰς ὡς μεγάλας καύλας. Idcirco πολύκαυλον in Cneco *ramoſum* habebis. Et quando optima eſſe quæ de Cneco a Theophraſto docentur, oſtendimus: in iis quæ de Corruda eodem libro ſcribit, mendum facile detegemus: ὅτως ἀποτραχύνεται καὶ ἐξανθεῖται προϊόσης τῆς ὥρας; neque enim ἐξανθεῖται a Theophraſto autumo, verum ἐξακανθεῖται. Prava ſimiliter eſſe quæ de Carduis & congeneribus deinde præcipit, tum ex ſtirpium natura, tum ex Theodori Gazæ interpretatione indicabo: τὸ δ' ὅλον, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἅπασα ἀκανθικὴ φύσις, ἐπίκαρπος. Iſtud namque ἐπίκαρπος cum reddat Gaza *fructus ſerotina*, ὀψίκαρπος ſe inveniſſe declarat.

Redeo ad Plinium de Ramno libro XXIV. capite XIV. hæc prodentem: *Inter genera Ruborum Ramnos appellatur a Græcis candidior & fruticoſior. Is floret, ramos ſpargens rectis aculeis, non, ut cæteri, aduncis, foliis majoribus. Alterum genus eſt ſilveſtre nigrius, & quodammodo rubens.* In quibus a Plinii editoribus veterem ſcripturam *In ſæpibus viret*, quæ in librorum margine adnotatur, neglectam & repudiatam, vana & abſona repoſita *is floret*, quaſi cæteri Rubi florem non fundant, ſæpenumero admiratus ſum, & adhuc admiror. Nam illud *foliis*

liis majoribus ad primum genus translatum, quod ad alterum ſpectat : *Foliis majoribus alterum genus eſt ſilveſtre*, librariorum negligentiæ condono. Etenim Ramnus, ut memorat Dioſcorides, a quo Plinius accepit, περὶ φραγμὸς φυόμενον, φύλλα μικρὰ ἔχει. Quæ ad primum genus Plinianum pertinent ; ad alterum quæ ſequuntur : καὶ τρίτη μελάντερα ἔχουσα τὰ φύλλα, καὶ πλατύτερα σὺν τῷ ἠρέμα ἐρυθραίνεσθαι.

A ſtirpibus ad animalia tranſitum faciens de Spongiis quæ modo animalibus, modo ſtirpibus aſſignantur, & promiſcuam naturam habere creduntur, hæc ex Plinii lib. IX. cap. XLV. tibi conſideranda proponam: *viventibus idem, qui madentibus nigricans color*. Quæ apud Ariſtotelem lib. *de Animalibus* V. legimus tali exemplo: ἄπλυτοι δὲ ὄντες καὶ ζῶντές εἰσι μέλανες. Quare ſi ſpongiæ tam illotæ, quam viventes nigræ, *non madentibus* in Plinio eſſe ſcribendum opinabar.

De Veſpertilione ab eodem Plinio lib. proximo cap. LXI. proditum eſt : *eidem coxendix una traditur*. Non una, ſed binæ coxendices Veſpertilioni datæ ſunt ; ideo *eidem coxendix uni traditur*, ut Maximi quondam Romæ formis excudendum curarunt.

De Colubro lib. XXXII. c. V. invenio: *Coluber eſt in aqua vivens: hujus adipem, & fel habentes qui Crocodilum venantur, mire adiuvari dicunt*. Præmittendum credo *Enhydris*, nempe : *Enhydris coluber eſt in aqua vivens*, tum ex D. Iſidoro qui eadem a Plinio refert, tum ex alio Plinii loco : *Enhydris vocatur a Græcis coluber in aquis vivens*.

His paucis de animalibus perpenſis, de lapidibus & gemmis plura reſtant, quæ libris XXXVI., & XXXVII. continentur. Prius tamen indicare convenit de ſale & ferro quæ librariorum indiligentiam oſtendunt. Definitum eſt a Plinio lib. XXXI. cap. VII. *aliud* (ſalis) *genus ex aquis maris ſponte gigni, ſpumam in extremis litoribus ac ſcopulis relictam. Hic omnis rore denſatur*. Malo enim, pro *rore, ſole ;* quippe qui ſalem parant, in areas marinam aquam derivant, eandemque calidioribus anni menſibus ſoli exſiccandam relinquunt. Sic ſal coit. Præterea Iſidorus unde accepit niſi a Plinio, quæ tibi exſcribam : *Nam aquis maris ſponte gignitur, ſpuma in extremis litoribus vel ſcopulis relicta, & ſole decocta ?*

De ferro autem lib. XXXIV. cap. XIV. hæc offendi, in quibus minime acquieſco : *ſtricturæque vocantur hæ omnes, quod non in aliis metallis, a ſtringenda acie vocabulo impoſito*. Quæ tua prudentia perpondera, & renuntia retinendane ſint, an exemplum ab Iſidoro propoſitum revocandum : *ſtricturæ vocantur hæ omnes, quod non in aliis metallis, a ſtrin-*

a ſtringendo apte vocabulo impoſito ; ſtringere enim proprie de ferro dicitur, ut Seneca lib. *de beneficiis* II. teſtatur: *Gladius idem & ſtringit, & transforat : quam preſſo articulo venerit, refert ;* ut Columella lib. IV. : *Jam vero Muſcus qui more compedis crura Vitium devicta comprimit, ſituque & veterno macerat, ferro diſtringendus,* & deinde : *Quoniam fere conjunctam gerit ab latere gemmam, cui conſulendum eſt, ne falce diſtringatur.* Ut Virgilius in *Æneid.*

Hunc primum levis haſta Camillæ
Strinxerat.

De lapidibus gemmiſque jam hinc agendum. Et primum quid *Lygdini* lapides fuerint, mihi aperias explaneſque velim, quos Plinius lib. XXXVI. cap. VIII. deſcribit in hanc ſententiam : *Paulum diſtare ab eo in unguentorum fidem multi exiſtimant Lygdinos in Paro repertos amplitudine qua lances crateraſque non excedant.* Etenim mihi *Lychnites* fuiſſe hæc ab Iſidoro prolata demonſtrant : *Parius candoris eximii Lychnites cognomento. Hic apud Parum inſulam naſcitur, unde & Parius nuncupatus. Magnitudo ejus qua lances crateraſque non excedat. Unguentis & ipſe aptus.* Quibus ſi nondum ſatis cernis quod tam claro argumento lucet, afferam ex ipſo Plinio quæ ſupra cap. V. comprenduntur, clariora : *omnes autem tantum candido marmore uſi ſunt e Paro inſula, quem lapidem cepere Lychnitem appellare, quoniam ad lucernas in cuniculis cæderetur.*

In eodem capite hæc male diſtrahuntur. *Magnus & duobus contrariæ inter ſe naturæ honos : Coralico in Aſia reperto.* Conjungenda ſunt: *honos Coralico in Aſia reperto.*

In capite XXIII. de calce paranda præceptum eſt, ne calx ex vario lapide coqueretur ; nam *ex albo melior, quam e duro, & ſtructuræ utilior : quæ ex fiſtuloſo tectoriis.* Quæ ſic accipio, ut probem hoc exemplo : *Ex albo melior atque e duro, & ſtructuræ utilior : quæ ex fiſtuloſo, tectoriis.* Hæc ex Palladio facile confirmantur : *Calcem* (ait lib. I.) *quoque ex albo ſaxo duro, vel Tiburtino, aut Columbino fluviali coquemus, aut rubro, aut ſpongia, aut marmore. Poſtremo quæ erit ex ſpiſſo & duro ſaxo ſtructuris convenit : ex fiſtuloſo vero aut molliori lapide tectoriis adhibetur utilius.* Sed clarius ex Iſidori lib. XVI. in quem multa a Plinio ſumpta congeruntur, & de calce in eandem rationem hæc : *Calx e lapide albo & duro melior ſtructuræ : ex molli utilis tectoriis.* Porro ſi primum fontem, a quo hauſit Plinius, cognoſcere vis, Vitruvium inſpicito lib. II. hæc docentem : *De calce diligentia eſt adhibenda, uti de albo ſaxo aut ſilice coquatur ; & quæ erit ex*

ſpiſſo

ſpiſſo & duriore, erit utilior ſtructuræ, quæ autem ex fiſtuloſo in tectoriis.

Ad gemmas poſtremo deſcendam, de quibus ultima cura Plinius lib. XXXVII. commentatus eſt. Itaque in Smaragdis Bactrianis *quos in commiſſuris ſaxorum colligere dicuntur Eteſiis flantibus; tunc enim tellure internitent, quia his ventis maxime arenæ moventur*, arbitratus ſum quid vetuſtate vel negligentia interiiſſe, exſcribente Iſidoro: *tunc enim tellure deoperta intermicant*, & Solino: *tunc enim, detecto ſolo facillime internitent*. Quapropter antiqua lectio reponenda videtur: *tunc enim tellure verſa nitent*. Sed hoc amplius vellem: *colligere dicunt*.

Poſt Smaragdos proxima dignitas datur Sardonychi; *Sardonyches* autem *olim, ut ex nomine ipſo apparet, intelligebantur candore in ſarda, hoc eſt velut carnibus ungue hominis impoſito, & utrinque translucido*. De quo etymo plura Iſidorus, eademque a Plinio deprompta: *Sardonyx*, ait, *ex duorum nominum ſocietate vocata eſt. Eſt enim ex Onychis candore & ſardo*. Hinc ſuſpicatus ſum ſuiſſe in Plinio: *intelligebantur ex Onychis candore, & ſarda*. Uſus item earum plurimum commendabatur; quoniam, ut addit Plinius, *ſolæ prope gemmarum ſcalptæ ceram non auferrent*. In quibus perfectam ſententiam deſiderabis, niſi ex Iſidoro ſumpſeris *in ſignando*, vel *ſignando*, nimirum: *ceram ſignando non auferrent*. Nam Iſidorus hanc gemmæ naturam & proprietatem ſic determinat: *Hæc ſola in ſignando nihil ceræ evellit*.

Chelidoniæ duorum ſunt generum Hirundinum colore, & altera parte purpureæ nigris interpellantibus maculis. Cum duo genera conſtituantur, unum tantum video, ab una parte Hirundinum colore, ab altera purpureum cum maculis nigricantibus. Hoc ipſum commemoratur ab Iſidoro, ſed dilucidius. *Chelidonia ex Hirundinum vocata colore, & duorum eſt generum, quarum una ex altera parte purpurea, & alia purpurea, nigris intervenientibus maculis*. Quare utrunque genus ab una parte Hirundinis coloris credo, altera vero parte primum purpureum, alterum purpureum, maculiſque nigris varium. Quæ ad Plinium emendandum transferre nemo vetat, præſertim cum in antiquis editionibus inveniam *& alia parte purpurea* pro *altera parte purpureæ*, ut in Iſidoro: *Dracontites ſive Dracontias e cerebro fit Draconum: ſed niſi viventibus abſciſſo nunquam gemmeſcit*. Exiſtimo *abſciſſa* eſſe ſcribendum, ut in manu exaratis libris ſervatur. Idem etiam Solinus commemorat, & tradit non eſſe lapidem niſi viventibus detrahatur; *ideo, ſomno obſopitis Draconibus, e capitibus exſecant lapides*. Idem refert Iſidorus dicens: *niſi viventibus abſciſſa fuerit*, non gemmeſcere.

Hormeſion inter gratiſſimas aſpicitur, ex igneo colore radiante auro portante

tante ſecum in extremitatibus candidam lucem. Hic lapis in Iſidoro *Ermiſcion* vocatur. Vocis veſtigia ſecutus cogitabam de *Hormiſcion* ἀπὸ τῦ ὁρμίσκυ, & quaſi parvum monile habebam.

Chalcophonos nigra eſt, ſed illiſa æris tinnitum reddit. Hoc exemplum vulgo probatur. Refertius eſt quod prodidit Iſidorus: *ſed lapidi illiſa æris tinnitum reddit*.

Brontia capitibus Teſtudinum ſimilis, & cum tonitruis cadens (ut putatur) fulmine icta reſtinguit, ſi credimus. Veteres editiones differunt: *Broniea* (hoc eſt *Bronte a*) *capitibus teſtudinum ſimilis, & tonitrua cadentia, ut putant, reſtinguit, & fulmine ictu reſtinguit, ſi credimus*. In antiquis vero Iſidori libris forma impreſſis: *Bronia a capite teſtudinum e tonitruis cadi putant, & reſtinguere fulminis ictus*. Recte igitur Harduinus ex veteri exemplari reſtituit: *Bronte e capitibus teſtudinum tonitribus cadit, putantque ea reſtingui fulmine ictum, ſi credimus*. Adhuc tamen mendum reſtare judico: vana enim opinio ferebatur, hunc lapidem contra tonitrua valere, eundemque fulminis ictus reſtinguere. Propterea *fulmine ictum* in *fulminis ictum* mutarem.

Oſtraciti Oſtreæ nomen & ſimilitudinem dedere. Scribendum eſt ex veteribus editionibus *Oſtracidi*: nam *Oſtracites* ſive *Oſtracias* alia eſt gemma, de qua ſupra loquitur Plinius.

Melichloron eſt geminus parte flavus, parte melleus. Cum flavum quoque ſit mel, unde Lucretius:

Nam veluti pueris Abſinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore:

idem eſt, ac ſi dicas, parte melleus, parte melleus, aut partim flavus, partim flavus. Equidem Iſidorus in antiquis ſecus atque habemus, invenit, cum ſcribat hanc gemmam bicolorem eſſe ex una parte viridem, ex altera melli ſimilem. Quare opinabitur quis fuiſſe in Plinio: *parte viridis, parte melleus*, ut nomenclatura docet. Nomen quoque non uno modo editum eſt; in vetuſtis forma expreſſis: *Melichros* (quod vitium ex proximis *Melleus Melichrota*, quæ rectius *Melleus Melichros*, emanavit) in poſterioribus: *Melichloron*. Verum optime in Iſidoro *Melichloros* habetur.

Plura mihi meditanti, diductis nubibus, offulget ſol, ac mutati venti ſerenitatem, & tutum iter in craſtinum promittunt. Aquas quoque ab iis locis qua tranſiturus ſum, receſſiſſe nunciatum eſt. Quamobrem, poſthabito Plinio, ocreas cras induam, & pro calamo flagellum capiam. Tu interea etiam atque etiam cura ut perpetuo valeas.

Dabam Patavio Nonis Octobr. CIↃ IↃCC XXXV.

FINIS.

INDEX

Rerum Præcipuarum, & Verborum.

A

Abellana, ab oppido Abella, *avellana*. 72.
Acarnanes & Cares uſi ſunt anno ſemeſtri. 283
Achaicus annus. 278
Acta D. Polycarpi emendantur. 274
Acus unde dicatur. 24
Acutus olim *acuitus*. 15
Ad præpoſitio quæ ex *a* cum *d* conſtat, retinebatur in compoſitis ab antiquis ſcriptoribus. 11
Ad vertebat etiam *d* in *u*. 11
Adedo. 493
Adudo valde humecto. 562
Æditumus cur dicatur. 8
Æſtiva de ſtabulis dicuntur. 481
Ætolicus annus. 278
Aetius Chaldaicam aſtronomiam ſequitur. 182.
Aetius emendatus. 183. 184. 185. 186. 187. 188.
Agmen unde exiſtat. 12
Agna olim *acnua* ſive *acna*. 96
Agnomen, *cognomen*, *ignominia* a *gnomen* veteri pro *nomen*, & illud a γνωμή. 12
Agnoſco, *cognoſco*, *dignoſco*, *ignoſco* ab antiquo *gnoſco*; hoc autem a γινώσκω.
Agricultor dubium eſt in Columella. 475
Ai pro æ tam in ultimis quam in primis mediſque ſyllabis poſitum. 9
Alalcomenius menſis III. Bœotius. 237
Alias, *alteras* quid. 18
Aliquis ex quibus conſtet. 16
Amoenus unde. 8
Ancilia ſacra. 329
Angyripa. 418
Anni Macedonici diſcrimina. 271
Anni diſcrimina VII. apud Italos. 287
Anni initia quot fuerint Romæ poſt Numam ad J. Cæſarem. 323
Anni Attici diſcrimina. 230
Annum antiquitus in hiemem & æſtatem apud Græcos diviſum. 209
Annum Atticum dierum CCCLX. non fuiſſe Athenis popularem. 222
Annum lunarem etiam Homeri atque Heſiodi ætate notum fuiſſe. 233
Annum Metonicum aut Callipicum nuſquam apud Græcos fuiſſe popularem. 243.
Annus ſolari minor quos uſus præſtet. 283
Annus Ægyptius vetuſtiſſimus primum ex I. menſe, deinde ex II., tum ex IV. 283.
Annus Ægyptiacus ex quo Julius annus deſumptus eſt. 362. 363. 364. 365. uſque 371.
Annus Ægyptiacus & Chaldaicus qua ratione inter ſe referantur. 369. 370.
Annus Ægyptius civilis vagus unde principium ſumebat. 180
Annus Æolius X. menſibus definitus. 280
Annus Albanus. 280. 293
Annus Arcadum trimeſtris. 283
Annus Atticus civilis. 221. 227 237. 238
Annus Atticus cum Bœotio collatus. 238
Annus Atticus ſolaris. 214
Annus Bithynicus. 276
Annus Pœotius. 200
Annus Chaldaicus ſolaris vernus. 188
Annus Chaldaicus ſolaris canicularis. 188
Annus Corinthius, idemque Syracuſanus. 263.
Annus magnus Callippicus. 241
Annus Callippicus ſolaris. 253
Annus qui Gregorianus vocatur, & quo nunc utimur, antiquiſſimus oſtenditur, & ad Callippum auctorem refertur. 245.
Annus intercalaris Romæ. 328. 329 330
Annus Julius ſive Julianus. 352
Annus qui *Confuſionis* vocatur, dies complexus eſt CCCCXLVII., & menſes XV. 350
incepit, ſole Libræ XV. partem colluſtrante. 350
Annus Pompilius quo a Numa ad extremum Reipubl. tempus uſi ſunt Romani, Chaldaicus erat. 310. 311. 312.
Annus Lavinius. 287. 288.

Annus magnus Metonicus. 239
Annus Lacedæmonius. 266
Annus Olympicus. 259
Annus Macedonicus, exoriente Arcturo, inceptus. 271
Annus Macedonicus poſt Alexandri magni victoriam ad Granicum inceptus XVI. cal. Novembr. 272
Annus Macedonicus ſolaris a Dio menſe inceptus. 273
Annus ſolaris Macedonicus Julianus qualis. 272
Annus ſolaris Syromacedonicus. 272
Annus Romuleus. 280
Annus Thebanus. 278
Annus ut dividitur ab Hippocrate, & ab Euripide. 209. 227.
Anthesterion Atticus menſis VIII. 221. 226. 227. 237. 238.
Apellæus menſis II. & IV. Macedonum. 272. 273. 274.
Aphrodiſius menſis Bithynicus XI. 276
Apiacon in Catone vitium eſſe. 84
Apica quid. 421
Apicius de re culinaria emendatus. 452
Apollonius menſis I. Olympicus. 260
Apud pro *ad*. 455
Arbuſtum Italicum quid. 523. 524.
Arceo unde originem habeat. 11
Arceſſo unde. 11
Arcus cur dicatur. 11
Arſiare vernaculum ab antiquo *arſlare* ortum. 11
Arius menſis Bithynicus IX. 276
Ariſtoteles emendatus. 228
Artemiſius menſis VII. & IX. Macedonum. 272. 273. 274
Artemiſius Lacedæmonius menſis VIII. 269.
Articularius quid. 85
Aruſpex cur dicatur. 18
Arvum cur dicatur. 125
vocatur ea pars fundi quæ arari & ſerii ſolet. 129. 130. 131
Ara unde deſcendit. 11
Aſconius Pædianus emendatur. 321
Aſſatura Aſſa. 452
Attica Aſtronomia. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219.
Attici cur extremo anno non intercalabant. 231. 232.
Auctor *Catalect.* emendatus. 103
Audinæus menſis III. & V. Macedonum. 272. 273. 274.
Audio cur dicatur. 21
Averruncus Deus cur dictus. 164
Avia herba ex quo corrupta. 542
Aula olla idem. 9
Aurata & *orata* idem. 8
Aurichalcum & *Orichalcum* idem. 9
Auriga qui. 434. 435
Autumnum autumni. 556

B

Biceps triceps cur dicantur. 19
Bendinæus Bithynius menſis VII. 276
Boedromion Atticus menſis III. 221. 222
Bœotia Aſtronomia. 200
Bœotia Dieteris qua ratione cum Attica componatur. 236
Bœotii incipiebant annum die VIII. Atticorum. 236
Bœotii utuntur Atticis menſibus in anno Bœotio. 238
Brumalia ſacra. 508
Brutus quandiu conſul vixit. 324
Bucatius menſis V. Bœotius olim Lenæon. 237.
Bucatius menſis I. Thebanus. 278

C

Calendarum uſus. 289. 292
Calendarium Ruſticum Farneſianum Falſum eſſe monumentum. 393. 394
Calendarium quo Ovidii Faſtos illuſtrant, barbarum eſſe. 398
Calendarium quod ad Conſtantini Magni tempus refertur, falſum eſſe & barbarum. 399
Caldus pro *calidus*, & vernaculum *caldo*. 157.
Callippicus annus ſolaris. 253
Callippica aſtronomia. 254
Callippus emendatus. 257. 258
Capior pro *impedior*. 427
Carpinus atra hodie Oſtrya. 46
Captus impeditus. 424
Carneades natus III. non. Maii. 279
Carnia ſacra apud Spartanos. 267
Carnius menſis Corinthius, Syracuſanus, & Spartanus. 264
Carnius δίμηνος menſis Intercalaris Syracuſanus. 264
Carpum pro fœno Græco barbarum eſt. 594
Caſeale vitium eſſe in Columella. 498
Cato de R. R. emendatur. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

10. uſque ad pag. 90. 151. 170. 171.
Cavia ex quo vernaculum *gabbia*, & *caviares hoſtiæ*. 459
Cauda & *coda*. 9
Caulis non ſolum de frumento, ſed etiam de legumine, nempe pro culmo & ſcapo adhibetur. 163
Cautus olim *cavitus*. 15
Cedo pro *co*. 167
Celſus Juriſconſultus emendatus. 320
Cepſos unde vernaculum *ceſſo*. 19
Ceſtus ex quo vernaculum *ceſto*. 44. 94
Chaldaica aſtrorum ratio. 182. 183. 184. 185. 186. 187. 188.
Chaldæi qua ratione annum ſecabant. 175
Cibalis, & *cibilis*. 443
Cicera quid. 459
Circumculco barbarum videtur in Columella. 520
Circumcalco ſcribendum in Columella *circum calco*. 525
Cis vel *gis ulſue*. 441
Civis ex quo dicatur. 15
Clam unde. 14
Clauſum, *clauſi*. 549
Clavola quid. 155
Clepo & *traclepo*. 439
Codex & *caudex* idem. 8
Coenum a *coenire*. 8
Cohors unde exiſtit. 21
Coitio pro *cogo*. 455
Colo quid. 21
Columella emendatus. 93. 142. 183. 184. 186. 187. 205 216. 217. 248. 249. 250. 254. 255. 256 258. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 372. 373. 374 375. 377. 378. 389 390. 403. 429. 432. 435. 451. 467. 468. 469. 470. uſque ad pag 612
Cominus comparandi vim habet. 525
Commeto quid. 450
Commiſtura in Catone vitium eſſe. 83
Commuro quid. 435
Concha quid in Columella. 594
Conditicius barbarum eſſe. 563
Confaceo quid in Varrone. 104
Confert & *confertur*. 487. 488
Conſulatus initia Romæ. 323. 324. 325. 326. 327.
Conſules primi quo anni tempore inierunt honorem. 323. 324
Cornelius Nepos emendatus. 234
Cornu de *ungula*. 199.
Corus, *caurus*. 8.
Cremia ligna a *cremo*, poſtea appellata *gremia*. 171
Culina pro *colina* vitium eſſe. 102. 103
Cuna a *coenire*. 8
Cunacula ſive *cunabula* ex quo exiſtunt. 14
Cunire apud veteres *cunire*. 8
Cunnus a *cunire* unico *r* apud antiquos. 8.

D

DLitera in fine. 15. 16. 17.
Dæſius menſis VIII. & X. Macedonum. 272. 273. 274
Damatrius menſis IV. Bœotius. 237
De ſub barbarum oſtenditur. 589
Dehauritum olim *deoritum* quid. 83
Deliro cur dicatur. 133
Dematrius Bithynicus menſis XII. 276
Demetrion Argivus menſis. 264
Democritus emendatus. 206. 249. 403
Depetigo olim *deipetigo*. 88
Deſſitus non *diſſitus* in Varrone. 120
Dicor pro *jubeor*. 424
Didymus emendatus. 368
Dieteris Attica. 230. 231
Dieteris Bœotia. 210. 237
Dieteris, Chaldaica. 174. 175. 176. 181
Dieteris Romana a Cal. Jan. 228 335. 336
Dieteris Romana Eudoxi faſtis exornata. 338.
Dieteris Romana a cal. Mart. 340
Digamma Æolicum cum *o* veteres conjungebant. 5
Dionyſia & Liberalia eodem tempore acta. 227
Dionyſius Halicarn. emendatus. 235. 236
Dionyſius Bithynicus menſis IV. 235
Dioſcorus menſis intercalaris apud Macedones, & Chaldæos. 182
Diradio barbarum eſſe in Columella. 528
Diſplodo quid ſignificet. 433
Dis quid. 18
Divaro ex quo *varus*. 429
Divortium cur dicatur. 5
Dius Bithynicus menſis VI. 276
Dius menſis I. & III. Macedonum. 272. 273. 274.
Diutinus quid. 18
Domnus pro *dominus*. *Donno*, *donna* vernacula. 448
Draco in Vite quid. 523. 524
Dum pro *dummodo*. 75
Duro & *deduro* pro *perſevero*, *permaneo*. 439

Duro de Vite quid. 528
Dyſtrus menſis V. & VII. Macedonum. 272. 273. 274.

E

E *A* pro *eo*. 457
Educo educis, alo & nutrio. 437. 438
Ejuncidus pro *juncidus*. 421. 441
Elaphebolion Atticus menſis IX. 221. 227. 228. 231. 237. 238.
Elaphius menſis Olympicus IX. 261
Enim cur dicitur. 19
Epidromum dubium videri in Catone. 39
Epiſtata in Catone improbatur. 61
Epulæ quid. 420
Equiria. 318
Erice ſive Siſara. 458
Et eo ſive *& ea* pro *ideo*. 559
Euctemon emendatus. 215. 216. 217. 218. 219. 250.
Eudoxus emendatus. 200. 202. 205. 206. 207. 208. 250.
Eutropius emendatus. 341
Exigo produco, extraho. 514
Experior tento. 511. 512
Experior expedio, libero. 85. 86.
Experius olim *experitus*. 86

F

FAbariæ calendæ. 314. 346
Famix quid. 541
Farraginaria barbarum recrementum. 583
Farrago olim *ferrago*. 139
Faſti conſulares quo anno incipiunt. 324
Faſti Siculi emendati. 274
Faſti triumphales notant annum quo triumphans conſul creatus eſt, diem quo ductus eſt triumphus. 326
Faſti Ovidii illuſtrantur. 400. 401. 402. 403. 404. 405. 406. 407. 408. 409. 410. 411. 412.
Feralia. 319
Feſtus Avienus emendatus. 162
Feſtus Sext. Pompejus emendatus. 118. 435.
Fibræ folia anguſta. 64
Fiſcina olim *faſcina* ex quo vernaculum *faſcina*. 51
Florentinus rerum ruſt. auctor emendatur. 246. 247. 355. 360. 428. 429.
Florus emendatus. 589
Focillo & *refocillo* cur dicantur. 67
Focus, focula, foculus inſtrumenta coquinaria. 66. 67
Forda quid. 14
Fornax unde exiſtit. 51
Fornix unde. 51
Fortaſſean forſitan. 450
Fortax quid. 51
Fraces ex quo dicantur. 104
Frit barbarum videtur. 163
Fronto de R. R. emendatus. 440
Frumentum quid dicatur. 163

G

GAnte *n* poſitum. 12
Gamelion Atticus menſis VII. 221. 226. 227. 231. 237. 238.
Gargilii Martialis inſcriptum fragmentum falſum eſſe & barbarum. 466
Gemmo, gemmaſco. 516. 517
Geraſtius Lacedæmonius menſis IX. 269
Germino. 516. 517
Glæba olim *clæva* unde exiſtit. 125
Glitus. 56
Γλώσσα ſive γλῶττα cur dicta. 20
Gnatus cur ſcribatur. 12
Gorpiæus menſis I. & XI. Macedonum. 172. 173. 174.
Granatus, tus, barbarum eſt. 61
Græcorum anni, menſes, & dies qua ratione cum Latinis componantur. 277
Græci ab Ægyptiis aſtronomiam accepere. 365. 366.
Guberno a qua origine. 24
Gutiur unde exiſtit. 20

H

HEcatombæon Atticus menſis I. 221. 222. 229 237. 238.
Hecatombæus menſis Lacedæmonius X. 271.
Harundulatio barbarum videtur. 94
Hauſtus & hoſtus idem. 9
Heraclius Bithynicus menſis V. 276
Hereus Bithynicus menſis I. 276
Hermæus menſis VI. Bœotius. 237
Hermus Bithynicus menſis II. 276
Herodotus emendatus. 176
Heſychius emendatus. 209. 210
Hexeteris Romulea. 284. 285. 286. 304. 305. 306.
Hexeteris Albana. 295. 296.
Hibernacula de ſtabulis. 481.

Hiemis recto casu? 555. 556
Hippodromius mensis Bœotius XII. ostenditur. 237
Hippocrates emendatus. 234
Humor olim *umor* ab *ὑγρὸς*. 13
Hyacinthia sacra Spartana. 270. 271
Hyperberetæus mensis II. & XII. Macedonum. 272. 273. 274

I

Longum qua ratione scribebatur a veteribus. 6. 7
Jana luna quid. 146
Jani signum qua ratione anni dies digitis ostenderet. 314
Idem quid. 16
Idus quid essent. 289. 292
Illicio, *illicium* olim *inlicio*, *inlicium*. 109
Illuvies a *luo lavo*. 552
Imbecillis cur dicatur. 15
Immergio barbarum verbum. 531
Impunis olim *impœnis*. 8
In olim *indu*. 11
Indulgeo quibus componatur. 11
Indoles quibus constat. 11
Indolesco quibus fit. 11
Inexitiabilis pro *insatiabilis*. 558
Infidus, *bifidus*, *trifidus*. 127
Inquinatum olim *incunatum* a *cunire*. 8
Intercalabatur Romæ alternis annis mensis. 319. 320. 328. 329 330. 331. 332. 333. 334.
---- modo peractis Terminalibus, modo peracto Regifugio. 329
Intercalares calendæ priores apud M. Tullium quid. 351
Interculco barbarum videri in Columella. 592
Interdius pro *interdiu*. 441
Interdum cur dicitur. 19
Interea quid. 17
Interim unde ortum. 17
Intertaleo barbarum esse verbum. 154
Intra ex *entera*. 17
Intus quid. 18
Ipse cur dicitur. 19
Is, *ea*, *id*. 16
Isthmia instaurata Olympiade XLVIII. 263. 264.
Istrius, *a*, *um* olim *instrius*, quod caret striis. 133
Jugulas hoc est Orionem male ab Julio Firmico *Asellos* dici. 198
Jugum agri modum fuisse apud Hispanos. 76.
Julius Cæsar quæ de stellarum ortu atque occasu, ipsarumque significatione Græce scripserit. 372. 373. 374. 375. 376. 377.
Julius Firmicus emendatus. 385
Justus quondam *jusitus*. 14

L

Labium olim *labia* etiam. 42
Lar & Larunda. 23
Lamiæ cur dicantur. 542
Lamium cur vocatur. 542
Legumen qua ratione distinguatur a frumento. 163
Lepus unde dicatur. 455
Libertus & *liberta* antiquitus *liberatus* & *liberata*. 14
Libri qui inscribuntur *Largi Designatiani*, *Plinii de re medica*, *Prisciani* item, & *Sorani Ephesii* nullius pretii habendi sunt, sed barbari. 399. 400
Librum Ptolemæi titulo *de stellarum significationibus* quem Nicolaus Leonicenus latinitate donavit, totum ferme ex Columella esse contextum. 183
Librum Ptolemæi titulo qui inscribitur *φάσεις ἀπλανῶν σημασίων* falsum esse. 412. 413. 414. 415. 416.
Lingua Bubula quid in Catone & Plinio. 53
Locuplex cur scribatur. 19
Lora cur dicatur. 45
Lotus vel *Lota Phrygia* corrupta pro *Caltha*. 577
Lous mensis Macedonum X. & XII. 272. 273. 274.
L. Accius emendatus. 66. 126. 127
Lucilius emendatus. 88
Ludi Apollinares. 262
Ludus ex qua origine. 312
Lupercalia & Lycæa eadem sacra. 281
Lygdinus lapis legendus *Lychnites*. 614

M

Mactus, *a*, *um* a *mactо*, hinc vernaculum *matto*; quoniam amentes plerunque sensim evadunt, ideo *matto*, in quo aucta est amentia. 49
Macrobius falsitatis coarguitur scribens, floren-

florente republ. Saturnalia uno die finita. 348. 419
Madeo pro *miteſco*. 578
Mæmacterion Atticus menſis IV. 221. 223. 224. 225. 237. 238.
Magnitudo de numero dicitur. 426
Manilii aſtronomia, ejuſque annus cœleſtis. 193. 194. 195
Manilius emendatus. 198. 199
Mavors cur dicatur. 6
Meapte, ſuapte, tuapte, noſtrapte. 16
Melichros gemma. 66
Mena piſcis, vulgo *menola*. 43
Menſes Albani. 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303.
Menſes antiquiſſimis temporibus a dextra in ſiniſtram computabantur. 289
Menſes Attici. 220. 221
Menſes Latini qui ab imbre vocabantur. 301. 302.
Menſes Romulei. 281
Mercedinus intercalaris. 191. 219. 220
Meretricor barbarum verbum. 580
Mergus, & ejus genera. 150
MERK quid in antiquis faſtis ſignificet. 352
Metagitnion Atticus menſis II. 221. 222. 237. 238.
Μετόπωρον & Φθινόπωρον quid Græci vocant. 276
Metrous Bithynicus menſis III. 276
Mina Ovis quæ. 421
Mium ex quo vernaculum *mio*. 19
Mænia cur dicantur. 8
Mulier unde exiſtit. 10
Multa quæ nunc per *o* ſcribimus, veteſtiſſimi per *u* ſcribebant, & contra. 7. 8.
Multa quid. 418. 419
Munychion Atticus menſis X. 221. 223. 224. 225. 237. 238.

N

Narus a *narro* olim *gnarus*, unde *ignarus, ignorantia, ignoro*. 12
Natio olim *gnatio*, ex quo *prægnatio*, & *prægno*. 12
Naviter olim *gnaviter*, ex quo *ignaviter*. 12.
Navus antiquitus *gnavus*, ex quo *ignavia, ignavus*. 12
Negotium quid. 19
Nemea ſacra. 264
Neus & *gneus* cur idem. 12
Nimium. 24
Nobilis antiquitus *gnobilis*, unde *ignobilis, ignobilitas*. 12
Nomenclator antiquitus *nomen calator*. 14
Non antiquitus *nenu*. 19
Nonarum uſus. 289. 290. 292
Nonius Marcellus emendatus. 154. 166
Novale quid. 478
Nubilar non *nubilarium* ſcribendum in Columella. 483
Nucleus antiquitus *nuculeus*. 15
Numa anni Romani auctor. 313. 314
ab Hetruſcis edoctus. 313
regnare cepit anno U. C. XXXIX. 323.
qua ratione ſuperiora tempora perfecerit. 307. 335

O

Oburo & *turunda* unde exiſtant. 20
Occare ab *obcæcare*. 135
Octeateris Attica. 235
Octeateris Lacedæmonia. 269
Octeateris Macedonica ab arcturi exortu incepta. 272
Octeateris Macedonica incepta, prodeunte veſpere Vergiliarum ſidere. 272
Octeateris Olympica. 260
Octeateris Eudoxi. 212. 213.
Octeateris Syracuſana & Corinthia. 264
Octeateris Thebana. 278
Oleam alternis annis ferre fructum. 166.
Olympia & Myſteria Romana. 331. 332
Olympia Julia vulgo *biſſextum*. 334
Olympiades. 260
Operarius, & *opera* antiquitus *obærarius*, & *obæra*. 107
Ὀπώρα quid ſit. 276
Opulus vulgo *Oppio*. 524
Origa quid. 434. 435
Orthociſſos. 582
Oſtracis gemma. 616
Ou pro *u* uſurpatum a veteribus antiquitus. 9
Ovidius emendatus. 392. 405. 406. 407. 470

P

Pabulum antiquitus *Fabulum* cur dicatur. 35

Palla-

Palladius de R. R. emendatus. 247. 502. 535. 546. 561. 568. 570. 580. 609.
Pallor unde fit. 15
Panathenæa inſtituta anno Olympico CCXI. acta extremo menſe Hecatombæone. 266.
Panemus I. menſis Bœotius. 237
Panemus menſis IX. & XI. Macedonum. 272. 273. 274.
Parthenius menſis Olympicus XII. 260
Participia apud antiquos verborum in *is* ſecunda inflexione deſinentium, *e* in *u* mutant. 7
Partim pro *præcipue*. 32
Pavimentum etiam materia ex qua fit. 482.
Paulus juriſconſultus emendatus. 611
Pauſanias emendatus. 236
Pello. 15
Pereo ultro citroque eo. 145. 535
Peræpius Bithynicus menſis X. 276
Peritius menſis IV. & VI. Macedonum. 272. 273. 274.
Perpenna unde. 23
Perrlo. 448
Pes pedis antiquitus *pes petis*. 88
Pes in architectura. 480
Petiolus cur dicitur. 88
Phliaſius Lacedæmonius menſis IV. 269
Piaculum quid, cur & ſacrificium, & delictum. 21
Pius atque *impius* unde exiſtunt. 21
Plaudo & *plodo* idem. 9
Plato natus X. cal. Jun. 279
Plauſtrum & *ploſtrum* idem. 9
Plautus & *plotus* idem. 9
Plautus emendatus. 80
Pleraque, *plerunque* unde dicuntur. 23
Plinius *Nat. Hiſt.* emendatus. 27. 35. 47. 48. 52 53. 55. 56. 57. 59. 151. 169 183. 184. 185. 186. 200. 202. 203. 215. 216. 218 228. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 365. 366. 367. 372. 373 374. 375. 376. 377. 378. 379. 380. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 389. 390. 391. 392. 430. 488 504. 505. 524. 531. 536. 582. 594. 612. 613. 614. 615. 616.
Plis pro *plus*, & *amplis* pro *amplus*. 421
Plutarchus emendatus. 267. 307
Pœna, a *pœnio* pro *punio*. 8
Polybius emendatus. 324
Pomum quidquid exſtirpe ut malum eſtur, vocatur. 610. 611. 612
Ponor contineor, *conſiſto*. 53
Por unde *Marcipor*, *Caipor*. 23
Porca quid. 76
Porcus ſerarius quis. 80
Porſenna unde dicitur. 23
Porto, *Porticus*, *Porta* cur dicantur. 51
Porus unde appellatur. 15
Poſideon Atticus menſis VI. 221. 226. 237. 238.
Poſideon alter menſis intercalaris Atticus. 231.
Poſitus olim *poſtus* a quo vernaculum *poſto*. 14
Poſt cur dicatur. 17
Poſtea antiquitus *poſtidea*. 17
Poſthabeo poſtmitto. 17
Poſthac quid. 17
Poſthumus cur dicitur. 17
Poſtilla quid. 17
Poſtquam & *poſtea quam* quid. 17
Poſtridie unde dicitur. 18
Præ præpoſitio olim *pri*. 16
Præcipio, *præceptum*, *præceptor* priſco ſignificatu. 76. 77. 583
Prælium ad Platæas quo cæſi fugatique Perſæ a Græcis, evenit IV. cal. Sext. 236
Præſens quis. 16
Præſtites unde dicantur. 16
Præſul unde originem habeat. 18
Præſum ex quo efformetur. 16
Pridem cur dicatur. 16
Pridie ex priſca ſignificatione. 18
Princeps quibus componitur. 16
Pris, *prior*, *primus*. 16
Priſcus unde deducitur. 16
Priſtinus ex qua origine. 16
Promedius. 450
Proſtaterius menſis Bœotius VII. 237
Protinus continue. 602
Ptolemæus emendatus. 178. 242
Publ. Clodii interitus. 320. 321
Pugna navalis ad Salaminam contra Perſas evenit VI. cal. Sept. 267
Pugno ex qua origine. 24
Pugnus a πυκνός. 12
Purgo antiquitus *purigo* ſive *purico*. 15
Purifico cur dicatur. 15
Pyanepſia ſacra. 274. 275
Pyanepſion Atticus menſis V. 221. 223. 224. 225. 237. 238.
Pyſius I. menſis Delphicus. 262
Pythia ſacra. 262

Q

QU pro *cu* utebantur veteres . 12
Qua & *quo* pro qua ratione. 417. 421. 561.
Qui communis generis fuit. 157
Quidam ex quibus conſtat. 16
Quidem quibus componitur. 16
Quinquatria ſacra. 406
Quintilii de R R. ſcriptores emendantur. 246. 248. 249. 250. 251.
Quirinalia ſacra ante Romulum inſtituta. 281
Quotidie quibus fit, & quare. 18
Quoties, *toties*, *aliquoties* olim *quotiens*, *totiens*, *aliquotiens*, & qua de cauſa. 20

R

RLitera extrema in compoſitione unde originem habeat. 23
Raſis quid. 590
Redimiculum quibus componitur. 16
Redimio unde exiſtit. 16
Regifugium a. d. VIII. cal. Jun. quo Tarquinii in exilium pulſi ſunt. 323. 324
Regifugium antiquitus prid. cal. Mart. aut prid. cal. Interc. quo Tarquinii debellati ſunt. 324
Reiicolæ Oves rejiciuntur de fundo Varroniano. 420. 431
Reſtringo pro *relaxo* & *reſolvo*. 489
Rex ſacrificulus Græcorum exemplo creatus Romæ. 290
Robigalia ſacra quo anni tempore agebantur. 314. 336
Robur pro firmo ligno & duro. 565
Robur multas ſtirpes complectitur. 565
Robur Quercus dicitur minoris glandis. 565.
Roma cur dicatur Palilibus condita. 304. 305. 306.
—— quo anni tempore ceperit. 306. 307. 308.
—— quo anno Olympico. 307. 308
Romani ſcribendo & loquendo Nonas poſt Idus ponebant. 292
Romani uſi ſunt anno Eudoxi faſtis exornato. 339. 340
Romulus quot annis regnavit, & quo anni tempore deceſſit. 307
Rubigo Dea. 164
Rumis, *Rumen* mamma. 446
Rumna & Rumina Dea. 445
Rumpo depravo. 530
Rumpotinctum quid. 529
Runca in Columella quid. 494

S

SNon geminabatur apud vetuſtiſſimos. 10.
Sabinarum raptus. 418. 419
Sacra multa apud Romanos repeti conſuevere, & quare. 281
Salix & Salictum ex qua origine. 49
Saltus. 49
Saluber pro *utili*. 554
Sarmentum latum quid. 523
Saturnalia. 348. 349
Saturnus cur dictus. 23
Scipionia Vitis non *Spionia*. 505
Scirophorion Atticus menſis XII. 221. 229. 230. 231. 237. 238.
Scribo unde originem habeat. 14
Scrotum olim *ſcrautum*. 8
Scrupulum in ponderibus & menſuris non dici, ſed *ſcriptulum*. 97. 98
Sedeo inferiori loco ſum. 526
Seges dicitur ea pars fundi quæ arari & ſeri ſolet. 125. 126. 127. 128
Semen quid ſignificet. 22
Semen appellatur Far adoreum. 496
Seminis genera. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154.
Semivocales literæ non geminabantur apud antiquos. 10
Senioſus quid in Catone. 86
Septembona barbarum, & vitium. 83
Sex, *ſeptem*, *ſerpullum*, *ſuper* a Græcis veniunt. 18
Sica & *ſicarius* a *ſico* pro *ſeco*. 10
Sictor quid. 77
Sileo, *ceſſo*, *quieſco*. 554
Siligo quid. 492
Simonianum Triſolium nullum eſſe. 543
Simulis pro *ſimilis*. 434
Siſamum vitium eſſe pro *Seſamum*. 560
Siſara quid. 453
Siſenna quibus componitur. 23
Siſera quid. 459
Soboles olim *ſuboles* ex quo originem habeat. 11
Sodes olim *ſi audes*. 8
Solidum antiquitus *ſoldum*, unde vernaculum *ſoldo*. 14
Somnus cur dicatur. 18

Soracte, *Soractis*, *Sauractis* idem. 424
Sorbus & Sorba antiquitus *sorrus*, *sorra* a qua origine. 35
Sorex olim *saurex*. 8
Spatium pro magnitudine. 508
Spica in Allio quid. 63
Spira antiquitus *spæra* pro *sphæra*. 69
Stercore quarundam avium vivere animalia. 147. 148
Stipendium pro *impensa* vitium esse in Columella. 488
Stipula antiquitus *stipla*. 14
Stolo, & ejus genera. 150
Strategius Bithynicus mensis VIII. 276
Strictor quid. 77
Stringere pro decerpere. 166
Stringère de ferro. 614
Substramentum vitium esse in Catone. 89
Sudor cur dicatur. 18
Sulphur ex qua origine. 18
Superbia quibus constat. 22
Superlativa nomina per *u* veteres scribebãt. 7
Susum antiquitus non *sursum*, unde vernaculum *suso*. 13
Syromacedonum menses & anni. 272. 273

T

TAbula Augusti qua annum Julium correxit. 381. 382. 383. 384. 385
Tabula Cæsaris Dictatoris. 352
Tagliare vernaculum ex quo ortum. 154
Talea ex qua origine. 154
Tamarix non est Tamariscus. 570
Tamnus vulgo *Tanno* Bryonia nigra. 577
Tegumen non *tegmen* in Columella. 483
Tempestivo pro *tempestive*. 62
Tempora apud Romanos discreta, ut apud Chaldæos. 315
Tempus unde dicitur. 13
Tenco prohibeo, vel *defendo*. 435
Terminalia sacra ante Numam. 312
ultimus anni dies. 312. 316. 317
Terra olim *tera* a terendo. 22. 27
Tetraeteris Attica. 235
Tetraeteris Olympica. 260
fit ex geminata dieteride Chaldaica. 260.
Thargelion Atticus mensis XI. 221. 229. 237. 238.
Theophrastus emendatus. 142. 145. 148. 152. 228. 612.
Thyrsus quid. 578
Θύος quibus fit. 425
T. Livius emendatus. 291. 329. 341. 348
Tollo quid significet. 437
Tracio verbum. 48
Trans veteri consuetudine *tra*. Fit a πέρα πρᾶ. 12
Trebulæ olim *treblæ*. 14
Trepido pro *festino*. 460
Trieteris Lavinia. 287. 292. 293. 294
Triticum *Robus* appellatum quid. 492
Triticum trimestre. 492
Troja incensa IV. idus Jun. 235
Tuber Leonis quid. 357. 358
Tullius Marc. Cicero emendatus. 135. 291. 319. 321. 322. 345. 517.
Tum quid. 19
Tusci Lydii generis. 312. 313
non ludicris tantum artibus, sed etiam liberalibus instructi. 313

V

Vacerra ex quo. 15
Vacillo unde existit. 15
Vacio verbum. 22
Vacuus quid. 15
vafer, *vafellus* ex quo. 15
valde olim *valide*. 14
Valisca Vitis non *Basilica* dicenda. 504
Vaperfus vaperfuto. 14
Vaporo ex quo. 15
Vapulo ex quo ortum. 15
Varro de L. L. emendatus. 289. 318
Varro de Vita P. R. emendatus. 102
Varro de R. R. emendatus. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 18. 19. 20. 33. 36. 37. 38. 90. usque 172. 355. 356. 359. 360. 362. 416. usque 463. 547.
Varro eodem anno de R. R. & de L. L. volumina scripsit. 317. 318
Vasto ex quo existit. 15
Vasum vasi. 461
Vecors vecordia unde. 15
Vegetius de R. militari emendatus. 392. 393.
Vegetius de R. veterinaria emendatus. 543.
Vegrandis quid. 15
Vehemens, *vehementia* quid. 21
Veho, & *vehiculum* unde. 21
Vejentes cur appellati Sardiani. 313
Vellimina antiquitus *vellimna*. 14
Ver quot dies Romæ continebat. 315. 343.
Veredus ex quo. 15

Pervectum quibus componitur. 22
Veſtibulum ex quibus. 15
Veteretum quid. 477. 478
Vexillum quibus fit. 15
Vexo ex quo. 15
Viere apud antiquos pro *vincire*. 118
Villicus idemque actor. 469
Vinalia ruſtica. 314. 318
Vinalia priora & πάροιγιε tempore quo agebantur, convenire interſe. 226. 227
Vinctus us cur dicatur. 169. 170
Violentia & *major vis* idem. 474
Virgilii Georg. emend. 153. 479
Virgultum antiquitus *virculium* cur. 423
Viride quid proprie dicatur. 35
Vis ciſve vel *giſve*. 441
Vocales ſimplicium dictionum in compoſitis non mutatæ. 9. 10
Vortex & *vertex* ab antiquo *verto* natum diſcriminis cauſa a politioribus diſtinctum. 5
Uriatini populi ab Uria Appuliæ oppido. 95.
Urruncus cur dicitur. Vitium eſt frugum *Nebbia* vulgo appellatum. 164
Ut pro *vel*. 110

X

XAnthicus menſis VI. & VIII. Macedonum. 272. 273. 274.

Y

YΛικῶς. 456

FINIS.

Vitia nonnulla quæ in hoc opus irrepſerunt, ſic eximenda ſunt.

Pag. 5. verſu 26.	*deorſom.*	deleatur, aut transferatur ad pag. 8. verſ. 33.
Pag. 10. verſ. 17.	*molitam*	eximatur.
Pag. 14. verſ. 21.	*leutus*	leg. *lecitus*
Pag. 16. verſ. 15.	id	leg. idem
Pag. 34. verſ. 38.	*ſuppeditent.*	leg. *ſuppeditent?*
Pag. 38. verſ. 26.	ferreas	ſcrib. *ferreas*
Pag. 53. verſ. 19.	it aque	ſcrib. itaque
Pag. 57. verſ. 28., 29.	ut terra ſuperveniat	leg. terram ſupervenire
verſ. 32.	li. & lii.	ſcrib. LI. & LII.
Pag. 60. verſ. 24.	*cœlebs.*	ſcrib. *cælebs*
Pag. 123. verſ. 25.	*ſtationes*	leg. *ſationes*
Pag. 148. verſ. 33.	αὐτό ματος	ſcrib. ἀυτόματος
Pag. 176. verſ. 18.	dcc. dl	ſcrib. DCC. DL. & id ſic intelligatur de ſimilibus, ubi literæ d & l pro D & L a typographo adhibitæ ſunt.
Pag. 183. verſ. 24.	τῷ αὐτῷ κgὶ	ſcrib. τῷ ωὐτῷ κγ′
Pag. 192. verſ. 21.	prætendantur	ſcrib. prætenduntur.
Pag. 198. verſ. 11.	*ſtammas*	leg. *ſtammis*
Pag. 205. verſ. ult.	τέφανος	leg. στέφανος
Pag. 206. verſ. 30.	προπὴν	leg. τροπὴν
Pag. 207. verſ. 38.	χαλάνα	leg. χαλάζα
Pag. 208. verſ. 18.	*Pleiades*	ſcrib. *Pleiadas*
Pag. 222. verſ. 6.	τἀλαντα	leg. πέντε τάλαντα
Pag. 226. verſ. ult.	Prodiit	leg. Prodidit
Pag. 235. verſ. 16.	CIↃ CIↃ DCC CCXX.	ſcrib. CIↃ CIↃ DCCCCXXII.
Pag. 246. verſ. 1. & alibi ubi	καλανδῶν	ſcrib. καλάνδων
Pag. 257. verſ. 30.	ἐπι τέλλων	ſcrib. ἐπιτέλλων
Pag. 279. verſ. 15.	cal. Jun.	leg. cal. Jan. ſic pag. 362. verſ. 22.
Pag. 305. verſ. 7.	repetam	leg. repetendum
verſ. pen.	C VIII.	ſcrib. CVIII.
Pag. 337. verſ. 7.	XLII.	ſcrib. XCII.
Pag. 375. verſ. 17.	Ptolemæus	leg. Pſeudoptolemæus
Pag. 384. verſ. 8.	poſt cæteris	addantur: ſi horas excipiamus.
Pag. 412. verſ. 9., 14.	φάσις	ſcrib. φάσεις
Pag. 493. verſ. 21.	*poſſet*	leg. *poteſt*
Pag. 495. verſ. 9.	tutiuſque	leg. tutius me
Pag. 526. verſ. 11.	*arram*	ſcrib. *erram*
Tab. XXXI. verſ. 17.	d. XXCIX.	ſcrib. d. XXCIIX.
Tab. XXXV. dies III. inter Caniculæ exortum & Eteſias		habendus eſt tertius.

ECIAL
4581

THE GETTY